This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

WIDENER LIBRARY
HX JVCD $

Digitized by Google

BP431.1.2

950
17



ROBERT TROUP PAINE
TO
HARVARD COLLEGE.
A LEGACY
IN HIS NAME BEING APPLIED
IN PART TO AN ANNUAL INCREASE
OF THE LIBRARY

Received 9 April, 1879.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

ANNO MDCCXLVIII

publicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JO. FRID. GLEDITSCHIUM, & B. LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in WAESBERGIORUM officina.

C MDCCXLVIII

Digitized by Google

~~24,108~~
BP 431.1.2
1879, April 9.
Rawl. bequest.

Digitized by Google

Lectoribus Salutem!

Qui omnium gentium animos ad ſpem feliciſſimorum temporum erexit, & per diſſitas æque ac finitimas noſtris regiones, fugatis terroribus, gaudia, & futuræ tranquillitatis ômina fauſtiſſima, circumtulit, etiam noſtris auribus iucundiſſimus, de pace Europæis terris reddita, ſopitisque tandem bellorum tumultibus, nuntius accidit. Nam, ſi vere ita hominum, quicunque non aut efferati natura, aut longo inter belluas vivendi uſu a manſuetudine humana ſunt abducti, judicio exiſtimatur, non aliunde, quam a truculentis Martis ſtudiis, ſive certiorem rebus publicis, olim florentiſſimis, interitum imminere, ſive majores publice privatimque calamitates oriri; contra vero ex fœcundiſſimo Deæ Pacis gremio bonorum ac felicitatum tantum, quantum ad provinciarum civiumque florem ac ſalutem ſatis eſt, effundi; nemo non intelligit, hujus quicquid aut calamitatis, aut felicioris ſtatus, eſt, omnium maxime ad optimas illas placidiſſimasque Muſas pertinere, quæ, quo mollioris ipſæ ſunt ingenii, & a ſtrepitu tubarum, ſuis moleſtiſſimo laboribus, longius abhorrent, hoc triſtiori inter arma habitu vultuque incedunt, hoc lætiores, ſedatis tandem hoſtilium turbarum, incurſionum, depopulationum, procellis, animos reſumunt. Nimirum ab ultima inde ſeculorum memoria frequentiſſimis exemplis hoc compertum eſt, nusquam minorem Apollinis ſacris honorem habitum, quam apud eas gentes, quibus, in acie verſari, aliena per vim ad ſe rapere, integras regiones ac civitates devaſtare, continuus, & quaſi domeſticus, labor fuit; nec uſquam melius, quam inter eos, qui bellorum incommodis nec ipſi vexantur, nec vexare alios ſolent, literarum ſtudia florere. Jam vero, cum beata, niſi in qua bonæ artes & doctrina florent, nulla ſit reſpublica, ſatis hinc patet, quam vere dici poſſit, bellicoſis & armorum ſtudioſis populis multo feliciores habendos eos eſſe, qui æternum paci candidiſſimæ intra fines ſuos hoſpitium præbent, & alendæ huic, modisque omnibus tuendæ, toto animo ſunt dediti. Quam gravis a multis inde annis non patriam tantum noſtram, non Germaniam, non vicinas huic regiones, ſed Europam pæne univerſam, bellorum tempeſtas afflixerit, quantum exhauſtum fortunarum, quantum ab omni parte lamentationum ſit auditum, omnes ſciunt, & adhuc bene recordantur; eſtque ſine dubio a publica hac, & communi omnium gentium, calamitate, literarum nunc ita jacentium, ut priſtini honoris decorisque parum oſtendant, cauſa non poſtrema arceſſenda. Si quis igitur amabiles illas, & ingenuas, & liberales, Muſas eo complecti-

Digitized by Google

tur amore, ut boneſtiſſima nolit barum otia turbari, &, bene bis eſſe in futurum omne tempus, cupiat; is primum pie nobiscum ac religioſe providentiſſimum illud Numen venerabitur, cujus nutu factum & auſpiciis ſcimus, ut concuſſa olim turbulentis motibus, & ſuis quaſi vinculis ſoluta, ad certum quendam ordinem univerſi orbis machina rediret, ut irarum, quibus inflammatæ gentes potentiſſimæ, ſaturari longa tot millium hominum cæde vix potuerunt, æſtus deferveſcerent, & in diſſidiorum ac offenſionum locum amor tandem & concordia ſuccederent; deinde maximorum Principum & ſapientiam admirabitur, & magnitudinem animi prædicabit, utpote qui, ex continuis bellorum afflictionibus hoc tandem intelligentes, per ſe funeſtum ac deteſtabile omne illud, aliena armis acquirendi, ſtudium dicendum, & malorum omnium perpetuam quandam victoribus cum victis communionem eſſe, ut proſtratam civium ſuorum ſalutem reſtituerent, bisque, vires colligendi perditas, ægrotantia commercia reficiendi, novas opes comparandi, viam aperirent, auſpicatiſſima de exſtinguenda boſtili flamma, revocandaque publica tranquillitate, conſilia ceperunt, & in id, ut, everſa horribili Martis officina, ſtabile ac diuturnum pax aurea imperium occuparet, conſociatis curis amiciſſimeque conſpirarunt. Quas, per ſe præclaras, & omnium terrarum civibus ſalutares, deſtinationes cum lætiſſimus nuper eventus ſit ſecutus, jamque populi, ex parte ferociſſimi, abiectis armis, frondentem manibus olivam oſtendant; nihil ardentius noſtris expetendum votis videtur, quam ut æternam banc fata benigniſſima nobis eſſe pacem iubeant, & largiſſimi ex reparata hac ſeculorum integritate ad ſeram poſteritatem fructus redundent. Nobis, quibus in Saxonia, Diis cariſſima, & a Diis babitata, regione, ſedes fortunæ ac ſtudiorum contigit, plurimum ſpei ac præſidii in AUGUSTI, Principum maximi, quo nec ſapientiorem, nec clementiorem, ulla ætas tulit, divinitate naturæ eſt, nec, quoad noſtra navis a dexterrima illa manu regitur, quoad in præcipuis domus Auguſteæ virtutibus amor ſtudiumque pacis numeratur, quoad, neminem lædere, ſuum cuique tribuere, juſtitiam revereri, ſanctiſſimæ illæ leges erunt, quibus patriæ noſtræ ſalus adminiſtratur, cur male ſibi timeat a perverſis boſtium conſiliis, Saxonia babebit. Merito igitur in partem gaudiorum, quibus omnis nunc Europa perſonat, Muſæ noſtræ veniunt, &, tanquam ex cuſtodia dimiſſæ, aut longæ noctis tenebris egreſſæ, reſtitutas ſe in libertatis priſtinæ poſſeſſionem, redditasque luci publicæ, non vident tantum, ſed vebementer exultant etiam. Atque bis, a Deo datis, ita nos deinde otiis fruemur, ut in literarum unice augenda dignitate elaboremus, &, recte noſtro munere fungentes, aliquando non honori tantum, ſive noſtro, ſive patriæ, conſuluiſſe, ſed plurimum etiam incrementi bonis artibus attuliſſe, & eorum, qui nobiſcum rectiora ſtudia baud negligenter tractant, ſtrenue iuviſſe commoda dicamur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Januarii Anno MDCCXLVIII.

NOVUS THESAURUS VETERUM INſcriptionum, in præcipuis earundem Collectionibus hacte-nus prætermiſſarum, collectore LUDOVICO ANTONIO MURATORIO, Sereniſſ. Ducis Mutinæ Bibliothecæ præfecto.

Tomi IV.

Mediolani, ex ædibus Palatinis, 1739-1742, fol. maj. Alph. 25, cum nonnullis Fig. æn.

Venerandæ antiquitatis reliquiæ, quæ, ab injuria temporum atque hominum feliciter ſervatæ, ad noſtram ætatem pervenere, cum ad illuſtrandam priſci ævi memoriam, ad ritus moresque cognoſcendos, ad promovendos Latinæ linguæ terminos, multum conferant, magno numero a præſtantiſſimis viris congeſtæ, notisque & commentariis ſunt expoſitæ. Italia, quæ & olim liberalibus artibus floruit, & adhuc maxime floret, marmora & lapides, clarorum nomina majorum præferentes, incredibili cura undique collegit, diſpoſuit, & uberrimam eorum meſſem provulgavit. *Muratorius*, magnum illud & immortale in literis nomen, *Fabretti*, *Donii*, *Maffæi*, *Gorii*, veſtigia premit, & multorum annorum opus, reconditæ eruditionis plenum, antiquitatis ſtudioſis ſiſtit, qui tot millia lapidum fragmenta, dudum pro deperditis habita, magna cum voluptate nunc volvere & revolvere poſſunt. In Præfatione, quibus ſubſidiis inſtructus

ad ſuſcipiendam ingrediendamque illam provinciam acceſſerit, exponit. Ex inſcriptionibus editis eas modo, quas *Malvaſia*, *Rubeus*, *Vignolius*, *Philippus a Turre*, *Maffæus*, *Vulpius*, aliique, ſparſim, & aliud agendo, vulgaverant, repetiit; ex ineditis primo loco *Cyriaci Anconitani*, qui Seculo XV in Dalmatiam, Græciam, & vicinas regiones, antiqua monumenta collecturus, iter inſtituerat, ſchedas, e *Barberina* Bibliotheca a *Pompejo Compagnonio* transmiſſas, exhibuit. *Jocundi Veronenſis* ſcrinia multi compilaverunt, ut pauca inedita, quæ *Gorius* produxit, remanſerint. *Michaelis Ferrarini*, Regienſis, inſcriptiones, in Bibliotheca Farneſia latentes, *Ligorii* item volumina duo, *Grutero* aliisque memorata, magno ſibi uſui fuiſſe, teſtatur. Multa etiam in Ambroſiana Bibliotheca marmora invenit, alia Eminentiſſ. *Paſſioneus*, *Franciſci* autem *Ptolemai*, Senenſis, collectanea *Hubertus Benvoglientus*, lapides per Daciam repertos *Apoſtolus Zenus*, ſuppeditavit. Inprimis *Joſephum Bimardum*, Gallicæ Academiæ ſocium, laudat, ut qui ex rarioribus libris ingentem inſcriptionum numerum excerpſerit, plurimas notis & Diſſertationibus illuſtraverit. Ceterum vehementer dolet, quod aliorum oculis & diligentiæ unice confidere coactus, plurima manca & inemendata dederit, præcipue Græca, aut quod eruditi in iis deſcribendis non ſatis exercitati, aut quod ipſa marmora fœde corrupta fuerint. Quod tamen malum levius ferendum eſt, quam illa hominum negligentia, qua multæ vetuſtatis reliquiæ miſerandum in modum perierunt. De eo jam ſua ætate conqueſtus eſt *Jocundus Veronenſis*, monumenta optima a Romanis in calcem redigi, & fundamenta ædium ex fragmentis columnarum & titulorum poni, cum indignitate, & fere cum lachrymis, commemorans; cui malo avertendo hodie Muſea publica conducunt, ubi, quod ætatem ferre meretur, perpetuæ cuſtodiæ traditur.

Præfationem *Joſephi Bimardi* Diſſertationes oppido eruditæ, quibus antiqua marmora explicantur, multaque obſcura & incognita clariſſima luce perfunduntur, excipiunt. *Capite primo* vetuſta inſcriptio, varios eventus ſervilis belli, contra *Sparta-*

Digitized by Google

Spartacum, *Crixum*, aliosque gladiatores, A. U. C. 680 initi, continens, quamque annalium maximorum, quorum apud *Livium* & ceteros ſcriptores tam crebro mentio injicitur, partem conſtituiſſe, Autor cenſet, producitur. Prætoris, illo anno contra *Spartacum* & ſocios miſſi, nomen, quod varie a Græcis & Latinis ſcriptoribus refertur, *P. Varinius Glaber*, Quæſtoris *C. Thorunius* fuit, ut ejus præſtantiſſimi fragmenti fide compertum habetur. Servorum victorias incredibilem metum Romanis injeciſſe, ita, ut multi militiam detrectaverint, nec paruerint Imperatori, fiduciam tamen eos poſtea recepiſſe, ex iisdem apparet. *Capite ſecundo Pompejæ Cn.* filiæ *Magnæ* ſepulcralis titulus Latino-Græcus, Smyrnæ repertus, illuſtratur. Quæ fuerit illa, conjecturis doceri poteſt. Falluntur, qui eam a patre, cum fuga Ægyptum peteret, Smyrnæ conditam opinantur, cum neque *Lucanus*, diſceſſum *Pompeji* & conjugis deſcribens, eam inter fugæ comites recenſeat, neque, Lesbi eam cum matre fuiſſe, ſcriptores tradant. Memorant illi quinque *Pompeji* uxores, e quibus tres filias ſuſcepit, quarum una, a *Cicerone* expetita, *Fauſto Syllæ* elocata, ſecunda *Luc. Cinnæ* conjux, & *Cn. Corn. Cinnæ Magni* Coſ. mater, fuit, tertiæ *Suetonius* meminit in *Tiberio*. Ex his Smyrnæ ſepeliri potuit non *Fauſti Syllæ* conjux, ut quæ Romæ vivere ſolebat, cum præterea ex Romana inſcriptione quadam appareat, *Pompeji* filiam adhuc ſub *Auguſto* ſuperſtitem fuiſſe; quare *Smyrnæum* marmor nulli ex iis, quæ viros nobiles & illuſtres ſortitæ erant, commode tribui poteſt, ſed ei, quæ cum fratre in Sicilia fuit, natæ, ut veroſimile eſt, ex *Minucia*, cum *Fauſti Syllæ* & *L. Cinnæ* uxores, *Antiſtiæ* filiæ, fuerint. Tertia ſupereſt, quæ fratrem, exercitu amiſſo, in Aſiam ex Sicilia fugientem, comitata eſſe videtur. Ceterum ex cognomine *Magnæ*, & patris prænomine, non omnino conficitur, *Pompejam* illam celeberrimi *Pompeji* filiam fuiſſe, quandoquidem, *Pompeji* nomen, & cognomen *Magni*, ad *Pompeji* poſteros per ſequiorem ætatem tranſiiſſe, eruditi, *Spanhemius* inprimis, annotarunt. *Capite tertio* marmor, Torigniaci repertum, explicatur. Baſis eſt ſtatuæ, quam tres Gallicæ provinciæ, Lugdu-

Lugdunenſis, Belgica, Aquitanica, *T. Sennio Sollemni*, e civitate Viducaſſium, hodie *Vieux*, oriundo, poſuerunt. Obiter Cl. *Bimardus* animadvertit, falſos eſſe, qui *Ptolemaei* Βιδουκεσίους in Bajocaſſibus quaerant, quorum civitas hodie *Bayeux* appelletur. Annus, quo inſcriptio poſita eſt, ex Coſſ. *An. Pio* & *Proculo*, urbis ſcilicet conditae 991, quo *Cenſorinus* aureum libellum *de die natali* ſcripſit, & ab hoc anno illuſtriſſimas epochas retro computavit, facile demonſtratur. Par illud Conſulum *Cenſorino Pagius* reſtituit, cum apud eum antea *Ulpiani* & *Pontiani* nomina mendoſe legerentur, eamque emendationem *Relandus*, *Tillemontius*, aliique, comprobarunt. *Taurinicia Dianae*, quae ex fugientibus literis in hoc marmore eruuntur, taurorum in circo & arena venationes erant, ob ſacerdotium *Dianae*, quo *Sollemnis* fungebatur, editae. *Ferrarii*, quorum in eadem inſcriptione mentio habetur, minime iidem ſunt cum armorum fabris, ſeu ὁπλοποιοῖς, ſed illi Graecis χαλκεῖς & σιδηρεῖς dicuntur, hi artifices erant, quibus concedebatur immunitas, qui corpora & collegia, arcamque communem, indultu Senatus, habebant. Ex *Aedinii Juliani* epiſtola, in dextro marmoris latere exarata, quaedam de Concilio Galliarum habentur. Ad ea comitia unaquaeque trium provinciarum legatos ſuos ablegabat; non certus tamen locus iis praeſcriptus erat, ſed nunc Lutetiae Pariſiorum, nunc Samarobriviae, nunc Bibracte Aeduorum, poſt *Auguſti* autem exceſſum Lugduni, Remis, & Narbone, plerumque celebrabantur. Legatis, qui in his eligebantur, non licuiſſe in generalibus conciliis ſuffragium ferre de iis rebus, de quibus nihil habebant in mandatis, a ſua civitate acceptis, ex his literis unice cognoſcitur. *Cap. IV Q. Catronius*, Duumvir, & Pontifex Coloniae Auguſtae Ariminenſis, Praefectus pagi Epotii, ut curator muneris publici in civitate Dea Auguſta, ex antiquo lapide innoteſcit. Mirum certe eſt, & caret exemplo, militem veteranum, qualis fuit *Catronius*, tot muneribus perfunctum eſſe, licet alioquin conſtet, veteranos, poſt abſoluta ſtipendia, municipalibus honoribus & ſacerdotio decoratos eſſe. Praecipue ignorarunt eruditi, quomodo verba: *Veter. coh. VI*

Digitized by Google

cob. VI. Pr. loco. II. Vir interpretanda ſint, quæ alii de milite inter prætorianos cooptato ante accepere, alii, *Cætronium Loco II Viri* dictum eſſe, cenſuerunt. Sed eo munere functi *produumviri* in marmoribus appellantur, neque, ut obſervat *Bimardus*, dictiones *loco* & *vice* cum ſubſtantivo dignitatis nomine ſolæ procedant, ſed illis aut præponitur, aut poſtponitur, participium, aut verbum, quod ſenſum ſtabiliat. Hinc ipſe latere putat Centuriæ nomen, atque ita ſupplet: *Veteranus cobortis VI Prætoriæ Loconii*, cujus apud *Fabrettum* mentio habetur. Deinde legit: *Præf. Pagi Epotienſis. Pagi* dicuntur loci, quo convenerunt homines, ut in commune viverent, agrosque colentes, a civitate abeſſent. Nihilo tamen minus civitati ſuberant, nec peculiari jure utebantur; quare, ſi, *jus* in vicis quibusdam dictum fuiſſe, apud ſcriptores legitur, hoc ita accipiendum eſt, ac ſi magiſtratus aliquando ejus rei cauſa in pagos e civitate ſe contulerit. Erant enim etiam in pagis conventus, quibus *Magiſtri pagi* præerant, munus ipſum *magiſterium pagi* vocatur, *Numæ Pompilii* ætate jam inſtitutum; *magiſtri* etiam *præpoſiti* & *præfecti pagorum* appellari ſolent. Ab his *ædiles pagorum* diſtinguendi ſunt, & *primates vicorum*, decuriones urbium dignitate & opibus æquantes. Quid? quod pagi Deos peculiares habuerint, ut Jovem Paganicum, bonamque Deam paganam, quorum in marmoribus antiquis mentio occurrit. *Epotienſis pagus*, *cujus in* hoc lapide *Cætronii* mentio fit, hodie eſt *Upays*, quod nomen ex *Upaytio*, *Epavytio*, *Epautio*, *Epotio*, manifeſte corruptum eſt, pertinuit autem ad Coloniam Deam Auguſtam Vocontiorum, quos inter & Segaſianos medii erant Allobroges, teſte *Julio Cæſare*. Munus publicum, cujus in ſe curam *Cætronius* ſuſcepit, ludi gladiatorii fuere, qui cum in Coloniis & Municipiis ederenrur, eorum præfectura olim primoribus & honorariis civitatum deferebatur. *Capite quinto* obſervat Autor, cives quosdam ex præcipuis, ut popularem auram captarent, gladiatorios ludos, per agros, ſuis ſumtibus edidiſſe. Id de *G. Pompejo Martiali* Nemauſenſis lapis teſtatur, ejusque rei cauſa privatim gladiatorum paria alebantur,

tur, ut ex lapidibus cognoſcimus. In Nemauſenſi pugnarum numerus adſcriptus eſt, C autem inverſum legi debet *Commiſſus*. *Committi* enim, *componi*, *comparari*, gladiatores dicuntur. Epitaphium *Severæ Martyris*, Romæ erutum, & a R. P. *Lupo* commentariis illuſtratum, *Caput ſextum* exhibet. Oſtendit hac occaſione, ubi de Conſulatu *Claudii* & *Paterni* loquitur, vacillare fidem trium marmorum *Gruteri*, ubi *Claudius Coſ. II* dicitur, cum primum Conſulatum geſſerit. Ceterum optat, ut plura ejus generis monumenta vulgentur, cum inde cycli lunarum, quibus ad ordienda Paſchatis feſta veteres Chriſtiani uſi ſint, ratio appareat, & Chriſtiani occidentalis eccleſiæ nullo ex notis cyclis, ut *Hippolyti*, *Anatolii*, Epiſcopi Laodiceni, & Julianæ periodi, Seculo tertio, uſi ſint. *Capite ultimo* cippos duos, in quorum uno: *T. L. Navi*, in altero: *Proxſumis TARTV*, ſcriptum exſtat, illuſtrat, & *Navi* quidem viri nomen, *proxumos* autem Deos eſſe, quos naſcentes pueri ſortiebantur, contendit. Obiter *Gudii* lapſum, recentes Inſcriptiones pro vetuſtis habentis, notat, neque a *Fontanino* formulam *pro copia ſua*, neque *peculiaris*, quæ vox in antiquo marmore ſupereſt, recte a *Gorio* explicari, oſtendit.

Sequuntur *Bimardi* notæ in antiquum marmor, e Britannia majori allatum, cum Inſcriptione: Μανθέος Αἴθȣ ευχαριςεῖ Διὶ ἐπὶ νίκῃ πεντάθλȣ παιδές. *Mantheus Æthi filius donum dat Jovi pro victoria quinquertio puerili relata. Jupiter* in eo, capite diademato, aquilam tenens, conſpicitur, ante eum crater ſupra tripodem, ad lævam nudus athleta, manus ambas in vas, tripodi impoſitum, demittens, adſtat. Tria hic examinanda ſunt, primum literarum ætas, deinde ſtilus, occaſio ponendæ inſcriptionis, & ætas ejus. Morem literas βȣςροφηδὸν exarandi Autor declarat, & hoc marmor, quod illo modo exaratum eſt, cum Sigæa inſcriptione comparat. Cum pauca ejus generis monumenta hodie ſuperſint, incertum eſt, quamdiu duraverit, viguiſſe tamen circa quinquageſimam Olympiadem, non abſimile vero eſt, licet inſcriptiones nonnullæ, quanquam βȣςροφηδὸν exaratæ, ceteris forte recentiores, ſuperſint. *Mantheus* pro Olympionica haberi non poteſt, cum

Pauſa-

Digitized by Google

Pauſanias, ſemel tantum Olympiæ puerorum quinquertium, victoriam reportante *Eutalide* Lacedæmonio, inſtitutum eſſe, at ſtatim Eleis diſplicuiſſe, memoriæ prodiderit. Quare, cum Nemeæ pueri quinquertiones decertaverint, Nemeonicam *Mantheum* fuiſſe, demonſtratione non eget. Ætas inſcriptionis, adhibito marmore alio, in Academiæ Gallicæ Muſeo exſtante, oſtenditur, & ex ſcriptura inprimis, præcedere eam LXXX Olympiadem, concluditur. Quinquertium, quo victor *Melantheus* fuit, Nemeade XIII inſtitutum, ſcribit *Pindari* Scholiaſtes, cujus verba *Bimardus* exponit, &, ab eo anno, quo primum poſt Adraſti editionem Argivi illum agonem recuperarunt, ipſum uſque ad ſublatos omnino gymnicos ludos in eorum poteſtate fuiſſe, probat. Hinc probabile ſimul eſt, nonnullos Nemeadum initium ab epocha, quam aſſignavit *Euſebius*, ad annum primum Olymp. LIII numeraſſe; *Pindari* tamen Scholiaſtes, aliud initium Nemeadum numerandarum faciendum eſſe, innuit. Conſtituto enim *Pindari* natali ad annum primum Olympiadis LXV, ſatis patet, Nemeades ab inſtauratis Nemæis per Argivos, quod in annum primum Olympiadis LIII incidit, a Scholiaſte computari non potuiſſe. Nemeas enim XIV, inde deducta, incidiſſet tantum in annum tertium Olympiadis LIX, quo nondum natus erat *Pindarus*. Ex his omnibus tandem colligit doctiſſimus *Bimardus*, *Mantheum*, Nemeis puerili quinquertio victorem, quod certamen Nemeade XIII inſtitutum eſt, inter LXX & LXXX Olympiadem omnino vixiſſe. Eruditam hanc Diſſertationem alia *de Diis ignotis*, præſertim Gallicis, quorum nomina aut non cognita hactenus, aut certe parum recte fuerunt intellecta, ſequitur. Duplex eorum genus ſtatuit. Vel enim Deo jam noto peregrinum cognomen adhæret, vel nomen ipſius Dei Deæve nondum intellectum occurrit. *Jupiter Aulercus*, quem primo loco ſiſtit, ab *Aulercis*, celebratiſſima Galliæ gente, cognomen trahit, fanumque habuit Antiſſiodori; *Minerva Arnalia*, quod Celticum nomen eſt, Deam terram fodientem ſignare videtur, forte quod terræ fodinis præeſſe credebatur; *Mercurius*, *Mocius*, a monte prope Andematunum Lingo-

Lingonum, cognominatur; *Fontes* divinis honoribus a Gallis cultos eſſe, *Gregorius* docet, quos ſucceſſu temporis *Caroli M.* & *Ludovici Pii* legibus conſtat ſublatos eſſe. Ex genere eorum eſt *Urnia* & *Avicantus*, Nemauſi fontes, hodie *Eure* & *Viſtre* dicti. *Dei Aghonis*, quem priſci Bigerrones adorarunt, in duobus antiquis marmoribus memoria supereſt. Is forte ab Aquis Calidis, ſeu divo fonte Aquenſis vici, ubi illa eruta fuerunt, nomen traxit. *Icauna*, Celtis culta, Dea fluvii eſt, Antiſſiodorum alluentis, qui hodie *Yonne* vocatur; *Apollo Grannus* & *Mogunnus*, *Bimardo* judice, Grannenſium aquarum & Mœni fluvii tutelares Dii ſunt; *Andarte*, Vocontiorum Dea, a Celticis vocabulis *And* & *Art*, quæ terræ finem notant, nominis originem ducit; *Cailarus*, quem in Arelatenſi lapide memoratum legimus, ex Germanico *Gail* & *Art*, quibus pinguedo agri deſignatur, non incongrue deduci poteſt. In ejus Diſſertationis appendice de *Solimara*, de *Jove Madbucho* & *Selamene*, de *Proſpolis* in lapide Tergeſtino, & de teſſera myſteriis Liberi patris initiatorum, diſputatur. Hanc ultima *de Originibus Calaronenſibus*, ſeu *Gratianopolitanis*, excipit, & primum de antiquo urbis ſitu, deinde de Alpibus Cottiis, poſt de Calaronis parte citra Iſarum, de municipali ejus jure, poſtremo de monumentis militum, adhuc ſuperſtitibus, copioſe tractat. Subjecta huic Diſſertationi epiſtola eſt ad Marchionem *Maffæum*, qua XVI inſcriptiones, & opera antiqua, ex parte nondum edita, & commentariis illuſtrata, continentur. Pertinent ante omnia ad Municipium Auguſtum Allobrogum. Poſtremo loco *Jo. Petri Moreti*, *Valbonæſii* Marchionis, *Jo. Bouberii*, & *Joſephi Bimardi*, epiſtolæ mutuæ Gallicæ eduntur, in quibus de *Cl. Albini* Cæſaris inſcriptione, a Cl. *Bozio* in Commentariis Academiæ Gallicæ explicata, diſputatur. Eam *Bimardus*, cum *Sponio* & *Menetrejo*, ſuppoſitam putat, & fœde interpolatam; *Bouberius* contra & *Valbonæſius* ejus integritatem adſtruunt, totamque *Albini* hiſtoriam ea occaſione luce clariſſima perfundunt.

Jam, ut ad ipſum Opus veniamus, ſciat Lector, id, æque ac *Gruteri*, *Reineſii*, & *Gudii*, theſauros, in varias claſſes dige-
ſtum

Digitized by Google

ſtum ac diſtributum eſſe, quarum prima ingentem numerum inſcriptionum, Diis Deabusque poſitarum, complectitur, notis paſſim & obſervationibus adjectis. In *Claſſe ſecunda* templa, ædes, aræ, donaria ſacra, poſtremo Calendaria, apparent, multaque, a *Cyriaco Anconitano*, & aliis, in eruditis itineribus reperta, inſeruntur. Pontifices, Sacerdotes, aliique ſacrorum miniſtri, *Claſſem tertiam* conſtituunt, cui *Dominici Georgii* de Archigallis magnæ Deum matris Diſſertatio, ſeparatim olim, & in *Calogera* Collectione variorum opuſculorum, excuſa, loco appendicis accedit. Sequuntur Auguſti, Cæſares, & Reges, quorum inſcriptiones a *Whelero*, *Sponio*, *Smithio*, repertæ, aut in commentariis Londinenſis Academiæ, & in Manuſcriptis ſchedis, ſumma cura fuerunt conſervatæ. Memoriam Conſulum *Claſſis quinta* complectitur. In his digerendis ita Autor verſatus eſt, ut *Stampæ* & *Relandi* calculum & ordinem ſecutus, lapides, poſt edita eorum opera inventos, ad ſuos annos accurate retulerit. Opera & loca publica in *Claſſe ſexta* deſcribuntur, multique magnorum virorum errores ea occaſione corriguntur. In ſequenti Collegia varia ordine literarum diſpoſita ſunt, e quibus *apparatores annalium, aromatarii, capulatores Sacerdotum Dianæ, cum collegio juvenum Puteolanorum*, nunc primum innoteſcunt; quibus omnibus Diſſertationem de formula: *ſub aſcia dedicavit*, Cel. *Muratorius* adjecit. *Tomum ſecundum octava Claſſis*, quæ Senatusconſulta, plebiſcita, decreta, & acta publica, continet, orditur. In iis eminet tabula ænea, ab uno latere Græcis, ab altero Latinis, literis notata, qua termini agrorum Liberi patris conſtituuntur, & quam *Maffæus* in Obſervationibus literariis, *Maittairius* libro ſingulari, expoſuit. Magiſtratus & dignitates majores *Claſſem nonam* complent. Hæc præcipue Græcis lapidibus abundat, ſed in quibus deſcribendis *Muratorii* amici paſſim ſunt hallucinati. *Plinii* inſcriptio Mediolanenſis præ ceteris notanda eſt, cui *Alciati* Commentarium, nondum editum, ex *Ambroſiana* Bibliotheca *Muratorius* ſubjecit. Sequuntur inſcriptiones, in quibus officia domus Auguſtæ commemorantur, quarum pars ex Columbario liberto-

rum *Liviæ Auguſtæ* repetita eſt, pars ex *Ligorio*; aliæ ex compluribus ſepulcris, parte ſiniſtra e porta S. *Sebaſtiani* exeuntibus obviis, ſunt effoſſæ. *Claſſis XIII* artes & officia minora, ut Grammaticorum, Sophiſtarum, Tibicinum, Piſtorum, ac ſimilium, exhibet, qua occaſione paſſim *Gruterus* emendatur. Libertorum & Servorum monumenta, *Claſſi XIV* deſtinata, Geographica, ſeu in quibus populorum, urbium, fluminum, memoria habetur, in *Claſſe XV* excipiunt. Multa in his nomina, quæ fruſtra apud ſcriptores aliquis requiret, ut *Venacinorum*, in Corſica inſula, occurrunt, præterea capita Celticorum Deorum, Pariſiis eruta, & a *Leibnitio, Eccardo*, aliis, explicata. Nec minus in *Claſſe XVI* Coloniarum & municipiorum memoria eruditos delectabit, quibus hic nova rerum ignotarum ſeries recluditur, & obſcura oppidorum veſtigia panduntur. A *Claſſe XVII* ſepulcralia monumenta incipiunt, e quibus parentum affectus in liberos primum locum occupant. In *decima octava*, quæ *Tomi III* prima eſt, affectus liberorum in parentes, in *ſequenti* conjugum, in *vigeſima* affectus fratrum, cognatorum, & amicorum, in *vigeſima prima* patronorum & dominorum erga libertos & ſervos, atque iſtorum erga illos; in *vigeſima ſecunda* libertorum & ſervorum, ſepulcrales lapides exhibentur. Præcipue notanda ſunt libertorum & familiæ *Lucii Aruntii* ſepulcra, in via Præneſtina A. 1733 detecta, & a *Franc. Ficoronio* ad *Muratorium* transmiſſa. *Ultima* hujus *Tomi* portio *Singulares, minutiores, & quisquiliæ*, inſcribitur, cui ſpuriæ dubiæque ſatis magno numero accedunt. *Tomus quartus* Chriſtianas primum antiquitates ſtudioſis offert, quorum poſt *Aringhium* & *Boldettum* fere immenſa ſeges eſt, unde plurima hactenus incognita hauriri poſſunt; deinde ampliſſimum auctarium, libro ſub prelo ſudante, ab amicis *Muratorio* ſubminiſtratum. In his occurrunt veteres inſcriptiones non paucæ, e *Gætzianis* ſchedis, a Cel. *Maſcovio* noſtro ſuppeditatæ. Nonnullæ tamen in hoc auctario repetitæ ſunt, quæ jam in ipſo opere comparuerant. Inſcriptio Sigæa, & alia Græcorum pſephismata, *Chisbulli* commentariis illuſtrata, & urbis Romæ inſcriptio, dudum a *Labbeo, Panvinio, Grævio*, edita,

ſed

Digitized by Google

ſed nunc ad duorum Codicum Vaticanorum fidem a *Joſepho Blanchino* recenſita & illuſtrata, cum Indicibus ampliſſimis, ad *Gruterianorum* normam adornatis, præſtantiſſimæ huic collectioni colophonem addunt. Ceterum, quod plerumque in longis operibus accidere ſolet, ut editores, magnitudine & copia rerum obruti, non perſpicere omnia, & tam emendata, ut ipſi & eruditi omnes optant, dare poſſint, id maxime Cel. *Muratorio* contigit. Inſcriptiones inprimis Græcæ tam male fere omnes repræſentantur, ut ineptæ, nec ſenſum ullum fundere, videantur. Multas ex iis ad examen revocavit *J. H. Leichius*, Lipſienſis, in *Novis Miſcellaneis*, quæ apud nos prodeunt, *Tom. I P. III*, & errores plurimos, nec eos quidem leves, ſanavit. Alias inſcriptiones ad calcem Græcorum Epigrammatum, ex Anthologia MSta delectorum, eas præcipue, quæ *tertio* & *quarto Tomo* continentur, tractavit. Meminimus quoque, Cl. *Bimardum*, quem in ipſo ætatis flore exſtinctum dolemus, multa de ſuarum Diſſertationum editione in Ephemeridibus literariis, quæ *Wetſtenii* ſumtu Amſtelodami prodeunt, conqueſtum eſſe.

ANTILUCRETIUS, SIVE DE DEO ET NATURA Libri novem, Eminentiſſimi S.R.E. Cardinalis MELCHIORIS DE POLIGNAC opus poſthumum, illuſtriſſimi Abbatis CAROLI D'ORLEANS DE ROTHELIN curâ & ſtudio editioni mandatum.

Pariſiis, 1747, 8 maj.

Alph. 1 plag. 7.

Annuntiamus Opus, non magis ab Eminentiſſimi Autoris dignitate, quam ab argumenti ſui gravitate, dictionis nitore & elegantia, ſuaviſſimaque Muſæ venuſtate, quæ Autori carmen ſuum dictaſſe videtur, commendabile, quod dudum jam, antequam prodiret, celebratum fama, votisque expetitum, neque famæ ſuæ, neque exſpectationi, non abunde ſatisfecit. *Antilucretius* inſcribitur, ideo quod impias *Epicuri* doctrinas, carmine *Lucretii* celebri incruſtatas & commendatas, evertere ſtudeat. Metuendus certe operi *Lucre-*

tiano antagoniſta, qui, quanto inferior illo eſt ordine temporum & antiquitatis opinione atque autoritate, tanto magis impium Philoſophum argumentorum ponderibus, variaque doctrinæ copia, caſcumque ſcriptorem, et obſoletæ dictionis aſperitate horridum, exquiſito ſermonis cultu & amœno nitore, vincit. Verendum eſt, ne *Lucretium* hic *Antilucretius* aliquando proſcribat & exigat e ſcholis, niſi forte ſublimes, quas tradit, juvenumque captum excedentes, res offecerint. Meretur certe hic liber, ſi quis alius, diligenter legi, in ſinu geri, &, quandoquidem his in oris rarior eſt, typis noſtris recudi. Batavi certe dignum ſuis typis eum judicarunt, quos Leidæ jam exercet, ut a fide dignis autoribus, qui ſpecimina viderunt, accepimus. Medici pariter atque Philoſophi ſatis in eo & abunde reperient, quod mirentur. Recludit enim naturæ penetralia; pro compendio naturalis ſcientiæ poteſt reputari; recentiſſima ingenii & artis inventa, ſectasque Philoſophorum, docto facilique & claro ſtilo exponit; id quod patebit, cum ad exhibendum diſtinctius ejus argumentum deveniemus.

Interea Præfationem luſtrare oportet, in qua fata hujus libri Autor ejus, de quo nobis non conſtat, quis fuerit, polito & raræ elegantiæ ſermone perſequitur. „Cum e Polonia „rediens (verba ſunt Autoris) A. 1697 Abbas *Poliniacus* „in Batavia aliquandiu commoraretur, plurimis colloquiis „cum acutiſſimo viro *Petro Baylio* velitatus eſt. Igitur in„cenſus ſtudio virtutis & veritatis, concepit animo magnitudi„nem hujus operis, quo *Lucretium*, atheorum antiſtitem atque „oraculum, collato pede profligaret. Itaque paulo poſt, in Bo„ni Portus Abbatiæ ſeceſſu ſecluſus a negotiis, ac ſibi redditus, „quinque *Anti-Lucretii* libros conſcripſit. Hoc primum fuit „poematis rudimentum. Poſt quatuor annos Lutetiam rever„ſus, de iis, quæ chartis mandaverat, cum *Malebranchio*, Me„taphyſicorum principe, communicavit. Is & propoſitum o„peris, & magis opus ipſum, admiratus. Vigebat tunc tem„poris diſciplina *Carteſii*. Hanc *Poliniacus*, dum primam Phi„loſophiæ navaret operam adoleſcens, in ſcholas advenientem „viderat. Hanc ipſe alacriter exceperat ſinu. Cumque „ex *Carteſii* ſententia ſuam inſtitueret, celeberrimos ætatis ſuæ

Carte-

Digitized by Google

„*Carteſianos* conſuluit. Adhibuit etiam *Bolæi* cenſoris aures „teretes illas & ſuperbas. Is & annotavit quædam, & univer„ſum poema, quod variis temporibus perlegit, prorſus con„ſonum eſſe judicavit incorruptæ antiquitati. Ex privatis do„ctorum hominum colloquiis in aulam celeriter *Antilucretii* fa„ma perlata eſt. Exarſit repente apud omnes cupiditas ingens „audiendi, legendi, exſcribendi. Cenomanenſium Dux li„brum primum in Gallicum ſermonem transtulit, & eandem „operam in plurimis poematis partibus collocavit Sereniſſimus „Dux Burgundiæ. Hos ſobolis ſuæ luſus egregios agnoſcere „concupivit *Ludovicus XIV*, qui, in lectione mirum in modum „delectatus, plurima memoriter complexus eſt, & ex iis quæ„dam interdum, palam Abbati *Poliniaco* e re nata illudens, ap„poſite proferebat. A. 1706 Romam miſſus *Poliniacus*, ut „in *Tremolii* jam Cardinalis locum ſuccederet Auditor Rotæ, „ſuſcepti laboris meditationem ſecum trans Alpes tulit. In „rheda, in ſtrepitu, in ipſa turba, facile ſecum commentaba„tur. Poſtquam ab erudito viro *Lanciſio*, Medico ſuo, mul„ta de *Antilucretio* præclara audiviſſet *Clemens XI*, ejus ut „copiam ſibi faceret, ab Abbate *Poliniaco* poſtulavit. Ipſi „quidem (Pontifici) minus placebat doctrina *Carteſii*, ſed „eam tamen quanam arte religioni quaſi miniſtram ac fa„mulam Autor adjungeret, mirari ſe fatebatur. Nec deinde „Ultrajecti, dum graviſſimas totius Europæ curas agitaret *Poli*„*niacus*, ipſi tamen ſuſcepta ad tuendam religionem ſtudia ex„ciderunt, quippe & ſubſecivis horis ea de re ſermones cum „eruditis Batavis conferebat, & primum operis Librum recita„vit *Clerico*, qui, cum multos verſus mirabili memoriæ celeri„tate arripuiſſet, eos, in menſtrua ſcripta conjectos, in publicum „effudit, quo facto, *Poliniacum* a pluribus recitandis abſterruit. „Creſcebat interim opus; affluebat etiam fœcundiſſimum in„genium nacta uberrima materies; dumque cum *Epicuro* præ„liabatur, in ceteros etiam atheos, *Epicuro* velut auxiliares, arma „convertebat. *Spinoſam* igitur obiter proculcavit, in *Hobbe*„*ſium* ex transverſo impetum fecit. Quin in cauſa religionis „ſuſpicioſus, & omnia tuta timens, *Lockium* & *Newtonum* per„ſtrinxit. Ipſi quidem gratias egit *Newtonus* plena urbanita-

Digitized by Google

„tis epiſtola, qua ſe affirmabat maximo cum deſiderio moritu-„rum, ſi *Antilucretium*, totius Europæ votis tantopere expe-„titum, ſibi legere non contigiſſet. Comparata igitur magna „ſilva rerum & ſententiarum, ita decreverat, abſolutis decem „Libris adverſus atheos, novum adverſus Deiſtas, quos vo-„cant, certamen inſtaurare Libris duobus, quibus & reli-„gionis, ab ipſo Deo traditæ, neceſſitatem, & propagatam ad „nos a primo parente labem, & Chriſti divinitatem, demonſtra-„ret, id & in hoc ipſo poemate pollicetur. Habebat etiam in „animo, id declarare fuſius, nihil aliud fuiſſe idololatriam, „niſi quandam hæreſin, quæ a primaria religione in pravum „deflexerat. Has magno Cardinali dignas cogitationes, quas „diuturnæ vitæ ſpatio negotiorum moles non oppreſſerat, non „ultimus etiam morbus & proximæ mortis afflatus excuſſit. „Relinquebatur jam celeberrimum poema, ſed cujus varias par-„tes variis temporibus perpoliendo diſſolutas ac diſſipatas in „unum corpus revocare nunquam curaverat. Hoc ut ede-„retur, opus erat amico. Huic igitur (Abbati *Rothelino*) Car-„dinalis paucis ante obitum diebus *Antilucretium* in manus tra-„didit, ac ſedulo recognitum, ederetne, an ſupprimeret li-„brum, ipſi permiſit. Itaque rem, vel ipſi ſcriptori moleſtam ac „difficilem, impigre ſtatim aggreſſus eſt. Quæcunque exemplaria „paſſim abierant, inveſtigare, ea tum inter ſe, tum cum iis, quæ „ab ipſo Cardinali acceperat, comparare, locos eosdem, varie „ac ſæpius ab Autore retractatos, penſitare etiam atque etiam, „ut poſtremam ipſius manum deprehenderet, conciſa minuta-„tim ac ſine ulla nota confuſa innumerabilia fere additamenta, „quaſi disjecta tantæ molis membra, ad quem quodque locum „natum eſſet, in eo ſic includere, ut quadrarent; hæc & alia „ejusmodi eo plus habuerunt laboris, quo magis tacitum & ob-„ſcurum. Nec tamen ſuo unius judicio ſtetit Abbas *Rotheli-„nus*. Peroportune in Galliam adduxerat ſtrenua doctos ho-„mines pernoſcendi cupiditas illuſtriſſimum Abbatem *Cerati*, „perpetuum Univerſitatis Piſanæ Rectorem. Hujus limatiſſimo „judicio plurimum uſus eſt *Rothelinus*. Verum hanc tantam „conſiliorum oportunitatem *Rothelino* præripuit immatura mors, quam

Digitized by Google

„quam cum inſanabili pectoris tabe jam propius obrepere ſen„tiret, ne prius e vita diſcederet, quam debitam amico fidem „exſolviſſet, conſcripta ad Summum Pontificem dedicatione, „*Antilucretium* nomine ſuo vulgandum avthentica pactione „nobis commiſit. Nos, aliquot difficultatibus diutius, quam „vellemus, retardati, opus bis poſthumum, & parente & tu„tore orbatum, adoptandum nunc tradimus religioni & litera„turæ.„

Hæc ſufficiant ex Præfatione excerpta de fatis & operis, & Autoris. Nunc argumenta luſtremus librorum ſingulorum. *Primo* quidem, qui *verſibus* MI conſtat, patrocinium religionis adverſus voluptatem ſuſcipit, & oſtendit, *Epicuri* de ſubvertenda religione, & unice colenda voluptate, inſtitutum amicum libidini ac ſceleribus, contra moribus honeſtis, humanæque ſocietati, virtuti, & rationi, inimicum, eſſe; *Epicurum* non in virtute voluptatem, ſed in hac illam, poſitam velle; eoque regulam omnem virtutis & veritatis tolli. Suffragantem *Epicuro Hobbeſii* ſententiam de juſti origine refellit. Concludit, *Epicuri* de voluptate doctrinam exitioſam & inſanam eſſe; a religione ſola petendam eſſe voluptatem, tam præſentem, quam futuram.

Libro ſecundo, qui *verſibus* MCV conſtat, totum *Epicurea* Philoſophiæ corpus exponens, vacuum & atomos ad ejus mentem explicat, & refellit primum quidem vacui opinionem, quod aut corpus, aut Deum, aut nihil, eſſe urget. Spatium cum numero ac tempore comparat. Hæc tria pariter meros eſſe rerum adſpectus, non res, neque quidquam a rebus ipſis diverſum. Vacuum ab *Epicuro* idea tantum adſtrui, quo Numen deſtruat. Moveri poſſe corpora absque inani. Fluidum ac fuſilem ætherem loco vacui eſſe; plena corporibus omnia, & preſſa, eſſe; vacuum nullum, quale *Neutono* viſum; affectiones corporum, quæ a vacuo videantur oriri, ut mollitiem & pelluciditatem, aliunde debere repeti.

Libro III, qui *verſibus* MII abſolvitur, de atomis diſſerit, neque eſſe omnino, neque numero infinitas, neque individuas, aut, quod inde ſequeretur, immortales. Materiam

Digitized by Google

aſſerit e nihilo factam eſſe, materia Deum non conſtare; quod *Epicurus* quærit in atomis, id ſoli Deo ineſſe.

Libro IV verſibus 1507 continuat ſermonem de atomis. Negat, graves eſſe, negat, ex declinatione earum explicari poſſe libertatem humani animi. *Gaſſendi* commentum de diverſa earum velocitate refutat. Gravitatis cauſam aggreditur enuntiare, & repetit ab æthere, terram ambiente, modeſta tamen cum admonitione, tanquam nihil certi affirmans, diviſa ſubtili, quæ terram circumfluit, materia in plures pyramides. Ex earum vi centrifuga oriri putat corporum gravitatem, ac præterea ex æquali terreni vorticis preſſura. Corpus nullum per ſe aut grave, aut leve, eſſe. Gravitatem *Neutonianam*, in attractu poſitam, refellit. Inde redit ad motum atomorum *Epicurearum*, oſtenditque, illas neque connecti, neque reſilire poſſe. *Spinoſæ* ſententiam de motu æterno, & in ipſa materiæ natura inhærente, evertit, concluditque, motum ab autore aliquo a materia diverſo afflari materiæ debere.

Libro V, qui *Tomum ſecundum* auſpicatur, & *verſibus 1381* conſtat, de mente diſputat, eſſe mentes, a mente ſola repetendam motus cauſam, mentem non eſſe materiam, aut corpus, neque poſſe variis ex modis materiæ mentem confieri, menti nihil cum corpore commune eſſe; negat, cauſam motus materiæ hac priorem fuiſſe, contagione corporis mentem affici, &, quod inde ſequitur, corpoream eſſe, ſed jungi cum corpore. Ex eo, quod mens uno tempore & plura ſentit, & varios ſenſus inter ſe comparat, efficit, unam ac ſimplicem & proinde immortalem eſſe. Refellit objectionem *Lockii*, qui materiæ cogitandi vim ideo demere noluit, quod materiæ eſſentia nondum penitus perſpecta nobis ſit. Quamvis enim ignoremus, quid ſit materia; attamen ſcire nos, & conſtare, cogitandi vim extenſo non competere. Ex hominis libertate oſtendit & mentem eſſe, & a corpore prorſus diverſam, motus in corpore voluntarios humanæ mentis quidem juſſu fieri, at & eosdem & naturales motus divinæ mentis arte fieri.

Liber ſextus verſibus 1560 de belluis agit, & probandum ſumit, ſive careant illæ anima, ſive non careant, nihil inde

Digitized by Google

de aut menti humanæ, aut Deo, detrahi. Proponit id, quod ab incredulis objicitur, belluas anima noſtræ ſimili præditas eſſe, ut pateat ex variis, quæ afferuntur, ferinæ induſtriæ exemplis, belluarum autem animas e materia conſtare, ergo & noſtras. Reſpondet, aut nullas eſſe brutorum animas, aut incorporeas. Utrumlibet affirmari poſſe ſalva humanæ mentis dignitate. Saltem dubia eſſe argumenta, quibus brutorum anima defenditur, certa, quibus humana. Non magis belluis animam concedi deberi, quam plantis & foſſilibus; motus animalium omnes mechanice fieri poſſe. Belluarum motus ex eadem cauſa naſci poſſe, unde noſtri motus ſpontanei, ad quos nihil niſi velle requiratur. Ex earum immutabili vivendi tenore colligi, eas carere delectu; ipſis non inhærere mentem, ſed præeſſe. Si mens belluis attribuatur, cujuscunque ſit ordinis, incorpoream fore ac noſtræ ſimilem, imperfectiorem; & mentem ipſis humana præſtantiorem conſulere. Inſtinctus vulgare nomen prorſus inane nomen eſſe. Solvit objectionem, inutilia fore brutis organa ſenſuum, ſi ſenſu careant. Concludit, nihil aliud ex tanto brutorum artificio inferri poſſe, niſi quod ſumma quædam ſit aliqua mens; & exhibet miram alitum, piſcium, quadrupedum, ſtructuram.

Libro VII, qui Phyſiologiæ compendium dici poteſt, *verſibus 1676* demonſtrat Numen e ſeminibus & negotio propagationis. Exagitat *Epicuri* ridiculam de ortu primaque nutritione animantium opinionem; ut & *Ariſtotelis* formam plaſticam. Semina nec caſu fieri, nec fœcundari, potuiſſe, probat; negat, generári animalia ſolo motu; machinæ humanæ miram fabricam depingit; ex conſtante generationum ſimilitudine, earumque arte eximia, probat, ſemina, niſi a cauſa provida, communi, valida, & æterna, formari non potuiſſe; ſemina cujusque animalium generis in primo animali concluſa fuiſſe; in maribus prolem contineri; duabus ex ſpeciebus orta eſſe ἄγονα, fœminis nil ineſſe niſi ſeminis nutrimentum; ſupra fidem non eſſe, tantulo ſpatio tantum ſeminum numerum contineri, quod exemplo, a floribus & plantis

 deſumto,

Digitized by Google

deſumto, confirmatur; in cunctis vegetabilibus ſui ſemina generis ineſſe, unde veniat fœcunditas & ſterilitas; ſuos eſſe in ſeminibus fœtus, ſua in fœtibus ſemina; cur plantæ quædam ex ramo, aut radice, repullulent, cur inſitione fœcundentur; ex ſeminibus oriri eas ipſas, quæ ſua ſponte videbantur oriri; nulla, niſi e conjugio, animalia oriri, præter unumquodque ſui generis primum.

Libro VIII verſibus 1288 totius mundi machinam perſequitur. Tria mundi ſyſtemata, *Ptolemæi, Copernici*, & *Tychonis*, ponit. *Copernicanum* adſtruit; cauſam diverſitatis motuum cœleſtium, ſolis in centro vertiginem, variorum vorticum in ſe libramen, explicat. Profert conjecturas ſyſtematis *Carteſiani* de parheliis & apheliis planetarum, eorumque varia a ſole diſtantia. Terræ circa proprium centrum rotationem exponit, variasque de cometis conjecturas. Cur planetæ diverſa velocitate diurnum orbem conficiant, cur terræ axis inclinetur, item æquinoctiorum, ſolſtitiorum, quatuor anni tempeſtatum, rationem, declarat; ut & terræ proprium vorticem, lunæ curſum, ejusque & ſolis eclipſes. Hæc omnia inveſtigaſſe, ſi magnæ ſit artis, feciſſe quanto ſit majoris, concludit.

Libri noni tantum adeſt initium, *verſus* nempe *25*. Sequitur operis concluſio *verſibus 1134*, quæ probat, naturam, niſi hoc nomine Deus intelligatur, rerum artificem eſſe non poſſe, mundum a mente ſuprema factum, ex conſtantia motuum cœleſtium, ex imbrium fluviorumque *fœcunditate*, ex tempeſtatum certis vicibus; ut veri, ſic juſti, certam regulam mente noſtra priorem, nec rationis magiſtram voluptatem, ſed naturam, hoc eſt, Dei ipſius mentem, probat. Proponit ea, quæ ab atheis opponi ſolent, mundum debere eſſe æternum, multa eſſe in mundi opere vitia; multa in moribus, quæ Deum aut non ſumme bonum, aut non ſumme perfectum, arguant. Quibus reſpondet, mundum per ſe non eſſe, ſed a Deo creatum, cum voluit, ac ſe propter: Mentis humanæ vitia non a Deo, ſed ex abuſu libertatis, oriri. Sublata peccandi libertate, futurum, ut nec bene homo poſſit agere. Suas ſemper ſontibus eſſe pœnas, ſed interdum ſeras; ea, quæ in mundo

Digitized by Google

mundo mendoſa videntur, non ſine cauſa ſic eſſe conſtituta; temeritatis eſſe, carpere ſingula, dum univerſa bene ſe habeant. Tandem probat, religionem non ex arte politica natam, factitiam non eſſe Dei ideam, idololatriam hæreſin quondam fuiſſe, a recta religione devertentem. Oſtendit, aliquid eſſe infinitum; ex perceptionibus noſtris, ex corporis & mentis affectuum inter ſe communitate, probat, Deum eſſe, eumque nec mundi animam, nec ex omnibus mentibus conflatam. *Quintum* ad virtutem & ad revelatæ veritatis indagationem excitat. Eſt autem ille *Quintus*, cui totum opus inſcripſit Autor, & quem paſſim alloquitur & adhortatur, nomen generale atheorum, quos impugnat, omnium.

Hic eſt conſpectus egregii hujus Operis, quem ex argumentis, cuique *Libro* præfixis, huc transferre placuit, ut Lectores noſtri, ad quorum conſpectum illud nondum venit, juſtos ſibi formare conceptus de illius præſtantia queant. Sane mirandum, tantas res, tam ſæpe ſpinoſas, potuiſſe tanta facilitate, perſpicuitate, copia, & nitore, enarrari. Patebit id ex uno ſpecimine, quod apponere placet, & ita patebit, ut ulterioribus elogiis parcere queamus. Sit illud ex *ſexto* deſumtum *Libro*, ejusque *verſ. 174 ſeq.*:

Ipſe ego, ne videar, dum cauſam impugno ferarum,
Diſſimulare aliquid, ſive extenuare canendo,
Arma tibi indulſiſſe velim, nova protinus arma,
Unde accedat honos & creſcat gloria genti
Quadrupedum. Vidi, qua turbidus ire Danaſtris
Incipit, ac patulos Dacorum adlambere campos,
Ucrania in pingui, qua non felicior olim
Terra fuit, dum bello acres habuere Coſaci,
Nunc ſtat iners nulloque exercita vomere tellus.
Vidi belligeras acies & caſtra ferarum,
Queis color haud cunctis unus, nigrantia terga
Sunt aliis, fulvæque aliis per corpora ſetæ.
(Baubaces patria dixerunt voce Poloni.)
Vulpinum genus, innocuo ni vivere paſtu
Mos eſſet, penitusque animanti ignoſcere prædæ.

Digitized by Google

deſumto, confirmatur; in cunctis vegetabilibus ſui ſemina generis ineſſe, unde veniat fœcunditas & ſterilitas; ſuos eſſe in ſeminibus fœtus, ſua in fœtibus ſemina; cur plantæ quædam ex ramo, aut radice, repullulent, cur inſitione fœcundentur; ex ſeminibus oriri eas ipſas, quæ ſua ſponte videbantur oriri; nulla, niſi e conjugio, animalia oriri, præter unumquodque ſui generis primum.

Libro VIII verſibus 1288 totius mundi machinam perſequitur. Tria mundi ſyſtemata, *Ptolemæi*, *Copernici*, & *Tychonis*, ponit. *Copernicanum* adſtruit; cauſam diverſitatis motuum cœleſtium, ſolis in centro vertiginem, variorum vorticum in ſe libramen, explicat. Profert conjecturas ſyſtematis *Carteſiani* de parheliis & apheliis planetarum, eorumque varia a ſole diſtantia. Terræ circa proprium centrum rotationem exponit, variasque de cometis conjecturas. Cur planetæ diverſa velocitate diurnum orbem conficiant, cur terræ axis inclinetur, item æquinoctiorum, ſolſtitiorum, quatuor anni tempeſtatum, rationem, declarat; ut & terræ proprium verticem, lunæ curſum, ejusque & ſolis eclipſes. Hæc omnia inveſtigaſſe, ſi magnæ ſit artis, feciſſe quanto ſit majoris, concludit.

Libri noni tantum adeſt initium, *verſus* nempe *25*. Sequitur operis concluſio *verſibus 1134*, quæ probat, naturam, niſi hoc nomine Deus intelligatur, rerum artificem eſſe non poſſe, mundum a mente ſuprema factum, ex conſtantia motuum cœleſtium, ex imbrium fluviorumque *fœcunditate*, ex tempeſtatum certis vicibus; ut veri, ſic juſti, certam regulam mente noſtra priorem, nec rationis magiſtram voluptatem, ſed naturam, hoc eſt, Dei ipſius mentem, probat. Proponit ea, quæ ab atheis opponi ſolent, mundum debere eſſe æternum, multa eſſe in mundi opere vitia; multa in moribus, quæ Deum aut non ſumme bonum, aut non ſumme perfectum, arguant. Quibus reſpondet, mundum per ſe non eſſe, ſed a Deo creatum, cum voluit, ac ſe propter: Mentis humanæ vitia non a Deo, ſed ex abuſu libertatis, oriri. Sublata peccandi libertate, futurum, ut nec bene homo poſſit agere. Suas ſemper ſontibus eſſe pœnas, ſed interdum ſeras; ea, quæ in mundo

Digitized by Google

mundo mendoſa videntur, non ſine cauſa ſic eſſe conſtituta; temeritatis eſſe, carpere ſingula, dum univerſa bene ſe habeant. Tandem probat, religionem non ex arte politica natam, factitiam non eſſe Dei ideam, idololatriam hæreſin quondam fuiſſe, a recta religione devertentem. Oſtendit, aliquid eſſe infinitum; ex perceptionibus noſtris, ex corporis & mentis affectuum inter ſe communitate, probat, Deum eſſe, eumque nec mundi animam, nec ex omnibus mentibus conflatam. *Quintum* ad virtutem & ad revelatæ veritatis indagationem excitat. Eſt autem ille *Quintus*, cui totum opus inſcripſit Autor, & quem paſſim alloquitur & adhortatur, nomen generale atheorum, quos impugnat, omnium.

Hic eſt conſpectus egregii hujus Operis, quem ex argumentis, cuique *Libro* præfixis, huc transferre placuit, ut Lectores noſtri, ad quorum conſpectum illud nondum venit, juſtos ſibi formare conceptus de illius præſtantia queant. Sane mirandum, tantas res, tam ſæpe ſpinoſas, potuiſſe tanta facilitate, perſpicuitate, copia, & nitore, enarrari. Patebit id ex uno ſpecimine, quod apponere placet, & ita patebit, ut ulterioribus elogiis parcere queamus. Sit illud ex *ſexto* deſumtum *Libro*, ejusque *verſ. 174 ſeq.*:

Ipſe ego, ne videar, dum cauſam impugno ferarum,
Diſſimulare aliquid, ſive extenuar[illegible]anendo,
Arma tibi indulſiſſe velim, nova protinus arma,
Unde accedat honos & creſcat gloria genti
Quadrupedum. Vidi, qua turbidus ire Danaſtris
Incipit, ac patulos Dacorum adlambere campos,
Ucrania in pingui, qua non felicior olim
Terra fuit, dum bello acres habuere Coſaci,
Nunc ſtat iners nulloque exercita vomere tellus.
Vidi belligeras acies & caſtra ferarum,
Queis color haud cunctis unus, nigrantia terga
Sunt aliis, fulvæque aliis per corpora ſetæ.
(Baubaces patria dixerunt voce Poloni.)
Vulpinum genus, innocuo ni vivere paſtu
Mos eſſet, penitusque animanti ignoſcere prædæ.

Digitized by Google

Nam virides populantur agros, ſpecubusque profundis
Suffodiunt, ac de latebris & gramine certant.
Quales inter ſe populi, quos flumine magno
Diſſociat Rhenus, campos & litora propter
Bella gerunt, acuit totas hinc Gallia vires,
Atque illinc toto Germania robore pugnat.
Ergo, ubi villoſas pecudes excivit ad arma
Laudis amor ferus & vincendi cæca cupido,
Plebem iracundam vomit undique terra cavernis,
Ocius ecce fremunt. Vaſto micat æquore miles,
Agminibus primum ſparſis atque ordine nullo;
Tum varias ineunt certo rectore cohortes,
Utraque in optatis metatur caſtra viretis,
Expandique ſuos acies adverſa maniplos;
Quin & utrinque pares animos eademque videres
Non ſine terrifico ſtrepitu præludia pugnæ.
Ut Mars accenſus cantu ſignumque ululatus,
Ceu tuba rauca, canit; concurritur impete magno,
Miſcenturque agiles turmæ, furit hoſtis in hoſtem
Diſcolor, effuſoque madens rubet herba cruore.
Spesque metusque modo hanc partem, modo deſerit illam.
O quot ſolertesque dolos & fortia facta
Obſervantum oculis adimit certaminis horror.
Altera pars tandem fato meliore triumphat.
Victa fugit, ſecura procul ſibi pabula quærens,
Nec ſequitur fuſam, at deſerta cubilia victrix
Occupat, & partis graſſari gaudet in arvis.
Verum in captivos dominorum provida miras
Sævitia exercet pœnas, mœſta agmina condunt
In foveis, coguntque omnes ſervire per annos.
Atque, ubi tempeſtas bruma veniente rigeſcit,
Et complenda monet ſecto cellaria fœno:
Protinus ad meſſem ducunt ſervata ferendam
Mancipia, inverſisque ſolum premere atque ſupinis
Corporibus, tum crura jubent attollere ſurſum,
Quatuor erectis perſtent ut gramina palis.

Inde

Digitized by Google

Inde onerant caudaque trahunt animantia plauſtra,
Eraſoque vias miſerorum tergore verrunt.

Plures inſunt elegantes & facetæ comparationes & deſcriptiones rerum præcipue novarum, ut microſcopii *Lib. VII v. 1023*, thecæ argenteæ horariæ, bombicis, *pag. 315*, conchæ *pag. 401*, clavæ alatæ, qua fruges excutiuntur (*Treſchflegel*) *pag. 430*, & aliarum. Nobis præ ceteris maxime placuerunt *Libri I, V, VI, VII*, & operis concluſio, ſive *Liber nonus*, ſi ita malis. Neminem pœnitebit legiſſe.

DUE LETTERE DI FISICA AL SIGNOR MARCHESE SCIPIONE MAFFEI, &c.

hoc eſt,

EPISTOLÆ DUÆ PHYSICÆ AD MARCHIOnem SCIPIONEM MAFFEUM, Reipublicæ Venetæ principem tormentis bellicis præfectum, & Regis Sardiniæ Cubiculi Nobilem, datæ a JOANNE LUDOVICO BIANCONIO, Conſiliario & Medico primario Principis Darmſtad. & Epiſcopi Auguſtani.

Venetiis, apud Simonem Occhium, 1746, 4.

Plag. 14, cum Fig. æn. 1.

Prior harum Epiſtolarum de lagenis vitreis expoſitionem continet, quæ ex lapilli aliuſve minuti corporis illapſu diſſiliunt. De iiſque ante quatuor annos Anonymus Autor elegantem Acroaſin Patavii edidit, experimentis & animadverſionibus illuſtratam. Quas vero lagenas phialaſve naturalium rerum periti exiſtimabant, fuiſſe ante paucos demum annos cognitas, earum aliquam notitiam habuiſſe & *Duhamelium*, Gallo-Francum, quemadmodum ex ejus de corporum affectionibus libro appareat, &, ante hunc, *Boyleum*, Anglum, in cujus de quiete corporum Tractatu aliqua, huc pertinentia, inveniantur, a *Bianconio*, V. C. oſtenſum eſt. Et noſtris temporibus etſi Bononienſis Canonicus, *Joannes Jacobus Amadeus*, A. 1716 caſu in ejusmodi phialas incidebat, obſer-

Pag. 5 ſeq.

7.

Digitized by Google

vatumque in illis phænomenon ſæpius repetitis experimentis comprobabat, namque hanc novam & miram cum pluribus Bononienſis Academiæ Philoſophis, præcipueque *Marſilio* Comite communicabat, tamen in cauſas phænomeni non inqui-
Pag. 9. ſitum, & ipſum adeo uſque ad A. 1735 neglectum fuiſſe videtur, quo tempore *Paulus Baptiſta Balbus*, dum in Bononienſi Inſtituti Academia de vitreis vaſculis, quæ ſponte diſſiliunt, aliqua recitabat, & harum phialarum mentionem fecit. Ab eoque tempore, aut ab anno potius 1740, cœpit hæc res exteris quoque innoteſcere. Quare nemo facile, quæ ſit ha-
11. rum lagenarum figura, ignorabit. Modo vero hanc, craſſitiemque peculiarem, in fundo habeant, aptæ ad experimentum ſunt, ſive de reliquo magnæ, ſive parvæ, ſint. Quo tamen in fundo craſſiores ſunt, eo citius faciliuſque diſſiliunt. Præcipuaque harum aliarumque phialarum diverſitas conſiſtit in hoc, quod cum hæ ex fornace protractæ, ſenſim ad frigidiorem aerem producantur, illæ contra protinus eidem expo-
12. nantur. Quo fieri ſolet, ut plures vel ſponte diſſiliant, parari que tales, ſi Autori credimus, in Germania, ubi, frigidior aura eſt, non poſſint. Sed vero magno numero in Bohemia parantur. Ab his Autor ad phænomeni expoſitionem progreditur.
14. ditur. Ponit igitur, omnium, ita conflatarum, lagenularum partes, quamvis ſe mutuo ſuſtineant, tamen tam parum firmiter cohærere, ut leviſſimo impulſu e ſede ſua dimoveri, &, unica dimota, omnes diduci, phialamque diſſilire, oporteat.
16. Rariores vero internas vitri particulas eſſe, laxiusque cohærere, cum ex hoc clarum eſſe videtur, quod exteriores liberius frigori expoſitæ ſunt, ejusque conſtringendi vim apertius experiuntur, & quod fractæ lagenæ fruſta ab exteriore parte
17. lævia, ab interiore aſpera criſpataque quaſi, apparent. Hanc tamen conjecturam *Bianconius*, ſe, fatetur, ex ſupra allegata Acroaſi deſumſiſſe, cujus ex S. J. Virum aliquem doctum Au-
18 ſeq. torem eſſe docet. Neque vero omnia corpora æque frangendis his lagenulis apta ſunt, etſi pondere prævalentia, ſed per ea inprimis diſſiliunt, quæ dura anguloſaque ſunt, ſecandoque vitro idonea, ut proinde non pondus gravium corporum, ſed quæ, dum ea illabuntur, frictio fit, diſſilire lagenas faciat.

faciat. Eamque ſententiam experimenta comprobarunt, cum Pag. 22.
ejusmodi inprimis diamante inſtituta, quali vitriarii ad ſcindendas vitreas laminas utuntur. Quo caute ad fundum lagenæ demiſſo, cum primum fere is leviter tactus eſſet, cum ſtrepitu in plurima fruſta diſſiluit. Quæ omnia, ſed paulo tar- 23.
dius, facta ſunt, ubi ſilice lagenula tangebatur, vel vitri fruſto, ſimilibusque corporibus. Hæc plura, ab Autore, & *Laghio* inprimis, medicæ artis in Academia Bononienſi Profeſſore, aliisque, facta, experimenta, ex iiſque ductæ concluſiones,
excipiunt. Quibus primo loco oſtenditur, aera nihil in hoc 25 ſeq.
phænomeno mutare, niſi quod, ex qua ſubtractus aer eſt, lagenula non tam rumpatur vere, quam innumeris in locis,
propter ambientis aeris preſſionem, tantum findatur. Contra 28.
cum majori impetu in vacuo lagenula diſſiluit, quæ aera
continebat. Neque aliter fere liquore aliquo plenæ, vel in 29.
eum immerſæ, lagenulæ franguntur. Sunt & alia experimen- 32 ſeq.
ta, quæ *Bianconii* ſententiam confirmant. Neque enim illæ phialæ rumpuntur, quæ ignitæ ſenſim ſuper carbonibus a ſummo caloris gradu recedunt, atque frigeſcunt, cum facillime contra, in quibus ab igne remotis per frigidam aquam
calor ſubito exſtinctus fuit, diſſiliunt. Et, in quas nondum 34 ſeq.
frigefactas, ſed quaſi ignitas, ſilex demittitur, non tam diſſiliunt, quam dividuntur quaſi tantum in pauca majoraque fruſta. Quale quid etiam fit, vel integræ quoque phialæ manent, ſi in fundo tanta vi, tamque celeriter, duro aliquo corpore atteruntur, ut ex frictione vehementer incaleſcant. Nam levior ac per intervalla factus attritus, ubi ad collum phialæ, quod tenerius eſt, inſtrumentum accedit, eas cito diſrumpi facit.
Contra per experimenta deprehenſum fuit, figuram phialarum 37 ſeq.
tam parum ad hoc phænomenon conferre, ut vel in minima
ſphæræ vitreæ parte idem appareat. Diſſiliuntque phialæ æque 39 ſeq.
facile, quarum ima pars, ubi parantur, ferrea fiſtula tangitur,
quam quarum non tangitur, ſed lævis manet. Etſi hæc fabricæ 42.
diverſitas nihil, plurimum tamen varia colli, amplioriſque partis, craſſitudo, phænomenon variat. Tenuius enim collum ad cujuscunque noti corpuſculi tritum lapſumque non diſſilit, cum
contra,

Digitized by Google

contra, ſi idem craſſeſcenti phialæ parti intus leniter admoveatur, ſubito rumpi ſoleat. Ad hæc in tempore ruptionis, corporibusque, ex quorum illapſu lagenæ diſſiliunt, aliqua
Pag. 44 ſeq. varietas eſt. Quod enim aliæ protinus, aliæ diu, ac vel horam poſt, diſſiliunt, a vi tangentis corpuſculi, tenſioneque vitri, tanquam corporis elaſtici, pendere, non improbabile eſt, quoniam, in quocunque vitro, præcipue crudo, ex quacunque cauſa ortas fiſſuras, ſenſim procedere, diducique, ac
47 ſeq. vitrum denique, ſponte rumpi, non raro videmus. Ex corporibus autem alia ſemper ſubitoque diſſilire phialas faciunt, modo fricando, vel illabendo, eas tetigerint, cujus generis ea ſunt, quæ ſecandis vitris apta ſunt; alia, etſi ponderoſiora, tamen non lapſu, ſed agitatione huc illuc facta, lagenas frangunt, dum ſcilicet in ejusmodi vitri loca incidunt, quæ intus cava, aerisque quaſi bullulam continentia, tenuiſſima lamina obducta ſunt, qua rupta, tota lagena finditur; alia denique, ut aurum plumbumve, etſi ponderoſiſſima, tamen, propter mollitiem æqualitatemque, diſſilire lagenas vix un-
49 ſeq. quam faciunt. De electrica vero virtute, an his lagenulis
52 ſeq. inſit, nihil ſe invenire potuiſſe, *Bianconius* fatetur. Ab his lagenulis deinde ad ſic dictas Batavas, vel Pruſſicas, aut Venetas, lachrymas progreditur, & utrasque inter ſe comparat, cum ratione parandi modi, tum phænomenorum quoque, parum diſſimiles. Altera hujus Epiſtolæ pars expoſitionem eorum phænomenorum continet, quæ in vitreis vaſculis, her-
56 ſeq. metice occluſis, & ligni aliuſve corporis particulam continentibus, ſi franguntur, apparent. Eorumque videtur in parandi modo quærenda ratio eſſe. Nam fuſo vaſculo ſtatim ligni particula, digiti circiter craſſitudine, inditur, idque protinus occluſum ab igne removetur, aerique liberiori
58. exponitur. In quo ipſo duo ſunt, quæ, ut cum ſtrepitu magno ejusmodi vaſcula diſſiliant, efficiunt. Altera in ligno cauſa eſt, ex quo per caloris ambientis vim cogitur aer exire, qui, quod clauſum vaſculum eſt, in eo concluſus retinetur; alteram frigus præbet, cui protinus vaſculum exponitur, quodque quia indurat, ſubito vitrum, quo minus id dilatari

a con-

Digitized by Google

a concluſo, exitumque moliente, aere poſſit, impedit. Diſſi- Pag. 59
liunt vero cum maximo ſtrepitu ea vaſcula, quibus viridis fi- ſeq.
cus ramuſculus incluſus eſt, ut qui, quod admodum ſpongio-
ſus eſt, plurimum aeris continet; quem in univerſum quam-
plurima experimenta docent in herbis fructibuſque non pa-
rum compreſſum eſſe. Tanto contra minorem effectum me- 61.
talla, marmora, ſimiliaque dura corpora, edunt, ſi ejusmo-
di vaſculis includuntur. Quæ quo minora, & quo majora
contra incluſa corpora, fuerint, eo cum majori ſtrepitu diſſi-
lient. Idemque accidere debere, veriſimile eſt, ſi tale vaſcu-
lum flammæ ardentibusque carbonibus exponatur, quoniam
maxima igni, rarefaciendi aera, vis ineſt. Neque alia ratione 62 ſeq.
illa minima vitrea vaſcula cum vehementiſſimo ſtrepitu rum-
puntur, & candelæ, cui admotæ ſunt, flammam exſtinguunt,
quæ partim aqua, partim aere, plena ſunt. In fine epiſtolæ 69.
de Muſeo *Maffei*, deque duobus libris, in quibus elaboran-
dis *Maffeus* occupatus ſit, aliqua memorantur. Altera de 75.
diverſa ſoni velocitate epiſtola eſt, de qua re Cl. *Bianconius*,
Academiæ Bononienſis juſſu, obſervationes fecit. Veteres, 76 ſeq.
etſi ſonum, quo excitatus fuit, eodem, in remotiore aliquo
loco, tempore non audiri ſciebant, tamen, quo tempore cer-
tum aliquod ſpatium percurrat, nullus videtur ante *Gaſſen-* 78.
dum inquiſiviſſe, qui ſonum poſuit, ſexageſimæ momenti
partis tempore mille quadringentos ſexaginta tres pedes
Gallicos percurrere. Quem Academici Florentini ſecuti, mil-
le tantum centum ſeptuaginta quinque pedes, eodem tempo-
ris ſpatio, ſonum percurrere invenerunt, a quibus æque ac ab
invicem diſcrepantes paululum *Caſſini*, *Picarti*, aliorumque 79 ſeq.
Gallo-Francorum, deinde *Flamſtedi* & *Halleji*, Anglorum,
ultimoque Academicorum Pariſienſium, obſervationes ſunt.
Horum tamen obſervationes illis Anglorum in eo reſpondent,
quod ad ventos attinet, qui velocitatem ſoni, quando ſecundi,
augent, adverſi minuunt; itemque in eo, quod anni tempo-
ra, tempeſtatem, diem, noctemque, ſpectat, ut quæ omnia
non mutare velocitatem ſoni affirmantur. Ex quibus cum 82.
id præcipue, quod de ſoni velocitate, æſtivo hibernoque

Digitized by Google

tempore eadem, dicitur, vix credibile *Bianconio* videretur, propter hoc, quod aer, ut frigore denſus, ita rarior calore fit, de hac re in Italia accuratius inquirenda protinus cogitavit. Elegit ad experimentum inſtituendum arcem munitam Urbinam, in confiniis Mutinenſis Ducatus ſitam, & Patrum Obſervantiæ Conventum, cum quia hic vix dimidiam horam Bononia abeſt, tum quia arx illa, etſi tredecim milliaribus Italicis diſtans, ex eo loco conſpici poteſt. Ipſe proinde primum æſtivo tempore cum amicis quibusdam ſe in hunc locum contulit, ut ex eo lumen accenſi militaris tormenti videret, ac ſtrepitum audiret. Quater vero repetito experimento, deprehendit, luminis ſonique perceptionem momentum
Pag. 86. unum ac ſedecim ejus ſexageſimas partes intercedere. Idque in horologio aſtronomico cycloide accuratiſſimo obſervavit, in quo deinde in Obſervatorio numerum ſexageſimarum partium notavit, quæ viam duarum ſtellarum vicinarum per filum horarium Teleſcopii in Meridiano intercedant, quem ab antea nominato numero non invenit differre. Quod hunc modo in finem fecit, ne in eodem experimento hiberno tempore faciendo, per pendulum, brevius longiusve redditum,
88 ſeq. falleretur. Et proxima hyeme, nocte, quæ diem 5 Februarii A. 1741 præcedebat, hora tertia experimentum repetiit, ſingulisque vicibus unum momentum & octodecim ſexageſimas ejus partes cum dimidia numeravit, ex eoque anni tempora, præcipueque calorem & frigus, velocitatem ſoni aliquantum mutare, collegit. Addit vero hoc, æſtivo tempore ſerenum placidumque cœlum fuiſſe, nubilum vero paululum,
90 ſeq. fortemque Favonium hyeme. His ita inventis, voluit etiam, an nebuloſum cœlum aliquid in ſoni velocitate mutaret, experiri. Quod cum videretur propterea ſuccedere non poſſe, quia in tot milliariorum diſtantia diſtingui lumen, ſi ne-
91 ſeq. bula eſt, non poteſt, rem ita aggreſſus eſt. *Zanottum* aliosque ex amicis cum horologio & tormento militari in Conventus altiſſimo loco conſtituit, ipſe in arcem conceſſit, in qua ſimul ac ſonum tormenti, in Conventus loco accenſi, percepit, aliud accendendum curavit, ad cujus ſtrepitum

Zanottus

Digitized by Google

Zanottus attentus eſſet, iſque adeo hoc tempus, & quo in
Conventu accenſum tormentum fuerat, centum quinquagin-
ta ſeptem ſexageſimas momenti partes intercedere deprehen-
dit, quarum tres impendendæ fuerunt tormento in arce accen-
dendo. Nebuloſa igitur tempeſtas velocitatem ſoni perparum Pag. 94
mutavit, præcipue cum multo remiſſius, quam quo tempore ſeq.
prius experimentum inſtituebatur, frigus eſſet. Nihilo minus 96 ſeq.
Bianconius, quia in omnium Phyſicorum obſervationibus, de
ſoni velocitate factis, aliqua varietas eſt, mavult eam cauſis in
aera agentibus tribuere, quam tantorum virorum negligentiæ.
Cumque ſonus per ſucceſſivam communicationem motus cum
omnibus a ſonoro corpore procedentibus aeris particulis, fiat,
quicquid elaſticitatem aeris, denſitatem, pariter ac gravita-
tem, mutare poſſit, & ſoni putat velocitatem variare poſſe.
Et maxima ſine dubio a ventis aeris ſonique mutatio pro- 99.
venit, præcipue cum alius poſſit in loco, ubi corpus ſono-
rum eſt, alius, ubi percipitur, alius in intermediis, eſſe.
Quapropter, ut certi quid inveniretur, neceſſe eſſet, ut 105 ſeq.
non, niſi ubi conſtans ventus ſit, & in locis multum diſtanti-
bus, experimentum caperetur, quod tamen intelligitur facile
fieri vix poſſe.

L. E. SOLUTIO PROBLEMATIS CATOPTRICI, in Novis Actis Eruditorum Lipſienſibus pro Menſe Novembri A. 1745 propoſiti.

I. Notiſſima eſt illa ellipſeos proprietas, quod radii lucidi, ex altero ellipſis foco emanantes, poſt reflexionem ad ejus perimetrum factam, in altero foco colligantur; in hyperbola autem radii, ex uno foco profecti, poſt reflexionem, quam in perimetro patiuntur, divergant quidem, ſed, ſi retro producti concipiantur, in altero foco conveniant; in parabola vero, quæ nihil aliud eſt niſi ellipſis, cujus foci intervallo infinito diſtant, radii, ex foco emiſſi, poſt reflexionem fiant axi paralleli, &, ſi radii axi paralleli in parabolam incidant, poſt reflexionem in ejus foco concur-

rant. Hæc autem reflexionis ratio ita propria eſt ſectionibus conicis, ut præter eas nulla alia detur linea curva, quæ radios lucidos, ex dato puncto emiſſos, poſt reflexionem in alio quodam puncto dato colligat; erunt ſcilicet hæc duo puncta foci ſectionis conicæ, huic caſui ſatisfacientis. Verum, ſi hanc ideam latius extendamus, atque geminam reflexionem contemplemur, ellipſis quidem hac inſigni proprietate prædita deprehendetur, ut omnes radii lucidi, qui ex uno foco emittuntur, poſtquam duplicem reflexionem ad ejus perimetrum fuerint paſſi, in eodem foco, ex quo erant egreſſi, jugiter concurrant. Statim autem facile animadvertimus, hanc affectionem ſectionibus conicis non ita, uti priorem, eſſe propriam, ſed in innumerabiles alias lineas curvas competere. Quoniam enim hic perinde eſt, ſive radii poſt primam reflexionem ſeſe in unico puncto trajiciant, ſive cauſticam quamcunque tangant; manifeſtum eſt hoc poſteriori caſu, quo radii poſt primam reflexionem non per idem punctum transmittuntur, alias lineas curvas quæſtioni eſſe ſatisfacturas, atque adeo earum numerum fore infinitum. Has igitur omnes curvas exhibere Problema propoſitum jubet.

II. Si punctum, unde radii lucidi egrediuntur, in infinitum remotum concipiatur, ita ut radii incidentes fiant inter ſe paralleli, caſus habebitur Problematis, qui ſolutu facilior merito videatur. Quæruntur ſcilicet omnes lineæ curvæ, quæ cum parabola hac communi proprietate gaudeant, ut omnes radii datæ lineæ rectæ pro axi aſſumtæ paralleli, poſtquam in curva duplicem reflexionem fuerint paſſi, eidem rectæ denuo fiant paralleli, quam proprietatem præter parabolas, quarum axes eidem rectæ ſunt paralleli, innumerabiles lineæ curvæ aliæ habebunt. Hujus igitur Problematis ſpecialioris æque ac præcedentis generalioris ſolutionem hic exponam. Ac primo quidem formulas generales inveſtigabo, quibus omnes lineæ curvæ, propoſita proprietate præditæ, contineantur, &, cum harum linearum aliæ ſint tranſcendentes, aliæ algebraicæ, inprimis operam dabo, ut algebraicas ſeorſim exhibeam, in

quo

Digitized by Google

quo præcipua propoſitionis vis conſiſtere videtur. Tum vero ex formulis generalibus inventis conſtructiones geometricas adornabo, ut Problema propoſitum non ſolum analytice, ſed etiam geometrice, ſolutum tradam.

III. Qui ſolutionem hujus Problematis ſaltem tentaverit, is, nullum eſt dubium, quin maximam difficultatem in duplici reflexione offenderit; quoniam efficiendum eſt, ut bina reflexionis puncta in eadem linea curva ſint ſita. Omiſſa enim lineæ curvæ continuitate, quælibet linea curva, in qua altera radiorum reflexio fieret, pro lubitu aſſumi poſſet, neque difficile tum foret, pro altera reflexione ejusmodi lineam curvam inveſtigare, ut radii poſt utramque reflexionem in idem punctum, unde primum exierant, reverterentur. Verum hoc modo non una, ſed duæ lineæ curvæ obtinebuntur, quæ junctim ſumtæ conditionem Problematis adimplerent; neque ergo idoneæ eſſent cenſendæ, niſi forte ambæ eſſent partes ejusdem lineæ curvæ continuæ. Difficultas ergo denuo huc redibit, quomodo eæ lineæ pro prima reflexione aſſumendæ inveniri debeant, ut alteræ, quæ hoc modo pro ſecunda reflexione elicientur, earum ſint partes continuæ, & ambæ in eadem æquatione ſimplici contineantur. Æquationem ſimplicem autem hic voco, quæ in duas pluresve æquationes reſolvi nequeat; niſi enim hæc reſtrictio ſubintelligeretur, *binas quasvis lineas* curvas diverſiſſimas in una eademque æquatione complecti liceret.

IV. Quanquam autem jam paſſim hujusmodi Problemata exſtant ſoluta, quibus ex propoſita quapiam binorum punctorum curvæ relatione ipſæ curvæ ſunt definitæ, uti in Problemate trajectoriarum reciprocarum, aliisque ejusdem generis; tamen, ſi more conſueto naturam reflexionis in calculum inducamus, formulæ prodeunt nimis complicatæ, quam ut in earum, quatenus ad duo diverſa curvæ puncta pertinent, comparatione continuitatis ratio haberi poſſit. Hæc ſcilicet difficultas occurrit, ſi ad coordinatas orthogonales curvæ calcu-

 lum

Digitized by Google

lum accommodare velimus: qua ratione non ſolum ipſæ coordinatæ, ſed etiam earum differentialia in poſitionem radii reflexi; atque adeo differentio-differentialia in longitudinem radii reflexi ingrediuntur: quibus rebus effectis continuitatis plurimum impeditur, atque ſolutio maxime prolixis & inextricabilibus calculis implicatur. Hoc ergo incommodum ut evitemus, loco coordinatarum alias quantitates in calculum introduci conveniet, quibus natura curvæ æque determinetur, quæ autem ita ſint comparatæ, ut per eas ratio reflexionis ſatis ſuccincte & ſimpliciter exprimi queat. Cum igitur,
TAB. I ſi propoſita fuerit curva *AMB* cum puncto radiante *C*, ex
Fig. 1. quolibet radio incidente *CM* poſitio radii reflexi *MR*, atque adeo tam intervallum *CR* in axe pro lubitu aſſumto *AB*, quam angulus *CRM*, definiri queat; viciſſim ex data relatione inter intervallum *CR* & angulum *CRM* ipſa curva cognoſci poterit, uti in Problemate ſequente oſtendetur.

Problema 1.

V. Si radii *CM*, ex puncto lucido *C* emiſſi, ad curvam *AMB* in *M* reflectantur, ut radii reflexi ſint *MRO*, atque in recta *AB* pro axe aſſumta detur relatio inter intervallum *CR* & angulum *CRM*; determinare inde naturam curvæ reflectentis *AMB*.

Solutio.

Vocetur intervallum $CR = r$ & angulus $CRM = \varphi$, cujus ſit ſinus $= s$ & coſinus $= u$, poſito ſinu toto $= 1$, ita ut ſit $ss + uu = 1$, & $d\varphi = \frac{ds}{u} = \frac{-du}{s}$. Si igitur data ſit æquatio quæcunque inter r & angulum φ, ejusve ſinum & coſinum s & u; hinc definiri oportet naturam curvæ *AMB*; quod commodiſſime efficietur, ſi inde relatio inter coordinatas orthogonales $CP = x$ & $PM = y$ determinetur. Concipiatur radius incidens proximus *Cm*, cui reſpondeat reflexus *mrO*, priori *CMO* occurrens in *O*, ita ut ſit *O* punctum in cauſtica, a radiis reflexis per contactum formata: atque ex natura reflexionis particula curvæ *Mm* ſpectari poterit tan-

quam

Digitized by Google

quam elementum ellipſis, binis focis C & O deſcriptæ: eritque igitur $CM + MO = Cm + mO$. Ob ſitum autem proximum erit $Rr = dr$ & angulus $Crm = \phi + d\phi$, unde fiet angulus $ROr = d\phi = \frac{ds}{u} = \frac{-du}{s}$. Centro O deſcribatur arculus $r\varrho$, ut ſit $Or = O\varrho$, atque in triangulo $R\varrho r$ ad ϱ rectangulo ob $Rr = dr$ & angulum $rR\varrho = \phi$ erit $r\varrho = dr \, ſin \, \phi = s\,dr$, & $R\varrho = dr \, coſ \, \phi = u\,dr$. Vocetur nunc $CM + MR = p$, erit $Cm + mr = p + dp$: unde ob $CM + MO = Cm + mO$ habebitur $p + RO = p + dp + rO$, ſeu $dp = RO - rO = R\varrho = u\,dr$: unde fit integrando $p = a + \int u\,dr$. Sit jam porro $RM = q$ & $CM = z$; erit $q + z = p = a + \int u\,dr$: at ob angulum $CRM = \phi$ datum erit $zz = qq + rr - 2uqr = (p-q)^2 = pp - 2pq + qq$; ideoque $pp - rr = 2pq - 2uqr$, ſeu $q = \frac{pp - rr}{2(p - ur)}$. Quoniam igitur per r & ϕ jam definivimus $p = CM + MR = a + \int u\,dr$, cognitum erit latus $RM = q = \frac{pp - rr}{2(p - ur)}$, hincque $CM = z = p - q = \frac{pp - 2upr + rr}{2(p - ur)}$. Verum ex $RM = q$ & angulo $CRM = \phi$ reperietur: $PM = sq = \frac{s(pp - rr)}{2(p - ur)}$ & $RP = uq = \frac{u(pp - rr)}{2(p - ur)}$: ideoque $CP = \frac{2pr - urr - upp}{2(p - ur)}$.

Quamobrem ex data relatione inter $CR = r$ & angulum $CRM = \phi$ (poſitis $ſin \, \phi = s$ & $coſ \, \phi = u$) coordinatæ orthogonales ita exprimentur, ut poſito $p = a + \int u\,dr$ ſit:

$$CP = x = \frac{2pr - u(pp + rr)}{2(p - ur)}$$

$$PM = y = \frac{s(pp - rr)}{2(p - ur)}$$ unde porro fit radius inci-

dens

dens $CM = z = \frac{pp + rr - 2upr}{2(p - ur)}$ & radius reflexus $MR =$ $q = \frac{pp - rr}{2(p - ur)}$. *Q. E. I.*

Coroll. 1.

VI. Si igitur coſinus anguli $CRM = u$ ita detur per r, ut formula $\int u\,dr$ integrabilis exiſtat; tum pro coordinatis x & y formulæ algebraicæ reperientur, ideoque his caſibus curva AMB erit algebraica.

Coroll. 2.

VII. Quia in formula integrali $p = a + \int u\,dr$ pro a quantitatem quamcunque conſtantem aſſumere licet, perſpicuum ex relatione inter r & φ data, curvam AMB non determinari, ſed innumerabiles lineas curvas exhiberi poſſe, quæ relationi propoſitæ æque ſatisfaciant.

Coroll. 3.

VIII. Quoniam eſt $\int u\,dr = ur - \int r\,du$, erit $p = a + ur - \int r\,du$ & $p - ur = a - \int r\,du$, & curva erit algebraica, ſi formula $\int r\,du$ fuerit integrabilis. Ponatur ergo $\int r\,du = v$, fiet $p = a + ur - v$, $pp - rr = (a-v)^2 + 2ur(a-v) - ssrr$, & ob $p - ur = a - v$ erit $q = \frac{a-v}{2} + ur - \frac{ssrr}{2(a-v)}$ $= RM$.

Coroll. 4.

IX. Hinc ergo porro erit $PM = \frac{s(a-v)}{2} + sur - \frac{s^3 rr}{2(a-v)}$, & $RP = \frac{u(a-v)}{2} + uur - \frac{ssurr}{2(a-v)}$ atque $GM = \frac{a-v}{2} + \frac{ssrr}{2(a-v)}$. Quare ex his formulis habebimus:

$$CP = x = ssr - \frac{u(a-v)}{2} + \frac{ssurr}{2(a-v)}$$

$PM =$

$$PM = y = sur + \frac{s(a-v)}{2} - \frac{s^3 rr}{2(a-v)}$$

$$CM = z = \frac{a-v}{2} + \frac{ssrr}{2(a-v)}$$ & $RM = q = ur + \frac{a-v}{2} - \frac{ssrr}{2(a-v)}$ ut ſit $CM + MR = a - v + ur$.

Conſtructio Curvæ.

X. Quia relatio inter r & ϕ datur, ad quodvis intervallum $CR = r$ conſtituatur angulus $CRL = \phi$, &, cum ſit $u = \cos. \phi$, quæratur, vel conſtruatur, valor formulæ integralis $\int u\,dr$, tum pro lubitu aſſumta conſtante $= a$, capiatur recta $RL = a + \int u\,dr$; junctaque CL biſecetur in T, ex quo puncto T ſimul perpendiculum ad CL erigatur TM, rectam RL ſecans in M, erit M non ſolum punctum in curva quæſita, ſed etiam recta TM ejus in M erit tangens, quo facilius conſtructio practice abſolvetur. Erit enim per conſtructionem $CM = ML$, ideoque $CM + MR = RL = a + \int u\,dr$, qui eſt ille ipſe valor $= p$, quem ſupra pro ſumma rectarum $CM + MR$ invenimus; ita ut M ſit punctum in curva, ubi radius CM reflectitur. Deinde ob angulos CMT & LMT æquales ex natura reflexionis perſpicuum eſt, rectam MT eſſe tangentem curvæ in puncto M. TAB. I Fig. 2.

Coroll. 5.

XI. *Ex his formulis* ſponte liquet, fore ob $ss + uu = 1$; $sx + uy = sr$, ideoque $r = x + \frac{u}{s} y$. Tum vero erit $sy - ux = \frac{a-v}{2} - \frac{ssrr}{2(a-v)}$, ubi ſi loco $ssrr$ valor ante inventus $(sx + uy)^2$ ſubſtituatur, habebitur $(a-v)^2 = 2(a-v)(sy - ux) + (sx + uy)^2$; unde reperitur $a - v = sy - ux - \sqrt{(xx + yy)} = sy - ux + z$.

Coroll. 6.

XII. Quia eſt $dv = r\,du = x\,du + \frac{uy\,du}{s} = x\,du -$

 yds

Digitized by Google

yds ob $udu = -sds$, erit poſtremam æquationem coroll. præced. differentiando:

$$-xdu + yds = sdy + yds - udx - xdu + dz,$$ ſeu $sdy - udx + dz = 0$, ſeu $dz = udx - sdy$. Hinc fit $ssdy^2 = (1-uu)dy^2 = uudx^2 - 2udxdz + dz^2$, ideoque $uu = \frac{2udxdz + dy^2 - dz^2}{dx^2 + dy^2}$, unde extracta radice erit: $U = \frac{dxdz + dy\sqrt{(dx^2 + dy^2 - dz^2)}}{dx^2 + dy^2}$

Coroll. 7.

XIII. Verum ob $z = \sqrt{(xx+yy)}$ erit $dz = \frac{xdx + ydy}{\sqrt{(xx+yy)}}$ atque $\sqrt{(dx^2 + dy^2 - dz^2)} = \frac{ydx - xdy}{\sqrt{(xx+yy)}}$; hincque ergo fiet $u = \frac{2ydxdy + xdx^2 - ydy^2}{z(dx^2 + dy^2)}$ & $s = \frac{ydx^2 - ydy^2 - 2xdxdy}{z(dx^2 + dy^2)}$ ideoque $\frac{u}{s} = \frac{2ydxdy + x(dx^2 - dy^2)}{y(dx^2 - dy^2) - 2xdxdy}$; unde reperitur $CR = r = \frac{2xy(dx^2 - dy^2) - 2dxdy(xx - yy)}{y(dx^2 - dy^2) - 2xdxdy}$ $= 2x + \frac{2zzdxdy}{y(dx^2 - dy^2) - 2xdxdy}$. Quæ eædem formulæ vulgo ex coordinatis x & y inveniuntur.

Problema II.

TAB. I Fig. 1. XIV. Iisdem datis, quæ ante erant aſſumta, nempe relatione inter $CR = r$ & angulum $CRM = \varphi$, definire cauſticam DOo, quæ a radiis reflexis MO per contactum formatur.

Solutio.

Radius reflexus MO cauſticam tangit in puncto O, ubi cum proximo mO concurrit. Cum igitur ſit angulus $ROr = d\varphi =$

Digitized by Google

$d\varphi = \frac{ds}{u} = \frac{-du}{s}$, poſito s ſinu & u coſinu anguli φ, ſinu toto exiſtente $= 1$: & perpendiculum $r\varrho$ inventum ſit $= s\,dr$ erit $\frac{r\varrho}{rO} = d\varphi$, ideoque $\frac{s\,dr}{RO} = \frac{ds}{u} = \frac{-du}{s}$, unde invenitur: $RO = \frac{su\,dr}{ds} = \frac{-ss\,dr}{du}$. Quodſi jam ex hoc puncto O ad axem AB perpendiculum ducatur OS, erit $SO = s.RO = \frac{ssu\,dr}{ds} = \frac{-s^3\,dr}{du}$ & $RS = u.RO = \frac{suu\,dr}{ds} = \frac{-ssu\,dr}{du}$, & $CS = r + \frac{suu\,dr}{ds}$. Unde, ſi pro cauſtica vocetur abſciſſa $CS = X$, & applicata $SO = Y$ erit:

$$CS = X = r + \frac{suu\,dr}{ds} = r - \frac{ssu\,dr}{du}.$$

$$SO = Y = \frac{ssu\,dr}{ds} = \frac{-s^3\,dr}{du}.$$

Vel ponatur anguli CRM cotangens $= t$, ſeu ſit tang. $RMP = t$, erit $t = \frac{u}{s}$, & $u = \frac{t}{\sqrt{(1+tt)}}$ & $s = \frac{1}{\sqrt{(1+tt)}}$, unde fit $ds = \frac{-t\,dt}{(1+tt)\sqrt{(1+tt)}}$, & $\frac{ds}{su} = \frac{-dt}{\sqrt{(1+tt)}}$. Quare habebitur $RO = \frac{-dr\sqrt{(1+tt)}}{dt}$; hincque $SO = \frac{-dr}{dt}$ & $RS = \frac{-t\,dr}{dt}$; ita ut ſit $X = \frac{r\,dt - t\,dr}{dt}$ & $Y = \frac{-dr}{dt}$; quæ formulæ præcedentibus ſunt ſimpliciores. Denique longitudo curvæ cauſticæ DO aſſignari poterit. Cum enim ſit ejus elementum $Oo = Cm + mo - Cm - mO = Cm + mo - CM - MO$ ob $CM + MO = Cm + mO$, erit $Oo =$ diff. $(CM + MO)$ ideoque integrando tota curva $DO = CM + MO$

$+ MO \pm C$. Eſt vero $CM + MO = CM + MR + RO = p + \frac{sudr}{ds} = a + \int udr + \frac{sudr}{ds}$; ideoque $DO = a \pm C + \int udr + \frac{sudr}{ds} = a \pm C + \int \frac{tdr}{\sqrt{(1+tt)}} \frac{-dr\sqrt{(1+tt)}}{dt}$.

Hinc, poſito dt conſtante, fiet $Oo = \frac{-ddr\sqrt{(1+tt)}}{dt}$, ergo tota curva $DO = C - \int \frac{ddr\sqrt{(1+tt)}}{dt}$ *Q. E. I.*

Coroll. 1.

XV. Cum ſit arcus cauſticæ $DO = CM + MO - C$, manifeſtum eſt, curvam AMB deſcribi, ſi cauſticæ DO filum circumplicetur, cujus alter terminus in puncto C ſit fixus; hocque filum ope ſtili in M tendatur. Tum enim evolutione hujus fili ſtilus curvam AMB deſcribet, uti conſtat.

Coroll. 2.

XVI. Si ponamus, cauſticam DO axem AB in D tangere, ita ut curva AMB axi AB in A normaliter inſiſtat; dum punctum M in A cadit, cauſticæ punctum O in D incidet; fietque $DO = o$, & $CM + MO = CA + AD$; unde erit $o = CA + AD - C$. Conſtans ergo adhuc indeterminata C erit $= CA + AD$; ideoque ubique erit $DO = CM + MO - CA - AD$.

Coroll. 3.

XVII. In curva ergo cauſtica DO præterea ſponte datur ſubtangens $RS = \frac{suudr}{ds} = \frac{-tdr}{dt}$, & ipſa tangens $RO = \frac{sudr}{ds} = \frac{-dr\sqrt{(1+tt)}}{dt}$; quæ producta uſque ad curvam AMB radium reflexum MO exhibebit.

Coroll. 4.

XVIII. Erit autem $MO = p + \frac{sudr}{ds} - CM = q + \frac{sudr}{ds}$.

At

Digitized by Google

At ante invenimus $q = \frac{pp - rr}{2(p - ur)}$, unde erit $MO =$ $\frac{pp - rr}{2(p - ur)} + \frac{sudr}{ds}$, ſin autem ponamus $\int rdu = v$, ut ſit $p = a + ur - v$, fiet $MO = \frac{a - v}{2} + ur - \frac{ssrr}{2(a - v)} +$ $\frac{sudr}{ds}$; quæ longitudo ſi tangenti OR tribuatur, habebitur punctum M.

Scholion.

XIX. Cum igitur ex æquatione inter angulum $CRM =$ ϕ & intervallo $CR = r$ propoſita tam ipſa curva AMB reflectem, quam ejus cauſtica DO determinetur; ita quidem, ut infinitæ curvæ AMB inveniantur, quæ omnes eandem habeant cauſticam DO: hujusmodi relatio inter r & ϕ commodiſſime adhibebitur ad Problemata, quibus curvæ reflectentes data quapiam proprietate præditæ requiruntur, ſolvenda, cujusmodi eſt Problema propoſitum, cujus ſolutionem hic tradere conſtitui. Etſi autem ex hac relatione inter ϕ & r coordinatas orthogonales $CP = x$ & $PM = y$ elicuimus, unde reliqua curvæ AMB ſymtomata cognoſci poſſunt, tamen plures curvæ hujus affectiones commodius ex angulo ϕ & intervallo r definientur. Demittatur enim ex C in rectam RM perpendiculum CV, atque ob $CR = r$, $CRV =$ ϕ & ſin. $\phi = s$ atque coſ. $\phi = u$ erit $CV = sr$ & $RV = ur$. Tum, quia eſt $RL = p = a + \int udr = a + ur - \int rdu = a +$ $ur - v$, quantitatem hanc p tanquam datam ſpectare licebit. Erit ergo $LV = p - ur$, & anguli CLR tangens erit $=$ $\frac{CV}{LV} = \frac{sr}{p - ur}$: cujus anguli cum ſit CMT, quem radius incidens CM ac propterea quoque reflexus cum tangente format, complementum erit tangens ang. $CMT = \frac{p - ur}{sr}$.

TAB. I Fig. 2.

Digitized by Google

Coroll. 1.

TAB. I Fig. 1.

XX. Quia igitur eſt tang. $CMA =$ tang. $OMm = \frac{p - ur}{sr}$; erit ejusdem anguli ſecans $= \frac{\surd(pp - 2upr + rr)}{sr}$, ideoque ſinus $= \frac{p - ur}{\surd(pp - 2upr + rr)}$ & coſinus $= \frac{sr}{\surd(pp - 2upr + rr)}$. Ergo habebitur ſinus dupli anguli $= \frac{2sr(p - ur)}{pp - 2upr + rr}$, qui ſimul eſt ſinus anguli CMR; cujus coſinus erit $= \frac{pp - 2pur + (uu - ss)rr}{pp - 2upr + rr} = 1 - \frac{2ssrr}{pp - 2upr + rr}$, & tang. $CMR = \frac{2sr(p - ur)}{pp - 2upr + (uu - ss)rr}$.

Coroll. 2.

XXI. In triangulo MOm invenimus eſſe angulum $MOm = d\varphi = \frac{ds}{u} = \frac{-du}{s}$; $MO = mO = \frac{pp - rr}{2(p - ur)} + \frac{sudr}{ds}$, & ſin. $OMm = \frac{p - ur}{\surd(pp - 2upr + rr)}$. Hinc ergo habebitur hæc proportio: ſin. $OMm : Om =$ ſin. $MOm : Mm$

$$\frac{p - ur}{\surd(pp - 2upr + rr)} : \frac{pp - rr}{2(p - ur)} + \frac{sudr}{ds} = \frac{ds}{u} :$$

unde ſit $Mm = \frac{(pp - rr)ds + 2sudr(p - ur)}{2u(p - ur)^2} \surd(pp - 2upr + rr)$.

Coroll. 3.

XXII. Si concipiatur ducta recta CO, ac brevitatis gratia ponatur $RO = \frac{sudr}{ds} = w$, erit ex triangulo CRO recta

$CO =$

$CO = \surd(rr + 2urw + ww)$. Tum in triangulo CMO erit: CO : ſin. $CMO = CM$: ſin. COM. $\surd(rr+2urw+ww)$:

$$\frac{2rs(p-ur)}{pp-2upr+rr} = \frac{pp-2upr+rr}{2(p-ur)} : \frac{rs}{\surd(rr+2urw+ww)}$$

atque coſ. $COM = \dfrac{w+ur}{\surd(rr+2urw+ww)}$. Hinc ſit tang.

$$COM = \frac{rs}{w+ur} \text{ \& cot. } COM = \frac{w}{rs} + \frac{u}{s} = \frac{udr}{rds} + \frac{u}{s} = \frac{u(sdr+rds)}{rsds}.$$

Unde reliqui anguli & lineæ, quæ forte deſiderantur, facile determinari poterunt.

Coroll. 4.

XXIII. Producatur tangens MT, donec axi AR occurrat in T, ducaturque normalis MN, erit ang. $CMN = NMR$, ejusque complementum $= CMT$; hinc erit ſin. $NMR =$ TAB. I Fig. 3.

$$\frac{sr}{\surd(pp-2upr+rr)} \text{ \& coſ. } NMR = \frac{p-ur}{\surd(pp-2upr+rr)}:$$

unde ob ſin. $NRM = s$ & coſ. $NRM = u$ erit ſin. $TNM =$

$$\text{coſ. } T = \frac{sp}{\surd(pp-2upr+rr)} \text{ \& ſin. } T = \frac{up-r}{\surd(pp-2upr+rr)},$$

atque ſin. $TMR =$ ſin. $CMT = \dfrac{p-ur}{\surd(pp-2upr+rr)}$.

Coroll. 5.

XXIV. Cum igitur ſit $RM = q = \dfrac{pp-rr}{2(p-ur)}$ erit in triangulo NMR ob omnes angulos datos: ſin. $TNM : RM =$ ſin. $RMN : RN =$ ſin. $R : MN$

$$\frac{sp}{\surd(pp-2upr+rr)} : \frac{pp-rr}{2(p-ur)} = \frac{sr}{\surd(pp-2upr+rr)} : \frac{r(pp-rr)}{2p(p-ur)} = s : \frac{(pp-rr)\surd(pp-2upr+rr)}{2p(p-ur)}.$$

Deinde in triangulo

TMR

TMR erit: ſin. $T : RM =$ ſin. $TMR : TR =$ ſin. $R : TM$

$$\frac{up-r}{\sqrt{(pp-2upr+rr)}} : \frac{pp-rr}{2(p-ur)} = \frac{p-ur}{\sqrt{(pp-2upr+rr)}} : \frac{pp-rr}{2(up-r)} = s : \frac{s(pp-rr)\sqrt{(pp-2upr+rr)}}{2(p-ur)(up-r)}.$$

Coroll. 6.

XXV. Cum igitur ſit $RN = \frac{r(pp-rr)}{2p(p-ur)}$ erit $CN = \frac{r(pp-2upr+rr)}{2p(p-ur)}$ & ob $TR = \frac{pp-rr}{2(up-r)}$ erit $CT = \frac{pp-2upr+rr}{2(up-r)}$. Hinc fiet $CT + CN = TN = \frac{(pp-rr)(pp-2upr+rr)}{2p(p-ur)(up-r)}$, & $CT - CN = \frac{(pp-2upr+rr)^2}{2p(p-ur)(up-r)}$. At eſt $CT.CN = \frac{r(pp-2upr+rr)^2}{4p(p-ur)(up-r)}$; unde fit $\frac{CT.CN}{CT-CN} = \frac{r}{2}$ & $r = CR = \frac{2CT.CN}{CT-CN}$.

Coroll. 7.

XXVI. Hæc ultima æqualitas $CR = \frac{2CT.CN}{CT-CN}$ facile per ſola principia Geometriæ obtinetur. Cum enim ſit ſin. $TMC =$ ſin. TMR, erit ſin. T: ſin. $TMC = CM : CT$ & ſin. T: ſin. $TMR = RM : TR$, ideoque $CM : CT = RM : TR$ & alternando $CM : RM = CT : TR$. At ob angulum CMR biſectum erit $CM : RM = CN : RN$, hincque $CN : RN = CT : TR$, ſeu $CN : CR - CN = CT : CT + CR$: unde componendo $CN : CR = CT : 2CT + CR$, ſeu $CN : CT = CR : 2CT + CR$ & dividendo $CN : CT - CN = CR : 2CT$, ergo $CR = \frac{2CT.CN}{CT-CN}$.

Problema

Problema III.

XXVII. *Si radii CM axi AB paralleli in curvam EMB incidant, atque ad quodvis axis punctum R, ubi radius reflexus MRO tranſit, detur angulus ARM; hinc definire naturam curvæ reflectentis EMB.* TAB. I Fig. 4.

Solutio.

Sumto in axe pro arbitrio puncto A, ex eo erigatur perpendicularis AE, radios incidentes CM normaliter ſecans in C, voceturque intervallum $AR = r$, & angulus $ARM = \phi$, ſitque ſin. $\phi = s$ & coſ. $\phi = u$ exiſtente ſinu toto $= 1$, ut ſit $ss + uu = 1$ & $d\phi = \frac{ds}{u} = \frac{-du}{s}$. Jam ex M ad axem AB demittatur perpendiculum MP, & vocetur abſciſſa $AP = x$, applicata $PM = y$: atque ex datis r & ϕ valores harum coordinatarum x & y definiri oportebit. Concipiatur radius incidens cm priori CM infinite propinquus & parallelus, qui reflectatur in mO, ut O ſit interſectio horum duorum radiorum reflexorum. Elementum ergo curvæ Mm conſiderari poterit tanquam particula parabolæ, focum in O & axem ipſi AB parallelum habentis; hincque ex natura parabolæ erit $CM + MO = cm + mO$. Erit vero ob ſitum proximum $Rr = dr$ & ang. $Arm = \phi + d\phi$, unde fiet angulus $ROr = d\phi$. Ex r ad RO ducatur perpendiculum $r\varrho$, ob angulum $rR\varrho = \phi$ erit $r\varrho = dr$ ſin. $\phi = s\,dr$ & $R\varrho = dr$ coſ. $\phi = u\,dr$. Vocetur nunc $CM + MR = p$, erit $cm + mr = p + dp$: cum igitur ſit $CM + MO = cm + mO$, erit $CM + MR + RO = cm + mr + rO$, ideoque $p + RO = p + dp + rO$, ſeu $dp = RO - rO = R\varrho = u\,dr$, unde fiet $p = a + \int u\,dr$. Sit jam porro $RM = q$, erit $MP = sq$ & $RP = uq$, hincque $AP = x = r - uq$, & $PM = y = sq$. Eſt vero $CM + MR = x + q = p = a + \int u\,dr$; unde fit $q = p - x$, & $x = r - up + ux$, ita ut ſit $x = \frac{r - up}{1 - u}$ & $q = \frac{p - r}{1 - u}$. Ex his ergo ſi detur relatio inter r & ϕ, ex qua capiatur $p = a + \int u\,dr$, coordinatæ x & y ita determinabun-

F tur,

tur, ut ſit: $AP = x = \frac{r - up}{1 - u}$ & $PM = y = \frac{s(p - r)}{1 - u}$. Unde æquatio inter coordinatas pro curva quæſita obtinebitur. *Q. E. I.*

Coroll. 1.

XXVIII. Quia in valore $p = a + \int u\,dr$ conſtans a pro arbitrio aſſumi poteſt, innumerabiles lineæ curvæ exhiberi poſſunt, quæ omnes eandem relationem inter angulum $ARM = \varphi$ & intervallum $AR = r$ præbent: hæque curvæ erunt algebraicæ, quoties formula $\int u\,dr$ integrationem admittit.

Coroll. 2.

XXIX. Cum ſit $\int u\,dr = ur - \int r\,du$, ponatur $\int r\,du = v$ ut ſit $r = \frac{dv}{du}$, erit $p = a + ur - v = a + \frac{u\,dv - v\,du}{du}$. Hinc ſit $MR = q = \frac{a - (1 - u)r - v}{1 - u} = \frac{a - v}{1 - u} - r$, atque $AP = x = (1 + u)r - \frac{u(a - v)}{1 - u}$. $PM = y = \frac{s(a - v)}{1 - u} - \int r$,

Coroll. 3.

XXX. Ex his formulis ſequitur etiam fore: $sx + uy = sr$ & $sy - ux = \frac{a - v}{1 - u} - (1 + u)r$; unde efficitur $sy + (1 - u)x = a - v$, & $x + \frac{uy}{s} = r$. Hinc ob $dv = r\,du = x\,du + \frac{uy\,du}{s} = x\,du - y\,ds$ erit differentiando: $s\,dy + y\,ds + (1 - u)dx - x\,du = -x\,du + y\,ds$, ſeu $s\,dy + (1 - u)\,dx = 0$ vel $\frac{dx}{dy} = \frac{-s}{1 - u} = -\sqrt{\frac{1 + u}{1 - u}}$.

Coroll. 4.

XXXI. At æquatio $-s\,dy = (1 - u)\,dx$ quadrata dabit $(1 - uu)\,dy^2 = (1 - u)^2 dx$, ſeu $(1 + u)\,dy^2 = (1 - u)\,dx^2$; unde ſit $u = \frac{dx^2 - dy^2}{dx^2 + dy^2}$ & $s = -\frac{(1 - u)dx}{dy} = \frac{-2\,dx\,dy}{dx^2 + dy^2}$:

ideoque

ideoque $\frac{s}{u} = \frac{-2dxdy}{dx^2 - dy^2}$ & $r = x + \frac{uy}{s} = x - \frac{y(dx^2 - dy^2)}{2dxdy} = \frac{2xdxdy - ydx^2 + ydy^2}{2dxdy}$, vel $AR = r = x - \frac{ydx}{2dy} + \frac{ydy}{2dx}$.

Conſtructio Curvæ.

XXXII. Quia pro quovis axis puncto R, ubi eſt interſectio radii reflexi, datur angulus ARM, in recta RM producta capiatur $RL = p = a + \int udr$, quod intervallum, niſi $\int udr$ ſit integrabile, per quadraturas conſtrui poteſt. Tum in axe capiatur $RK = RL$, & jungatur recta KL, cujus cum AE interſectio notetur in C. Per C agatur recta CM axi AB parallela, donec recta RL occurrat in M, erit M punctum in curva, & CM radius incidens, cui reflexus MR reſpondet. Deinde, ſi CL biſecetur in T, erit recta MT tangens curvæ. Nam ob triangula LMC & LRK ſimilia, erit $LM = CM = AP$, ideoque $RL = p = RM + CM$, uti requiritur. Deinde, quia recta MT angulum CML biſecat, producta TM in t erit $CMT = RMt$, ideoque ex natura reflexionis TMt tangens curvæ in M. TAB. I Fig. 5.

Coroll. 5.

XXXIII. Cum igitur, producta tangente TM in t usque, ubi axem AB interſecat, ſit ang. $t = CMT = RMt$, erit $RM = Rt$, ideoque $Rt = q = \frac{p-r}{1-u}$. Deinde, ſi ducatur MN ipſi LK parallela, erit ea ad curvam in M normalis, & $RM = RN$: unde erit $Rt = RN$, ſeu $Pt - PR = PR + PN$, hincque $PR = \frac{1}{2} Pt - \frac{1}{2} PN$.

Coroll. 6.

XXXIV. Si dicatur $AP = x$, $PM = y$, erit $Pt = \frac{-ydx}{dy}$ & $PN = \frac{-ydy}{dx}$, ideoque $PR = \frac{-ydx}{2dy} + \frac{ydy}{2dx}$: & AR $= x -$

Digitized by Google

$= x - \frac{ydx}{2dy} + \frac{ydy}{2dx} = r$: quæ eſt eadem æquatio, quam ſupra (§. XXXI) invenimus.

Problema IV.

TAB. I Fig. 4. XXXV. Iisdem manentibus, quæ in Problemate præcedente erant aſſumta, nempe ex data relatione inter ſpatium $AR = r$ & angulum $ARM = \varphi$, invenire cauſticam DOo, quam radii reflexi per contactum formant.

Solutio.

Quoniam radius reflexus MO cauſticam tangit in puncto O, ubi cum radio ſibi proximo mO concurrit; ex angulo $ROr = d\varphi = \frac{ds}{u} = \frac{-du}{s}$ & $r\varrho = s\,dr$ erit $\frac{r\varrho}{RO} = \frac{s\,dr}{RO} = \frac{ds}{u}$, ideoque $RO = \frac{su\,dr}{ds} = \frac{-ss\,dr}{du}$. Ducatur jam ex O ad axem AB perpendiculum OS, erit $OS = \frac{ssu\,dr}{ds} = \frac{-s^3\,dr}{du}$ & $RS = \frac{suu\,dr}{ds} = \frac{-ssu\,dr}{du}$: unde fit $AS = r - \frac{ssu\,dr}{du}$. Si ergo vocetur cauſticæ DO abſciſſa $AS = X$ & applicata $SO = Y$ erit $X = r - \frac{ssu\,dr}{du} = r + \frac{suu\,dr}{ds}$ & $Y = \frac{ssu\,dr}{ds} = \frac{-s^3\,dr}{du}$. Vel ponatur, ut ſupra (§. XIV), anguli $CRM = \varphi$ cotangens $= t$, ita ut ſit tang. $RMP = t$, fiet $RO = \frac{-dr\sqrt{(1+tt)}}{dt}$; $SO = \frac{-dr}{dt}$, & $RS = \frac{t\,dr}{dt}$; hinceque $X = \frac{rdt - tdr}{dt}$ & $Y = \frac{-dr}{dt}$. Denique longitudo curvæ cauſticæ DO aſſignari poterit. Cum enim ſit ejus elementum $Oo = cm + mo - cm - mO$ ob $cm + mO = CM + MO$, erit $Oo = cm + mo - CM - MO = $ diff. $(CM + MO)$; ideoque

Digitized by Google

ideoque integrando $DO = CM + MO \pm C$. Eſt vero $CM + MO = CM + MR + RO = p + \frac{sudr}{ds} = a + \int u\,dr + \frac{sudr}{ds}$; unde fit longitudo cauſticæ $DO = a \pm C + \int udr + \frac{sudr}{ds} = a \pm C + \int \frac{tdr}{\sqrt{(1+tt)}} - \frac{dr\sqrt{(1+tt)}}{dt}$, ſeu, ſi dt conſtans aſſumatur, erit $DO = a \pm C - \int \frac{ddr\sqrt{(1+tt)}}{dt} = a \pm C + \int \frac{suddr}{ds} = a \pm C - \int \frac{ssddr}{du}$. Q. E. I.

Coroll. 1.

XXXVI. Cum ſit arcus cauſticæ $DO = CM + MO \pm C$, ſi ponamus, cauſticam in D axem AB tangere, ita ut radio incidenti AB reſpondeat reflexus BD; tranſlato puncto M in B fiet $DO = o$, $CM = AB$ & $MO = BD$, ideoque $o = AB + BD + C$ & $\pm C = - AB + BD$, ita ut ſit $DO = CM + MO - AB - BD$: ſeu potius, quia elementum Oo in figura negative capi deberet, erit ſignis mutatis $DO = AB + BD - CM - MO$.

Coroll. 2.

XXXVII. Quia eſt $CM = AP$ & $AB - CM = BP$, erit $DO = BP + BD - MO$: prout quidem cauſtica in figura exhibetur; ſin autem cauſtica vel retro, vel ſurſum, vergat, facile patet, quasnam lineas quovis caſu negative accipi oporteat; neque ergo opus eſt, ut hanc formulam ad quemvis caſum ſeorſim accommodemus. Neque etiam obſtat, ipſam cauſticam in figura male eſſe expreſſam.

Scholion.

XXXVIII. His igitur Problematibus hoc jam ſumus aſſecuti, ut ad cognitionem linearum curvarum ſufficiat, noſſe relationem inter ſitum cujusque axis puncti R, & angulum DRM, ſub quo radius reflexus in eo puncto R axi occurrit, ſive radii incidentes ex quopiam axis puncto divergant, ſive axi ſint paralleli; curva ſcilicet æque pro cognita erit habenda, ſi detur relatio inter ſpatium r & angulum ϕ; ac ſi daretur

æquatio inter coordinatas x & y; quoniam hæc ex illá facile elicitur. In hoc autem maximum verſatur ſubſidium ad Problema catoptricum propoſitum reſolvendum. Si enim ſolutionem a coordinatis x & y inchoare vellemus, non ſolum in calculos próliximos delaberemur, ſed etiam vix præcipuæ Problematis conditioni, qua bina reflexionis puncta ad eandem lineam curvam pertinere debent, ſatisfacere poſſemus. Easdem fere difficultates offenderemus, ſi, uti in curvis, a mobili circa datum centrum virium deſcriptis, fieri ſolet, æquationem inter diſtantiam cujusque curvæ puncti M a foco radiante C, & perpendiculum in tangentem ex C demiſſum, inveſtigare voluerimus; etiamſi has quidem difficultates ita ſuperaverim, ut ſolutionem & conſtructionem hujus Problematis, quam in *Actis Lipſienſibus Menſ. April. Anni 1746 pag. 230 ſeq.* exhibui, hac via elicuerim. Verum poſtmodum deprehendi, eandem ſolutionem multo facilius obtineri, ſi æquatio inter quantitates ſupra aſſumta r & ϕ inveſtigetur, qua Problemati ſatisfiat. Hanc igitur ſolutionem proxime exponere conſtitui, &, quia duos caſus diſtinguere convenit, primum curvas Problemati ſatisfacientes indagabo, quando radii incidentes inter ſe ſunt paralleli, ſeu ex puncto radiante infinitum diſtante proficiſcuntur. Deinde vero alterum caſum, qui in propoſitione ſolus commemoratur, ubi radii incidentes ex dato puncto divergant, ſolutum dabo, atque inprimis operam dabo, ut curvas ſatisfacientes algebraicas exhibeam, & formulis generalibus complectar. Id ipſum facturus ſum *Menſe* horum *Actorum* proximo.

Vorbereitung zu der Hanſiſchen Chronick, ꝛc.
hoc eſt,

PRÆPARATIO AD CHRONICON HANSÆATIcum, quæ complectitur diſcuſſionem quæſtionum: Unde cognomen urbium Hanſeaticarum ſit ortum; qui eventus occaſionem Hanſæ Teutonicæ conſtituendæ dederint; quæ fuerit priſtina urbium Hanſæaticarum conditio; & quid Hanſæ Teutonicæ hodierno die ſit reliquum; cum nonnullis annotationibus, ad majorem illuſtrationem facientibus, conſignata. Autore D. JO. PETRO WILLEBRANDT.

Lubecæ,

Digitized by Google

Lubecæ, 1747, fol.
Plag. 9.

Annus eſt, & quod excurrit, ex quo Conſultiſſimus Autor conſilium ſuum de publicanda hiſtoria urbium Hanſeaticarum publice aperuit, quo facto, *multi hiſtoriæ* patriæ, cumprimis antiquitatum ſeptentrionalium, cupidi, ipſum coram & per literas exſtimularunt, ut, quam primum fieri poſſet, fidem datam liberaret. Horum igitur deſideriis facturus ſatis, literarum formis hoc opuſculum divulgandum curavit, ut rationem inſtituti ſui omnibus exponeret, eosdemque certiores faceret, promiſſos Commentarios brevi ſecuturos eſſe. Præſens introductio *tribus* abſolvitur *Capitibus*, quorum ſingulis propoſitas quæſtiones dextre expedit, priſtinam & hodiernam faciem urbium illarum continua ſerie repræſentans. Fidem hiſtoriæ ſuæ conciliaturus, illos nominat, per quos profecit, *Antonium* nempe *Colerum*, illuſtrem reip. Lubecenſis quondam Conſulem, virum ſapientem, qui rebus plurimis non interfuit ſolum, verum etiam præfuit, qui Commentarios de urbibus Hanſeaticis, manu exaratos, reliquit. Contulit præterea Chronica rara urbis Lubecenſis ac aliarum, quæ pariter ſcripto tantum conſignata in ſcriniis adhuc delituerint, quæ accurate cum relationibus *Colerianis* conſentire, ſicque ad confirmationem harum plurimum facere, ipſo actu deprehendit. Non igitur Conſ. Autor incertos rumuſculos, qui ore circumferuntur, non ambiguæ fidei homines, qui, quicquid de rebus priſcis vel auribus accipiunt, vel ullibi ſcriptum inveniunt, nullo inſtituto examine, convaſant, orbem non tam de præteritorum ſeculorum rebus erudientes, quam fucum eidem facientes, ſed illos, ſecutus eſt, quibus tabularia publica adire, literas, fœdera, rerumque agendarum rationes, propius noſſe, ac coram intueri, datum fuit. *Cap. I* nomen urbium Hanſeaticarum inveſtigaturus, ad examen revocat diverſas virorum eruditorum hariolationes. *Adr. Junius* & *Beſoldus* appellationis rationem arceſſunt ab antiquo *hans*, quod majoribus noſtris aliquid *magnum* atque *excelſum* deſignavit. *Arumæus* & *Paulus Matthæus Webnerus* dictas eſſe contendunt quaſi *An-See-Stædte*, urbes maritimas. *Gundlingius* & alii natales nominis hujus repetunt a Germanico *handeln*, cum commerciorum feliciter tractandorum ergo urbes hæ in ſocietatem coierint. Quæ derivationis rationes cum locum ſuum minus tueri poſſint, quod ſolide, ſed tamen modeſte, oſtenditur, eximius *Willebrandus* noſter ſe recipit ad antiquam vocem *hanſa*, quæ illis temporibus *ſocietatem*, *conjunctionem*, & *agmen*, notabat, quod ex convenientia aliarum vocum antiquarum Germanicarum, potiſſimum privilegio *Henrici III*, Angliæ Regis, Lubecæ, principi urbium illarum, A. 1272 d. 5 Jan. indulto, it evictum. Verba ſunt: *Conceſſimus inſuper, quantum ad nos pertinet, burgenſibus & mercatoribus prædictis, quod ipſi habeant Hanſam ſuam*; propriam conſociationem. Adoptarunt hanc ſententiam jamdum viri inſignes, *Hagemeiſterus*, *Aldermannus*, alii. Igitur urbes *hanſam habentes*, *urbes hanſeaticæ*, *hanſa Teutonica*, ſignificant *conſociationem quarundam urbium Germanicarum, ob unum eundemque finem certo fœdere conjunctarum*. *Cap. II* originem hujus ſocietatis pandit. Ubi laudatiſſimus Imperator *Fridericus II*, *Henrici VI* filius, jura ſua & imperii adverſus iniqua Pontificum molimina forti animo defenderat, Jupiter iſte Capitolinus hoc adeo indigne

Digitized by Google

indigne tulit, ut fulmina in optimum Principem evibraret, ipſum de ſolio dejiceret, cives & ſubditos jurisjurandi religione exſolveret. Quo facto, omnia intuta reddebantur, latrociniis & rapinis rem ſuam locupletare, ars, imo virtus, habebatur, ſecuritas & mari & terra tollebatur. Quæ res cum ingens damnum inferret emporiis, potiſſimum *Lubecæ* & *Hamburgo*, in extrema Germaniæ ora ſitis, ingenti malo fuit, quas præterea *Woldemarus II*, Danus, plurimum affligebat, illæ communibus ſuffragiis A. 1241 conſilium iniverunt, conjunctis viribus & ſumtibus ſecuritatem & mari & terra a prædonibus ac piratis ſibi præſtandi. Quod ipſum cum felici ſucceſſu gauderet, aliæ urbes in fœdus recipi præoptarunt, quas eo lubentius admiſerunt, quoniam harum viribus potentiam ſuam inſigniter auctum iri proſpiciebant, ut hinc *anſa Teutonica* A. 1260 ad ἀκμὴν ſuam fuerit perducta, tantumque opibus creverit, ut ipſis Regibus formidabilis ſit reddita. Sed vero ipſa illa imperante *Carolo V* de priſtino ſuo ſplendore multum amiſit, Auguſto id viribus omnibus agente, ut Belgii ſui commercia florentiora redderet, qui etiam imperii Principibus id ſuggerebat, nimiam urbium illarum potentiam ipſorum dignitati detrahere: quibus rebus & aliis factum eſt, ut aliæ itemque aliæ civitates fœderi ſe ſubduxerint, tandemque illud prorſus fuerit ſolutum, *Lubecenſibus, Hamburgenſibus*, & *Bremenſibus*, indulgentia & gratia Regum Daniæ jura ſua, ſpeciatim *Bergæ* Norvagorum, in hodiernum uſque diem retinentibus. *Cap. III* priſtinam & hodiernam urbium ſociarum faciem repræſentat. Harum princeps & regina erat Lubeca, quæ diem publicorum conventuum figebat, ſuffragia prima ferebat, literas & ſcripta publica ſocietatis ſuo ſigillo majori muniebat, tabularium & commune ærarium cuſtodiebat. Harum numero omnino erant 85, quæ ordine alphabetico nominantur, quatuor diſtinctæ claſſibus, quarum ſingulis certæ urbes præpoſitæ erant. Ad comitia urbes ablegabant ſuos oratores, viros dignitate conſpicuos, quorum concio fiebat in curia Lubecenſi, res communibus ſuffragiis diſceptabantur, literæ ad Principes, Reges, & Imperatores, dirigendæ ſumma circumſpectione concipiebantur. Quæ præterea decreta ſanciebantur, ſpectabant confirmationem & incrementum ſocietatis, pietatem ſubditorum Principibus præſtandam, obſequium civium magiſtratibus debitum, amplificationem & defenſionem commerciorum, conſervationem fidei publicæ, & tributa, quæ ad tutamen negotiorum pendenda. In ſequentibus exponit officia civitatum mutua, delicta, quorum ergo illarum aliqua jure ſuo excidebat, & qua via priſtino loco ſuo reſtitui potuerint. Tandem deſcriptio ſocietatis Bergenſis, quæ primum regnante *Haquino*, Dano, ſub finem Seculi XIII conſtituta eſt, exhibetur, &, qua ratione fortuna varia ſtatum ſuum ſit tuita, enarratur. In ſubjectis annotationibus illuſtrantur & confirmantur ea, quæ in præparatione prolata erant, ex quibus præ aliis notatu ſunt digna, quæ de vita Conſulis *Ant. Coleri*, urbibus quondam opulentis & potentibus, *Vinelta, Julino, Bardevico, Megapoli, Retbra, Wisby*, nunc ſua culpa dirutis, ſoloque æquatis, in medium producuntur. Quæ ex introductione hac commemoravimus, talia ſunt, quæ ſalivam facile movere queant. Nos Clariſſ. Autorem multis verbis rogamus, ut promiſſum Chronicon brevi typis exſcribendum curet, nulli dubitantes, quin ab eruditis ejus rei gratiam ſit initurus.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXLVIII.

LINGUÆ SINARUM MANDARINICÆ HIEROglyphicæ Grammatica duplex, Latine, & cum characteribus Sinenſium; item Sinicorum Regiæ Bibliothecæ librorum Catalogus, denuo, cum notitiis amplioribus & charactere Sinico, editus juſſu LUDOVICI decimi quinti. Autor STEPHANUS FOURMONT, Arabicæ linguæ in Regio Francorum Collegio Profeſſor, Regiæ Inſcriptionum atque humaniorum literarum Academiæ Penſionarius, Regiæ Bibliothecæ interpres ac Sub-Bibliothecarius, e Regiis Londini ac Berolini Societatibus.

Lutetiæ Pariſiorum, ex typographia Hippolyti Lud. Guerin, Rollini, filii, & Joſephi Bullot, 1742, fol.

Alph. 6 plag. 6, Tab. æn. 1.

Poſt *Meditationes Sinicas*, ſtupendi laboris & ſingularis ἀγχινοίας opus, Grammatica hæc Sinica prodit, cui inveniendæ, poliendæ, ac perficiendæ, inde ab A. 1716 indefeſſam eruditiſſimus *Fourmontius* tribuit operam. Linguæ alicujus intermortuæ, ſed cujus adhuc notitia inter eruditos viget, & qua innumeri libri ſcripti ſuperſunt, vel vernaculæ, quæ quotidiano uſu teritur, Lexicon conficere, merito labor durus & difficilis habetur; ſed linguam, quæ & indole ſua, & characterum inſolentia, a reliquis omnibus immane quantum abit, ad certas regulas grammaticas redigere, huma-

Digitized by Google

nas vires fere ſuperare videtur. Hanc viam ſine duce, ſine monitore, excellentiſſimus Autor eſt ingreſſus, ac tandem, poſt tot ſuperatas difficultates, & moleſtias devoratas, feliciter eſt emenſus. Ad *Grammaticam & Dictionaria* Sinica conficienda, cum hæc in uſum eſſe poſſint illorum, qui ampliſſimum Sinarum regnum, annuntiandæ doctrinæ ſalutaris ergo, & ut artes atque ſcientiæ, quæ apud gentem ingenioſam florent, propius cognoſcantur, induxerat Noſtrum potentiſſimus Galliarum Rex, *Ludovicus XIV*, idemque illud urſerat, qui in præſentia ſceptrum vaſti regni tenet, *Ludovicus XV*, ſuaque munificentia juverat, cui etiam Opus hoc ſplendidum ſacrum eſſe voluit.

In Præfatione enumerat difficultates, quæ ipſi ſint objectæ, & quæ in cauſa fuerint, quare tantam moram in opere hoc profligando trahere fuerit coactas, cum nulli ad manus fuerint libri, ex quibus linguam diſcere potuerit, voces Sinicæ & figuræ Mandarinicæ ex Dictionariis mere Sinicis fuerint colligendæ, illæ omnes deſcribi ac exſculpi, & idonei magiſtri conquiri, debuerint, quibus tamen continuo adeſſe, & eorum operas præformare ac dirigere, debuerat. Porro neceſſitatem Dictionariorum, a ſe concinnatorum, adſtruit, ac delineationem operis grammatici Sinici, antehac Gallice conſcripti, exhibet, cujus pars aliqua quondam in Academiæ congreſſu publice fuerit prælecta, pars in *Meditationibus* locum invene-
Pag. 1- rit. Inde progreditur ad illos, qui præcepta de lingua Si-
16. nica dederunt. *Premarus*, e ſocietate Jeſu, *linguæ Sinicæ notitiam* ex Sina transferendam curaverat, ac *Fourmontii* judicium expetierat. Hujus generales partes exhibet primum, inde tum
16-24. ſuum, tum aliorum, judicium profert. De *Theophili Sigefridi Bayeri Muſeo Sinico* quædam jamdum monuerat in *Meditationibus Sinicis*, de quo ille quidem publice conqueſtus erat, at, quoniam veritatem amicitia, qua ipſi junctus erat, potiorem ducendam eſſe exiſtimavit, judicium hoc ſuum de
25, 26. novo confirmat. *Franc. Varo*, familiæ Dominicanæ ſocius, qui per longum ſatis tempus apud Sinas commoratus erat, quo ſociis

Digitized by Google

ſociis prodeſſet, idioma Sinicum ad certas regulas revocare contendit, quod quidem opus ad ipſum integrum non pervenit, ſed illius compendium tantum aliquod, Hiſpanice a *Petro de Penvella* paratum. Hujus longum ſatis, quod ad ſingulas partes, dat recenſum; bona quidem methodo conſcriptum cenſet, ſed, quoniam Sinicis characteribus ſit deſtitutum, nemini niſi apud Sinas uſui eſſe poſſe contendit. De *Caſarano*, qui per triginta & amplius annos in Sina vitam egerat, Pag. 26-30.
refert, ipſum opera duo conſignaviſſe, quæ ubi cum Grammatica ſua contenderit, non ſine admiratione animadvertiſſe, eandem Capitum diviſionem ſecum iniviſſe, ac pleraque uno eodemque modo, ſaltem non multum differenti, tractaviſſe, licet ille in Sina, ipſe in Gallia, ſcripſerit, cujus rei rationem inde repetit, quia uterque ſtudium ac induſtriam ſuam in linguæ genium intenderit. Quid porro *Montignius* de ſuis lucubrationibus judicaverit, quæque ſubſidia ſubminiſtraverit, copioſe docet. Inde oſtendit, qua via in Grammatica ſua 30-33.
adornanda proceſſerit. Poſtremo diſſerit de Catalogo libro- 33-35.
rum Sinicorum, in Regia Bibliotheca exſtantium, qui uſui ipſius fuerint relicti, & ex quibus incredibili ſtudio ea, quæ & linguam & res Sinicas ſpectant, collegerit. Grammaticam diſpe- 35-38.
ſcit in *Libros V*; in quorum *I* agit de *lectione*, *II* de *nomine* ac *pronomine*, *III* de *verbo*, *IV* de *particulis*, *V* de *Syntaxi*. Singuli *Libri* rurſus in ſuas diviſi ſunt *Sectiones*, hæ in articulos. *Ita Sectione I Libri I* exponit de *pronuntiatione*, Europæo charactere ad efferenda vocabula Sinica idoneo, linguæ Sinicæ vo- 1-5.
calibus, conſonis; *Sectione II* de *ſyllaba*, & quidem vocabulorum Sinicorum natura generatim, quæ omnino omnia ſint monoſyllaba; exhibet catalogum vocabulorum Sinicorum ſecundum *Luſitanam*, id eſt, receptam apud omnes, pronuntiationem. Sermonem adhæc facit de linguæ Sinicæ tonis, vocum Sinicarum per tonos varietate, phraſium diſtinctionibus. *Libri* 5-10.
II Sect. I commentatur de *nominibus* Sinicis, & quidem ita, ut agat 1) de nominum *qualitatibus*, 2) *ſpeciebus*, 3) *forma*, 4) *genere*, 5) *numeris*, 6) *caſibus*, 7) *comparationis gradu*, & quomodo exprimantur *ſuperlativa*, 8) nominibus *numerorum*; *Sect. II* 12-59.

de

de *pronominibus*, & illis quidem *perſonalibus*, *primitivis*, *deriva-
tivis*, *poſſeſſivis* primæ, ſecundæ, & tertiæ perſonæ, *demonſtra-
Pag. 60- *tivis*, *relativis*; *Libro III* de generali *verborum* diviſione, con-
78. jugatione per tria tempora, active & paſſive, variis verbo-
79-120. rum modis, 1) *activis*, 2) *paſſivis*; *Libro IV* de *particulis af-
121-210. firmationis* & *negationis*, de *quantitate*, particulis *modifica-
tivis*, de *temporis*, *ordinis*, *ſitus*, *præpoſitionibus* & *poſtpoſi-
tionibus*, *conjunctione* & *disjunctione*, *interjectione*, *adverbiis*,
de *numeralibus*, ſive *expletivis* nominum, verborum, oratio-
nis; *Libro IV* de *ſyntaxi* nominum, pronominum, verborum,
particularum ſignificantium, numeralium; de orationis Si-
nicæ elegantia, ſimplici & figurativa, porro de elegantia pu-
ra & ſignificativa. Inde loquitur de Sinarum urbanitate, ſpe-
ciatim phraſibus urbanitatis erga parentes, cognatos, pro-
pinquos, vicinos, extraneos, & ſic porro, erga magiſtros,
Mandarinosque; de nominibus, quibus compellantur Manda-
rinorum ſimplicium, aut minorum, propinqui. Hinc conver-
tit ſe ad nomina numerorum, menſurarum, & ponderum, &
quidem hoc ordine, ut enarret α) numeros *cardinales*, β) *or-
dinales*, γ) tractet de numeratione horarum, dierum, ſepti-
manarum, menſium, tempeſtatum, annorum, ſeculorum,
cumprimis de cyclis Sinarum, δ) de locorum, rerumque
aliarum, menſuris ac ponderibus. Libri finem facit exercita-
341. tio grammatica. Secundam partem egregii hujus Operis facit
Catalogus librorum Bibliothecæ Regiæ Sinicorum. In Præfa-
tione commemorat, quæ ratio ipſum moverit, ut Catalogum
hunc ſeorſim exſcribendum curaverit, & quo modo tempo-
ris ſucceſſu Bibliotheca Regia libris Sinicis fuerit locupletata.
Catalogum omnem in *ſex* partitus eſt claſſes: I) complecti-
tur *grammaticos*, quo nomine ipſi etiam veniunt *Dictionaria*
& libri *philologici*; II) *geographicos*; III) *hiſtoricos*; IV) *ſacros*,
Sinenſibus ita dictos, quos etiam *claſſicos*, item *canonicos*, ap-
pellare ſolent; V) qui agunt de *jure & officiis*; VI) *theologi-
cos*; VII) *philoſophicos*; VIII) *medicos*; IX) libros *artium*,
in quorum claſſem relati ſunt *aſtronomici*, *mathematici*, *arith-
metici*, *œconomici*, quique ad picturam & ſculpturam ſpectant,
Sequun-

Sequuntur libri *Japonenſes*, *Tartarici*, itemque ſupplementum librorum omiſſorum. Omnes hi libri ſunt numero 389. Ex illis aliquos, qui nobis præ aliis notatu digni viſi fuerunt, brevibus nominabimus. Deſcribitur *pag. 371 ſeq. Geographia*, ſumma cura elaborata, aque ſummis imperii Sinici viris probata, complectens Geographiam omnem, & univerſam fere hiſtoriam, tum regnorum, tum Imperatorum, tum denique virorum locorumque, atque aliarum rerum infinitarum, quæ ad illuſtrandam Sinam faciant maxime. Inter libros philoſophicos *pag. 380 n. 48* enarrat librum, a *Confucio* exaratum, cui titulus *Ehun cieū*, id eſt, *ver* & *autumnus*, in quo hiſtoria A. 242 habetur, & qui optima de regno adminiſtrando præcepta continet, maximi æſtimatus a Sinenſibus, & in quem plures amplos ſcripſerunt commentarios. Inter libros *canonicos* dictos *pag. 403 ſeq. n. 97* occurrit aliquis, hac inſignitus inſcriptione: *yĕ Kīm*, quem ab antiquiſſimo Monarchiæ Sinicæ fundatore *fŏ tū* conſignatum eſſe perhibent, ante C. N. A. 2961. Figuris conſtat 64. Quid figuræ illæ ſibi velint, difficile eſt intellectu, quas alii ad doctrinam moralem, ad ſcientiam phyſicam retulerunt alii, alii ad divinationem rapuerunt, ac ſi illis ad morem ſortium *Virgilianarum* ſint uſi. *Pag. 411 n. 112* repræſentat librum, cui nomen *Kīm*, qui eſt collectio *odarum*, ſeu *verſuum*, numero 300 ab Imperatoribus, reginis, & proceribus, compoſitorum, quibus tamen ſpuria quædam ſint intermixta. *Pag. 413, 414, n. 116*, ſiſtitur liber, cujus inſcriptio *Li Ki ciĕ xue*, id eſt, *varii diſcurſus* in librum rituum, ſive officiorum. Conſtat *X Libris*, collectus ex variis priſcorum Sinarum monumentis, concinnatus ab homine, Regis ſanguine procreato, cui *Confucius* quædam addidiſſe dicitur. In illo explanantur officia omnia, quæ in cultu divino, in ſtatu civili, domeſtico, ac aliis, præſtanda. *Pag. 415, 416, n. 120*, habetur liber, cujus epigraphe hæc: *Sū xū*, id eſt, *Libri quatuor*. Hi vulgo *Confucio* adſcribuntur, atque primus illorum omnino illius eſt, qui apud Sinas tanta ſunt in exiſtimatione, ut nemo ad gradum doctoris evehi, nec magiſtratus munus adire, poſſit, qui non illorum librorum ali-

 quem

quem memoria complectatur. In quibus quoniam omnis ſapientiæ principia contineri judicantur, in illos innumeri fere conſcripti ſunt commentarii. Sed hæc ſufficiant, ex quibus de pretio egregii hujus Operis rerum harum intelligentes facile judicare poſſunt.

ORATIONIS DUÆ, UNA DEMOSTHEnis contra Midiam, altera Lycurgi contra Leocratem, Græce & Latine. Recenſuit, emendavit, notasque addidit, JOANNES TAYLOR, LL. D. Coll. D. Joann. Cantabr. Socius.

Cantabrigiæ, typis Academicis, 1743, 8.
Alph. 1.

Cum Vir Cl. *Joannes Taylor* in *Demoſthene* expoliendo verſetur, ſtatuit interea, dum totum opus abſolvatur, particulas quasdam magni operis ſeparatim edere, ut cognoſceret, utrum doctis hominibus ſatis probata eſſet opera ſua, an eſſet aliquid in ea ratione, qua uteretur, quod mutatum vellent. Ejus rei initium facere a *Midiana* placuit Oratione, non illa quidem abſoluta, & a *Demoſthene* penitus expolita, ut quidam, autore *Photio*, quondam recte crediderunt, (vid. *Tayl. Not. pag. 260,*) ceterum nobiliſſima & præſtantiſſima, de conſenſu ſummorum omnis ævi hominum. Huic adjungere placuit *Orationem Lycurgi*, Oratoris clariſſimi, qui *Platonis* & *Iſocratis* diſcipulus fuit, *Demoſthene* paulo major annis, ſed cum eo conſiliis & ſenſu in republica conjunctiſſimus, de cujus vita egregie diſſeritur a *Tayloro* in Præfatione. Ea Oratio una nobis reliqua manſit ex *XV*, quas ille edidiſſe traditur; edita primum ab *Aldo Manutio*, nec ab ullo docto homine ſatis illuſtrata, aut emendata, ante *Taylorum*; cum ea propter pulchritudinem copiamque digniſſima lectu ſit. Utraque Oratio quid *Taylori* ingenio doctrinæque debeat, paucis demonſtrabimus.

Ac primum, quoniam actio ea, quæ intenditur *Midiæ* a *Demoſthene*, peculiari nomine vocatur προβολή, &, qui ea utuntur, προβάλλεσθαι: ea autem nondum ſatis diligenter illuſtrata

illuſtrata eſt ab iis, qui de jurisprudentia Attica ſcripſerunt, de ea Cl. *Taylorus* diligentius exponere inſtituit. Erat autem primum προβολὴ actio & cauſa publica, ut ex ipſa Oratione *pag.* 25, 62, liquet. Ea autem inprimis quidem intendebatur his, qui in feſtis diebus & religionibus inſolenter aliquid & proterve egiſſent, unde *Ulpianus* eam eſſe dicit κατὰ τῶν περὶ τὴν ἑορτὴν ἀδικόντων, (conf. *Pollux VIII*, 6, 46,) ſed tamen etiam ſycophantis parata erat, ut e *Xenophonte Hiſt. Gr. Lib. I extr.* & *Æſchine Or. de falſa legat. extr.* patet. In acceſſionibus porro ineditis *Harpocrationis*, quæ ſunt in *Cod. MSt. Bibl. Reg. Cant.* ea teneri dicuntur, qui argentifodinas publicas clam exercent, omninoque ærarium depeculantur: unde patere putat, falli *Thomam Magiſtrum*, qui proprie pertinere ad Dionyſia dicit, de ceteris rebus improprie dici. Ex quibus fit, ut προβολαὶ ſint *provocationes ad populum*, ſtatim poſt crimen factæ, παραχρῆμα, ſeu παρ' αὐτὰ τὰ ἀδικήματα, ut *Demoſthenes* ait *pag.* 19, 26, 146. Jam, ubi populi præjudicium factum erat, cauſa adducebatur ad Theſmothetas, qui eam deferebant ad judices, ut ibi περὶ τῆς τȢ δήμȢ καταχειροτονίας contenderetur, ut loquitur *Libanius* in *argum.* Conf. *Poll. VIII*, 9. Denique, quia publica erat, eam licebat τῷ βȢλομένῳ γράφεσθαι, hac tamen conditione, ut, ſi quintam ſuffragiorum partem non tuliſſet, mille drachmarum mulctam ſolveret. *Poll. VIII*, 6. Multa ſunt alia verba in utraque Oratione, quæ a ſuperioribus interpretibus, aut aliis quoque viris doctis, non ſatis recte intellecta, a Noſtro melius explicantur, quorum pauca exempla proferemus. *Pag.* 19 προβαλλόμενος rariori ſenſu occurrit;quem non aſſecutus eſt *Wolfius*, qui vertit *laceſſendo*; quod eſt ab illo loco alieniſſimum. Sequentia autem verba: καὶ κελεύων ἑαυτὸν χειροτονεῖν ἐπιμελητὴν, indicant, vertendum eſſe: *offerendo ſe*, ut vidit Cl. *Taylor*; quam verbi notionem animadvertit etiam *Valeſius ad Harpocr. pag.* 70, quanquam *Wolfius* alio loco, quem non obſervavit Vir Cl., rectius aſſecutus eſt vim illam verbi προβάλλεσθαι. Nam in eadem hac Oratione *pag.* 137 verba: χειροτονεῖταί τις; Μηδίας Ἀναγυράσιος προβέβληται,

Pag. 261.

ται, ſic vertit: *legitur magiſtratus aliquis? Midias Anag. in campum deſcendit.* Nam, etſi illius loci interpunctionem mutat *Marklandus*, quo facto, illa interpretatio locum non habet; tamen hoc intelligitur, illam ſignificationem, de qua loqui-
Pag. 328. mur, *Wolſio* plane ignotam non fuiſſe. *Pag. 100 Demoſthenes* ait, eſſe quosdam δεινὰς φθείρεσθαι πρὸς τὰς πλουσίους, καὶ παρεῖναι καὶ μαρτυρεῖν. Hic aquam hærere, & ſemper hæſuram, dicit Vir doctiſſimus, ut in aliis aliorum ſcriptorum locis, quæ ab eo adducuntur. *Plutarchus* in *Antonio* dicit, reginas, donis & forma certantes, inter ſe φθείρεσθαι πρὸς αὐτὸν: quod *Budæus* interpretabatur: *turpiter & indecore eum adibant.* Idem *Plutarchus* in *Phocione*: δρόμος ἦν καὶ ἅμιλλα φθειρομένων πρὸς αὐτόν. *Ariſtides Panath.*: ὃς μόνη μὲν ἐδέξατο φθειρομένους κατὰ πᾶσαν τὴν ἑλλάδα. *Ariſtophanes Avib. 917*: Κατὰ τί δεῦρ' ἂν ἐφθάρης. *Alciphron Ep. I, 13*: ἐξ ἑρμιόνης εἰς Πειραιᾶ φθαρέντων, & *34*: προςφθείρεται Ερπυλλίδι τῇ μεγάρας ἄβρᾳ &c. &c. In his omnibus locis negat Vir Doctiſſ. τὸ φθείρεσθαι *corrumpendi* vim habere: ſed eſſe dicit, lente & *pedetentim repere*, vel *ſerpere*, τοῦ φθειρὸς (qui & *ſerpens* a *Plinio* & *Apulejo* dicitur) motum, ſeu potius lentitudinem, imitari. In quibusdam tamen locis melius fore putat, ſi intelligamus, non *repere* φθειρὸς modo, ſed *adhæreſcere*, ut apud *Ælianum V. H. XIV, 26, H. A. XII, 17.* Atque hanc interpretationem novam vocat, putatque, non ingratam fore lectoribus. Non eſt negandum, hanc explicationem, quoad a voce φθεὶρ ducitur, novam eſſe: ceterum non uſquequaque nobis probatur. Nam primo, *corruptelæ* notionem ineſſe huic verbo in loco *Demoſthenis, Plutarchi, Alciphronis* altero, aliisque, ſatis apparet. Homines ſe pecuniæ, quæſtus, ſtupri, cauſa adjungunt. Id eſt φθείρεσθαι πρὸς τινα, aut προςφθείρεσθαί τινι. Id etſi interdum fit, lente & paulatim ſe inſinuando; tamen etiam fit cum impetu & ardore, qui alienus eſt a φθειρὸς, tarditate. Δρόμος ἦν καὶ ἅμιλλα φθειρομένων πρὸς αὐτὸν, inquit *Plutarchus.* Tum illa notio manifeſte eſt in illo comico: φθείρου, *abi, ut pereas, abi in malam rem.* Inde potuit fieri, ut verbum a forma traduceretur ad genus

genus, ut in aliis verbis factum videmus, & diceretur, pro *vadere*, *accedere*, ſimpliciter. Ceterum, quo diligentius Vir Cl. ſignificationes rariores verborum perſcrutatus, quoque rectius aſſecutus eſt, hoc magis vellemus, aliquem inde fructum ad verſiones harum Orationum Latinas redundaſſe. Nunc ille pauciſſimis in locis eas emendavit, ſed vitioſas eſſe ſivit, emendationesque tantum in notis propoſuit. Quanto rectius *Perizonius* in *Æliano*, aliique in aliis, fecere, qui verſiones ſuperiores emendarunt, & in locis inſignibus emendationis rationem in notis reddiderunt. Quorſum enim verſione, ſi ea vitioſa eſt, in locis difficilibus? Quare rogandus eſt Vir Cl. ut alia ratione uti velit in Operibus *Demoſthenis*, & verſionem a ſe correctam & emendatam ibi proponere.

Age vero, etiam de locis rectius conſtitutis, aut tentatis ſaltem, videamus. Horum in *Demoſthenea* Oratione ſatis magnus numerus eſt, quod in ea utebatur pluribus Codd. MSt. quos in notis laudat. Nec parva ſeges in altera *Lycurgi*, quod in ea emendanda nemo adhuc laboravit magnopere. Ceterum in hoc genere uſus eſt Vir Cl. ratione ea, qua in *Lyſia* nuper uſum ſcimus. *Pag. 33 Demoſthenes Polyzelo*, qui *Theſmothetam* pulſarat: ὀργῇ καὶ τρόπῳ προπετείᾳ, φθάσαι τὸν λογισμὸν, ἁμαρτὼν ἔφησεν. *Wolfius* hæc ſic conſtituebat: ἁμαρτὼν ἔφη σε φθάσαι τὸν λογισμὸν, idque utrumque ferri poſſe putabat. Sed eſt tamen illud ἁμαρτὼν plane inane; præcedit enim jam πατάξας. Deinde ſequentia ȣ̓ γὰρ ἐχθρός γε ὑπῆρχεν ὢν &c. non ſatis ferunt τὸ ἔφησε. Itaque etiam *Wolfius* de conjectura legebat: φθασάσῃ τὸν λογισμὸν ἁμαρτεῖν ἔφησεν. In quo tamen altera dubitatio manet. *Taylor* autem in pluribus Codd. reperit φθάσας & ἔπαισεν. Unde locum ſic conſtituit: ὀργῇ - - - φθάσας τὸν λογισμὸν ἁμαρτὼν ἔπαισεν: quod eſt haud dubie longe melius. Pro ἔπαισεν tamen *Simoni Fabricio*, qui Codicem Auguſtanum contulit, magis placebat ἔπταισεν: quod nobis quoque propter τὸ ἁμαρτὼν melius, quam ἔπαισεν, videtur. *Pag. 39* in lege περὶ ὕβρεως: ὅτȣ δ' ἂν καταγνωσθῇ ἡ ἡλιαία &c. Lectio καταγνωσθῇ eſt e conjectura *Wolfii*, quam *Taylor* infe-

 licem

licem vocat. Quo magis miramur, quare eam in contextu poſuerit, & non potius vel vulgarem editionum omnium & plurium Codicum lectionem καταγνῶτε, quanquam vitioſam, vel eam, quam ipſe e Codd. aliis protulit, καταγνῶ, vel καταγνῶ τι. Ceterum non modo hanc, ſed & alias hujus legis partes, bene conſtituit. *Pag. 66* eſt locus, mala fortuna uſus. Nam, ut *Ulpianus* autor eſt, veteres Critici eum obelo notarunt, & velut ἀδιέρθωτον neglexerunt; recentiores autem fruſtra, judice *Tayloro*, corrigere & explicare tentarunt. Verba hæc ſunt: Συνέβη δὲ ὑπερημέρῳ γενομένῳ λαθεῖν αὐτῷ διὰ τὸ ἀδικηθῆναι; ἀλλ᾽ αὐθήμερον μὲν ᾔσθετο &c. Forte, inquit *Wolfius* ad h. l. συνέβη δ᾽ αὐτῷ διὰ τὸ λαθεῖν ὑπερημέρῳ γενόμενῳ ἀδικηθῆναι, explanandi cauſa, incertum eſt, an emendandi, ita ordinans verba: quaſi injuria affectus ſit, διὰ τὸ λαθεῖν. *Taylor* autem ita accipit, ut dicatur *Midias* λαθεῖν διὰ τὸ ἀδικηθῆναι, &, ſublata interrogatione, ſic interpretatur: *Accidit autem* (vel *enim*) *illi, ut ſtatum diem ignoraret eo, quod injuſte cum illo ageretur. Immo illo ipſo die cognovit.* Ita plana ſunt omnia. Ceterum ad hanc Orationem acceſſere etiam notulæ quædam *Jurini*, V. C. in quibus interpretatio *Wolfii* pluribus locis corrigitur, & loca quædam ipſius Græci contextus non male tentantur; denique conjecturæ *Marklandi*, ut ſunt iſtius viri in hoc genere omnia, ingenioſæ. Ad Orationem *Lycurgi* veniamus. In qua nonnullæ emendationes ita manifeſtæ ſunt, ut partim illatæ ſint contexto, partim inferri potuiſſent. *Pag. 163 Lycurgus* dicit: facile eſſe, punire crimina, de quibus lex aliqua diſerte conſtituerit: ὅσα δὲ μὴ σφόδρα περιείληφεν ἑνὶ ϛόματι προσαγορεύσας &c. Senſus eſt: *quæ autem* non *nominatim expreſſit lex*. Recte vidit *Taylor*, τὸ ἑνὶ delendum eſſe: non enim referre, utrum uno, an pluribus nominibus, crimina exprimantur: idque natum e fine præcedentis verbi. Mox *pag. 164* iis ὑπὲρ ὧν μὴ βούλεσθε, quod eſt in vulgatis, recte repoſuit βουλεύεσθε, atque ad id conformavit verſionem Latinam; reſpondet enim antecedenti, ᾗ γὰρ συμβουλεύουσιν. *Pag. 168* in verbis: ὃς αὐτίκα σώσαντας ἑαυτὸν ἐπικαλέσεται, repoſuit σώσοντας, ut eſt

pag.

pag. 253, quod tamen non ſummæ neceſſitatis videri poſſit. Poſſis enim interpretari, *ut ſe ſervent.* Recte autem *pag.* 176 pro παρεκαλεσάμην legi vult προκαλεσάμην, quæ eſt legitima vox. *Pag.* 206 referre inſtituit jusjurandum, quo ſe obſtrinxerunt inter ſe Græci ad Platæas, pugnaturi cum *Xerxe*: διόπερ ταύτην τὴν πίϛιν ἔδοσαν αὐτοῖς ἔν πλαταιαῖς πάντες οἱ ἕλληνες, ὅτε ἔμελλον παραταξάμενοι μάχεσθαι πρὸς τὴν Ξέρξȣ δύναμιν, ȣ̓ παρ' αὐτῶν ἑυρόντες, ἀλλὰ μιμησάμενοι τὸν παρ' ὑμῖν εἰθισμένον ὅρκον ὅν ἄξιόν ἐϛιν ἂ ὅμως ἰσχνῶς ἐϛιν ἐν τοῖς γεγραμμένοις ἰδεῖν τὴν ἐκείνων ἀρετήν. Hujus loci extrema luto lutulentiora judicat Vir Cl. a *Scaligero* jam obelo notata. Ejicit igitur primum ὂν poſt ὅρκον, tanquam ortum ex hujus terminatione; deinde legit: ἄξιον ἐϛιν, ὅμως ἰδῆν &c. Media putat orta e notula *Magiſtri*, qui MStorum verietatem indicare voluerit, quosdam pro ὅμως legere ἴσως: ἰσχνῶς enim eſſe vocem putidam & nuſpiam obviam; hoc modo: ἴσως ἐϛὶν ἐν τοῖς γεγραμμένοις. Ingenioſe. Sed non ſatis apparet, quid ſibi velit illud ὅμως, ſi illa media tollantur, quanquam videmus referri poſſe ad id, quod dixit imitatos eſſe Græcos ſacramentum Athenienſium. Ἰσχνῶς cur plane rejiciatur, tanquam vox Græca non ſit, non videmus. Eſt enim rite ducta ab ἰσχνὸς, & ſignificat *tenuiter.* Porro ἰσχνῶς ἐϛίν ἐν τοῖς γεγραμμένοις recte dici poteſt; *tenuiter ſcriptum eſt jusjurandum*, ut alio loco dicit: ταῦτα κοινῶς ἐϛὶν, *hæc communia ſunt, pag.* 250. Quid ſi ſic legamus: ἄξιον ἐϛὶν ὅμως, κἂν ἰσχνῶς ἐϛιν ἐν τοῖς γεγραμμένοις, ἰδεῖν τὴν ἐκείνων ἀρετήν, *dignus eſt, quanquam tenuibus verbis perſcriptum eſt jusjurandum, tamen inde cognoſcere eorum virtutem.* Sic illud ὅμως ſæpe præponitur. *Pag.* 203: ἄξιον γὰρ ὅμως, καίπερ πρὸς εἰδότας, διελθεῖν. Pro ὂν poſſis legere ἐν ᾗ: refertur enim ad πίϛιν ταύτην, quod requirere videtur, quod ei reſpondeat: quale eſt illud ἐν ᾗ. Sed rectiſſime *pag.* 242 pro ἀνοικοδομήσαντες reponendum cenſet ἀποικοδομησάντες, *obſtruentes*: quod ſenſus requirit, cum illud ſit *reficientes.* Eſt enim ſermo de *Pauſania*, in templo *Minervæ*, obſtructa janua, incluſo, eoque verbo uſus eſt *Thucydides* in ea hiſtoria. Recipi igitur debebat in contextum.

LUCÆ DORASCENTII, PALIANENSIS, PHIL. ac Med. Doct. de uſu Chalybis atque Mercurii in obſtructione curanda Diſſertatio ad Virum Celeberrimum, ALBERTUM HALLER, Gottingenſem, ſub auſpiciis Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Principis D. MARCI ANTONII COLUMNÆ.

Romæ, ex typographia Komareck, 1745, 4.
Plag. 5.

Cum ex quinque hiſce plagis duæ propemodum literis ad Illuſtriſſ. *Columnam* ſcriptis impenſæ fuerint, & typographus charactere minime parvo uſus ſit, & *Halleri* laudes tres
Pag. 13- paginas abſolvant, quam accurate ea, quæ ad chalybis & mer-
16. curii uſum pertinent, in hoc libello expoſita eſſe debeant, quisque non difficulter intelliget. Fuit autem is Anonymo Autori oppoſitus, qui utriuſque medicamenti uſum, in obſtructionis curatione, Botanica Oratione damnaverit, Romæ in
7, 8. horto Academico habita. Ex quo utroque medicamento, præcipueque mercurio, etſi varia medicamina per Chemiam parantur, tamen videtur nulla ratio fuiſſe, quæ *Doraſcentium* ad Chemiam defendendam, ac præcipuos Chemicos Autores recenſendos, cogeret. Saltem debebat hos meliore ordine recenſere, non vero *Baſilium Valentinum*, *Raymundum Lullium*, ſimileſque alios, *Le Mort*, *Lemery*, aliiſque, poſtponere, ne-
19. que *Bohnium*, *Hombergium*, *Stahlium*, facile omittere. Deinde ad obſtructionem converſus, etſi alteram oppilativam ab humore, vas infarciente, alteram attenuativam per collapſum vaſorum, vocat, tamen utramque ab humore craſſo, deſide, tenacique, proficiſci ſcribit, &, contra omnem motus ſanguinis, intuitu vaſorum, rationem, fieri obſtructionem in arteriis æque ac venis, contendit, de qua ſe ſcribit in Diſſerta-
20 ſeq. tione de Chloroſi acturum eſſe, proximo anno in lucem proditura. Melius vero hujus morbi cauſam in humorum viſcidorum abundantia, ac ſolidarum partium, præcipueque viſcerum, chylificationi inſervientium, tono perdito, ponit,
21. ſymptomataque inde deducit. Et, quamvis in meſaraicis

ac

ac cœliacis arteriis obſtructiones ſæpius vere, quam in aliis, contingant, nemini tamen, hujus rei cauſam, probabitur, in maſſulis ſanguinis, diametro vaſculorum majoribus factis, quærendam eſſe. Qua occaſione *Doraſcentius Michelottum* taxat, quod craſſa fluida dixerit non ea eſſe, quæ particulas maximas habeant, ſed quorum particulæ difficulter trajiciantur. Ab hac doctrina de obſtructione in univerſum, ad illam de ſcirrhis tranſit, quorum diſtinctionem in legitimos, ſeu exquiſitos, & non exquiſitos, ſine addita cauſa, conſtantem eſſe negat, &, de qua re nemo dubitat, ſedem ſcirrhi in glandulis eſſe, non novis exemplis oſtendit, ſed jam diu notis, atque ex aliis Autoribus repetitis. Sunt vero illa exempla de interiorum partium ſcirrhis. Sequitur & cancri deſcriptio, quem non, ut alii exiſtimarunt, in ſolis mulierum mammis, & virorum ſcapulis, verum in aliis quoque corporis partibus, enaſci, frequentia exempla docent, ſeque, ſuperiore anno, in pede dextro artificis cujusdam, Romæ cancrum vidiſſe, Autor ſcribit. Quibus præmiſſis, ad chalybem tranſit, de qua pariter ac de ferro, ſeu marte, poſtquam aliqua nobis parum intellecta protulit, ac Methodicorum de ſtricto laxoque doctrinam laudavit, chalybem eatenus obſtructiones tollere oſtendit, quatenus ſanguini teretes illas minores maſſulas reſtituat, acidum peregrinum abſorbeat, & vaſa laxa acido-auſteris particulis roboret. Cui ſententiæ ut pondus adderet, eos Autores, qui chalybi eandem fere præcipueque hanc virtutem adſcripſerunt, aperiendi ſale, terreiſque particulis roborandi, magno numero excitavit, eorumque verba adduxit. De Mercurio autem propterea nihil dicimus, quod *Doraſcentium* deprehendimus hoc medicamenti genus vix tribus verbis attigiſſe.

(Margin: Pag. 24 ſeq. — 26. — 27. — 28. — 29. — 31 ſeq. — 32-38.)

L. E. SOLUTIO PROBLEMATIS CATOPTRICI, in Novis Actis Eruditorum Lipſienſibus pro Menſe Novembri A. 1745 propoſiti, continuata.

Conf. *Nova Acta Menſ. Januar.* hujus *Anni pag. 27.*


Problema V.

TAB. II. XXXIX. Fig. 1.

Si radii incidentes CM fuerint axi AB paralleli, invenire curvam continuam $FMBmf$, ut ſinguli radii incidentes CM, poſtquam in curva duplicem reflexionem in M & m fuerint paſſi, axi denuo fiant paralleli, ſeu ut radius bis reflexus mc ſit incidenti MC parallelus.

Solutio.

Ad axem AB in quopiam puncto fixo A ducatur perpendicularis Ee, &, quoniam radius incidens CM poſt duplicem reflexionem abit in mc, manifeſtum eſt reciproce, ſi cm fuerit radius incidens, eum poſt duplicem reflexionem dirigi in MC. Si ergo M fuerit punctum prioris reflexionis in quæſita curva, & m punctum, in quo fit reflexio poſterior: viciſſim, ſi m ſit punctum reflexionis prioris, erit M punctum reflexionis poſterioris, ita ut hæc relatio inter bina puncta M & m ſit reciproca. Si igitur concipiamus, curvam FBf per functiones quantitatis cujuspiam variabilis ω determinari, ita ut aliis atque aliis valoribus ipſi ω tribuendis, alia continuo curvæ puncta M definiantur, curva utique continua reſultabit, quod eſt primarium Problematis requiſitum. Oriatur ergo curvæ punctum M, ſi variabili illi ω tribuatur valor μ; punctum autem m prodeat, ſi ponatur $\omega = \nu$: atque hos binos valores μ & ν ita inter ſe affectos eſſe oportet, ut, quemadmodum μ ſe habet ad ν, ita viciſſim ſe habeat ν ad μ: quod evenit, ſi ſit vel $\mu = \nu$, vel $\mu = -\nu$: at, quia puncta M & m ſunt diverſa, aſſumi non licet $\mu = \nu$; erit ergo $\mu = -\nu$. Ex quo efficitur, ut, quemadmodum curvæ punctum M determinatur per functiones quantitatis ω, eodem prorſus modo punctum m determinetur per ſimiles functiones ipſius $-\omega$. Si igitur ponamus intervallum $AR = r$, angulum $ARM = \Phi$, atque ſin. $\Phi = s$ & coſ. $\Phi = u$, quatenus punctum curvæ M ſpectatur, erit pro puncto curvæ m, ſi cm tanquam radius incidens conſideretur, idem intervallum in axe $AR = r$, angulus autem, qui ante erat $= \Phi$, nunc fiet $ARm = 180 - \Phi$, &, quia in plagam contrariam vergit, cenſendus eſt $= -180° + \Phi$, ejusque ergo ſinus erit








Fig. I.





erit $= -s$ & coſinus $= -u$. Hinc r ejusmodi functio eſſe debet ipſius ω, ut eundem valorem retineat, etiamſi pro ω ponatur $-\omega$, cujusmodi proprietatem habent poteſtates exponentium parium ipſius ω, & functiones utcunque ex iis compoſitæ: unde iſtiusmodi functiones ipſius ω, quæ immutatæ manent, poſito $-\omega$ pro ω, functiones pares vocare ſoleo. Quamobrem intervallum $AR = r$ exprimi debebit per functionem parem ipſius ω. Deinde, quia quantitates s & u, ſi translatio ab M ad m fiat, abeunt in $-s$ & $-u$, neceſſe eſt, ut s & u ſint ejusmodi functiones ipſius ω, quæ poſito $-\omega$ loco ω valores obtineant ſui negativos, nempe $-s$ & $-u$: cujusmodi functiones impares vocare ſoleo, quia poteſtates exponentium imperium, & functiones ex iis compoſitæ hanc proprietatem habent; unde conſequens eſt, quantitates s & u functiones impares ipſius ω eſſe oportere. Problemati ergo ſatisfiet, ſi pro r functio par ipſius ω quæcunque, & pro s ac u functiones impares ejusdem ω, accipiantur, hincque per Problema III curva FBf difiniatur: ubi quidem notandum eſt, eſſe debere $ss + uu = 1$. Functiones autem impares hac gaudent proprietate, ut, ſi P ſit functio impar ipſius Q, viciſſim Q ſit functio impar ipſius P. Hanc ob rem ω erit functio impar tam ipſius s, quam ipſius u; ideoque conjunctim ω erit functio impar ipſarum s & u, talis ſcilicet, ut, ſi loco s & u ſcribantur $-s$ & $-u$, ipſa ω abeat in $-\omega$. Cum igitur r debeat eſſe functio par ipſius ω, erit quoque functio par ipſarum s & u: ita ut eundem valorem retineat, etiamſi pro s & u ponantur $-s$ & $-u$: in functionibus igitur rationalibus intervallum r per s & u ita exprimetur, ut ſit

$$\text{vel } r = \frac{A + Bs^2 + Csu + Du^2 + Es^4 + Fs^3u + Gs^2u^2 + \&c.}{\alpha + \beta s^2 + \gamma su + \delta u^2 + \epsilon s^4 + \zeta s^3 u + \eta s^2 u^2 + \&c.}$$

$$\text{vel } r = \frac{As + Bu + Cs^3 + Ds^2u + Esu^2 + Fu^3 + Gs^5 + \&c.}{\alpha s + \beta u + \gamma s^3 + \delta s^2 u + \epsilon su^2 + \zeta u^3 + \eta s^5 + \&c.}$$

Quæcunque igitur hujusmodi relatio inter r, & s, u accipiatur, ſemper per Problema III obtinebitur curva, Problemati ſatisfaciens. *Q. E. I.*

Coroll.

Coroll. 1.

XL. Si igitur ex puncto curvæ M ad axem AB demittatur perpendiculum MP, & vocentur coordinatæ $AP = x$, $PM = y$ erit, ut ſupra (§. 27) invenimus, $CM + MR = p = a + \int u\,dr$, hincque invento valore ipſius p habebitur $MR = \frac{p-r}{1-u}$ atque $AP = x = \frac{r-up}{1-u}$ & $PM = y = \frac{s(p-r)}{1-u}$.

Coroll. 2.

XLI. Si ex altero reflexionis puncto m pariter ad axem AB demittatur perpendiculum mp, vocenturque $Ap = x'$ & $pm = -y'$, quia infra axem cadit, erit primo $cm + mR = p' = a - \int u\,dr$. Cum enim r ſit functio par ipſius u, erit $\int u\,dr$ functio impar, fietque idcirco pro puncto m negativa, unde erit $mR = \frac{p'-r}{1+u}$ & $Ap = x' = \frac{r+up'}{1+u}$, & $pm = -y' = \frac{+s(p'-r)}{1+u}$.

Coroll. 3.

XLII. Si igitur pro p & p' valores aſſignati ſubſtituantur, erit $MR = \frac{a-r+\int u\,dr}{1-u}$. $AP = \frac{r-au-u\int u\,dr}{1-u}$; & $PM = \frac{s(a-r+\int u\,dr)}{1-u}$. Tum vero $Rm = \frac{a-r-\int u\,dr}{1+u}$; $AP = \frac{r+au-u\int u\,dr}{1+u}$ & $pm = \frac{s(a-\int u\,dr-r)}{1+u}$.

Coroll. 4.

XLIII. Cum autem ſit $CM + MR = a + \int u\,dr$, & $cm + mR = a - \int u\,dr$, erit ſumma $CM + Mm + mc = 2a$. Radios ergo a recta Ee computando erit perpetuo ſumma radiorum incidentis CM, primum reflexi Mm & ſecundo reflexi mc conſtans $= 2a$.

Coroll. 5.

XLIV. Erit vero radius $Mm = MR + Rm = \frac{2a-2r+2u\int u\,dr}{1-uu}$, & ſumma radiorum $CM + cm =$

$cm = \frac{2r - 2auu - 2u\int udr}{1 - uu}$: unde denuo patet, ſummam omnium $CM + Mm + cm$ fore $= 2a$.

Coroll. 6.

XLV. Si O ſit punctum, ubi radius reflexus Mm cauſticam tangit, atque demiſſo ex O ad axem AB perpendiculo OS vocentur pro cauſtica coordinatæ orthogonales $AS = X$ & $SO = Y$ erit primo $RO = \frac{-ssdr}{du} = \frac{sudr}{ds}$: tum vero habebitur $AS = X = r\,\frac{-ssudr}{du} = r + \frac{suudr}{ds}$, & $SO = Y = \frac{-s^3dr}{du} = \frac{ssudr}{ds}$. Longitudo vero cauſticæ eſt $= CM + MO \pm C = a \pm \int udr \,\frac{-ssdr}{du} \pm C$.

Coroll. 7.

XLVI. Cauſtica ergo curvæ quæſitæ ſemper eſt curva algebraica, ſi quidem quantitas r fuerit functio algebraica ipſarum s & u. Fieri autem omnino poteſt, non obſtante conditione ſupra præſcripta, ut r ſit functio tranſcendens ipſarum s & u, ut mox videbimus.

Conſtructio Curvæ.

XLVII. Circa punctum A deſcribatur curva IAi, partes alternatim poſitas AI & Ai ſimiles & æquales habens, ita ut quævis recta per A ducta habeat partes AI & Ai æquales. Cujusmodi curvæ IAi centro A præditæ appellari poſſunt: quarum æquationes inter coordinatas orthogonales $AH = \zeta$ & $HI = \eta$ ita erunt comparatæ, ut variabiles ζ & η in ſingulis terminis dimenſiones numero vel pares, vel impares, conſtituant. Manifeſtum enim eſt utroque caſu, ſi loco ζ & η ponantur $-\zeta$ & $-\eta$, æquationem non mutari, eandemque propterea intercedere relationem inter coordinatas Ab & bi atque inter AH & HI. Pro hujusmodi ergo curvis, ſi ſint algebraicæ, æquationum forma erit: TAB. II Fig. 2.

I vel

vel $o = A + B\zeta^2 + C\zeta\eta + D\eta^2 + E\zeta^4 + F\zeta^3\eta + G\zeta^2\eta^2 +$ &c.
vel $o = A\zeta + B\eta + C\zeta^3 + D\zeta^2\eta + E\zeta\eta^2 + F\eta^3 + G\zeta^5 +$ &c.
Aſſumta itaque hujusmodi curva IAi, ſi angulus HAI vocetur $=\phi$, recta AI valorem idoneum præbebit pro r, quoniam abeunte angulo $HAI=\phi$ in HAi, cujus ſinus & coſinus fiunt negativi, prodit recta $Ai=AI=r$: unde poſito $HAI=\phi$ & $AI=r$ talem hæc curva relationem inter r & ϕ præbet, qualem ſolutio inventa poſtulat. Quæratur igitur valor $\int u\,dr$ ex hac curva, ſeu cum poſitis $AH=\zeta$ & $HI=\eta$ ſit $r=\sqrt{(\zeta\zeta+\eta\eta)}$ & $u=\frac{\zeta}{r}$ erit $dr=\frac{\zeta d\zeta+\eta d\eta}{r}$ & $\int u\,dr=\int\frac{\zeta dr}{r}=\int\frac{\zeta(\zeta d\zeta+\eta d\eta)}{\zeta\zeta+\eta\eta}$, quod integrale ponatur $=Q$. Tum in axe HA producto capiatur $AR=AI=r$, & ducatur ipſi AI parallela LRL, in qua primo furſum capiatur $RL=a+Q$, tum vero deorſum $Rl=a-Q$, denotante a quantitatem conſtantem pro lubitu aſſumendam. Deinde in axe ſumtis $RK=RL$ et $Rk=Rl$ jungantur rectæ KL & kl, quæ, ſi opus eſt, productæ ſecent rectam Ee axi HR in O normaliter junctæ in punctis C & c, per quæ axi parallelæ agantur CM & cm rectam Ll ſecantes in M & m, eruntque M & m duo curvæ quæſitæ puncta. Si denique anguli CML & cml biſecentur rectis MT & mt, hæ erunt tangentes curvæ quæſitæ in punctis M & m: hocque modo deſcribetur curva Problemati ſatisfaciens $EMmf$, in qua $CMmc$ repræſentat viam radii ad curvam in M & m bis reflexi.

Coroll. 8.

XLVIII. Manifeſtum ergo eſt, ex eadem linea curva IAi infinitas lineas curvas $EMmf$, Problemati ſatisfacientes, conſtrui poſſe. Non ſolum enim quantitas conſtans a pro labitu variari poteſt, ſed etiam quamvis aliam rectam, per A tranſeuntem, pro axe aſſumere licet.

Conſtructio Cauſticæ.

XLIX. Quoniam invenimus $RO=\frac{s\,u\,dr}{ds}$; & per co-

ordinatas

Digitized by Google

ordinatas $AH = \zeta$ & $HI = \eta$ curvæ IAi, qua ante ad curvas Problemati ſatisfacientes inveniendas ſumus uſi, eſt $dr = \frac{\zeta d\zeta + \eta d\eta}{r}$; $u = \frac{\zeta}{r}$ & $s = \frac{\eta}{r}$ erit $ds = \frac{r d\eta - \eta dr}{rr}$ $= \frac{\zeta(\zeta d\eta - \eta d\zeta)}{r^3}$ & $sudr = \frac{\zeta\eta(\zeta d\zeta + \eta d\eta)}{r^3}$, unde fit $RO = \frac{\eta(\zeta d\zeta + \eta d\eta)}{\zeta d\eta - \eta d\zeta}$. Ducatur ad curvæ aſſumtæ punctum I tangens $I\theta$ rectæ AG ad axem AR normali occurrens in θ, atque normalis $I\eta$, ipſi axi occurrens in η, erit $A\theta = \eta - \frac{\zeta d\eta}{d\zeta}$ & $A\eta = \zeta + \frac{\eta d\eta}{d\zeta}$, unde fit $\frac{A\eta}{A\theta} = \frac{\zeta d\zeta + \eta d\eta}{\eta d\zeta - \zeta d\eta}$; ideoque $RO = -\frac{HI.A\eta}{A\theta}$. Ducatur igitur recta $\theta\eta$, eique per I parallela $I\nu$ erit $H\nu = \frac{HI.A\eta}{A\theta}$ ideoque $RO = -H\nu$. Quare in axe ſumto intervallo $AR = AI$, ductaque RM parallela ipſi AI, in ea ob ſignum $-$ ſurſum capiatur $RO = H\nu$, eritque punctum O in cauſtica & recta RO ejus tangens: unde cauſtica $DOLK$ ex data curva GI geometrice conſtruetur.

TAB. II Fig. 3.

Coroll. 9.

L. Conſtructa autem cauſtica vel per ejus rectificationem, vel ope fili ei circumplicati per evolutionem, eo modo, qui in doctrina de cauſticis tradi ſolet, curvæ Problemati ſatisfacientes deſcribentur.

Scholion.

LI. Notatu dignæ ſint figuræ cauſticarum, quæ hoc modo conſtruuntur. Si enim curva aſſumta Ii in infinitum extendatur, cauſtica pariter habebit ramos in infinitum expanſos; ſin autem curva Ii in ſe redeat, tum cauſtica quoque tota in ſpatio finito includetur, & quidem cuſpidibus erit prædita L, l, K, uti in figura exhibetur: niſi curva Ii fuerit circulus, quo caſu cauſtica in punctum abit. Ponamus, curvam

vel $o = A + B\zeta^2 + C\zeta\eta + D\eta^2 + E\zeta^4 + F\zeta^3\eta + G\zeta^2\eta^2 +$ &c.
vel $o = A\zeta + B\eta + C\zeta^3 + D\zeta^2\eta + E\zeta\eta^2 + F\eta^3 + G\zeta^5 +$ &c.
Aſſumta itaque hujusmodi curva IAi, ſi angulus HAI vocetur $= \phi$, recta AI valorem idoneum præbebit pro r, quoniam abeunte angulo $HAI = \phi$ in HAi, cujus ſinus & coſinus fiunt negativi, prodit recta $Ai = AI = r$: unde poſito $HAI = \phi$ & $AI = r$ talem hæc curva relationem inter r & ϕ præbet, qualem ſolutio inventa poſtulat. Quæratur igitur valor $\int u\,dr$ ex hac curva, ſeu cum poſitis $AH = \zeta$ & $HI = \eta$ ſit $r = \sqrt{(\zeta\zeta + \eta\eta)}$ & $u = \frac{\zeta}{r}$ erit $dr = \frac{\zeta d\zeta + \eta d\eta}{r}$ & $\int u\,dr = \int \frac{\zeta dr}{r} = \int \frac{\zeta(\zeta d\zeta + \eta d\eta)}{\zeta\zeta + \eta\eta}$, quod integrale ponatur $= Q$. Tum in axe HA producto capiatur $AR = AI = r$, & ducatur ipſi AI parallela LRL, in qua primo ſurſum capiatur $RL = a + Q$, tum vero deorſum $Rl = a - Q$, denotante a quantitatem conſtantem pro lubitu aſſumendam. Deinde in axe ſumtis $RK = RL$ et $Rk = Rl$ jungantur rectæ KL & kl, quæ, ſi opus eſt, productæ ſecent rectam Ee axi HR in O normaliter junctæ in punctis C & c, per quæ axi parallelæ agantur CM & cm rectam Ll ſecantes in M & m, eruntque M & m duo curvæ quæſitæ puncta. Si denique anguli CML & cml biſecentur rectis MT & mt, hæ erunt tangentes curvæ quæſitæ in punctis M & m: hocque modo deſcribetur curva Problemati ſatisfaciens $EMmf$, in qua $CMmc$ repræſentat viam radii ad curvam in M & m bis reflexi.

Coroll. 8.

XLVIII. Manifeſtum ergo eſt, ex eadem linea curva IAi infinitas lineas curvas $EMmf$, Problemati ſatisfacientes, conſtrui poſſe. Non ſolum enim quantitas conſtans a pro labitu variari poteſt, ſed etiam quamvis aliam rectam, per A tranſeuntem, pro axe aſſumere licet.

Conſtructio Cauſticæ.

XLIX. Quoniam invenimus $RO = \frac{s\,u\,dr}{ds}$; & per coordinatas

ordinatas $AH = \zeta$ & $HI = \eta$ curvæ IAi, qua ante ad curvas Problemati ſatisfacientes inveniendas ſumpus uſi, eſt $dr = \frac{\zeta d\zeta + \eta d\eta}{r}$; $u = \frac{\zeta}{r}$ & $s = \frac{\eta}{r}$ erit $ds = \frac{rd\eta - \eta dr}{rr}$

$= \frac{\zeta(\zeta d\eta - \eta d\zeta)}{r^3}$ & $sudr = \frac{\zeta\eta(\zeta d\zeta + \eta d\eta)}{r^3}$, unde fit $RO = \frac{\eta(\zeta d\zeta + \eta d\eta)}{\zeta d\eta - \eta d\zeta}$. Ducatur ad curvæ aſſumtæ punctum I tangens $I\theta$ rectæ AG ad axem AR normali occurrens in θ, atque normalis $I\eta$, ipſi axi occurrens in η, erit $A\theta = \eta - \frac{\zeta d\eta}{d\zeta}$ & $A\eta = \zeta + \frac{\eta d\eta}{d\zeta}$, unde fit $\frac{A\eta}{A\theta} = \frac{\zeta d\zeta + \eta d\eta}{\eta d\zeta - \zeta d\eta}$; ideoque $RO = - \frac{HI.A\eta}{A\theta}$. Ducatur igitur recta $\theta\eta$, eique per I parallela $I\nu$ erit $H\nu = \frac{HI.A\eta}{A\theta}$ ideoque $RO = - H\nu$. Quare in axe ſumto intervallo $AR = AI$, ductaque RM parallela ipſi AI, in ea ob ſignum − ſurſum capiatur $RO = H\nu$, eritque punctum O in cauſtica & recta RO ejus tangens: unde cauſtica $DOLK$ ex data curva GI geometrice conſtruetur.

TAB. II Fig. 3.

Coroll. 9.

L. Conſtructa autem cauſtica vel per ejus rectificationem, vel ope fili ei circumplicati per evolutionem, eo modo, qui in doctrina de cauſticis tradi ſolet, curvæ Problemati ſatisfacientes deſcribentur.

Scholion.

LI. Notatu dignæ ſunt figuræ cauſticarum, quæ hoc modo conſtruuntur. Si enim curva aſſumta Ii in infinitum extendatur, cauſtica pariter habebit ramos in infinitum expanſos; ſin autem curva Ii in ſe redeat, tum cauſtica quoque tota in ſpatio finito includetur, & quidem cuſpidibus erit prædita L, l, K, uti in figura exhibetur: niſi curva Ii fuerit circulus, quo caſu cauſtica in punctum abit. Ponamus, curvam

vam Ii eſſe ellipſin, cujus natura exprimatur hac æquatione: $\eta\eta = bb - n\zeta\zeta$: erit $r = \sqrt{(bb + (1-n)\zeta\zeta)}$: $s = \frac{\eta}{r}$ & $u = \frac{\zeta}{r}$: atque $\eta d\eta = -n\zeta d\zeta$; unde $d\eta : d\zeta = n\zeta : -\eta$, ideoque $RO = \frac{\eta(n\zeta\eta - \zeta\eta)}{n\zeta\zeta + \eta\eta} = \frac{(n-1)\zeta\eta\eta}{bb}$, ſeu $RO = \frac{(n-1)\zeta(bb - n\zeta\zeta)}{bb}$. Num autem ob $X = r + \frac{\zeta}{r}$. RO & $Y = \frac{\eta}{r}$. RO erit $rX = bb + (1-n)\zeta\zeta + (n-1)\zeta\zeta - n(n-1)\zeta^4 : bb$, ideoque $X = \frac{b^4 - n(n-1)\zeta^4}{bb\sqrt{(bb + (1-n)\zeta\zeta)}}$ & $Y = \frac{(n-1)\zeta(bb - n\zeta\zeta)\sqrt{(bb - n\zeta\zeta)}}{bb\sqrt{(bb + (1-n)\zeta\zeta)}}$ hincque $XX + YY = bb + n(n-1)\zeta\zeta - 2nn(n-1)\zeta^4 : bb + nn(n-1)^2\zeta^6 : b^4$. Erit ergo $RO = 0$ duobus caſibus, altero, quo $\zeta = 0$, altero, quo $\eta = 0$; maximum vero erit RO, ſi ſit $bb = 3n\zeta\zeta$, ſeu $\zeta = \frac{b}{\sqrt{3n}}$. Quo caſu fit $\eta = b\sqrt{\frac{2}{3}}$; & $r = b\sqrt{\frac{2n+1}{3n}}$, atque $RO = \frac{2(n-1)b}{3\sqrt{3n}}$; tum vero $s = \sqrt{\frac{2n}{2n+1}}$ & $u = \sqrt{\frac{1}{2n+1}}$. His caſibus autem cauſticæ cuſpides L & l deſignantur. Verum de his figuris facilius judicare poterimus, ſi curvas algebraicas Problemati ſatisfacientes inveſtigaverimus.

Problema VI.

TAB. II Fig. 1. LII. Iisdem propoſitis conditionibus, quæ in Problemate præcedente ſunt allatæ, invenire curvas algebraicas $FMBmf$, quæ radios incidentes CM axi parallelos poſt duplicem reflexionem eidem axi iterum reddant parallelos.

Solutio.

Jam ante invenimus, ſi ponatur intervallum $AR = r$, angulus

Digitized by Google

angulus $ARM = \phi$, ejus ſinus $= s$ & coſinus $= u$, æquationem pro curva ita comparatam eſſe oportere, ut r ſit functio parium dimenſionum ipſarum u & s. Hinc autem fieri vidimus $CM + MR = p = a + \int u\,dr$. Unde coordinatæ $AP = x$, $PM = y$ ita determinantur, ut ſit $x = \frac{r - up}{1 - u}$ & $y = \frac{s(p - r)}{1 - u}$. Quo igitur curva fiat algebraica, primo neceſſe eſt, ut r ſit functio algebraica ipſarum s & u, tum vero ut formula $\int u\,dr$ ſit integrabilis. Eſt vero $\int u\,dr = ur - \int r\,du$, &, cum r ſit functio par, erit tam ur, quam $\int r\,du$, functio impar ipſarum s & u. Denotet ergo in genere v functionem quamcunque algebraicam imparem ipſarum s & u, ac ſtatuatur $\int r\,du = v$, fietque $r = \frac{dv}{du}$: & $p = a + \int u\,dr = a + ur - v = a + \frac{u\,dv}{du} - v$, ita ut valor ipſius p hinc prodeat algebraicus. Erit ergo $p - r = a - \frac{dv}{du} + \frac{u\,dv}{du} - v = a - v - \frac{(1 - u)\,dv}{du}$; & $r - up = \frac{(1 - uu)\,dv}{du} - u(a - v)$, unde habebuntur coordinatæ:

$$x = \frac{(1 + u)\,dv}{du} - \frac{u(a - v)}{1 - u}; \quad \& \quad y = \frac{s(a - v)}{1 - u} - \frac{s\,dv}{du}.$$

Quæcunque ergo functio algebraica impar ipſarum s & u pro v accipiatur, ſemper orietur æquatio algebraica pro curva $FMBmf$, quæ radios CM, axi AB parallele incidentes, poſt duplicem reflexionem axi iterum parallelos reddat. *Q. E. I.*

Coroll. 1.

LIII. Quoniam v debet eſſe functio impar ipſarum s & u, ea ſi fuerit rationalis, in altera ſequentium formularum debet eſſe contenta:

$$v = \frac{A + Bss + Csu + Duu + Es^4 + Fs^3u + Gs^2u^2 + Hsu^3 + \&c.}{\alpha s + \beta u + \gamma s^3 + \delta s^2 u + \varepsilon s u^2 + \zeta u^3 + \eta s^5 + \theta s^4 u + \&c.}$$

$v =$

Digitized by Google

vam Ii eſſe ellipſin, cujus natura exprimatur hac æquatione: $\eta\eta = bb - n\zeta\zeta$: erit $r = \sqrt{(bb + (1-n)\zeta\zeta)}$: $s = \frac{\eta}{r}$ & $u = \frac{\zeta}{r}$: atque $\eta d\eta = -n\zeta d\zeta$; unde $d\eta : d\zeta = n\zeta : -\eta$, ideoque $RO = \frac{\eta(n\zeta\eta - \zeta\eta)}{n\zeta\zeta + \eta\eta} = \frac{(n-1)\zeta\eta\eta}{bb}$, ſeu $RO = \frac{(n-1)\zeta(bb - n\zeta\zeta)}{bb}$. Num autem ob $X = r + \frac{\zeta}{r}$. RO & $V = \frac{\eta}{r}$. RO erit $rX = bb + (1-n)\zeta\zeta + (n-1)\zeta\zeta - n(n-1)\zeta^4 : bb$, ideoque $X = \frac{b^4 - n(n-1)\zeta^4}{bb\sqrt{(bb + (1-n)\zeta\zeta)}}$ & $Y = \frac{(n-1)\zeta(bb - n\zeta\zeta)\sqrt{(bb - n\zeta\zeta)}}{bb\sqrt{(bb + (1-n)\zeta\zeta)}}$ hincque $XX + YY = bb + n(n-1)\zeta\zeta - 2nn(n-1)\zeta^4 : bb + nn(n-1)^2\zeta^6 : b^4$. Erit ergo $RO = 0$ duobus caſibus, altero, quo $\zeta = 0$, altero, quo $\eta = 0$; maximum vero erit RO, ſi ſit $bb = 3n\zeta\zeta$, ſeu $\zeta = \frac{b}{\sqrt{3n}}$. Quo caſu fit $\eta = b\sqrt{\frac{2}{3}}$; & $r = b\sqrt{\frac{2n+1}{3n}}$, atque $RO = \frac{2(n-1)b}{3\sqrt{3n}}$; tum vero $s = \sqrt{\frac{2n}{2n+1}}$ & $u = \sqrt{\frac{1}{2n+1}}$. His caſibus autem cauſticæ cuſpides L & l deſignantur. Verum de his figuris facilius judicare poterimus, ſi curvas algebraicas Problemati ſatisfacientes inveſtigaverimus.

Problema VI.

TAB. II Fig. 1. LII. Iisdem propoſitis conditionibus, quæ in Problemate præcedente ſunt allatæ, invenire curvas algebraicas $FMBmf$, quæ radios incidentes CM axi parallelos poſt duplicem reflexionem eidem axi iterum reddant parallelos.

Solutio.

Jam ante invenimus, ſi ponatur intervallum $AR = r$, angulus

angulus $ARM = \phi$, ejus ſinus $= s$ & coſinus $= u$, æquationem pro curva ita comparatam eſſe oportere, ut r ſit functio parium dimenſionum ipſarum u & s. Hinc autem fieri vidimus $CM + MR = p = a + \int u\,dr$. Unde coordinatæ $AP = x$, $PM = y$ ita determinantur, ut ſit $x = \frac{r - up}{1 - u}$ & $y = \frac{s(p - r)}{1 - u}$. Quo igitur curva fiat algebraica, primo neceſſe eſt, ut r ſit functio algebraica ipſarum s & u, tum vero ut formula $\int u\,dr$ ſit integrabilis. Eſt vero $\int u\,dr = ur - \int r\,du$, &, cum r ſit functio par, erit tam ur, quam $\int r\,du$, functio impar ipſarum s & u. Denotet ergo in genere v functionem quamcunque algebraicam imparem ipſarum s & u, ac ſtatuatur $\int r\,du = v$, fietque $r = \frac{dv}{du}$: & $p = a + \int u\,dr = a + ur - v = a + \frac{u\,dv}{du} - v$, ita ut valor ipſius p hinc prodeat algebraicus. Erit ergo $p - r = a - \frac{dv}{du} + \frac{u\,dv}{du} - v = a - v - \frac{(1 - u)\,dv}{du}$; & $r - up = \frac{(1 - uu)\,dv}{du} - u(a - v)$, unde habebuntur coordinatæ:

$$x = \frac{(1 + u)\,dv}{du} - \frac{u(a - v)}{1 - u}; \quad \& \quad y = \frac{s(a - v)}{1 - u} - \frac{s\,dv}{du}.$$

Quæcunque ergo functio algebraica impar ipſarum s & u pro v accipiatur, ſemper orietur æquatio algebraica pro curva $FMBmf$, quæ radios CM, axi AB parallele incidentes, poſt duplicem reflexionem axi iterum parallelos reddat. *Q. E. I.*

Coroll. 1.

LIII. Quoniam v debet eſſe functio impar ipſarum s & u, ea ſi fuerit rationalis, in altera ſequentium formularum debet eſſe contenta:

$$v = \frac{A + Bss + Csu + Duu + Es^4 + Fs^3u + Gs^2u^2 + Hsu^3 + \&c.}{\alpha s + \beta u + \gamma s^3 + \delta s^2 u + \epsilon s u^2 + \zeta u^3 + \eta s^5 + \theta s^4 u + \&c.}$$

 $v =$

$$v = \frac{As + Bu + Cs^3 + Ds^2u + Esu^2 + Fu^3 + Gs^5 + Hs^4u + \&c}{\alpha + \beta ss + \gamma su + \delta uu + \varepsilon s^4 + \zeta s^3 u + \eta s^2 u^2 + \theta su^3 + \&c.}$$

Coroll. 2.

LIV. Cum ſit $s = \sqrt{(1-uu)}$, hæ formulæ ſequenti modo ſimpliciter exprimi poterunt, ut ſit

$$\text{vel } v = \frac{A + Buu + Cu^4 + Du^6 + \&c. + (Pu + Qu^3 + Ru^6 + \&c.)\sqrt{(1-uu)}}{\alpha u + \beta u^3 + \gamma u^5 + \&c. + (\pi + \varrho u^2 + \sigma u^4 + \tau u^6 + \&c.)\sqrt{(1-uu)}}$$

$$\text{vel } v = \frac{Au + Bu^3 + Cu^5 + \&c. + (P + Qu^2 + Ru^4 + Su^6 + \&c.)\sqrt{(1-uu)}}{\alpha + \beta uu + \gamma u^4 + \delta u^6 + \&c. + (\pi u + \varrho u^3 + \sigma u^5 + \&c.)\sqrt{(1-uu)}}$$

Coroll. 3.

LV. Si irrationalitas $\sqrt{(1-uu)}$ ex denominatore utriusque harum formularum tollatur more conſueto, utraque formula in hanc unam formam abibit:

$$v = \frac{Au + Bu^3 + Cu^5 + Du^7 + \&c. + (P + Qu^2 + Ru^4 + Su^6 + \&c.)\sqrt{(1-uu)}}{\alpha + \beta u^2 + \gamma u^4 + \delta u^6 + \varepsilon u^8 + \&c.}$$

Coroll. 4.

LVI. Æquatio etiam inter v & u & s quæcunque aſſumi poteſt, dummodo hæ tres quantitates in ſingulis terminis vel pares ubique, vel impares ubique, conſtituant dimenſiones. Ita tam hæc æquatio $v^3 + \alpha uv^2 + \beta sv^2 + \gamma u^3 + \delta suu + \varepsilon v + \zeta s + \eta u = 0$, quam hæc $v^2 + \alpha sv + \beta uv + \gamma u^2 + \delta su + \varepsilon = 0$ idoneam pro v functionem ſuppeditabit.

Coroll. 5.

LVII. Cum igitur ſit pro primo reflexionis puncto M:

$$AR = \frac{dv}{du};\ RM = \frac{a-v}{1-u} - \frac{dv}{du};\ PM = \frac{s(a-v)}{1-u} - \frac{s\,dv}{du};\ PR = \frac{u(a-v)}{1-u} - \frac{u\,dv}{du}\ \&\ AP = \frac{(1+u)\,dv}{du} - \frac{u(a-v)}{1-u}$$

$= \frac{s(a-v)}{1-u}$ erit pro altero puncto m; quo tam v, quam s & u, fiunt negativa: $AR = \frac{dv}{du}$; $Rm = \frac{a+v}{1+u} - \frac{dv}{du}$ $pm = \frac{s(a+v)}{1+u} - \frac{sdv}{du}$; $Rp = \frac{u(a+v)}{1+u} - \frac{udv}{du}$; & $Ap = \frac{(1-u)dv}{du} + \frac{u(a+v)}{1+u}$.

Coroll. 6.

LVIII. Punctum autem O in cauſtica ob $r = \frac{dv}{du}$, & ſumto du conſtante $dr = \frac{ddv}{du}$, ita definietur, ut ſit $RO = \frac{-ssddv}{du^2} = \frac{-(1-uu)ddv}{du^2}$; hincque $OS = \frac{-s(1-uu)ddv}{du^2}$; $RS = \frac{-u(1-uu)ddv}{du^2}$ atque $AS = \frac{dv}{du} - \frac{u(1-uu)ddv}{du^2}$, unde curva cauſtica cognoſcetur.

Conſtructio Curvæ.

LIX. Circa punctum A deſcribatur curva algebraica IAi, ramis alternis AI & Ai æqualibus & ſimilibus prædita, & per A ducatur recta FAB pro axe habenda. Vocetur abſciſſa $AH = u$ & applicata $HI = v$, fietque v functio impar ipſius u, uti ſolutio poſtulat. Tum axi AB in A normaliter conſtituatur DAd, cui tangens $I\theta$ occurrat in θ, erit $A\theta = \frac{udv}{du} - v$: unde ſi capiatur $AE = Ae = a$ erit $E\theta = a + \frac{udv}{du} - v = p = a + \int udr$ & $e\theta = a - \int udr$. Deinde centro A radio arbitrario $AD = Ad = 1$ deſcribatur circulus, cui TAB. II Fig. 4.

Digitized by Google

cui applicata HI occurrat in G, erit $HG = \sqrt{(1-uu)} = s$, & FAG æquabitur angulo Φ. Jam ex d ad $I\theta$ productam ducatur perpendicularis $d\eta R$, axi occurrens in R, erit $AR = \frac{dv}{du} = r$: tunc ex R radio AG ducatur parallela RL, in eaque capiatur $RL = E\theta = a + \int u\,dr$, & fiat $RK = RL$, junctaque KL per interſectionem C in recta Dd axi AB agatur parallela CM, erit M punctum in curva quæſita.

Exemplum 1.

TAB. II Fig. 1. LX. Cum v debeat eſſe functio impar ipſarum v & u, ponatur $v = bu$, erit $\frac{dv}{du} = b$, & $p = a$: atque $r = b$: ita ut omnes radii reflexi Mm in eodem puncto axem ſecent; ex quo jam perſpicuum eſt, curvam FBf fore parabolam, focum in R habentem. Quod idem æquatio ſtatim indicat; ſit enim $AP = x = b(1+u) - \frac{u(a-bu)}{1-u} = \frac{b-au}{1-u}$ & $PM = y = \frac{s(a-bu)}{1-u} - bs = \frac{(a-b)s}{1-u} = (a-b)\sqrt{\frac{1+u}{1-u}}$, ut ſit $y^2 = (a-b)^2 \cdot \frac{1+u}{1-u}$. At eſt $\frac{1+u}{1-u} = \frac{a+b-2x}{a-b}$, unde ſit $yy = (a-b)(a+b-2x)$. Vertex ergo hujus parabolæ prodit, ſi $y = 0$, hoc eſt, ſi $u = -1$, quo caſu ſit $x = AB = \frac{a+b}{2}$ & parameter hujus parabolæ eſt $= 2(a-b)$. qua-

Fig. 4. druplo major, quam $BR = AB - AR = \frac{a-b}{2}$. Per conſtructionem autem præcedentem hæc parabola prodit, ſi IAi ſtatuatur linea recta; tum enim ob $A\theta = 0$ erit $RL = EA$ conſtans, ſimiliterque ob directionem $I\theta$ conſtantem erit quoque dR conſtans, ideoque punctum R fixum.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum 2.

LXI. Ponamus, eſſe $v = bu + cs$, ob $ds = \frac{-u\,du}{s}$, TAB. II Fig. 1.
erit $\frac{dv}{du} = b - \frac{cu}{s} = r = AR$, & $p = a + bu \frac{-cuu}{s}$
$-bu - cs$, ſeu $p = a - \frac{c}{s}$: unde fit $r - up = b - au$ &
$p - r = a - b - \frac{c(1-u)}{s}$, ideoque $AP = x = \frac{b - au}{1-u}$
$= \frac{a+b}{2} - \frac{(a-b)(1+u)}{2(1-u)}$ & $PM = y = -c + \frac{(a-b)s}{1-u}$,
$= -c + (a-b)\sqrt{\frac{1+u}{1-u}}$: unde $\frac{1+u}{1-u} = \frac{(y+c)^2}{(a-b)^2}$,
qui valor ibi ſubſtitutus dabit $x = \frac{a+b}{2} - \frac{(y+c)^2}{2(a-b)}$: quæ æquatio eſt pro parabola quoque, cujus axis recta AB eſt parallelus, ab eoque intervallo $= c$ diſtat; parameter vero eſt $= 2(a-b)$. Patet ergo, hanc hypotheſin non aliam dare curvam atque præcedentem, cum ex utraque oriatur parabola inter omnes, quæ Problemati ſatisfaciunt, ſine dubio ſimpliciſſima.

Exemplum 3.

LXII. Ponamus $v = bu + cu^3$, ut ſit $\frac{dv}{du} = b + 3cuu = AR = r$ & $p = a + 2cu^3$; unde fit $r - up = b + 3cuu - au - 2cu^4$ & $p - r = a - b - 3cuu + 2cu^3$. Habebimus ergo $AP = x = \frac{b - au + 3cuu - 2cu^4}{1-u}$

$PM = y = (a - b - 3cuu + 2cu^3)\sqrt{\frac{1+u}{1-u}}$. Sit $a = b + c$, atque prodibunt ſequentes formulæ: $AP = x = b - cu + 2cuu + 2cu^3 = b - cu(1 - 2u - 2uu)$.

 PM =

$PM = y = c(1+u-2uu)\sqrt{(1-uu)} = c(1-u)(1+2u)\sqrt{(1-uu)}$. Ad curvam autem per plurima puncta conſtruendam præſtabit notaſſe, eſſe $AR = b + 3cuu$; coſ. $ARM = u$; & $RM + MC = a + 2cu^3$, ſeu $RM = \frac{a-b-3cuu+2cu^3}{1-u}$: eritque $Rm + mc = a - 2cu^3$, ſeu $Rm = \frac{a-b-3cuu-2cu^3}{1+u}$.

Tum vero pro cauſtica erit $\frac{ddv}{du^2} = 6cu$ & $RO = -6cu(1-uu)$, unde fit $AS = X = b + 3cuu - 6cuu(1-uu) = b - 3cuu + 6cu^4$ & $OS = Y = 6cu(1-uu)\sqrt{(1-uu)}$.

Exemplum 4.

LXIII. Ponamus $v = bu + \frac{c}{u}$, erit $\frac{dv}{du} = b - \frac{c}{uu} = AR = r$ & $RM + MC = p = a + bu - \frac{c}{u} - bu - \frac{c}{u} = a - \frac{2c}{u}$: unde fit $r - up = b - \frac{c}{uu} - au + 2c$ & $p - r = a - b - \frac{2c}{u} + \frac{c}{uu}$, atque $AP = x = \frac{(b+2c)uu - c - au^3}{uu(1-u)}$ & $PM = y = \left(a - b - \frac{2c}{u} + \frac{c}{uu}\right)\sqrt{\frac{1+u}{1-u}}$. Statuamus, quo hæ formulæ fiant ſimpliciores $a = b + c$, erit $AP = x = b - \frac{c}{uu} - \frac{c}{u} + c$, & $PM = y = c\left(\frac{1-u}{uu}\right)\sqrt{(1-uu)}$, vel $x = a - \frac{c}{u} - \frac{c}{uu}$; & $y = -c\left(\frac{1}{u} - \frac{1}{uu}\right)\sqrt{(1-uu)}$. Ponatur $t = a - x$, ut ſit $t = \frac{c}{u} + \frac{c}{uu}$, & $y = -c\left(\frac{1}{u} - \frac{1}{uu}\right)\sqrt{(1-uu)}$, ex quarum illa oritur $u = \frac{c \pm \sqrt{(cc + 4ct)}}{2t}$

$\frac{1}{u}$

Digitized by Google

$\frac{1}{u} = \frac{-c+\sqrt{(cc+4ct)}}{2c}$ & $\frac{1}{uu} = \frac{2cc+4ct-2c\sqrt{(cc+4ct)}}{4cc}$ $= \frac{c+2t-\sqrt{(cc+4ct)}}{2c}$. Hinc fit $c\left(\frac{1}{u}-\frac{1}{uu}\right) = -c-t+\sqrt{(cc+4ct)}$; eſt vero $1-uu = \frac{4tt-2cc-4ct-2c\sqrt{(c^2+4ct)}}{4tt}$. ideoque $2t^2yy = (c+t-\sqrt{(cc+4ct)})^2(2tt-cc-2ct-t\sqrt{(cc+4ct)})$ ac proinde $2yy+cc-10ct-2tt = -(c+4t)\sqrt{(cc+4ct)}$ ſeu $y^4+(cc-10ct-2tt)yy+t^4-6ct^3+12cctt-8c^3t=0$. Habemus ergo lineam quarti ordinis quæſtioni ſatisfacientem, quæ hac æquatione commodius exprimitur:

$$16yy = (\sqrt{(c+4t)}-3\sqrt{c})^3(\sqrt{(c+4t)}+\sqrt{c})$$

vel ſi ponatur $c=4e$ & $t+e=x$ habebitur:

$$yy = (\sqrt{x}-3\sqrt{e})^3(\sqrt{x}+\sqrt{e}) = xx-3x\sqrt{ex}+18ex-27ee.$$

Ad cauſticam vero hujus curvæ inveniendam eſt $\frac{ddv}{du^2} = \frac{2c}{u^3}$ & $RO = \frac{-2c(1-uu)}{u^3}$: unde $AS = X = b - \frac{3c}{uu} + 2c$ & $OS = Y = \frac{-2c(1-uu)\sqrt{(1-uu)}}{u^3}$. Ponatur alia abſciſſa $b+2c-X=T$, erit $\frac{3c}{uu}=T$, & $uu = \frac{3c}{T}$, unde fit $\frac{3cY}{T}\sqrt{\frac{3c}{T}} = -2c\left(1-\frac{3c}{T}\right)^{\frac{3}{2}}$, ſeu $3Y\sqrt{3c} = -2(T-3c)^{\frac{3}{2}}$. Ponatur abſciſſarum initium denuo mutando $T-3c=X$, erit $3Y\sqrt{3c} = -2X\sqrt{X}$, & $27cYY=4X^3$; eſt ergo cauſtica hæc parabola cubicalis Neoliana, diametrum habens radiis incidentibus parallelam.

JOANNIS HEUMANNI, JUR. PROFESSORIS Altorfini, Commentarii de re diplomatica Imperatorum

ac Regum Germanorum, inde a Caroli M. temporibus adornati.

Norimbergæ, ſumtibus Joannis Georgii Lochneri, 1745, 4.
Alph. 3, cum Tabb. æn. 5.

Quantam utilitatem tabularum veterum, quæ Diplomata vocantur, cognitio & interpretatio, tam ad varias diſciplinas ornandas & illuminandas, quam inprimis ad legum Germanicarum intelligentiam, conferat, eruditis, qui tali in campo unquam deſudarunt, affatim notum eſt. Quamvis autem maxima utilitas exinde ſperanda ſit; dolendum tamen eſt, ob ſummam incertitudinem, & difficultates quamplurimas, quibus ea res premitur, adeo occultam atque peregrinam noſtris ſcholis doctrinam tabulariam adhuc fuiſſe, ut, cum Diplomata memores, ænigmata loqui videoris. Præclariſſime igitur de hiſtoria & legibus patriæ noſtræ antiquis promerentur, qui, poſt celebratiſſimi *Mabillonii* curas, cujus quippe opus in inſtructiſſimis duntaxat Bibliothecis aſſervatur, curatiorem Diplomatum notitiam cum lectoribus communicare ſatagunt, &, quomodo vera a falſis diſcernenda ſint, docent. Fecit hoc Clariſſimus hujus libri Autor, qui, Ill. *Rinckii*, Academiæ Altorfinæ quondam Anteceſſoris graviſſimi, monitis ad hunc laborem excitatus, nullis difficultatibus ac tædiis ceſſit, ut rem diplomaticam Imperatorum ac Regum Germaniæ, inde a *Caroli M.* temporibus uſque ad *Carolum Calvum*, eruere ex tenebris ac illuſtrare poſſet. In *ſex Capita* univerſa hæc lucubratio diviſa eſt. *Caput primum* de re diplomatica generatim agit; *ſecundum* Diplomata *Caroli Magni*, *tertium Ludovici Pii*, *quartum Lotharii*, *quintum Ludovici ſecundi*, & *ſextum Caroli Calvi*, exponit Diplomata, de quibus nunc ſingulis paulo fuſius dicendum eſt. Diplomaticam artem pro parte artis criticæ habendam, & in æſtimanda Diplomatum fide conſiſtere, Cl. Autor judicat. *Mabillonium*, a *Papebrochio* excitatum, primum hanc artem in formam redegiſſe, monet, controverſias, poſt *Mabillonii* fata circa eam rem exortas, fuſe exponens. Diplomata per *literas*

teras patentes, *quibus Principes*, *vel proceres*, *jura & immu-*
nitates impertiuntur, deſcribit, eademque pro varietate argu-
menti, quod tractant, & materiæ, in qua ſcripta ſunt, vari-
as compellationes ſortiri, obſervat. Diplomata quamplu-
rima ex antiquitate ſupereſſe, in favorem Eccleſiarum potiſ-
ſimum data, monet. In membranis illa ſcribi ſueviſſe, ſta-
tuit, quæ membranæ in latitudinem chartarum extendi con-
ſueverunt. Pictas in eis fuiſſe literas atramento, obſervat,
quamvis *Carolus Calvus*, Orientales Imperatores imitatus, in
Diplomate quodam Abbatiæ Compedienſis, aurea bulla munito,
rubris literis uſus ſit, cujus documenti effigiem expreſſit *Ma-*
billonius. Pontifices privilegiis ſuis monogramma Chriſti,
ſive characterem, *Chriſmon* dictum, qui aſteriſci ſpeciem ha-
bet, præmiſiſſe, Reges vero pro lubitu ſigna quædam Diplo-
matum frontibus præfixiſſe, Cl. Autor docet. Chriſti mono- Pag. 6.
gramma in quibusdam Imperatorum Diplomatibus viſitur, plu-
rimis tamen litera C majuſcula, nonnunquam nuda, nonnun-
quam variis lineis implicata, præmiſſa eſt, quam literam *ca-*
put, ſeu initium, denotare, non male ſuſpicantur eruditi. Sub
Carolingis, & per aliquot poſt eos Secula, lingua Latina unice
in Diplomatibus adhiberi conſuevit. Ductum literarum, tem-
pore Carolingorum uſitatum, deſcribit Cl. Autor, cujus quo-
que figuram æri incidendam curavit. Genus ſcribendi in Di-
plomatibus Carolingorum regnat vehementer barbarum, or-
thographia valde corrupta eſt, & innumeris ſcribarum vitiis
ſcatet, unde, non male acturum eſſe, qui linguam diploma-
ticam omnium ſeculorum ac regnorum data opera explicaret,
Cl. Autor judicat. Numerorum ſigna, in Diplomatibus uſita- 10.
ta, curioſe idem exponit. Interpunctionibus ea tempore
Caroli M. caruiſſe, docet, abbreviationes & vocum com-
pendia quamplurima in eis occurrere, obſervat, &, lauda-
bilem iis explicandis operam *Baringium* in *Clave diplo-*
matica adhibuiſſe, monet. De monogrammatibus dein,
quæ in chartis antiquis frequentiſſime occurrunt, diſputat.
Monogramma deſcribit per *ſignum*, *vocum literas*, *non natu-*
rali, *ſed vario*, *ordine compoſitas*, *exhibens*. Pingebatur

 nempe

nempe antiquis temporibus ad nomen Regis crux, quæ, κατ' ἐξοχὴν *ſignum* dicta, manu Principis ipſius exprimebatur, reliqua Cancellarius addebat. Signum vero crucis occaſionem, monogrammata cruciformia fingendi, ſuppeditaſſe, Cl. Autor monet. Jam in Diplomatibus *Carolo M.* antiquioribus hujusmodi characteres occurrunt, hic vero uſum eorum perpetuum in Diplomata regia introduxit, atque ipſe perinde ac ſequentes *Caroli*, una cum *Arnolpho*, ad crucis figuram nomina ſua expreſſit, reliqui Carolingi quadrata monogrammata excogitarunt. Omnia tamen Carolingica ſunt nominalia, quia nullas literas, niſi quæ ad nomen ſcribendum neceſſariæ ſunt, referunt. Poſtea *Otto II* titulum Imperatoris Auguſti addidit, unde titularia orta ſunt monogrammata. Appendebantur Diplomatibus ſigilla, unde ipſæ chartæ nonnunquam ſigillorum nomine veniunt. Reges Merovingici una cum Carolingis illa in cera alba expreſſerunt; ſequentibus Regibus rubricata cera magis placuit. Orbicularem figuram ſigilla antiquiora tenent. Effigiem Regis thorace induti, ad ſiniſtrum latus converſam, oſtendunt, barba & lauro decoratam, cum inſcriptione XPE, *protege*, vel *adjuva*, *Regem*, vel *Imp.* Nec ſigilla aurea & plumbea, quæ *bullæ* dicuntur, Carolingis temporibus incognita fuiſſe, Cl. Autor ex *Petri Diaconi Chronico Caſſinenſi* comprobat. Contenta

Pag. 14. deinceps Diplomatum idem exponit. A Regibus Francorum antiquiſſimis, nec non a *Carolo M.*, invocationem nominis divini in inſtrumentis rarius fuiſſe adhibitam, monet. *Ludovicum* vero, ejus nepotes, & alios Reges Germanorum, divina auſpicia haud prætermiſiſſe, dictitat. Vota vel ad Servatorem noſtrum, vel ad S. S. Trinitatem, verbis vario modo conceptis, direxerunt, donec *Carolus Calvus* conſtantem hanc precationis formulam: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis*, aliquot ſeculorum uſu comprobatam, inſtituit. Plurima dein, de titulis Imperatorum, formula promulgationum, &

16 ſeq. reliquis Diplomatum contentis, Cl. Autor affert bonæ frugis pleniſſima, &, per partes eundo, totam Diplomatum conſtructionem delineat. His autem præmiſſis, Diplomata *Caroli M.* deſcribit.

Digitized by Google

deſcribit. In plurimis quidem ejus præceptis invocationem nominis divini deeſſe, concedit, non tamen idcirco Diplomata, in quibus ea occurrit, falſitatis ſtatim arguenda eſſe, urget, quamvis, nonnunquam a manu recentiore precandi formulam adjectam eſſe, non diffiteatur. Quod ad nomen Pag. 27. & honorum titulos *Caroli*, tria temporum intervalla diſcernenda eſſe obſervat. Ab anno Chriſti 768 uſque ad annum 774, id eſt, a regno Francorum ſuſcepto uſque ad Longobardicum, dicitur iſte Princeps *Carolus gratia Dei Rex Francorum, Vir illuſter*. Ab illo tempore uſque ad annum 800 ei hæc formula familiaris fuit: *Carolus gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanorum*. Nonnunquam additum eſt: *Vir illuſter*. Ab impetrata autem dignitate imperiali uſque ad vitæ exitum hoc elogio inſigniuntur ejus Diplomata: *Carolus, ſereniſſimus Auguſtus, a Deo coronatus, magnus & pacificus Imperator Romanorum, gubernans imperium, qui & per miſericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum*. Majeſtatis elogium rarius ſibi iſtum Principem tribuere, Cl. Autor monet. De patria dein, vita, & fami- 34. lia, *Caroli* varia notatu digna, e Diplomatibus iſtius Imperatoris hauſta, adſtruit. Pontificem Romanum, ſanctitatis, beatitudinis, & Apoſtolicæ coronæ, encomiis mactatum a *Carolo*, commonſtrat, eas tamen compellationes Pontifici cum aliis Epiſcopis, imo & laicis, communes fuiſſe, ex aliis documentis oſtendit. Proceres, ſeculari dignitate conſpicui, interdum *illuſtres* vocati ſunt, eoque titulo nec Reges Francorum majorem affectaſſe, Cl. Autor docet. Curam, quam iſte Princeps ſtatui eccleſiaſtico & civili probe ordinando impendit, admodum fuſe & erudite dein exponit. Merita quoque 87 ſeq, *Caroli M.* in rem literariam enarrat. Ut chartis ſuis eo fir- 106. mius robur adderet Imperator, variis clauſulis eas confirmavit, multas violatoribus indixit, imo nonnunquam imprecationes addidit, id quod variis exemplis Cl. Autor docet. Factum id etiam, quando ſe ſacris ædibus collegiisque beneficum 113 ſeq. præſtiterat *Carolus*, ejusque poſteri, ut pro ſe & familia preces eo ardentius ad Deum funderentur, poſtularunt. Cujus

rei

rei varia exempla, nec non litaniæ *Carolinæ* formula, hic
Pag. 115. exhibentur. Ad calcem Diplomatum *Caroli* plerumque
obſervatur, quod iſti chartæ nomen Imperatoris inſcriptum,
116. & ſigillum ei impreſſum fuerit. Adeſt interdum & ſubſcriptio, & ſigillum, ſed clauſula illa deeſt, quamvis hoc in paucis obveniat Diplomatibus. Modo ſolius annuli, in placitis plerumque, & minoris momenti chartis, modo ſubſcriptionis duntaxat, mentio fit, ſigillo nihilo minus affixo. Ipſa Diplomatis ſubſcriptio monogrammate conſtat, cujus rei rationem daturus *Mabillonius de re diplomatica pag. 164, Carolum M*, artem ſcribendi ignoraſſe, pronuntiavit. Hoc autem de Principe adeo literato neutiquam dici poſſe, & locum *Eginhardi*, ad quem vulgo provocatur, de calligraphia & literis majuſculis capiendum eſſe, Cl. Autor dictitat, deque figura
119. *Carolini* monogrammatis varia adſtruit. De Archi-Cancellariis *Caroli M.* qui Diplomatibus ſimul ſubſcribebant, diſpu-
120. tat. Sigillorum *Carolinorum* formam expoſiturus, obſerva-
123. tiones *Heineccii* e libro *de Sigillis P. I Cap. IX §. 14* hic apponit. Integræ fidei tabulas *Carolinas* & *datum* & *actum* habere, unde diſcatur, quo anno regni, vel imperii, & ubi, negotium geſtum fuerit, Cl. Autor monet. Tribus epochis *Carolum* Diplomatibus ſignandis uſum eſſe, docet. Prima nimirum regni Francici, altera regni Langobardici, & tertia imperii. Annos incarnationis dominicæ in ejus Diplomatibus raro annotari, obſervat Cl. Autor, & indicem Diplomatum *Carolinorum*, quantum fieri potuit, locupletiſſimum addit, deque ſpuriis & ſuſpectis *Caroli* Diplomatibus
144. diſputat. *Ludovicus Pius*, Rex Aquitaniæ factus, aliquas chartas edidit, quarum nonnullæ, a *Mabillonio* in *Annalibus Benedictinis* editæ, hanc habent inſcriptionem: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*; in aliis ejus Diplomatibus invocationem nominis divini penitus omiſſam eſſe, Cl. Autor obſervat. Ubi gubernacula imperii Romani capeſſivit, hanc unam precandi formulam ſervavit: *In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Eam formulam aliquot Diplomatum centurias præ ſe ferre, Cl. Autor monet, varias tamen

Digitized by Google

men chartas, a *Martenio* & *Dacberio* editas, hanc formulam diverſo modo exhibere, docet, urgetque, eam rem nonnihil ad chartarum αὐθεντείαν in dubium vocandam facere, ita perſuaſum ſibi habens, ſuſpicionem eo majorem ſuboriri, quo audacius conſuetudo deſeratur. Hæc tamen duntaxat de Diploma- Pag. 171.
tibus valere, neutiquam ad alia literarum monumenta iſtius Imperatoris transferri poſſe, concedit. Nomen *Ludovici*, à vocabulo *Hluto*, quod *præclarum* denotat, & *Wigb*, quod *Martem* ſignificat, compoſitum eſſe, obſervat. Cum Rex Aquitaniæ iſte Princeps eſſet, nomen ſuum hac formula in Diplomatibus expreſſit: *Ludovicus divina ordinante providentia Rex ſereniſſimus Aquitaniæ*, vel *Ludovicus gratia Dei Rex Aquitanorum*. Ad imperatoriam dignitatem evectus, hanc fere ſemper adhibuit formulam: *Hludevicus divina ordinante*, interdum *propitiante, providentia*, ſeu *clementia*, *Imperator Auguſtus*. Aſſumto in imperii ſocietatem filio *Lothario*, ejus ſimul in Diplomatum inſcriptione mentio injicitur, id quod contra *Mabillonium*, qui, in literis *Ludovici* nomen *Lotbarii* etiam tum exulare, ſcripſit, quando adhuc erant conjunctiſſimi, Cl. Autor evincit. Imperavit poſtea *Ludovicus* iterum ſolus, atque tunc ſtilum nonnihil immutavit, hac uſus formula: *Hludovicus, divina repropitiante clementia, Imperator Auguſtus*, quamvis nonnullæ ejusdem chartæ priorem formulam retinuerint. Alias præterea iſtius Imperatoris chartas, quæ a formula conſueta recedunt, Cl. Autor affert. Idem, dum rem geſtam notam faciat *Ludovicus*, eum ſtilum paternum imitari, obſervat, & quamplurimas ejusmodi formulas apponit. In Procemiis ea- 174.
dem, ac in *Caroli M.* literarum exordiis, argumenta contineri, docet. Sæpius ſpe remunerationis æternæ cives ad obediendum edictis ſuis invitavit *Ludovicus*. Idem ſe ipſum 175.
in numero plurali more paterno plerumque nominat. Patris mentionem ſemper cum honoris & laudis præfamine injicit. Agnatorum quoque ſæpius meminit. Epiſco- 176.
pos & Abbates *venerabilium* compellatione ornat. Proce- 177.
res *illuſtres fideles* vocat. Ipſa tamen ejus Diplomatum contenta *Carolinas* chartas varietate propemodum ſuperare,

Digitized by Google

rei variæ exempla, nec non litaniæ *Carolinæ* formula, hic
Pag. 115. exhibentur. Ad calcem Diplomatum *Caroli* plerumque
obſervatur, quod iſti chartæ nomen Imperatoris inſcriptum,
116. & ſigillum ei impreſſum fuerit. Adeſt interdum & ſubſcri-
ptio, & ſigillum, ſed clauſula illa deeſt, quamvis hoc in pau-
cis obveniat Diplomatibus. Modo ſolius annuli, in placitis
plerumque, & minoris momenti chartis, modo ſubſcriptio-
nis duntaxat, mentio fit, ſigillo nihilo minus affixo. Ipſa Di-
plomatis ſubſcriptio monogrammate conſtat, cujus rei ratio-
nem daturus *Mabillonius de re diplomatica pag. 164, Carolum
M,* artem ſcribendi ignoraſſe, pronuntiavit. Hoc autem de
Principe adeo literato neutiquam dici poſſe, & locum *Egin-
hardi*, ad quem vulgo provocatur, de calligraphia & literis
majuſculis capiendum eſſe, Cl. Autor dictitat, deque figura
119. *Carolini* monogrammatis varia adſtruit. De Archi-Cancella-
riis *Caroli M.* qui Diplomatibus ſimul ſubſcribebant, diſpu-
120. tat. Sigillorum *Carolinorum* formam expoſiturus, obſerva-
123. tiones *Heineccii* e libro *de Sigillis P. I Cap. IX* §. *14* hic ap-
ponit. Integræ fidei tabulas *Carolinas* & *datum* & *actum* ha-
bere, unde diſcatur, quo anno regni, vel imperii, & ubi,
negotium geſtum fuerit, Cl. Autor monet. Tribus epochis
Carolum Diplomatibus ſignandis uſum eſſe, docet. Prima ni-
mirum regni Francici, altera regni Langobardici, & tertia
imperii. Annos incarnationis dominicæ in ejus Diplomati-
bus raro annotari, obſervat Cl. Autor, & indicem Diplo-
matum *Carolinorum*, quantum fieri potuit, locupletiſſimum
addit, deque ſpuriis & ſuſpectis *Caroli* Diplomatibus
144. diſputat. *Ludovicus Pius*, Rex Aquitaniæ factus, aliquas
chartas edidit, quarum nonnullæ, a *Mabillonio* in *Annalibus
Benedictinis* editæ, hanc habent inſcriptionem: *In nomi-
ne Domini noſtri Jeſu Chriſti*; in aliis ejus Diplomatibus in-
vocationem nominis divini penitus omiſſam eſſe, Cl. Autor
obſervat. Ubi gubernacula imperii Romani capeſſivit, hanc
unam precandi formulam ſervavit: *In nomine Domini Dei &
Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Eam formulam aliquot Diplo-
matum centurias præ ſe ferre, Cl. Autor monet, varias ta-
men

Digitized by Google

men chartas, a *Martenio* & *Dacherio* editas, hanc formulam di-
verſo modo exhibere, docet, urgetque, eam rem nonnihil ad
chartarum αὐθεντείαν in dubium vocandam facere, ita perſua-
ſum ſibi habens, ſuſpicionem eo majorem ſuboriri, quo auda-
cius conſuetudo deſeratur. Hæc tamen duntaxat de Diploma- Pag. 171.
tibus valere, neutiquam ad alia literarum monumenta iſtius Im-
peratoris transferri poſſe, concedit. Nomen *Ludovici*, a voca-
bulo *Hluto*, quod *præclarum* denotat, & *Wigh*, quod *Martem*
ſignificat, compoſitum eſſe, obſervat. Cum Rex Aquitaniæ
ille Princeps eſſet, nomen ſuum hac formula in Diploma-
tibus expreſſit: *Ludovicus divina ordinante providentia Rex*
ſereniſſimus Aquitaniæ, vel *Ludovicus gratia Dei Rex Aquitano-*
rum. Ad imperatoriam dignitatem evectus, hanc fere ſem-
per adhibuit formulam: *Hludovicus divina ordinante*, interdum
propitiante, providentia, ſeu *clementia, Imperator Auguſtus*. Aſ-
ſumto in imperii ſocietatem filio *Lothario*, ejus ſimul in Di-
plomatum inſcriptione mentio injicitur, id quod contra *Ma-*
billonium, qui, in literis *Ludovici* nomen *Lotharii* etiam tum
exulare, ſcripſit, quando adhuc erant conjunctiſſimi, Cl. Au-
tor evincit. Imperavit poſtea *Ludovicus* iterum ſolus, atque
tunc ſtilum nonnihil immutavit, hac uſus formula: *Hludo-*
vicus, divina repropitiante clementia, Imperator Auguſtus,
quamvis nonnullæ ejusdem chartæ priorem formulam retinue-
rint. Alias præterea iſtius Imperatoris chartas, quæ a formula
conſueta recedunt, Cl. Autor affert. Idem, dum rem geſtam
notam faciat *Ludovicus*, eum ſtilum paternum imitari, obſervat,
& quamplurimas ejuſmodi formulas apponit. In Proœmiis ea- 174.
dem, ac in *Caroli M.* literarum exordiis, argumenta contineri,
docet. Sæpius ſpe remunerationis æternæ cives ad obe-
diendum edictis ſuis invitavit *Ludovicus*. Idem ſe ipſum 175.
in numero plurali more paterno plerumque nominat. Pa-
tris mentionem ſemper cum honoris & laudis præfamine
injicit. Agnatorum quoque ſæpius meminit. Epiſco- 176.
pos & Abbates *venerabilium* compellatione ornat. Proce- 177.
res *illuſtres fideles* vocat. Ipſa tamen ejus Diplomatum
contenta *Carolinas* chartas varietate propemodum ſuperare,

Digitized by Google

Cl. Autor monet. *Ludovicum* enim in rebus ſacris ordinandis
atque emendandis ſummam poſuiſſe diligentiam, vel cogno-
men *Pii* indicat. Verum, laudabiles ejusdem conatus tri-
ſtem eventum ſæpius habuiſſe, Cl. Autor obſervat. Conci-
liorum itaque, ſub hoc Principe habitorum, & capitularium,
Pag. 178 ab eo confectorum, contenta, quantum ad præſens inſtitutum
ſeq. pertinet, ediſſerit. Eum jus circa ſacra ſupremum conſtan-
186. ter exercuiſſe, demonſtrat. Quomodo rempublicam ſibi
commendatam habuerit, legibusque eam temperaverit, poſtea
210. exponit. Formam rei publicæ ejus temporis delineat. Ta-
bulas diviſionis regni inter filios ex *Baluzii* editione *Capitula-*
211 ſeq. *rium Regum Francorum* & *Cointii Annalibus* exhibet, & illu-
ſtrat. Concordiam eum domi atque foris ſtabiliviſſe, obſer-
vat. Fœdus, cum Imperatoribus Byzantinis initum, deſcribit.
216. *Herioldo*, Danorum Regi, regnum, quo privatus erat, *Ludovi-*
cum reſtituiſſe, oſtendit; illum quoque Regem, tanquam Im-
217. peratoris vaſallum, equum & arma accepiſſe, docet. Quo-
modo poſtea regno a filiis ſpoliatus, & iterum reſtitutus
218 ſeq. fuerit *Ludovicus*, eleganter & accurate enarrat. Duces eo
tempore jus in provincias hæreditarium habuiſſe, negat. *Lu-*
dovicum ſupremam jurisdictionem in Italia exercuiſſe, oſten-
222. dit. Saxones ipſi addictiſſimos fuiſſe, monet. *Ludovi-*
cum vero, nimis bonum, neque ſatis perſpicacem, ſæpius a
223. miniſtris circumventum eſſe, variis exemplis declarat. Le-
ges *Ludovici*, cauſas privatorum ordinantes, & crimina coer-
centes, dein exponit. Bonis literis valde deditus fuit hic Im-
perator, deque earum flore augendo admodum ſollicite co-
gitavit. Hinc ſcholas inſtitui curavit, librorum ampliſſimam
ſupellectilem cum eruditis liberaliter communicavit, Scriptu-
ram ſacram potiſſimum in linguam patriam juſſit transferri.
Eruditi igitur, ob tam propenſam Imperatoris erga literas vo-
luntatem, iſti ſeculo non deerant, quorum nonnullos Cl. Au-
234. tor commemorat. Annalium conſcribendorum curam Nota-
riis & Cancellariis impoſitam fuiſſe, obſervat. Mulctarum
aliarumque pœnarum minas, violatoribus legum a *Ludovico*
235. præſtitui ſolitas, adducit. Preces ut pro ſe ab iis, quos be-
neficiis

Digitized by Google

neficiis cumulaverat, funderentur, *Ludovicus* ſæpiſſime poſtulavit, id quod exempla adducta oſtendunt. Subſcriptionum Pag. 236.
quoque clauſulas & monogrammata ejus Cl. Autor exhibet.
De Cancellariis *Ludovici* diſputat. Sigilla dein iſtius Impera- 238 ſeq.
toris examinat, & tria criteria, ex quibus cognoſci vera hujus Principis ſigilla queant, ſuppeditat. *Ludovicum* nempe in probis ſigillis barba ſemper & lauro eſſe conſpicuum, additamque ei inſcriptionem: *XPE Protege Hludovicum Im-* 242.
peratorem, docet. De bullis aureis iſtius Principis diſſe- 243.
rit, & notas chronologicas, in ejus Diplomatibus uſitatas, affert, Diplomata denique incertæ & dubiæ fidei exami- 244.
nat, quorſum etiam celebratiſſimum illud Diploma Lindavienſe, contra quod ſtilum jam acuit *Conringius*, refertur. Scripta, de hoc Diplomate evulgata, Cl. Autor ſtudioſe enarrat, illudque Diploma adulterinum eſſe, pronuntiat. De Diploma- 268.
tibus dein *Pipini*, *Ludovici* filii, quam fieri poteſt accuratiſſime diſſerit. *Lotharii* Diplomatum hæc fuit inſcriptio: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dei æterni.* Quæ *Lotharii* nomine ſcriptæ ſunt literæ, ab illis patris *Ludovici* nihil differunt. Has regulas tam late dominari, ut chartæ ſinceræ & incorruptæ vix unquam ab iis recedant, Cl. Autor monet. Inſcriptio, qua frequentiſſime uſus eſt *Lotharius*, ſimilis eſt paternæ: *Lotharius, divina ordinante providentia, Imperator Auguſtus.* Exordiorum formulæ etiam paternas & avitas formulas imitantur, earumque multas Cl. Autor ſpeciminis loco
apponit. Quando de ſe ipſe loquitur, excellentiæ, celſitu- 276.
dinis, ſerenitatis, majeſtatis, manſuetudinis, magnitudinis,
compellationes uſurpat *Lotharius.* Patris, avi, conjugis, & 277.
propinquorum, honorifice ſæpius meminit. Quomodo res ſacras ordinaverit iſte Imperator, Cl. Autor fuſe enarrat. Concilia itidem, ejus autoritate congregata, & exercitium ſupremi juris circa ſacra, exponit. Statum denique rei publicæ iſtius temporis, res geſtas *Lotharii*, ejusque leges civiles,
deſcribit. Merita ejusdem in bonas literas enarrat. Minas, 290 ſeq.
ſanctionibus *Lotharii* addi ſolitas, recenſet. Pro beneficiis collatis preces ſibi majorum more ſtipulatum eſſe, docet.

Digitized by Google

Monogrammatum ejus figuras exhibet. Cancellarii ejus Im-
peratoris quinam fuerint, exponit. In ſigillis *Lotharii*
ejus effigiem barbatam, lauro ac paludamento decoratam, con-
Pag. 304. ſpici, cum epigraphe: † *XPE adjuva Hlotarium Aug.* mo-
net Epocham hujus Imperatoris primam *Mabillonius* cum
aliis ad A. 817 retulit, quo anno, tertio Cal. Aug. imperii
conſors factus eſt. Epocha ſecunda ab anno 820 deducitur,
qua *Mabillonio* poſt obitum patris demum uſus eſſe vide-
tur *Lotharius*. Tabulas interim *Lotharii*, ante annum 840
309. editas, maxima epocharum varietate vexari; exempla, a Cl.
Autore allata, affatim loquuntur, quod an ipſis rerum vi-
ciſſitudinibus, an vero Cancellariorum licentiæ, tribuendum
ſit, non ſatis conſtat. De chartis tandem *Lotharii*, de qua-
315. rum fide eruditi dubitant, Cl. Autor diſſerit. *Ludovicus II*
initialem formulam invocationis divinæ pariter ac inſcriptio-
324. nem, patri & avo familiarem, retinuit. Promulgationem mo-
326. re recepto vel titulo Imperatoris, vel exordio, ſubjunxit. Pa-
tris ſemper honorifice in Diplomatibus meminit. Affert Cl.
Autor inſtrumentum donationis, in gratiam conjugis *Angil-
bergæ* ab iſto Imperatore promulgatum. Conſortem imperii
328. iſtam Principem nonnunquam dici, commemorat, negotiorum
vero partes ipſi fuiſſe creditas, negat, quamvis per varias ar-
tes, ægre id ferentibus regni proceribus, rerum adminiſtra-
tionem nonnunquam ad ſe traxerit. Quomodo rem eccle-
ſiaſticam & civilem direxerit *Ludovicus*, fuſe exponit Cl. Au-
329. tor. Bellum quoque ejus, cum *Seoda*, Saracenorum Re-
ge, geſtum, contentionem cum *Baſilio*, qui Orienti impera-
bat, circa titulum Imperatoris agitatam, motus, in Italia per
Normannorum incurſiones excitatos, una cum aliis rebus, ab
341. hoc Imperatore geſtis, deſcribit. Minas ac imprecationes, Di-
346. plomatibus *Ludovici* adjectas, ediſſerit. In liberalitatis redho-
ſtimentum preces pro ſe fundendas eum poſtulaſſe, obſer-
vat. Monogrammata tandem, Cancellarios, ſigilla, & no-
tas chronologicas, in ejus Diplomatibus occurrentes, deſcribit.
348. *Carolum Calvum* formulam precandi: *In nomine ſanctæ & in-
dividuæ Trinitatis*, conſtanter Diplomatibus ſuis præfixiſſe,
monet.

Digitized by Google

monet. Quaſdam tamen ejus chartas ita inchoare: *In nomine*
Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, docet. Earum non-
nullas & alia ſingularia habere, obſervat. Aliam in fronte Di-
plomatum compellationem ſibi tribuit *Carolus*, cum adhuc
Rex eſſet, aliam, cum imperiale diadema ſuſcepiſſet. Con-
ſueta formula *Caroli*, adhuc Regis, hæc fuit: *Carolus gratia Dei*,
vel *Dei gratia*, *Rex*, quamvis in nonnullis Diplomatibus hæc
formula variet. Cum Imperator factus eſſet, hunc inſcriptio-
nis modum aſſumſit: *Carolus*, *ejusdem Dei omnipotentis mi-*
ſericordia, *Imperator Auguſtus*. Exordia etiam & formulas pro-
mulgationis, ei ſolennes, Cl. Autor exponit. Titulos eum Pag. 360.
largius, quam priores Imperatores, adhibuiſſe, de ſe ipſo in
numero ſingulari eum loqui conſueviſſe, diei natalis, alia-
rumque rerum domeſticarum, eum ſæpius meminiſſe, obſervat.
Inſtituta ejus eccleſiaſtica ediſſerit. Amorem ejus erga bo- 361 ſeq.
nas literas ex *Herici Præfatione ad libros de vita S. Germani*
deſcribit. Minas, quibus legum ſuarum violatores perter-
ruit, enarrat. De monogrammatibus *Caroli* diſſerit, tandem- 391.
que Cancellariorum, ſigillorum, & bullarum ejus, notitiam 393.
ſuppeditat. Epochas poſtea ejus conſtituit. In *Caroli Calvi* 398.
Diplomatibus poſt notas chronologicas, & interdum quoque
ante easdem, ſæpius *ambaſciatores* commemorantur, quo
nomine eos, quibus deprecatoribus & adjutoribus charta
data eſt, intelligi, Cl. Autor docet. De Diplomatibus *Caroli*
deperditis, corruptis, & ſpuriis, etiam diſputat. Diplomata 411.
tandem *Caroli* filii, Regis Aquitaniæ, recenſet. Et hunc qui-
dem in modum tabularum, a primis Germaniæ Imperatoribus
datarum, notitiam Cl. Autor dedit. Gratulamur ei inſi-
gnem, quam ſibi acquiſivit, rei diplomaticæ notitiam, atque, Hi-
ſtoriæ Germanicæ ſtudioſos non ſine utilitate hasce ejus lu-
cubrationes evoluturos eſſe, certiſſime confidimus.

DIATYPOSIS ACADEMIARUM APUD Judæos, in qua earum, ut & Gymnaſiorum & ſcholarum, in illa gente, tituli, multitudo docentium & diſcen-

tium, ſtudia, ſtudendi methodum, & privilegia, concinne memorantur ac deſcribuntur, qua ſimul opera multis tam Veteris, quam Novi, Teſtamenti locis clariſſima lux affunditur, adornata & edita ab ANDREA NORRELIO, Regiæ Bibliothecæ Upſalienſis Præfecto.

Upſaliæ, 1746, 8 maj.

Plag. 5½.

Elegantem hanc Commentationem Eruditiſſ. Autor prelo jamdum paratam habuit A. 1702, eamque publicæ ventilationi Academicæ deſtinaverat; ſed hujus ſui voti certis de cauſis compos fieri non potuit, ut hinc illam inter reliquam ſupellectilem librariam ſepoſuerit; quam cum de novo perluſtraret, & multa de Judæorum ſcholis accuratius, quam adhuc factum eſt, pertractata eſſe cognoſceret, illam ſuis ſumtibus exſcribi curavit. In Præfatione quædam contra Cl. *Olavum Olavi Celſium*, qui ipſum erroris alicujus in Hiſtoria literaria inſimulaverat, monet. Opuſculum *tribus* abſolvitur *Capitibus*, quorum *primum* eſt *de variis nominibus, quibus Judæorum Academiæ veniunt, ſecundum de forma & multitudine ſcholarum inter Judæos, tertium de docentibus & diſcentibus in Athenæo Judaico. Caput I* exponit tum *Ebræa*, tum *Chaldæa*, tum *Græca*, nomina. Ebræa ſunt בית המדרש, *academia*, in qua accuratior de lege & religione diſquiſitio inſtituebatur, ישיבה, *conſeſſus*, a conventu docentium pariter atque diſcentium, בית רבנן, nomen habens a Rabbanan, qui ſummus dignitatis Academicæ apud Judæos erat titulus, בית כנסת, a congregatione, עלייה, *cœnaculum*, quoniam aliquando in ſuperiori ædium conclavi ad precandum & diſſertandum conveniebant, כרם, *vinea*, ab ordine ſedentium in ſchola Chaldæa. Ebræis reſpondentia ſunt מתי בתא, בית מדרשא, תרביפצ, ab inſtitutione, quoniam in illis lex explanabatur, בית אולפנא, quia in illis publici doctores docebant, סררא, ab *ordine*, qui obſervabatur. Græca ſunt אסכולי, quod &
Pag. 1-17. אסכולא ſcribitur, ortum ducens ex Græco σχολή. *Cap. II* docet, ſynagogas utplurimum in locis editioribus excitatas, pulcherrime exornatas, feneſtriſque inſtructas fuiſſe. In ſynagogis

nagogis cumprimis notari merentur היכל, alias etiam ארון, Pag. 17-19.
arca, ſive *armarium*, appellatum, libris ſacris aſſervandis deſtinatum, דוכן, *ſuggeſtus*, *candelabrum* item & *lampades* penſiles. Chaldæis דוכן dicebatur כסא, *ſolium*, *thronus*, quem a loci *altitudine*, quam a *diſputando*, quod Cl. Autor exiſtimat, appellari malimus. Inde ſermones ad populi concionem dirigebantur, legebatur, preces fundebantur, & alia ſolennia ſacra peragebantur, Græcis καθέδρα. *Matth. XXIII*, 2, per καθέδραν Μώσεως non tam cathedram *legislativam* cum *Lightfooto*, quam *doctrinalem*, non ſine ratione vult intelligi; quanquam utrumque hoc ſibi commode ſubordinari queat. Qui enim ex inſtituto *Moſis* docebant, illi ſimul legislatoriam poteſtatem exercebant. In ſcholis diſcentes non 19-22.
humi ſediſſe, ſed ſedilia, humilia tamen, ſpatium cubitale non excedentia, occupaſſe, adductis magiſtrorum teſtimoniis dat probatum. In armario aſſervabatur Codex ſacer, membranis, 22-24.
invicem conſutis, conſtans, exaratus in parte adverſa, averſa vacua & pura relicta, qui circa bacillos convolvebatur, unde illuſtratur locus *Luc. IV*, 17-20, ubi ἀναπτύσσειν & πτύσσειν, prius nempe per *evolvere*, *aufrollen*, poſterius per *convolvere*, recte convertitur. His de forma ſynagogarum præmiſſis, ad 24-26.
ſynagogarum multitudinem progreditur. Hieroſolymis inde ab reditu ex Babelo ad excidium uſque 400 fuiſſe, magiſtri perhibent, ex quibus ſcholæ *Hillelis* & *Schammai* celeberrimæ fuerunt. *Act. VI*, 9, συναγωγὴ Λιβερτίνων καὶ Κυρηναίων καὶ Ἀλεξανδρείων memoratur, quarum prior in ſcriptis Talmudicis כנסת מרוררים, *ſynagoga libertinorum*, dicatur. Sed, quoniam omnes illæ ſynogogæ a gentibus, quibus propriæ fuerunt, inſigniuntur, præterea ſynagoga *Libertinorum* cum illa *Cyrenæorum* & *Alexandrinorum* proxime conjungitur, quæ ad homines ex Africa oriundos, vel inde Hieroſolymam commigrantes, ſpectaverant, in ſententiam Cel. *Gerdeſii* concedimus, per *Libertinos* gentem, a *Liberto*, Africæ oppido, nuncupatam, intelligendam eſſe, peculiari Diſſertatione, eaque erudita, evincentis. Præter ſynagogas Hieroſolymitanas, quæ magna ex 26-30.
parte ſpeciem Academiarum habuerunt, in ſingulis vicis & oppidulis,

oppidulis, quæ 120 cives alebant, ſcholas triviales conſtitutas fuiſſe, docet *Maimonides*, ad quas parens Judæus filium, ubi ſextum, vel ſeptimum, ætatis annum attigiſſet, adducere, ac magiſtro, certo pacto didactro, formandum tradere, tenebatur. Levitas etiam in urbibus, quæ ipſis colendæ datæ, inſtitutioni vacaſſe, dubio caret. De ſcholis & Academiis,
Pag. 30- quæ poſt urbis everſionem floruerunt, nihil dicit. In *Cap. III*
34. diſſerit de נשיא, qui non ſolum principatum tenebat in ſynedrio, verum etiam ſupremam in omnes Academias exercebat poteſtatem, & eminentiſſima fulgebat dignitate. Solus ille gradus Academicos conferebat, nec absque illius conſenſu quisquam ad honores Doctorales admittebatur. Ipſi, Academiam ingredienti, aſſurgebant omnes, nec ante locum capiebant, quam ipſe juſſiſſet. Ubi Scripturam explicabat, verba interpreti in aurem inſuſurrabat, qui Ebraica dialecto Chaldæo-
34-38. Syra reddebat, quorſum alluditur *Matth. X, 27.* Proximus dignitate erat אב בית דין, cui pariter Academiam introeunti aſſurgebant. Reliqui dicti ſunt חכמים, qui poſtea Philoſophos Græcos imitati, modeſtiæ cauſa תלמידי חכמים dici maluerunt. De reliquis doctorum titulis, תנאים אמוראים גאנים & אלפים, eorumque differentia, prolixitatem ut evitaret, verba non facit. Nomina רב, רבי, &
38-41. רבן, a temporibus *Hillelis* demum in uſu eſſe cœperunt. Sed pergit ad officia docentium & diſcentium. Ex illis quidam ſingulis Sabbatis, ut legem prælegerent & interpretarentur, evocabantur, ſolebant quoque in Academia cum præſide de ſenſu Scripturæ & Talmudis diſputare. Diſputatio hunc in modum inſtituebatur. Qui dubium movebat, vel interrogabat, committebat id interpreti, & hic habitu & ore modeſto & ſubmiſſo deferebat ad præſidem, ab eodemque reſponſum ad
41, 42. interrogationem accipiebat. Diſcipuli dicebantur תלמידים, quo nomine etiam veniunt in N. T. *Jo. IX, 28, Luc. VI, 40*, item בנים, tenerrimo enim amore ipſos doctores ſui proſequebantur. Hi tempeſtive ſcholam accedere tenebantur, quod non ſolum ad corporis ſanitatem tuendam, verum etiam ad vitam prorogandam, multum conducere judicabatur. Doctores

res

Digitized by Google

res ſuis omnibus honoris titulis venerabantur, eisdemque ſervitium præſtare obſtringebantur, ut, qui ipſis obniteretur, ipſi Deo refragari cenſeretur. Inde a temporibus *Moſis* ad R. Pag. 42.
Gamalielem ſenem uſque diſcipuli, coram doctoribus ſuis ſtan- 47.
tes, literis ſunt operati, poſt ſedere cœperunt, & quidem ita, ut omnes doctorem ſuis tueri poſſent oculis. Quod autem de ſe profitetur *Paulus*, ſe ad pedes *Gamalielis* enutritum fuiſſe, illud non tam reſpicere morem diſcipulorum, qui dicuntur humi ſediſſe, dejecti ad pedes doctorum, in altioribus cathedris ſedentium, ſed potius humilitatem ipſorum ac modeſtiam repræſentare, arbitratur Doctiſſ. *Norellius*; prouti olim tenuioris homines ſortis, cum viros, in eminenti dignitate conſtitutos, compellarent, ad illorum pedes ſe devolvere ſolebant. Diſcentes tempore Chriſti ſtetiſſe, liquet ex *Matth. V*, 47-56.
1, *Luc. II*, 46, *Matth. XIII*, 1, 2. Aliquando colloquia & diſceptationes multo cum fervore tractabant, in quibus ubi nimio effervеſcebant calore, præſes ſilentium imponebat. Qui ſapientiæ & doctrinæ invigilabat, is a tributis & vectigalibus, itemque ſervitiis publicis, v. c. munitionibus, excubiis, & hujus generis aliis muneribus, immunes erant. Equidem fa- 56-59.
tendum eſt, quæ in hac Diſſertatione prolata ſunt, ab aliis viris doctis, cummaxime Cel. *Vitringa*, fuſius diſſertata eſſe; juvat tamen etiam ſubinde illa, quæ prolixius ab aliis ſunt tractata, brevibus comprehenſa legere & repetere; addimus, quædam tamen eſſe, quæ *Vitringa* non æque attigit, v. c. de diſputandi apud Judæos ratione, diſtinctius aliquanto hic propoſita.

EPISTOLA AD EMINENTISSIMUM ET REverendiſſimum ANGELUM MARIAM QUIRINUM, qua de geſtis Pauli III, Pontificis, cum Henrico VIII, Angliæ Rege, agitur, & ejus emendatio eccleſiæ Anglicanæ ſuſcepta defenditur, ab JO. RUDOLPHO KIES-

LINGIO, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ord. in Acad. Lipſienſi.

Lipſiæ, ex tabernis librariis Jo. Godofr. Dyckii, 1747, 4.

Plag. 11.

Altera hæc eſt Epiſtola, a doctiſſimo Autore ad Eminentiſſ. Patrem purpuratum *Quirinum*, de *Paulo III*, Pontifice Maximo, ſed non ſuper eodem argumento, perſcripta. Initium
Pag. 4. differendi fit ab Epiſtola Eminentiſſ. *Quirini*, qua literis ſuperioribus Summe Reverendi Autoris reſpondetur, afferunturque teſtimonia nonnulla, *Pauli III* vitam moresque comprobantia. Sumit ſibi hæc Noſter perluſtranda, ita tamen, ut antea de eo, quod in capite cauſæ verſatur, Eminentiſſ. Car-
5. dinalem moneat. Nulla enim fuerat concertatio inter ipſum, & diſſentientem *Quirinum*, de egregia mentis indole, animique dotibus, quibus *Paulus* largiſſime inſtructus fuit; ſed de eo quæſtio agitabatur, num de ſacrorum emendatione ipſe fuerit ſerio ſollicitus. His poſitis, facile nervi inciduntur elogiorum, de Pontifice iſto ab Em. *Quirino* prolato-
6. rum, quorum curatiorem explorationem, amplioremque excuſſionem, alii tempori reſervandam Noſter duxit. In præ-
7. ſentia ipſi ſufficit, *Joannis Caſæ*, *Lazari Bonamici*, & *Petri Aretini*, nomina notare, & breviſſimis beneficia honoresque ob oculos animosque lectorum ponere, quibus allecti illi fuerant, ut in laudes *Pauli* excurrerent, ſibique ſedulo caverent, ne ingrati animi notam incurrerent, ſi, quæ vere
9. geſta eſſent, cum poſteris communicarent. Ad ea, quæ ex Cardinalis *Contareni* epiſtolis Eminentiſſ. *Quirinus* propoſuerat, docte reſpondetur, & utrumque argumentum, tum ad autoritatem Romanorum Pontificum, tum ad Jureconſultorum
13. circa illam opiniones, ſpectans, ex ipſis rei eccleſiaſticæ fon-
15. tibus declaratur. Nec inter ea *Lutherus* noſter ſine defenſione abit, a *Contareno* temere notatus, quaſi occaſionem conſcribendi libelli ſui *de captivitate Babylonica eccleſiæ* inde
17. ab opinionibus Jureconſultorum ſtrigoſis arripuiſſet. Suam tamen Venerabilis Autor *Cantareno* laudem non invidet, ideo

ipſi

Digitized by Google

ipſi decernendam, quod avaritiam, ambitionem, ceteraſque pravas actiones, curiæ Romanæ ingenue profeſſus fuerat. His relictis, caput rei, hoc eſt, quæ ab *Henrico VIII* in negotio ſacrorum emendandorum geſta ſunt, Noſter aggreditur. Magnopere Em. *Quirinus Pauli III* prædicaverat prudentiam, erga Regem Angliæ, immorigerum ſedis Romanæ filium, adhibitam. Expediendæ hujus cauſæ duo requiruntur momenta, quorum alterum circa argumenta Em. Patris Purpurati refellenda, alterum circa ipſam reformationis formam, ab *Henrico VIII* inſtitutam, occupatur. In utroque ita Noſter verſatur, ut quivis facile videat, non tam ad polemicarum, quam hiſtoricarum, literarum claſſem hoc ſcribendi genus pertinere. Non diſſimulantur *Henrici VIII* vitia & facinora minus laudanda. Multa tamen inveniuntur in vita ejus, de quibus Anglia, inprimis quod ad ſacrorum curam, plurimas gloriandi habeat rationes. Maximo repurgandi ſacra ardebat deſiderio; cujus rei *Sleidanus* autor eſt locupletiſſimus. Socias inde manus ad conficiendum graviſſimum hoc negotium lubens offerebat, maximamque *Henrici* gratiam *Lutherani* inituri fuiſſent, ſi ipſius & *Catharinæ* Hiſpanicæ divortium ſuo ſuffragio communire voluiſſent. Multi inſuper Angliæ oratores publice miſſi, cum *Luthero*, *Melanchthone*, & aliis Saxoniæ Theologis, colloquentes, nunquam vero in doctrinis convenientes, hujus rei fidem reddunt certiorem. Clandeſtina tamen a Pontificiis ſparſa diſſidiorum ſemina, aliaque impedimenta, unionem, *Lutheranos* inter & Angliæ ſocios ſuſceptam, irritam reddebant. Turbida inter hæc tempora *Pauli* celebratur prudentia atque æquitas erga *Henricum* maxime conſpicua. Hanc ut confirmaret Em. *Quirinus*, teſtimonio uſus eſt *Thuani*, Autoris laudatiſſimi. Demonſtrare hic Noſter ſtudet, teſtimonium illud excitatum minus in rem præſentem quadrare, ubi non de reliquis *Henrici* vitiis & virtutibus, ſed de ipſius cura circa ſacra, quæſtio inſtituatur; nec Pontificis invidiam in *Henricum* originem aliunde traxiſſe dicit, quam ex odio atque diſſidio aliquo domeſtico, quo Pontificem ex ſedibus ſuis in Anglia dejecerat

18. 19. 20. 21. 24 25.

Pag. 28. jecerat *Henricus* laudabili ſane conſilio. In hujus itaque diſ-
ſidii cauſam amplius inquirit Noſter, &, quæ ad tempora
31. ea ſpectant, literarum, geſtarumque rerum, monumenta af-
fert, ex quibus natales & incrementa hujus rei plene co-
gnoſci queant. In divortium deinde *Henrici*, ejusque cauſas,
altius inquiritur, &, quam præclare hic egerit Rex Angliæ,
oſtenditur, ut ex his omnibus dijudicari poſſit, quæ tunc
34. temporis ratio fuerit habita. Memoratu hic eſt digniſſimum,
diſſenſionem iſtam, de divortio *Henrici* ortam, præcipuam
ſacrorum in Anglia emendandorum præbuiſſe cauſam, inopi-
natam quidem & inexſpectatam, ſed ſaluberrimam. Multa
præterea occurrunt in hoc campo rerum momenta, quæ atten-
tionem merentur, & providentiam divinam mire teſtatam fa-
35. ciunt. Quid vero amplius fiebat inter harum contentionum
ſemina? Denegabat *Henricus* Pontifici obſequium; leges de
inſtituendis ſacris purioribus ferebat; Eccleſiæ Anglicanæ
ſummum in ſe ſuſcipiebat regimen, ſummamque poteſta-
36. tem. Qua in cauſa nihil eſt, quod culpandum videatur.
38. Interſeruntur hic capita quædam, libertatem eccleſiæ An-
40. glicanæ antiquioris non parum illuſtrantia. *Pauli III* mo-
deratio in ſubſidium vocatur, ut prudentia atque integritas
ipſius in revocando *Henrico* dilucidius appareat. Eminet vero
42. iſta, judice Em. *Quirino*, in ſero promulganda in Regem *Henri-
cum VIII* execratione, quam vocant Bannum eccleſiaſti-
cum. Ratio vero hujus lenitatis in promtu eſt. Facile enim
prævidebat *Paulus*, fulmina ſua vana atque irrita eſſe futura;
hinc, commodam potius eſſe exſpectandam occaſionem, puta-
43 bat, qua concordia inter ipſum & *Henricum* reſtitueretur. Suc-
cedit nunc de *Pauli* ſapientia, in hoc negotio adhibita, tractatio.
Conſpicua hæc redditur ex variis atque moleſtis *Poli* Patris pur-
purati modo in Angliam, modo in Hiſpaniam & Galliam, ſuſce-
45. ptis legationibus. Hoc licet *Pauli III* inſtitutum reprehenden-
dum non eſſet, eventu tamen proſpero conſilia omnia fuerunt
deſtituta, cum morbo inveterato fruſtra medicina pararetur.
Niſi, peccaſſe in eo *Paulum*, forſitan quiſpiam dixerit, quod
46. *Polo* uſus fuerit in Anglia oratore publico, cujus liber *de uni-*

tate

Digitized by Google

tate eccleſiaſtica varias in Anglia jam excitaverat murmurationes, licet publici juris nondum factus eſſet, ut adeo ipſi minus tutus illic videretur manendi locus. Ipſe tamen Pontifex ſapienter omnino egit in eo, quod *Poli* librum, nimis acri calamo conſcriptum, opprimendum curaverit. *Poli* vero in Galliam & Hiſpaniam legatio excuſationem plane nullam habet, eo quippe directa, ut *Pauli* conſilia de debellando *Henrico VIII*, a *Carolo V* & *Franciſco I*, Rege Galliæ, firma redderentur, & proſperum ſucceſſum nanciſcerentur; quæ omnia ab Autore noſtro ita exponuntur, ut nullus facile dubitationi relinquatur locus. Contenderat Em. *Quirinus*, Regem Galliæ omnem *Pauli III* cauſam in ſe defendendam ſuſcepiſſe, ſed, quam fruſtra hæc dicta fuerint, facile apparet ex ipſis *Poli* literis, hac de re ad Pontificem perſcriptis, & a *Quirino* editis. Confirmatur hoc quoque ex aliis virorum celeberrimorum in Gallia literis, quorum autoritati fides temere non eſt abroganda. His omnibus vero fruſtra tentatis remediis ad revocandum *Henricum* ad concordiam, cum curia Romana ineundam, ad ipſum anathema, tanquam ad anchoram ſacram, Pontifex profugit. Nihil attinet hic plura commemorare de atrocioribus *Henrici* facinoribus, quorum de cauſa in jus vocabatur a Pontifice. Nec noſtrum eſt, palliare *Henrici* crimina. In utramque tamen partem hic diſputari poteſt; ſique recte cauſam rerum ponderare velimus, *Henricus*, quod inprimis ægre ferebant Pontificii, juſte egit in hominibus quibusdam neci tradendis ob denegatam jurisjurandi fidem. Quicquid tamen hujus rei ſit, iniquius certe *Paulus* egit, in *Henrico* nulla probabili de cauſa excommunicando, in civibus ipſius ſollicitandis, & prole ejus a ſpe regni herciſcundi excludenda. Irrita tamen hæc fulmina in *Henricum* mittebantur. Alterum moliens tractationis argumentum Noſter, primordia emendationis ſacrorum in Anglia quæri, docet, in motu iſto ſalutari, *Lutherum* inter & Pontificem excitato. Ipſe *Henricus* primis ſtatim temporibus huic negotio ſe immiſcuit, & cum *Luthero* per literas diſputavit, licet non abnuat Noſter, multas in his rebus *Philippo*,

[Margin: Pag. 47. 48. 50. 52. 55. 56. 57. 58. 59.]

 Mar-

Marchioni Haſſiæ, quin imo plurimis, eſſe deferendas partes.
60. Maximi tamen interfuit Regis Angliæ, ut ſacra repurgarentur,
& jugum Pontificium excuteretur, id quod doctiſſimi viri ſæ-
61. pe multumque evictum dederunt. In aggrediendo vero
opere iſto difficillimo circumſpecte Regi erat agendum, ut
non ſolum ſacra emendarentur, ſed emendatio etiam firma
62. atque inconcuſſa redderetur. Hinc jurisjurandi religione ob-
ſtringebat cives, ut ſummam Principis poteſtatem in rebus
63. externis, ad religionem ſpectantibus, agnoſcerent; publice
prohibebat, & edicto cavebat, ne denarius *Petri*, vulgo ita
64. dictus, ſedi Romanæ amplius expenderetur; Annatas, antea
66. curiæ Romanæ oblatas, reſcidit; deſidioſos monachos mona-
ſteriis partim expulit, partim ad labores adſtrinxit;
monaſteria alia deſtruxit, alia uſui publico addixit, opes-
69. que ibi corraſas ærario publico vindicavit. In doctrinis
fidei craſſas ignorantiæ nebulas diſpellendas, & Scriptu-
ram ſacram puriori reſtituendam nitori, atque in linguam
71. Anglicanam transferendam, curavit. Eandem laudatiſſi-
mus *Henricus* operam adhibuit in libris eccleſiaſticis con-
ficiendis, ut ſacra commodius in lingua vernacula fieri poſ-
74. ſent. Rationem etiam articulorum fidei habuit. Quid
circa eos immutatum fuerit, quoad Pontificiorum inpri-
mis doctrinas, & quæ præterea notatu in confeſſione fidei
Anglicana digna exſtent, calcem libelli noſtri premunt, ut ju-
83. dicatu fiat haud difficile, *Henricum* ita emendaſſe doctri-
nam cultumque publicum in cœtu ſanctiori, ut laude etiam
ſit mactanda ipſius opera, & verbo divino conſentanea repur-
84. gatio hæc nominanda. Coronidis loco Summe Venerabili
Autori placuit, nonnulla addere de meritis *Henrici* in Luthe-
ranum cœtum. Referuntur huc potiſſimum ipſius legationes
ad Lutheranorum conventus, nec non libelli, publice emiſſi
adverſus Mantuanum & Vincentinum Concilium. Quæ omnia
ſatis docent, quam ſerio de emendandis ſacris *Henricus* ſemper
cogitaverit. Hæc ſunt, quæ ex his doctiſſime perſcriptis literis
cum Lectoribus noſtris communicanda duximus, certo confiſi,

fore,

Digitized by Google

ſore, ut iidem Autori noſtro pro exantlatis hiſce laboribus, quibus in eccleſiæ emolumentum, & in rei publicæ literariæ inſignes fructus, præclare eſt defunctus, publicas ſolennesque gratias decernant.

JO. ALBERTI FABRICII, SS. THEOL. D. & Prof. Publ. Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis. Volumen ſextum. P. Z. Liber XVII, XVIII, XIX, XX, & XXI, quos poſt fata Viri ſummi addidit CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS. Accedit COELII SEDULII Carmen de verbi incarnatione.

Hamburgi, ſumtu Joannis Caroli Bohn, 1746, 8.
Alph. 2 plag. 13.

Celeberrimus continuatæ Bibliothecæ *Fabricianæ* Autor præclarum hoc negotium ſuſcepit autoritate ſuaſuque *Jo. Chriſtophori* & *Chriſtiani Wolfiorum*. Omne ſcriptorum genus, quod a *Fabricio* adhibitum videbat, conſuluit, rerum ſuarum fideliſſime ſatagens. Hoc magis laudandus, quod ſimillimum *Fabriciano* dedit opus, neque tamen niſi paucas beati Viri ſchedas, a Celeberrimo ejusdem genero, *Reimaro*, cum ipſo communicatas, in manibus habuit. Primos inter ſunt, de quibus hic agitur, ſcriptores *Polemius Silvius Bollandus*; *Xicco Polentonus*, de quo tanto brevior eſſe potuit, quanto fuſior atque accuratior olim in ſingulari Diſſertatione fuit Cel. *Kappius* noſter; ejus filius, *Modeſtus Polentonus*; *Martinus Pollichius Mellerſtadius*; *Polydorus Vergilius*, Urbinas; *Petrus Pomponatius*, de cujus vita evolvi merentur *Niceronus* in *Commentariis T. XXV*, *Belius* in *Lexico*, & *Jo. Gottlieb Olearius* in peculiari Diſſ. Jenæ A. 1709 edita; *Jo. Jov. Pontanus*, Cæretanus ex agro Spoletano, qui, A. 1426 natus, *Joviani* nomen ex more illorum temporum Neapoli aſſumſit, ubi apud *Ferdinandum I* Regem gra-

tia

tia multum valuit, cui primum a ſecretis fuit, poſt filii *Alphonſi II* inſpector, deinde vero a ſecretis, obiit A. 1503, ætatis 77; *Ponticus Virunius*; *Porcellus*, vel *Porcellius*; *Porchetus Salvaticus*; *Potho*; *Præpoſitivus*; *Primaſius*; *Priſcianus*; *Proſper Aquitanicus*. Quid autem? Quaſi vero hujusmodi de indice facile dari excerpta poſſent; aut ſufficerent lectoribus nuda nomina, quæ quidem hujus ætatis omnia ipſemet ibi ſe reperturum haud temere arbitrabitur; aut tandem crederemus, ullum fore literariæ Hiſtoriæ ſtudioſum, quin ipſum illum librum, quem nominaſſe & commendaſſe ſufficit, ſupellectili addat ſuæ? Quæ cum ita ſint, ſola Cel. *Schættgenii* obſervatio prævia commemoranda adhuc videtur, quæ *Sedulii* Carmen, ex MSto Codice Corbejenſi, ante annos nongentos exarato, deſumtum, nobis deſcribit. Memorat ibi, ex quo Codice *Juvenci* librum in *Geneſin* eruerit, in eodem exſtare ſine ullo Autoris nomine *Sedulii*, Presbyteri Scoti, operis paſchalis Librum I, cui tanquam pars ejusdem, nulla interpoſita diſtinctione, nulla diviſione, nulloque titulo, præmittatur illud de verbo carnem induto poema. Id cum ſingulari ſtudio perlegiſſet, eundem in priore & ſequente lucubratione ſtilum animadvertit, nihilque incommodi vidit, ſi uni eidemque Autori, nempe *Sedulio*, laborem utrumque attribueret. Inprimis dum ipſe *Sedulius* judicium confirmavit ſtatim initio carminis, quo paſchale opus *Theodoſio* Auguſto dedicatum fuit. Unde patet, *Sedulium* in opere paſchali *Virgilium* Poetam imitari, ejusque locutiones divino adaptare ſenſui ſibi propoſuiſſe. Id autem in carmine, quod hic legitur, ſic etiam fuit obſervatum, ut vix ſit verſus aliquis, qui *Virgilium* non referat. Unde & ſingulos *Virgilii* verſus, a *Sedulio* expreſſos, ſubjiciendos curavit Cl. Editor. Ex iisdem patebit, centonem fere *Virgilianum* dici poſſe illud ipſum recens nobiſcum communicatum Poema.

Pag. 54 hujus *Menſis lin. 6* quod *Orationis* pro *Orationes* legitur, id vitio factum operarum ſcito.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLVIII.

Pars I.

NUMISMATA ÆREA SELECTIORA MAXIMI moduli e Muſeo Piſano, olim Corrario.

Venetiis, apud Jo. Bapt. Albritium, Hieronymi filium, ſine indicio anni, fol. maj.

Conſtat Tabb. æn. 92.

IN NUMISMATA ÆREA SELECTIORA MAximi moduli e Muſeo Piſano, olim Corrario, Commentarii.

In Monaſterio Benedictino-Caſinate S. Jacobi Pontidæ agri Bergomatis, apud Joannem Santinum, ſumtibus Societatis, 1740, fol. maj.

Alph. 2 plag. 18.

IN NUMISMATA ÆREA SELECTIORA MAximi moduli e Muſeo Piſano, olim Corrario, Animadverſiones.

Tomi II.

In Monaſterio Benedictino-Caſinate S. Jacobi Pontidæ agri Bergomatis, apud Jo. Santinum, ſumtibus Societatis, 1741 & 1744, fol. maj.

Tom. I Alph. 3 plag. 5, Tom. II Alph. 3 plag. 3.

Digitized by Google

in templo, quod eis erexerat *Tarquinius*, viſebantur, Rev. Autor monet. Ibi enim tria exſtitiſſe fana, æquali diſtantia communibus conjuncta lateribus, *Dionyſii Halicarnaſſenſis* teſtimonium, a Rev. Autore adductum, declarat. In nummo ejusdem *Hadriani*, *Sabina*, Imperatoris uxor, effiсta cernitur, & *Auguſtæ* elogio nobilitatur. Obſervat vero Rev. Autor, in Chronico Alexandrino pariter ac apud *Euſebium*, non niſi decimo, aut undecimo, imperii *Hadrianei* anno eam *Auguſtam* renuntiatam eſſe, legi, & *Hadrianum* quoque tunc temporis demum patris patriæ cognomen nactum eſſe. Cum tamen inſcriptiones & numi, etiam primis imperii ejus temporibus cuſi, eum patrem patriæ repræſentent; ea monumenta cum ſcriptoribus citatis conciliaturus Rev. Autor, datum quidem *Hadriano* ab aliis jam tum imperii initio *Patris Patriæ* nomen, & *Sabinæ* uxori illud *Auguſtæ*, concedit, ſed, *Hadrianum* non niſi ſero illud ſibi ſumſiſſe, & hoc tribuiſſe uxori, contendit, eamque rem ex *Spartiani* loco comprobat.

Pag. 32. Nummus *Antonini Pii*, in quo iſte Imperator capite laureato, togatus, cum ſceptro aquila ornato in ſiniſtra, adſtantibus ſibi duobus parvulis, ſtat, & curru rotundo, a quatuor equis tracto, vehitur, pompam *Antonini* conſularem & triumphalem ſimul Rev. Autori indicare videtur. Confutat hujus nummi autoritate *Aurelium Victorem*, cui *Antoninus triumphorum expers* dicitur. Laurum nempe triumphorum fuiſſe ſignum, obſervat, cum eam aliquando aquila in gremium *Liviæ* ex alto dejecerit, ac triumphans poſtea *Cæſar* ramum lauri in manu tenuerit, coronamque lauream capite geſſerit, quod reliqui poſtea Cæſares itidem factitarunt. Triumphi autem honore dignum fuiſſe *Antoninum*, eumque & Britannos per *Lollium Urbicum*, Legatum, viciſſe, Mauros ad poſtulandam pacem coegiſſe, & quamplurimas alias gentes, vel rebellantes, vel hoſtes, compeſcuiſſe, Rev. Autor comprobat. Currus, in quo conſtitutus hic viſitur *Antoninus*, neque bellicis, neque iis, eſt ſimilis, qui in ludis adhibebantur, ſed in modum turris rotundæ confectus. Duas figuras, quæ ſimul in curru triumphali conſpiciuntur, duas ejusdem

Digitized by Google

ejusdem filias denotare, Rev. Autor exiſtimat, cum, liberos & cognatos triumphantem ſecum habere conſueviſſe, ex *Zonaræ* Annalibus conſtet. Cum autem ſimul ſceptrum aquila ornatum; Conſulibusque proprium, hoc in nummo geſtet, pompam ſimul triumphalem hic repræſentari, Rev. Autor ſtatuit. Sæpius vero Conſules ſolenni ritu in publicum proceſſiſſe, & inprimis Calendis Januariis, quando munus auſpicabantur, id factum eſſe, idem Doctiſſ. Autor monet. Quartum Conſul hoc in nummo *Antoninus* dicitur. Conſulatum Calendis Januariis A. U. C. 898 eundem iniiſſe, ex Faſtis Conſularibus Rev. Autor nos docet. Nummum Imperatoris *Commodi*, in quo iſte Imperator capite leonina pelle tecto, & aratrum ducens, comparet, & *Hercules* Romæ conditor memoratur, explicaturus, ex *Dione Caſſio* obſervat, *Commodum*, abſciſſo Coloſſi capite, ſui capitis imaginem repoſuiſſe, data ei clava, æneoque leone ſubjecto, ut *Herculi* ſimilis eſſet. *Commodum* inſuper, repudiato nomine paterno, *Herculem* ſe, *Jovis* filium, vocaſſe, *Herodianus* commemorat. Romam pro colonia ſua eum venditaſſe, ex *Dione Caſſio* apud *Xiphilinum* intelligitur. Eam igitur ob cauſam aratrum ipſi hoc in nummo tributum eſſe, quippe quo conditores urbis, ſpatium ejus indicaturi, utebantur, Rev. Autor obſervat. *Julia Auguſta*, Imperatoris *Severi* uxor, *pia* & *felix* in nummo, in ejus honorem cuſo, dicitur; thenſa etiam, a duabus mulis vecta, in eo nummo comparet, qua alias exuviæ Deorum ludicris Circenſibus in circum ad pulvinar transferri ſueverunt. Hos autem honores & hæc elogia per adulationem *Juliæ* fuiſſe decreta, eamque adulteriis famoſam & conjurationis conſciam fuiſſe, imo & inedia tandem ſe ipſam confeciſſe, adeoque nec piæ, nec felicis, cognomen mereri, Rev. Autor ex veterum locis quamplurimis oſtendit, omniaque de *Julia* illa notatu digniora affert. In honorem vero ejusdem *Juliæ Domnæ* nummum cudi curavit Tarſus, in cujus adverſa parte caput *Juliæ*, in averſa autem mulier turrita, cippo, cui gryphus inſculptus eſt, inſidens, viſitur, dextra ramum tenens, dependentibus ex eo fructibus, cum exultante in aquis figura

Pag. 43.
83.
103.

figura virili, & epigraphe: ΑΔΡ ΣΕΥΗΡΙΑΝΗ ΤΑΡΣΟΣ Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. Τ. Β. Eam inſcriptionem Rev. Autor per verba: *Hadriana Severiana Tarſus, Metro-*
Pag. 104. *polis, decreto ſenatus,* interpretatur, ſimulque, ad nummi hujus explicationem, obſervat, Tarſum cognomen *Severianæ* in honorem Imperatoris *Severi* aſſumſiſſe, uti prius a *Cæſare* Juliopolis, ab *Hadriano Hadriana*, dicta fuerit. Metropoleos honorem a potentia & civium multitudine eam aſſecutam eſſe, ex *Strabone* oſtendit. Turritum caput coronam muralem indicare videtur. Ramum ideo dextra tenere ipſi videtur Tarſi figura, quia primi Tarſenſes collectos fructus ſiccare, hiemique ſeponere, conſueverunt, unde Tarſum nomen accepiſſe, *Eratoſthenes* narrat. Cippus vero, cui figura urbis hic inſidet, grypho *Apollini* ſacro ideo inſignitus Rev. Autori videtur, quia *Apollo* Muſarum dux atque cuſtos habebatur, & Tarſi quondam bonæ literæ adeo florebant, ut Athenas & Alexandriam ea urbs vinceret. Figura virilis, immerſa exultansque in aquis, Cydnum amnem ex ſententia Rev. Autoris deſignat, de quo, mediam Tarſum perfluente, ea urbs ſibi, *Marcellino* teſte, valde gratulabatur. Sættenorum, Aſiæ gentis, nomen, cum in nummo quodam *Gordiani* expreſſum legatur; ejus memoriam admodum obſcuram eſſe, adeoque omnem iſtius gentis notitiam a ſolis nummis peti debere, Rev. Autor judicat. Inter duo flumina poſitos Sættenos fuiſſe, nummus hic indicare ipſi videtur, cum in eo genius urbis, qui ſub Dei *Luni* figura comparet, inter duos viros, eo habitu procumbentes, quo flumina pingi ſolent, conſpiciatur. Hæc autem flumina Hermum & Hyllum eſſe, ex aliis duobus nummis, ab *Harduino* editis, Rev. Autor comprobat. Cumque Hyllus non procul a Sardibus Hermo infundatur, id quod locus *Herodoti* adductus comprobat, exinde, Sættenos non procul ab illa urbe habuiſſe ſedem ſuam, concludit. Inſcriptionem hujus nummi, injuria temporis vehementer exeſam atque corruptam, ex alio Regis Chriſtianiſſimi nummo, noſtro ſimili, reſtituit. Antiſtites denique, *οἱ Σέττων*, in noti-
114. tiis eccleſiaſticis occurrere, & Lydiæ aſſignari, monet. Perinthi

rinthi figuram ideo in nummis turritam exhiberi, contendit, quia in edito peninſulæ jugo ſita erat. Cornu copiæ vero, quod eidem figuræ additum eſt, abundantiam ubertatemque ejus loci ſignificare contendit, quæ Perintho tum potiſſimum, quando Byzantium ipſi per *Severum* tributarium factum eſt, contigiſſe, Rev. Autor monet. In nummo quodam *Antonini*, *Claudius Alexander* aliquis στρατηγὸς καὶ θεόλογος Περγαμηνῶν dicitur. Theologi ergo officium, quod Prætori huic Pergamenorum commiſſum erat, in eo conſtitiſſe, ut res de Diis ſacras ſermonibus explicaret, populumque edoceret, Rev. Autor obſervat. Hunc quoque *Claudium Alexandrum* in Olympicis, quæ tunc edidit, certaminibus, in quorum quippe memoriam nummus hic cuſus eſt, & præſediſſe, & orationem de Diis pro more habuiſſe, ipſi videtur probabile. *Hadrianum* quoque, quando Smyrnæos bis neocoros fecit, eis Theologos, aliosque ſacrorum miniſtros, conceſſiſſe, ex marmoribus Oxonienſibus idem oſtendit. Et hunc quidem in modum nummos, hoc in Muſeo obvios, Rev. Autor interpretatus eſt. *Tertius* hujus Operis *Tomus*, qui *Obſervationum primus* eſt, talia continet, quæ ad nummorum explicationem generatim faciunt. Cum Imperatorum nummos Rev. Autor expoſuerit, de nomine etiam & dignitate Imperatoris primo loco diſputat. Libera nimirum republica, ſummis bellorum ducibus ob victorias, tum & aliis, qui plenam imperii alicujus adminiſtrandi poteſtatem habebant, deferri hoc nomen conſueviſſe, Rev. Autor obſervat. Sublata republica, ſupremi in orbe Romano faſtigii atque dominii cognomentum factum eſt, quamvis hoc pacto antiquior vocis Imperatoris ſignificatio neutiquam in deſuetudinem abierit. Ad Imperatoris adeo elogium ob victorias obtinendum, quendam ipſarum victoriarum modum, certumque cæſorum hoſtium numerum, fuiſſe præſtitutum, qui tamen diverſis rei Romanæ temporibus diverſus fuerit, Rev. Autor monet, &, per tempora eundo, hunc victoriarum modum deſcribit. In uno eodemque bello, quamvis plurimæ victoriæ fuerint reportatæ, non tamen plus, quam ſemel, Imperatoris nomen reportaſſe duces

Pag. 115.
123.
1.

Pag. 3. ces bellicos, obſervat. *Julio Cæſari* poſt ſuperatos in Hiſpania *Pompeji* filios Imperatoris nomen a ſenatu delatum fuiſſe, ex *Dionis Caſſii* loco monſtrat, hocque nomen ſupremam in republica poteſtatem continuiſſe, urget. Confutat ſimul *Noriſium* atque *Pagium*, qui, ſummam poteſtatem *Cæſari* per Imperatoris elogium ideo dari potuiſſe, negarunt, quod di-
4. ctatoria poteſtate jam eo tempore *Cæſar* polluerit. Contrarium autem ex luculentiſſimo *Dionis Caſſii* teſtimonio patere, atque per Dictaturam ſummum imperium in urbe ac toto Romano imperio neutiquam obtinuiſſe *Cæſarem*, Rev. Autor contendit, ſuam ſententiam quampluriimis veterum locis con-
5 ſeq. firmans. Sequentes etiam Cæſares Imperatorum titulo non tantum ut honoris nomine uſos eſſe, verum etiam ſupremam potentiam hac voce deſignaſſe, comprobat. *Har-*
9. *duinum*, inter ἀυτοκράτωρα & Imperatorem diſtinguentem, confutat. Βασιλέας ſæpius Imperatores Roma-
11. nos vocari, contra eundem *Harduinum* evincit. Vocem *domini*, in nummis Imperatorum frequentiſſime obviam, ſummam poteſtatem indicare, contra eundem ſæpe citatum *Har-*
15. *duinum* accurate oſtendit. Jam vero Imperatoris titulus, ob victorias conceſſus, *Cæſarum* tempore neutiquam ab uſu receſſit, uti locus *Dionis*, a Rev. Autore adductus, luculenter declarat, unde &, victoria impetrata, *iterum*, vel *tertium*, *Imperatores* dicti ſunt. Cæſares ergo, quando ſummum in orbem Romanum accipiebant imperium, ſemel, ac primo, & prænominis loco, Imperatorum compellationem aſſumſiſſe, Rev. Autor monet, eosdem vero ipſos, ſi quam victoriam obtinuiſſent, *Imperatoris iterum* elogio fuiſſe mactatos, urget. Quotiescunque igitur numerus titulo Imperatoris additus occurrit, tunc non tot victorias, quot ſunt numeri, intelligendas eſſe, ſed una pauciores, cum in eum numerum & nomen Imperatoris, quod imperium innuit, veniat, Rev. Autor con-
20. cludit. Hæredes interim imperii deſtinatos, qui titulum Imperatoris ob victorias ante imperium obtinuerant, quando poſtea imperium conſecuti ſunt, minime titulum Imperato-
22. ris auxiſſe, concedit. Aliorum poſtea circa eam rem ſententias,

Digitized by Google

tias examinat, Imperatores plures, eodem tempore creatos, pari honoris ac poteſtatis jure gaviſos eſſe, ſibi perſuadens. Idem Pag. 30.
de illis judicat, qui ab Imperatoribus, tanquam fratres, imperii collegæ creati ſunt, quamvis, primatum tenuiſſe eum, qui alterum in ſocietatem imperii allegerat, non diffiteatur, quod & in filiis Imperatorum, qui collegæ imperii fiebant, obtinuiſſe, monet, quamvis cum *Maximiano Herculeo*, a filio 33.
in ſocietatem imperii allecto, res ſecus ſeſe habuerit. Com- 36.
munionem imperii prævio ſenatus, militum, & populi, conſenſu conſtitui ſueviſſe, Rev. Autor variis exemplis docet. Imperatores aſſumendi conſortes imperii, deſtinandique ſucceſſores, jure gaudebant, eis tamen deficientibus, has partes ſibi ſumebant milites. Abſoluta tractatione de Imperatori- 38.
bus, de Cæſarum nomine Rev. Autor diſputat. De etymo- 41.
logia vocabuli *Cæſaris* varias variorum affert ſententias, &, genti *Juliæ* proprium apud Romanos hoc cognomen fuiſſe, obſervat. Quamvis autem *Cæſaris* progenies cum *Nerone* defecerit, non tamen *Cæſaris* cognomen ideo ſublatum eſſe, ſed ad omnes, quotquot poſtea imperitarunt, nec non ad deſignatos imperii hæredes, tanquam ſucceſſionis notam, perveniſſe, Rev. Autor monet, & *Joannis Harduini*, alia omnia ſentientis, opinionem graviter exagitat. Tres autem fuiſſe *Cæ-* 42.
ſarum claſſes, ex *Spartiani* loco nos docet. Una fuit eorum, 46.
qui teſtamento imperii hæredes ſcripti, & *Cæſares* appellati ſunt, altera eorum, qui non tantum *Cæſares*, verum etiam imperii collegæ, facti ſunt; tertia illorum, qui, tanquam Principum filii, & deſignati auguſtæ majeſtatis hæredes, admoti ſunt rei publicæ, ſed honore ac poteſtate minore, quam fuerunt non ſolum Auguſti, verum & imperii collegæ. Hac diſtinctione triplicem quoque honoris ac poteſtatis gradum contineri, Rev. Autor ſtatuit. In iis nimirum, qui teſtamento, vel hæreditate, in familiam *Cæſarum* pervenerunt, honorem ſucceſſionemque ſignificaſſe *Cæſareum* nomen videtur. Illi vero, qui ſimul *Cæſares* & imperii conſortes facti ſunt, honore & poteſtate Imperatoria fuerunt præditi. Tertiæ demum claſſis *Cæſares* aliquam imperii adminiſtrationem ha-

Digitized by Google

buiſſe, Rev. Autor exiſtimat. *Cæſares* ab *Auguſtis*, qui im-
perium tenebant, nonnunquam tamen etiam a Senatu, aut a
Pag. 49. militibus, creatos fuiſſe, commemorat. *Cæſares* tandem *no-*
biliſſimorum elogio in nummis pariter ac apud ſcriptores in-
ſigniri, & inde a *Commodi* temporibus hanc compellationem uſu
52. veniſſe, allatis quamplurimis teſtimoniis oſtendit. *Tertia* Ani-
madverſio de Pontifice Maximo agit. Originem Pontificum
53. Autor ad *Numam Pompilium* refert. Pontifices a ponte
ſublicio, cui reficiendo inter alia præerant, nomen ſortitos eſſe,
monet. Cetera etiam Pontificum officia, eorumque electio-
nem & conſtitutionem, enarrat. Collegio autem Pontificum
Pontifex Maximus præerat, a populo eligi ſolitus, cum antea
ad ſacerdotes ea electio pertineret. *Lepidum* tamen, occiſo
Cæſare, electionem Pontificis Maximi populo reſtituiſſe, dein
vero eam ad Pontifices rediiſſe, uſque dum *Auguſto* illa digni-
tas cum imperio collata, ad omnes ejus ſucceſſores perveni-
ret, Rev. Autor obſervat. An vero plures Imperatores, con-
junctim & ſimul rem publicam adminiſtrantes, omnes etiam
Pontifices Maximi fuerint, an vero unus duntaxat eorum
hanc dignitatem habuerit, de eo valde inter viros doctos di-
55. ſceptatum eſt, quorum ſententias Autor noſter accurate enar-
rat, propriam dein opinionem addens. Statuit nempe, Princi-
pes eodem modo, quo in ſocietatem imperii acciti ſunt, par-
ticipes Pontificatus Maximi factos fuiſſe. Admiſſos itaque
putat hujusmodi conſortes imperii ad obeunda etiam Ponti-
ficatus Maximi munera, demandatamque eis plurimarum,
quæ ad Pontificatus officium pertinebant, rerum curam, inde-
que Pontificum etiam Maximorum nonnunquam titulo or-
natos fuiſſe, ita tamen, ut ipſius Pontificatus apex, ac præ-
cipua officii poteſtas, penes eum maneret, qui imperium
59. cum eis communicaverat. Hanc ſententiam quamplurimis
veterum teſtimoniis ſtabiliens, Imperatores non nomen dunta-
xat Pontificum M. geſſiſſe, verum & munia eorum exercuiſſe,
62. nos docet. An vero Pontificia eorum poteſtas urbis Romæ
pomœriis fuerit incluſa, an ad omnes imperii provincias per-
65. tigerit, definire non audet. Chriſtianos Imperatores Ponti-

ficum

Digitized by Google

ſicum Maximorum compellationem ſibi tribuiſſe, negat, &
quamvis, plurima veterum teſtimonia, quin & nummorum &
inſcriptionum fidem, contra ſe facere, videat, omnia tamen
hæc monumenta rem non conficere, fuſe demonſtrat. Sum-
mam inſuper hanc dignitatem ſacerdotalem ita cum imperio Pag. 71
conjunctam fuiſſe, monet, ut uno eodemque tempore Impe- ſeq.
rator ſimul & Pontifex Maximus aliquis fieret, adeoque a
ſenatu, cum demandaretur alicui, aut confirmaretur, im-
perium, Pontificis Maximi quoque titulum profectum
eſſe urget, id quod veterum teſtimonia, ab Autore appo-
ſita, luculenter ſatis declarant. Solebant quoque Impe- 82.
ratores filios & imperii hæredes in collegium Pontificum co-
optare, cum inde ab *Auguſti* temporibus a Senatu Impera-
toribus eſſet permiſſum, quotcunque vellent, etiam extra
numerum conſtituere. Inde compellatio Pontificum ejus-
modi principibus juventutis in nummis dari conſuevit, id
quod quamplurimis exemplis Cl. Autor confirmat. *Quarta* 83.
Animadverſio de titulo Auguſti agit. Cum nimirum *Octavius*
Cæſar, devicto apud Actium *Antonio*, ſumma rerum potitus eſſet,
imperiumque ſibi hæreditarium feciſſet, Auguſtæ etiam, quam
meruerat, appellationis, iis, qui ipſum in imperio exceperunt,
autor extitit. Qua ratione *Auguſti* compellatio *Octavio Cæ-*
ſari a ſenatu fuerit data, ex *Dione Caſſio* & *Suetonio*
accurate Rev. Autor exponit. Idem, vocem *Auguſtus* ab 86.
avium geſtu, guſtuve, derivari, Græcis Σεβαστὸν dici, ſe-
quiori tamen ævo vocem Ἄυγουστος a Græcis ſubſtitutam eſſe,
eaque voce etiam in nummis uſos eſſe Græcos, nos docet.
Quo tempore *Octavio Cæſari* dignitas & nomen Auguſti da-
tum fuerit, conſtituit, idque A. U. C. 727, die 17 Januarii,
accidiſſe, putat. Ex eo die *Octavius* conſtanter *Auguſtus* 88.
dictus eſt, urbes non paucæ *Auguſtarum* ſibi cognomen ad-
ſciverunt, imo nomen illud compellatio dignitatis facta eſt,
& ad omnes imperii ſucceſſores, tanquam honorum finis,
pervaſit. Conſortes etiam imperii *Auguſtos* eſſe vocatos,
Rev. Autor monſtrat. Nonnullos Principes *perpetuo Au-*
guſtos in nummis dici, exemplo *Julii Cæſaris* obſervat,

Digitized by Google

cui titulo poſtea nomen *ſemper Auguſti* ſucceſſiſſe videtur.
Pag. 89, *Cæſares* tamen, Imperatorum filios, *Auguſtorum* etiam elo-
90. gio in nummis nonnunquam inſigniri, Autor declarat. In *quinta* Animadverſione de *Principibus juventutis* idem diſputat. Cum hoc nomen Imperatorum filiis, deſignatisque imperii hæ-
91. redibus, in nummis tribuatur; ſymbolum futuræ in imperio ſucceſſionis illud fuiſſe, oſtendit Autor, eamque rem quamplurimis exemplis confirmat. Idem, libera republica, primores juvenes, qui militabant, præſertim vero equites, *principum juventutis* elogio mactatos eſſe, obſervat, & fuſe comprobat. Excipit eam Animadverſionem Diſſertatio *de Conſule*. Originem ac poteſtatem
111. Conſulatus, nec non quamdiu quisque Conſulatum geſſerit, Rev.
112. Autor exponit. Differentiam poteſtatis conſularis & dictatoriæ exponit. Conſulem utrumque duodenæ præcedebant ſecures, Dictatorem viginti quatuor, & illi quidem ad multa perficienda, quæ propoſuiſſent, Senatus autoritate opus erat, hic ſui plane juris erat, quo ſemel electo, ſtatim omnes reliqui magiſtratus, Tribunis exceptis, poteſtate ſe abdicabant. *Sullam* vero, Dictatorem creatum, Conſulatum ſibi præter morem ad Dictaturam adjici paſſum eſſe, commemorat, quod exemplum *Julius Cæſar* poſtea ſecutus eſt. Imperatores deinde, cum magis ſecundum normam legum, quam pro arbitrio, rei publicæ præeſſe videri vellent, omnia, quæ in populari ſtatu multum valuerant, Senatu populoque volentibus, una cum nomine ſuſceperunt, Conſulesque ideo ſæpius facti ſunt, quamvis nonnun-
113. quam & aliis Conſulatus honorem relinquerent. Imperatores ergo in nummis & lapidibus Conſules, pro numero geſtorum Conſulatuum, frequentiſſime dicuntur. Non tamen illos tantum Conſulatus, quos in imperio geſſerant, verum etiam quos privati adhuc adminiſtraverant, connumerare *Augu-*
115. *ſtos* conſueviſſe, obſervat Autor. Tres vero Conſulum ordines notandos eſſe, monet: ordinariorum nempe, qui Calendis Januariis magiſtratum inibant, nomenque anno dabant; ſuffectorum, qui, abeuntibus primis, in eorum locum per annum ſufficiebantur; illorum denique, qui nihil præter ornamenta conſularia obtinebant. Hos ultimos, poſt *Severi*

Impera-

Digitized by Google

Imperatoris tempora, quotieſcunque Conſulatum re vera
obtinebant, *Conſules iterum* dici conſueviſſe, Rev. Autor mo-
net. Idem, libera republica centuriatis comitiis Conſules fuiſſe Pag. 121.
creatos, obſervat. Oppreſſa vero libertate, Conſulum crean-
dorum jus ad *Auguſtos*, eisque permittentibus, ad Senatum,
deveniſſe, tradit. Ab Imperatoribus ergo, aut a Senatu, deſi-
gnatos fuiſſe Conſules, qui in proximum annum, quandoque
& in ſubſequentes, magiſtratum gerere debebant, nos docet,
tandem *Antonii Pagii* de Conſulibus deſignatis ſententiam, ce-
teraſque, quas ille dedit, regulas hypaticas, fuſe examinans, 122.
&, eruditas quidem eas eſſe, ſatisque ſubtiles, at falſas &
fallaces, contendens. Cum vero non Conſules tantum, ve- 153.
rum etiam Proconſules, fuerint Imperatores, abſolutis iis,
quæ ad Conſulatum pertinent, de Proconſulibus diſputat, &,
expoſita aliorum hac de re ſententia, quid ipſe de Procon-
ſulatu Cæſarum ſtatuat, ſubjungit. Stante republica legem
tuliſſe *A. Gabinium* Tribunum docet, ut, cum piratæ aperto
marte contra rempublicam dimicarent, quasdam quoque
Italiæ urbes depopulati eſſent, *Cn. Pompejus* ad eos oppri-
mendos mitteretur, eſſetque ei imperium æquum in omnibus
provinciis cum Proconſulibus, uſque ad quinquageſimum mil-
liarium a mari. Idem jus, biennio ante, *M. Antonio* Prætori de-
cretum fuerat, cujus imperium *infinitum* a *Cicerone* dici, Rev.
Autor obſervat. Nihilo tamen ſecius, nec *M. Antonio*, nec 156.
Pompejo, aliud imperium niſi æquum in provinciis cum Procon-
ſulibus, & duntaxat uſque ad quinquageſimum milliarium a ma-
ri, delatum eſſe, & ad tempus ſaltem conceſſum, idem docet.
Imperatores vero, ſublata republica, nullis locorum temporis-
que limitibus coarctatum imperium, ſed perpetuum, & majus,
quam ipſi provinciarum Proconſules quondam habuerant, &
quidem in omnes orbis Romani provincias, obtinuiſſe, conten-
dit. Quoties ergo illi extra pomœrium conſtituti erant, to-
ties *Proconſules* fuiſſe dictos, citatus *Dionis Caſſii* locus decla-
rat. Quamvis vero in urbem redeuntes Proconſulatum non 157.
deponerent; non tamen intra mœnia hoc officium exerce-
bant, cum nullus in urbe eidem locus eſſet. In provinciis

 etiam,

Digitized by Google

etiam, quamvis majorem ibi, quam præfecti earum, obtinerent autoritatem, non omnia tamen intuitu Proconſulatus facere eis licebat, cum ſummo imperio, quod in omnes magiſtratus, tam in urbe, quam extra eam, exercebatur, Proconſulatus etiam ſubeſſet, nec niſi ratione ſummi imperii omnia pro arbitrio etiam in provinciis agebant Imperatores. Differentiam hanc dignitatis Proconſularis & Imperatoriæ Rev. Autor accurate exponit, atque, ob dignitatem proconſularem neminem potuiſſe Imperatoris elogio inſigniri, contra *Pagium* urget. Proconſulatum Cæſarum univerſalem & perpetuum fuiſſe, neque, redeuntibus in urbem Imperatoribus, ceſſaſſe,
Pag. 159. contra *Noriſium* evincit. Et, quamvis in nummis & inſcriptionibus Imperatores nonnunquam Proconſules *iterum*, vel *tertium*, vel *quintum*, dicantur, hoc tamen ſuam ſententiam non convellere, & hac formula non renovatum Proconſulatum, ſed numerum expeditionum militarium, indicari, con-
162. tendit. Dixerat ad illuſtrationem nummi ſecundi Tabulæ tertiæ hujus Operis Rev. Autor, capita *Antonii* & *Octavii Cæſaris* jugata in eo conſpici, caput vero, quod e regione viſitur, *Octaviam*, *Antonii* uxorem, denotare. Cum autem *Vaillantius* aliique contendant, caput, cum illo *Antonii* conjunctum, eſſe *Antilli*, hujus filii, non illud *Cæſaris*, &, quod e regione viſitur, *Cleopatram*, non *Octaviam*, denotare, ſententiam ſuam novis rationibus hic corroborat, atque oſtendit, *Antilli* & *Cleopatræ* capita hoc in nummo exſtare non poſſe, diſſentientium argumenta admodum fuſe & erudite examinans,
163 ſeq. atque convellens. De populis urbibusque neocoris poſtea diſputat. Etymologiam vocis νεώκοϱος primum inveſtigat. Vocem nimirum eam, a νεὼς, quod Attice dicitur pro ναὼς, & κοϱέω, *purgo*, deſcendere, ac talem ſignificare, qui purgando verrendoque templo operam impendit, obſervat. Vocem tamen κοϱεῖν idem ſæpius eſſe ac κολλωπίζειν, *adornare*, dictitat. Hinc, uſu receptum eſſe, ut neocorus ille potius appellaretur, qui templum ornabat, quam qui id ipſum verre-
190. bat, conſtituit. *Æditimus* talis homo apud Latinos vocabatur, hoc eſt, qui ædes ſervabat, quaſi ædis intimus, pro quo poſtea

Digitized by Google

poſtea *ædituus* appellatus eſt. *Æditiuos* non ſolum templorum cuſtodes, ſed etiam ſacerdotes, fuiſſe, ab æde & ſacris tuendis dictos, eandemque notionem Græcorum neocoris adhæſiſſe, monſtrat. Sacerdotes etiam ſummos & archontes *νεωκόρων* elogio inſigniri, variis exemplis nos docet, ex eoque concludit, neocoros fuiſſe perſonas ſacras, Deorum miniſteriis addictas. Eodem vero ſenſu hanc vocem accipiendam eſſe, ubi de urbibus populisque neocoris agitur, ſtatuit, & diſſentientium argumenta refellit. Urbes neocoras idem eſſe ac ſacras, hoc eſt, certæ divinitati conſecratas, & ejus cultu inclytas, urget, &, urbes ſæpius neocoras eas fuiſſe, quæ majoribus hac de cauſa privilegiis gaudebant, pronuntiat. Ordinem ſcilicet quendam in privilegiis urbium neocorarum augendis obſervatum fuiſſe, contendit, indeque deducit, urbes, majori ſacrorum pompa, majoribusque privilegiis ornatas, inſignioris ordinis exſtitiſſe, ac forte bis terve neocoras inde dictas eſſe. Cultum igitur ſacrorum celebriorem majores etiam ſequebantur honores, parique gradu & ſacrorum pompa, & urbium honor, procedebant. Primi ordinis urbibus neocoris, inter alia, privilegium aſyli conceſſum eſſe, Rev. Autor credit, & variis teſtimoniis comprobat. Secundi ordinis ejusmodi urbibus, quæ majori pompa Deos, aut Imperatores, colebant, præter jus aſyli immunitatem quoque conceſſam eſſe, ſtatuit. Ter quaterque neocoras urbes eas fuiſſe, credit, quæ adhuc majore pompa ſacrorum, majoribusque privilegiis, erant decoratæ. Urbes inſuper, quæ ter quaterque neocoræ dictæ erant, ſi quidem nimia, gravisque urbibus, neocoria eſſet, eaque una cum privilegiis minueretur, minori numero *neocoras* eſſe dictas, Rev. Autor variis exemplis docet. Neocorias tandem ſenatus Romani decretis deferri fuiſſe ſolitas, & ita quidem, ut primo decreto prima neocoria, ſecundo ſecunda, tertio tertia, & ſic porro, deferri conſueverit, monet. Maximum in Aſia feſtum, ob cujus celebrationem inprimis Aſiæ civitates neocoræ dicebantur, fuiſſe *κοινὸν τῆς Ἀσίας, commune Aſiæ, Seldenus* quondam in Notis *ad Marmora Oxonienſia* tradidit. Hoc etenim in honorem Imperatoris ab omnibus Aſiæ Proconſularis

Pag. 191. (margin, beside line 6)

202. (margin, beside "majoribus hac de cauſa")

205. (margin, beside "Cultum igitur")

206. (margin, beside "aſyli immunitatem")

207. (margin, beside "Neocorias tandem")

208. (margin, beside "Maximum in Aſia")

laris incolis celebratum fuiſſe, monuit. Eam ob cauſam civitatem, ad quam hujus feſti celebrandi ergo conveniebatur, præ omnibus primatum ſibi vindicaſſe, atque ea tunc in vulgus ſparſiſſe numiſmata, in quibus ſe πρώτην τῆς Ασίας dicebat, idem *Seldenus* ſtatuit. Inde etiam factum eſſe, ut nunc Epheſus, nunc Smyrna, nunc Pergamus, in antiquis numiſmatibus hoc titulo inſigniantur, *Seldenus* urſit. At enim vero, Smyrnam atque Epheſum eo ipſo tempore, quo commune Aſiæ Pergami celebrabatur, de primatu cum ipſa Pergamo contendiſſe, Rev.
Pag. 209. Autor contra *Seldenum* comprobat, qui, examinatis variorum de primatu urbium ſententiis, eum in nomine & honore, neutiquam vero in potentia, conſtitiſſe, tradit, quam-
218. plurimis argumentis hanc ſententiam confirmans. Primorum titulum a Præſidibus provinciarum concedi conſueviſſe, urget. Titulum primatus locum honoratiorem, & primum, in conventibus publicis, & ſolennitatibus, attuliſſe, teſtimonium *Dionis Chryſoſtomi* citatum declarat. Cauſas, propter quas civitatibus nonnullis primatus concedebatur, Rev.
219. Autor fuſe ediſſerit. Nummos, in quibus primarum elogio
221. inſigniuntur civitates, affert varios, &, primatum certis locorum terminis fuiſſe incluſum, obſervat, ita, ut urbes, primatus dignitate effulgentes, privilegiis atque honoribus, quibus in ſua provincia fruebantur, in aliis provinciis nequaquam ga-
222. viſæ ſint. Frequens eſt in nummis *Aſiarcharum* nomen, quod in Piſanis etiam numiſmatibus ſæpe occurrit, unde de his Aſiarchis peculiari Animadverſione Rev. Autor agit. Aſiarchas nimirum fuiſſe Aſiæ Proconſularis ſacros Principes, ſeu ſacerdotes primarios, plures quidem numero a ſingulis civitatibus primum deſignatos, deinde in publico omnium civitatum concilio electos, qui ludis ſacrisque communis Aſiæ præeſſent, monet. Vocem Ασιάρχης *Aſiæ Principem* denotare, obſervat, ita tamen, ut, qui hoc nomine gaudebant, primas in rebus ſacris obtinerent partes. Hinc in *Actis Apoſtolicis XIX, 31,* Τινὲς δὲ καὶ Ασιαρχῶν in vulgata verſione dicuntur *quidam de Aſiæ Principibus.* Intelligendam vero hic eſſe Aſiam minorem, quæ
223. & *Proconſularis* dicta eſt, Rev. Autor urget, cum Phœnice,

Syria,

Syria, Cappadocia, Lycia, Galatia, & Bithynia, ſuos peculiares ſacrorum principes habuerint, qui Phœniciarchæ, Syriarchæ, Cappadocarchæ, Lyciarchæ, Galatarchæ, & Bithyniarchæ, dicebantur. Cl. *Siberi* ſententiam, quam in *Diſſertatione de Aſiarchis*, ad *Act. XIX, 31*, protulit, multis convellit. Aſiarchas plures fuiſſe, concedit, numerum tamen eorum certo conſtitui poſſe, negat, aliorumque de hac re ſententias confutat. Aſiarchas primum ab urbibus deſigna- Pag. 229.
tos fuiſſe, in concione, quæ circa autumnale æquinoctium haberi ſolebat, deinde nomen ejus, qui domi electus erat, in publico totius provinciæ concilio renuntiari conſueviſſe, tum primum Aſiarcham, deinde ſocios ejus, ſuo quemque loco creatos eſſe, oſtendit. Aſiarchis munia civilia 231.
neutiquam incubuiſſe, contra *Siberum* monſtrat. Res ſacras 234.
potius Aſiarchiam reſpexiſſe, urget, cum *ſacerdotium provinciæ* non quidem in *l. 6 ff. de Excuſ. tut.* uti Rev. Autor perperam citat, verum in *l. 8 ff. de Vacat. & excuſ. mun.* dicatur. Aſiarchas a ſummis Aſiæ ſacerdotibus diſtinguendos eſſe, contra V. C. *Eraſmum Frœlichium* Rev. Autor evincit. Ludos, in Deorum honorem edi ſolitos, Aſiarcharum 236.
curæ commiſſos fuiſſe, magnasque adeo illam dignitatem peperiſſe impenſas, docet. Aſiarchiam annuum fuiſſe magiſtratum, probabile eſt; unde *Siberi* ſententia, qui, hoc munus in aliquibus patrimoniale & hæreditarium fuiſſe, ſibi perſuaſit, vel ideo fide deſtituitur, quia, cum Aſiarchia magnas exigeret impenſas, illud munus aliquam familiam in perpetuum ſuſcepiſſe, veroſimile non eſt. Animadverſioni de Aſiar- 238.
chis, aliam, de Ἀρχιερεῦσι, hoc eſt, ſummis ſacerdotibus, ſeu Pontificibus, Græcorum, ob argumenti ſimilitudinem Rev. Autor addidit. De Archontibus vero ſimul hic loci tractavit, quoniam literas Ἀρχ, quæ paſſim in nummis occurrunt, alii de Archontibus, alii de Pontificibus, capiunt. Utramque explicationem exemplis & ratione defendi, concedit, nec ſatis ſe ſcire ait, utram utri opinionem præferat. Athenien- 239.
ſes, & earum exemplo plurimas urbes alias, Archontas habuiſſe, contendit. Voces ἄρχων & ϛρατηγὸς eodem ſen-

ſu uſurpari, ſtatuit, eoque nomine eos, qui Græcis urbibus
& maxime Aſiaticis præerant, indicari, nos docet. Pontifices
tamen eodem nomine appellatos, obſervat, idque variis exem-
Pag. 240. plis illuſtrat. Cum epocha quædam *Perperenorum* in num-
mo tertio Tabulæ viceſimæ hujus Muſei expreſſa legatur, de
illa quidem *Perperenorum* urbe parum conſtare, concedit,
epocham tamen huic urbi peculiarem fuiſſe, ex hoc ipſo
nummo certum fieri, judicat. Cum igitur *Perpereni* in
Achaja habitarint, & *Harduinus* ex alio nummo, *Neronem*
quondam eorum præſidem fuiſſe, demonſtrarit, *Perperenos*
novam hanc epocham in honorem iſtius Principis excogitaſſe,
Rev. Autor conjicit, dubia, quæ moveri poterant, diſcute-
242. re laborans. Literas A. M. K. quæ in nummis Tarſi & Ana-
zarbi frequenter occurrunt, varii varie interpretati ſunt, quo-
rum ſententias Rev. Autor adducit & examinat, easque lite-
ras per verba Πρώτη Μεσογείας Κιλικίας, hoc eſt, *prima*
248. *mediterranea Ciliciæ*, interpretatur. An nummi Romanorum
antiqui monetæ uſum obtinuerint, nec ne, valde inter viros
doctos diſceptatum eſt. Quamvis autem *Jobertus* tam clare
demonſtraverit, uſum monetæ nummos illos obtinuiſſe, maximi
duntaxat moduli numiſmatibus exceptis, quæ in monumen-
torum claſſem potius referenda ſint, ut cauſa jam perorata
videatur; Rev. tamen Autor, quia nonnulli his etiam locum
inter monetas tribuunt, hanc controverſiam peculiari Animad-
251. verſione dirimere conſtituit. Nummos primæ, ſecundæ, ac
tertiæ formæ, pro pecunia valuiſſe, vel ipſam nominis ety-
mologiam oſtendere, obſervat. Nummum enim ἀπὸ τοῦ
νόμου, hoc eſt, lege, introductum, & ad præſcriptum legis cu-
ſum, dici, monet. Nummos Imperatorum vetuſtioribus
nummis, qui ſtante republica cuſi erant, & pecuniæ valorem
habebant, ſucceſſiſſe, adeoque non aliter ac monetam valuiſſe,
252. urget. Nummos autem, Imperatorum effigie ſignatos, vere
pecuniam fuiſſe, quamplurimis teſtimoniis & rationibus com-
253. ſeq. probat. Imo & maximi moduli nummos, qui Italis *Medaglioni*
dicuntur, non monumentorum duntaxat, ſed pecuniæ etiam,
loco habitos, ſibi perſuadet, argumenta diſſentientium plu-
ribus

Digitized by Google

ribus confutens. Jam prelo has Animadverſiones ſubje- Pag. 258
cerat Rev. Autor, cum ad manus ejus pervenirent Baronis ſeq.
Joſephi Bimardi Notæ in Scientiam nummariam P. Joberti, Pariſiis A. 1739 editæ. In quibus cum nonnulla inveniret, ad rem ſuam facientia, ea quidem ad calcem hujus *Tomi* ad-
didit. *Alteri* harum Animadverſionum *Tomo*, qui totius 265.
Operis *quartus* eſt, addenda ad antecedentem *Tomum* præmiſſa ſunt, quæ ipſa Animadverſiones aliæ, ad illuſtrandos nummos facientes, excipiunt. Agmen inter eas ducit Animadverſio de tribunitia Auguſtorum Cæſarumque Romanorum poteſtate. Originem & dignitatis augmentum Tribu-
norum plebis Rev. Autor ex *Livio* tradit, de plebiscitis et- 1.
iam multa bonæ frugis plena in medium proferens. Sublata 3.
republica, *Cæſari* a Senatu decretum eſſe, ut Tribunus plebis perpetuo eſſet, & inde morem exſtitiſſe, ut ipſe *Cæſar Auguſtus*, quique eum ſecuti ſunt Imperatores, quaſi con-
ſuetudinis & dicis cauſa, cum aliis, tum tribunitia pote- 4.
ſtate, uterentur, nomen vero Tribunorum plebis neque *Auguſtum*, neque ullos alios Imperatores, geſſiſſe, obſervat. Tribunitiam vero poteſtatem effeciſſe, ut intercedere illis, quæ contra ipſorum ſententiam gerebantur, poſſent, ac inviolabiles eſſent, ita, ut, ſi vel minimo facto, aut verbo, ſe ab alio læſos exiſtimarent, eum indicta cauſa, tanquam qui ſe
piaculo obſtrinxiſſet, necare poſſent, Rev. Autor ex *Dione Caſ-* 5.
ſio nos docet. Diſcrimen inter tribunitiam poteſtatem Impe-
ratorum, & Tribunorum plebis, exponit. *Noriſii* & *Pagii* 6.
hac de re ſententias examinat. Et *Noriſii* quidem ſententiæ accedit, tribunitiam poteſtatem, etiam quando cum imperio
proconſulari conferebatur, diſtinctam ab imperio fuiſſe, cen- 8.
ſens, idque quamplurimis veterum teſtimoniis confir-
mans. *Harduini* etiam ſomnia diſcutit. De tempore, quo 11.
renovari tribunitia Imperatorum poteſtas conſuevit, vehementer inter homines doctos diſceptatum eſt, variasque variorum hac de re opiniones Rev. Autor adducit, difficultates, quibus quævis ſententia premitur, exponens. Penſatis vero omnibus omnium ſententiarum difficultatibus, minores

 ipſi

ipſi viſæ ſunt, quæ illam opinionem urgent, qua duplex multiplicandæ quotannis tribunitiæ poteſtatis principium, alterum a tempore anniverſario ſuſceptæ primum ejusdem poteſtatis, alterum vero a die X Decembris, repetendum ſtatui-
Pag. 33. tur, &, hoc modo omnes difficultates tolli poſſe, in ſubſequentibus comprobare ſtudet. Si quis tamen omnibus hiſce rationibus, quas Rev. Autor pro ſententia ſua ſtabilienda attulit, nondum ad favendum huic ſententiæ adduci poſſit, illi, ex aliis opinionibus, eam, qua, tribunitiam poteſtatem die X Decembris uniuscujusque anni renovari ſueviſſe, contenditur, tanquam aliis probabiliorem, commendat. Imperatores in numerandis imperii ſui annis, computandisque decenniis, annum cœptum pro completo habuiſſe, obſervat. Eodem modo, quo anni principatus numerabantur, & tribunitiæ poteſtatis numerum
45. computari ſueviſſe, urget. Imperatores tribunitiam poteſtatem, quocunque demum anni tempore eam accepiſſent, die quarto ante idus Decembris ſemper renovaſſe, *Dionyſii Halicarnaſſenſis* teſtimonium comprobat. Ut vero de hac Rev. Autoris ratione tribunitiæ poteſtatis Cæſarum computandæ eo certius conſtaret, omne is tempus, quo tribunitia eorum poteſtas obvia eſt,
100 ſeq. operoſiſſime percurrit, atque oſtendit, ſuo computandi modo & melius res chronologicas hiſtoricasque conſtitui, & difficultatibus, quæ ſe offerunt, felicius occurri. Illis etiam hoc pacto ſatisfacere ſtuduit, quibus duplex numerandæ poteſtatis tribunitiæ principium, aliud a die ejusdem primum ſuſceptæ anniverſario, aliud a die X Dec. repetendum, magis arridet, cum illi opinioni & ipſemet faveat, & eam veterum monumentis accommodatam, nec aliis, quam levibus, dubiis obnoxiam eſſe, profiteatur. Perfunctus hoc labore Rev. Autor, de votis decennalibus diſputat. Cum nimirum, Deorum beneficio privatas & publicas res ſtare, perſuaſum haberent Romani, cultu ac precibus Deos ſibi propitios reddere, communi gentium more, conabantur. Erectis itaque dicatisque ſuis Numinibus aris ac templis, habitaque rerum ſacrarum diligenti cura, ſacrificia celebrabant, votaque nuncupabant atque ſolvebant, unde precum ſacrorumque publicorum

Digitized by Google

blicorum mentio apud ſcriptores paſſim occurrit. Quemadmodum vero libera republica pro iis præſertim, qui eam adminiſtrabant, vota concipiebantur, ita poſtmodum pro Imperatoribus preces fundi, gratiæque Diis pro eorum ſalute agi, conſueverunt. Jam *Cæſar Auguſtus*, ſeptimum Conſul, in ſenatum venit, atque de ejurando imperio orationem recitavit, verum, ut principatum ſolus retineret, tunc compulſus eſt. Ut interim Romanos a ſuſpicione potentiæ regiæ eo longius averteret *Auguſtus*, imperium in ſuas provincias decennale ſuſcepit, intra quod eas ſe in ordinem redacturum eſſe, promiſit. Peracto autem decennio, aliud atque aliud quinquennium, poſtea decennium, &, eo finito, aliud iterum, decretum eſt, & quinquies quidem hac ratione tempus imperii eſt prolongatum, ut ita per omnem vitam principatum obtinuerit *Auguſtus*. Inde mos Romæ exſtitit, ut ſinguli Imperatores, etſi non ad tempus, ſed in perpetuum, eis majeſtas deferretur, ſingulis tamen decenniis feſtum pro ejus renovatione agerent. Et exinde quidem originem votorum decennalium Rev. Autor repetit. Decennalia hæc ſumma cum Pag. 209.
pompa & ſplendore celebrari conſueviſſe, inque iis gratias, pro exacto feliciter decennio, Diis fuiſſe actas, & preces in ſubſequens decennium fuſas, Rev. Autor obſervat. De tempore, quo celebrari decennalia conſueverunt, varias doctorum 210.
hominum ſententias ad amuſſim revocat, propriamque addi-turus opinionem, monet, in primo ſingulorum Imperatorum 224.
decennio, annum cœptum pro completo fuiſſe habitum, &, ita votorum decennalium computationem inſtituendam eſſe, docet, diem vero ac menſem, quo ſolvi hæc vota conſueverint, definire non audet, cum id monumenta vetera nec declarent, nec certo diei ea vota alligare permittant. Hypotheſin interea Rev. Autoris de decennio, in quo annus cœptus pro completo habetur, locus *Dionis Caſſii* citatus clariſſime comprobat. Decennalia itidem Imperatorum, quotquot reperiri apud veteres ſcriptores poſſunt, illuſtrandi cauſa Rev. Autor affert, & computationem ſuam hoc pacto ſtabilit. Singulis quinquenniis, militibus ſingulis quinque ſtateres aureos, pro

Digitized by Google

numero ſcilicet annorum imperii exactorum, donari conſueviſſe, eum vero morem *Juſtinianum* abrogaſſe, ex *Procopii Hi-*
Pag. 250. *ſtoria arcana* nos docet. In nummis orientalium urbium nomen *navarchidis* frequentiſſime occurrit, quod cum antiquarii varie accipiant & explicent, plures eorum ſententias
251. Rev. Autor affert, & examinat, quidque ipſemet ſentiat, poſtea exponit. In mari nimirum mediterraneo plures olim fuiſſe Romanorum claſſes, omnesque urbes navarchidis elogio decoratas re nautica praecelluiſſe, obſervat. Navarchidas autem eas urbes vocatas eſſe, monet, quæ habebant aut claſſem, aut cœtum navarchorum, ſeu naviculariorum, publico muneri obnoxium. Hoc munus duplex fuiſſe videtur, unum militaris, alterum publici, commeatus transvectionis. De navicularii adeo atque navarchis, eorumque officio, erudite &
254 ſeq. ample Rev. Autor diſputat. Neutiquam vero unamquamque civitatem, quæ navarchidis nomine inſignita erat, claſſem integram aluiſſe, ſibi perſuadet, verum, unamquamque earum urbium, unam, aut plures naves, ad claſſem ejus regio-
257. nis contuliſſe, contendit. Occaſione nummi ſecundi & tertii Tabulæ ſecundæ, de aſſibus, eorumque imminutione apud Romanos facta, diſputat. Locum *Plinii*, huc facientem, integrum ad-
258. ducit, ex eoque apparere dictitat, aſſes primum librales, hoc eſt, duodecim unciarum, cuſos fuiſſe, librale autem pondus æris imminutum eſſe bello Punico primo, conſtitutumque eſſe, ut aſſes ſextantario pondere, duarum nempe unciarum, ferirentur. Poſtea *Q. Fabio Maximo* Dictatore aſſes unciales factos eſſe moxque lege Papiria ſemiunciales. Conſentit de hac aſſium deminutione cum *Plinio Feſtus*, quamvis hic primam eorum deminutionem ad tempus belli Punici ſecundi referat.) Hanc vero ipſam ſententiam a nummis, quos Rev. Autor æque ac alii publicarunt, vehementer perturbari, & tantum non everti,
259. ipſe nos docet, cum ex earum ſignis appareat, non uno eodemque tempore aſſes ex libralibus ſextantarios factos fuiſſe, uti *Plinius* & *Feſtus* dicunt, ſed eos paulatim imminutos, & ſenſim ad duarum unciarum pondus redactos eſſe. Hanc interim difficultatem indicavit quidem Rev. Autor, neutiquam vero ſuſtulit, eam rem acutioribus ingeniis diſcutiendam

a ſe

Digitized by Google

a ſe relinqui profeſſus. Quodſi vero legiſſet Cl. *Wachteri* noſtri elegantiſſimam hoc de argumento diſquiſitionem, quæ in ejusdem *Archæologiæ nummariæ Cap. X* compareт, tunc certe, locum *Plinii* aliter, quam vulgo fit, capiendum eſſe, & aſſem ſextantarium denotare talem, cui ſextans, ſeu duæ unciæ, detractæ ſunt, intellexiſſet. Siglam COL. A. A. PATREN. quæ in nummo primo Tabulæ quartæ hujus Muſei occurrit, de Colonia Patrenſi in Achaja capiendam eſſe, concedit; Patras etiam coloniam Romanorum fuiſſe, monſtrat. Hinc unam ex literis A, quæ in hoc aliisque Coloniæ Patrenſis numiſmatibus occurrunt, *Auguſtam* interpretatur, alteram vero A Aroen denotare, monet, ut adeo tota inſcriptio ita legenda ſit: COLONIA AVGVSTA, AROE, PATRENSIS; Aroe enim vetus nomen Patrarum fuit. Defendit hanc explicationem Rev. Autor contra *Harduini* & *Joberti* objectiones, ſub finem alia nonnulla, quæ in nummorum explicatione obſervaverat, novis quibusdam annotationibus augens, magisque dicta ſua confirmans, quæ omnia eruditi, quisquis eſt, lectoris examini relinquimus, illud interim affirmantes, præſtantiſſimi hujus Operis lectionem plurimum nobis voluptatis attuliſſe, & quamplurima reconditæ antiquitatis argumenta in eo mirifice illuſtrari. Pag. 261.

MEMOIRES CRITIQUES POUR SERVIR D' ECLAIRciſſement ſur divers points de l' Hiſtoire ancienne de la Suiſſe, &c.

hoc eſt,

COMMENTARII CRITICI, QUIBUS ARgumenta varia Hiſtoriæ veteris Helvetiæ, & monumenta antiquitatis, eo ſpectantia, declarantur, & exhibetur Charta geographica nova veteris Helvetiæ, Autore LUDOVICO DE BOCHAT, Præfecto Preturæ Lauſannenſi.

Tomus I.

Lauſannæ, impenſis Bouſqueti, 1747, 4 maj.
Alph. 3 plag. 8.

Digitized by Google

Ut bono cuique civi amorem patriæ natura indidit decorum & laudabilem, quo qui caret, is turpis & inutilis reipublicæ habendus eſt; ita ſtudium antiquitatum patriarum non tantum omni literarum generi plurimum commodi affert, ſed & civitati cuique ac civibus ſingulis honorificum eſt, præſertim ſi quid ad emendandos civium mores, & intelligenda præſentia bona, conferat. Quale Cl. *Bochati* fuit in hoc Opere inſtitutum, quo dum laborat veterem Helvetiorum ſub Romanis potiſſimum conditionem clara in luce collocare, quod hactenus neglexerant facere ejus hiſtoriæ ſcriptores, honori patriæ ſuæ nimium & inconſulto litantes; monſtrat ſimul, quanti facienda, quam præferenda ſit veteri ſervituti, felix, qua nunc Helvetii gaudent, libertas. *Tomus* hic *primus*, qui nuper demum prelo exiit, quinque *Memoires*, ſeu Commentarios, aut tractationes, continet, de quibus ſtatim videbimus ſingulis. Chartam geographicam, cujus in inſcriptione fit mentio, non invenire nobis in hoc *Tomo* licuit, procul dubio fini Operis acceſſuram.

Primo autem *Commentario* inquirit Autor in Helvetiorum originem, &, poſtquam eos refutaſſet, qui vel e Germanis, vel e Græcis, illos arceſſiverant, demonſtrat, Helvetios fuiſſe Gallicam nationem, a priſcis Helviis oriundam, quæ circa A. U. C. 162 ferme, regnante in Galliis *Ambigato*, ducibus *Belogeſe* & *Sigoveſe*, e patrio ſolo, novas ſedes quæſitum, pro more iſtorum temporum, emigrarit. Quod luculentius evincit ſecundo *Commentario*, urbium antiquarum, ab Helvetiis conditarum, nomina nova & antiqua comparans cum nominibus urbium Galliæ meridionalis, ex qua nempe ſua patria exceſſerant; cum in more olim poſitum eſſet novis alicujus regionis incolis, novis ſuis, quas condebant, urbibus veterum, quas deſeruerant, nomina imponere. Urbes has non recenſet ſecundum temporis, quo conditæ fuerunt, ordinem, de quo non conſtat, ſed ſecundum tractum illum, per quem probabile eſt Helvetios ſeſe, dum numero creſcebant & opibus, latius & ulterius identidem procedendo, extendiſſe, a lacu Lemano inde uſque ad Rhætiam. Simul urbium vetera nomina repetit e lingua Celtica,

qua

qua Galli tunc utebantur, ſignificationem & ſcriptionem veterem proponit, ſitum ſollicite deſignat, novorum rationem & originem, cauſamque mutationis, indicat, limitesque veteris Helvetiæ, montes, fluvios, rivos, agros, definit. Magni momenti, magni uſus, ſunt eruditæ tales diſcuſſiones, neque poſſunt lectoribus jucundæ non eſſe. Id tantum habet incommodi hoc ſtudium, veterum rerum & nominum origines & etymologias ex lingua repetendi, cujus monumenta nulla, vix veſtigia quædam, exſtant, ut ſæpe, quod & Noſtro contigit, occaſionem præbeat conjecturis parum probabilibus. Nimis longum foret, & a noſtro inſtituto alienum, ſi vel ſingula recenſere, aut ſaltem ſpecimina proferre, vellemus. Cupidi harum rerum invenient in hoc Opere, quod ipſis ſatisfaciat, ſi conſulere velint.

Commentario tertio de pagis, ſeu cantonibus, veterum Helvetiorum diſſerit Noſter, &, poſtquam declaravit, veterum gentium omnium fuiſſe inſtitutum, ſecundum pagos, id eſt, φῦλα, ſeu ἔθνη, cantones, circulos, gavos, qui fuerint in plures minores ita dictos *pagellos* ſubdiviſi, habitandi, inquirit, quinam fuerint illi quatuor majores & principales pagi, quos *Julius Cæſar* commemorat, ſed quorum tantummodo duos nominat, Tigurinum & Urbigenum. Duos reliquos Noſter conjicit eſſe Tuginum & Aventicum, cum ille a *Strabone* memoretur, hujus vero nomen in Notitia Imperii occurrat ſub titulo *civitatis Aventicæ*; civitatem autem & pagum idem eſſe; *Tacitum* quoque *Aventicum gentis caput* habere; in quibus verbis *gens* idem ſit atque *pagus*, *caput* autem non urbem imperantem, ſeu metropolin, notet, a qua ceteræ dependent, ſed tantummodo maximam & præcipuam. Plenam enim libertatem olim apud Helvetios obtinuiſſe, habuiſſe ſingulos pagos & pagellos ſua jura, & licuiſſe ſingulis ſuo de conſilio bella facere, aut eorum ſocietatem inire, maximo cum damno totius corporis; ad communia autem bella omnes pro ratione virium contribuiſſe. Tandem inquirit, quousque Helvetii manſerint in quatuor pagos diviſi. Credit Noſter, ſub *Auguſto* mutatum fuiſſe hunc ordinem, cum

Digitized by Google

is Helvetiam, quæ olim ad Galliam Celticam pertineret, Belgicæ attribueret.

Quarto Commentario de pagis Valleſiæ, aut *vallis Pœninæ*, agit. Sic enim ſcribendum eſſe, non *Penninæ*, e marmoribus evincit; ut & *Cæſaris* æque atque *Auguſti* temporibus fuiſſe vallem iſtam in quatuor pagos diſtributam, eorumque fuiſſe hæc nomina: *civitas Viberorum*, *civitas Sedunorum*, *Veragrorum*, & *Nantuatum*, vel *Nantuatium*; ſic enim ſcribendum eſſe, non *Antuatum*, ut male apud *Julium Cæſarem* circumfertur.

Quintus Commentarius Helvetios conſiderat ut ſubditos & fœderatos populi Romani; refutatque eos, qui ſibi perſuaſerant huc uſque, Helvetios præter tributorum, quæ Romanis pendebant, neceſſitatem fuiſſe prorſus, ut olim, liberos uſque ad *Vitellium*, qui eam regionem in provinciam redegerit. Jam dudum enim illam & ab A. U. C. 708 inde fuiſſe ſubditam, cum poſt fruſtra capta de excutiendo jugo Romano varia conſilia, una cum *Vercingetorige* vincerentur a *Cæſare*. Quis fuerit ſtatus fœderatorum populi Romani & dedititiorum, monſtrat, nempe non meliorem ſervorum & ſubditorum ſtatu. Fueritne dedecori & damno, an gloriæ & commodo, negata Helvetiis Romana civitas, quale fuerit Romanorum ſub Imperatoribus ab *Auguſto* inde ad *Maximinianum* uſque ſingulis apud Helvetios imperium, & alia multa, quæ afferri huc non patitur locus, erudite & fuſe, ex marmoribus, quorum quædam inedita exhibet, (ut *pag. 112, 122, 123, 296, 406*, &c.) aliisque ſcriptorum teſtimoniis, exponit; ut non poſſit hic liber non magnopere commendari, aut uſui eſſe, lectoribus etiam illiteratis, quorum maxime in gratiam ſe ſcripſiſſe, & multa, quæ ſuccinctius poterant Criticis peritis rerum proponi, ampliore filo deduxiſſe, ipſe, qua eſt modeſtia, doctiſſimus Autor profitetur.

PETRI BURMANNI, JUNIORIS, SPECIMEN novæ editionis Anthologiæ Latinæ, & Animadverſionum

ad

ad Epigrammata & Catalecta veterum Poetarum Latinorum Prodromus.

Amſtelodami, 1747, 4 maj.

Plag. 8.

Jam dudum eſt, quod eruditus hujus Prodromi Editor, ex magni illius ſui patrui, ejusdemque cognominis, ſuaſu, ad renovandam Catalectorum *Pithœi* & *Scaligeri*, augendamque, & emendandam, editionem animum appulit. Poſtea vero ex otio juventutis Academico ad majora munera vitamque negotioſiorem vocato, non licuit cœptam telam pertexere. Profuit ipſi tamen hæc mora eo, ut interea, quas a patruo nactus erat, opes aliorum, maxime vero Celeb. *Dorvillii*, qui antiquiſſima Codicis Divionenſis Epigrammata inedita, *Petri*que *Pithœi* uberiores ad Catalecta ſua notas, Noſtro ſuppeditavit, liberalitate augeret. Quam humaniſſimi & ad promovendas elegantiores ſcientias promtiſſimi natique Viri prolixam in ſe, ut in omnes eruditos, voluntatem Noſter meritis proſequitur laudibus in epiſtola, qua Muſarum huic patrono hoſpitique liberali ſuum opuſculum inſcripſit. Creſcente ita penu, magis quidem ad urgendum ſuum propoſitum accendebatur Noſter, ſed alia identidem atque alia vel invitum alio vocabant. Editio *Criticorum Henrici Valeſii*, & *Adverſariorum* deinceps *Heinſii*, utraque ipſi a patruo demandata, & poſt hujus tandem deceſſum *Virgilianæ* curæ, Noſtrum nolebant ſoli ſuæ, quam condebat, Anthologiæ inhærere. Profligatis tandem aliquando iis omnibus, totum ſe dare nititur colligendis his antiquis variorum temporum monumentis, vel fragmentis, nihilque aliud ſuſcipere conſtituit, priusquam hæc abſolverit. Quia vero in tam amplam incidit meſſem, non ſentiens, quam comportare & digerere non unius alteriusve anni ſit, libuit ipſi hoc inſtituti ſui præmiſſo Specimine judicia eruditorum experiri ſimul & ſibi conciliare. Non erit inter amatores harum, ut appellat, elegantiarum, qui eruditi Viri ſtudium & benignam de literis bene merendi voluntatem non laudet atque exoſculetur, vitamque & vires

ipſi perficiendo tanto operi neceſſarias optet, avidusque id, quam primum liceat, præſtoletur. Quos inter & nos nomen noſtrum profitemur, dabimusque ſimul, dum impoſitam nobis provinciam recenſendi hujus Speciminis ſuſtinemus, aliquod ejus ſpecimen, uſuri hac in re, bona cum venia Cl. *Burmanni*, ea libertate, ut, quæ in hoc inſtituto deſideremus, & olim velimus emendata, qua decet modeſtia, ſignificemus.

Apparet omnino ex magna, quam Noſter textui ſubjecit, notarum copia, eum, ſi quis alius, operi ſuo parem eſſe, eoque inſtructum uſu Poetarum Latinorum, ea Romanæ poeſeos peritia, iisque tandem dotibus, quæ in Critico requiruntur. Offendas in his gratiorem hujus eruditionis varietatem, quam in ipſis Divi Herois plurimis ſcriptis. In eo uno nollemus juniorem *Burmannum* ſenioris veſtigia preſſiſſe, quod phraſium ſæpe in vulgus notarum immanes acervos, integrarum haud raro paginarum σοιβὴν, quaſi plauſtris comportet. Talia anſam cavillandi præbent iis, qui, ſacris his non initiati, tales obſervationum libellos majore in pretio, quam promtuaria vocabulorum, habendos eſſe negant, neque id male. Videntur etiam autores earum non habere niſi cum rebus levibus negotium, ſuisque diffidere lectoribus, aut non requirere niſi vix tironibus peritiores, & excidentes eo, quem ambiunt, & acquiſituros ſe ſic ſperant, eruditorum hominum titulo, non reportare aliam, quam diligentium compilatorum, laudem. Ridebunt procul dubio multi, neque, ſi quid intelligimus, abſque cauſa, operoſam ſedulitatem in coacervandis exemplis phraſium, in quibus, ut *pag.* 9, *donum donare* & *ponere*, aut ut *pag.* 13, *ſaltus & nemora* juncta, leguntur, neſcii tamen illi, neque admoniti, qua in re duæ iſtæ ſimiles voces differant; item *pag.* 15 *ſic quoque* pro nihilo minus; *pag.* 18 *tela* pro κτήνη, inſtrumento mulierum; *pag.* 19 *licia*, *neque enim*, & *ſecurus rei*; *pag.* 21 *acervi caſorum*; *pag.* 24 *tangere*, *attingere*, *litus*; *pag.* 31 *admittere*, vel *immittere*, *aquam*; *pag.* 39 *adſpice ut*, qualia, ut forſan prodeſſe poſſunt juvenibus, quibus ad exemplum vete-

rum

num ſtilus adhuc formandus eſt, aut placebunt quoque moroſis aliquibus Criticis, qui, quod aliud agant, non habentes, in ſculpendis & refingendis tanquam cera literulis, movendaque dictionibus optimis controverſia, occupati, conſeneſcunt, ſic aliis, e ſaniorum judicio, neque grata ſunt, neque proſunt, & onerant librum, emtoresque fruſtrantur, qui locos affectos emendatos, & obſcuros declaratos ab editore, qui meliorem in his operam & fructuoſiorem collocare potuerat, fruſtra cupiunt. Debuerat præ iſtis e. c. Noſter explicare *pag.* 22, quid ſit *in arma ludere*; *pag.* 23 exempla afferre phraſeos *mens fugax*, pro hebete, imbecilla, plane ut Græci dicunt φρεάδη: item *in omne parte miſer* pro *ab omni parte*; *virtute fluens dies*, pro ea, quæ in virtutis exercitio conſumitur; *dilectus*, pro dilectione, vel amore. *Pag.* 24 debuerat exponere phraſin, *bella inopina ferre*, pro incidere inopinato in hoſtiles copias; *pag.* 36 *jacet in titulos.* Sed hæc ne attingit quidem Noſter. Horum ſcilicet rarior eſt, quam illorum, in veteribus libris copia, neque æque facile, atque illa, paginas implent; aut erant vel e Græcis fontibus, vel ex ævo deteriore, petenda, quorum utrumque nempe ſchola *Burmannia* utplurimum cane pejus & angue fugit. Non negamus tamen, paſſim bonas quoque res in his Notis deprehendi; ut eſt illa *pag.* 10 & 11 Diſſertatio de Jove Albano, Latiari, Egerio, &, quem Cel. *Dorvillius* e marmoribus in lucem protraxit, Arcano; *pag.* 28, 29, de voce Perſes, & ejus ſcribendæ ratione; *pag.* 32 refutatio *Columnæ*, qui tropæa in privatis ædibus negaverat; *pag.* 42, 43, de calculatoribus & caucu]onibus; & *pag.* 34 hiſtorica obſervatio de *Germanici* Germanica expeditione. In emendandis corruptis locis Noſter tam ſcrupuloſus non eſt, quin corruptas lectiones e texu exigat, & locum melioribus facere jubeat. Sed ea in re inæqualis ipſe ſibi eſt, neque ſatis conſtans. Ita *pag.* 16 in inſcriptionem: *verba Achillis in Porta nona, dum tubam Diomedis audiret*, poterat abſque hæſitatione ingenioſam certiſſimamque *Dorvillii* emendationem *Parthenona* introducere. *Pag.* 21 certo debuerat pro *conſparſerat* nobis

dare *cum ſparſerat*, quod ejus eſt inventum, & pro *cumque novus fuſos*, e Codice *cum novus effuſes*, & pro *multa trahit ſocum*, ex eodem antiquiſſimo Codice Divionenſi, *multa trahet Xanthi*; *pag. 18 in gracili*, præeunte Codice; *pag. 25 Scyria haſta; pag. 28 Hecubæ & Andromachæ*; *pag. 30, quis novus hic dominus*, ex certiſſima *Dorvillii* emendatione; *pag. 47 numina*, ex prima editione Corporis Inſcriptionum *Gruteriani*, & forte alia plura.

Sed luſtremus eruditum Noſtri laborem paulo curatius. *Pag. 9* ad verſum: *Qui larga Cereris meſſes fructusque renatos Digerit in pretium*, hæc notat: Ita ad unum omnes. *Mazochius* & *Fabricius dirigit*, vitioſe. *Prætium* eſt in *Pighii* „Inſcript. MSt. & *Apiano*. Ceterum, his verſibus contineri „deſcriptionem præfecti annonæ rebusque venalibus, quales „apud Romanos erant Ædiles, apud Græcos τιμȣ̃χοι, vel *ἀγο*„*ρανόμοι*, recte notat *Chiſhull* ad *Antiq. Aſiat. pag. 101.*„ Nihil eſt in ipſo carmine, quod, ut hoc credamus magis, perſuadeat, quam fuiſſe mercatorem frumenti, *un ſimple marchand des grains.* A *pag. 16* uſque ad *pag. 24* primus, ut videtur, e Codice Divionenſi protulit inſigne, ſed deterioris ætatis, monumentum Poetæ, *Achillem* referentis, ad tubæ claſſicum e Parthenone proſilientem. Hoc & meretur noſtram, ſi quam conferre poterimus, operam. *Pag. 17* in iſtis: *dum nos bella vocant* (ita leg.) *rauco clangore tubarum, Mens quatitur, ſævusque fovet præcordia Mavors, Rumpe moras omnes fervens in prælia virtus*, mavult Noſter *movet* pro *fovet*. Non tentaremus quidem, ſi ſic ſcriptum exſtaret; at, cum non deterius ſit vulgatum nova conjectura, ſatisque commode noret id, quod Græci appellant *αἰθύσσει*, *ἐκθερμαίνει*, *ἀναῤῥιπίζει*, cui bono movemus eleganti dictioni controverſiam? Poſtrema ipſi languere videntur, ideoque emendanda ſic: *Rumpe moras: omnes fervent in prælia vires.* Atqui debuerat ſaltem *ferveant*. Quod cum metrum non patiatur, nihil motum velimus, neque non oratoria & emphatica eſt proſopopœia ſuæ virtutis. Sed illud elegans eſt, quod in *Statio Achill. III, 112*, pro vulgato *Eja, irrumpe moras*, reponit *Eja, age,*

age, rumpe moras. Pag. 19 in iſto: *Tenuia loricæ cedant mul-ticia forti,* emendat *cedant nunc licia.* Egregie quidem; ſed id, quod *pag.* 21 in iſtis: *majoremque feret* (nempe gurges Xanthi) *cultorum ſanguine curſum, cultorum* in *cæſorum* mutandum ſtatuat, non probamus. Cultorum idem eſt atque accolarum, & *cæſorum* in voce *ſanguine* ſubintelligi ſponte poteſt. In proxime ſequentibus Noſter nos deſerit. Poeta ſic canit ex *Achillis* perſona:

Sed mihi quis referat, quæ tu, præſaga creatrix,
Subducens fatis alieni ſymbola ſexus
Ad Lycomedeos fecit tranſire penates.
Depoſitumque ſuum maluit committere blandis
Virginibus, nec te rapiat ſic Martius ardor,
Orbatam ut crucies non viſo pignore matrem.

Nihil hic neque a Codicibus, neque ab elegante *Burmanni* noſtri Muſa, opis accipimus. Utinam illa defectum, qui ſecundum inter & tertium verſum patet, nobis expleviſſet! Interea tentemus indoctam noſtram & agreſtem poeſin, ſperantes rogantesque venuſtam *Burmanni Calliopen,* ut inconditos noſtros cantus aliquando arguto ſuo modulamine deleat. Putamus autem, deficientium hunc fere ſenſum fuiſſe:

Sed mihi quis referat, quæ tu præſaga creatrix,
Subducens fatis alieni ſymbola ſexus.
Indutum, caris labiis blanda oſcula figens,
In lacrymarum imbres effuſa, Jovemque Patroum,
Et mæſti canos ſenis obteſtata, monebas.
Hic in tranquillo portu, mi care, latebis,
Inſano circum Trojana furore cadentes
Mœnia deridens Græcos: tu, ſi iveris illuc,
Sævorum certa ex fatorum lege, periſti.
Grandævum noli genitorem affligere, qui te
Ad Lycomedeos fecit tranſire penates, &c.

Eadem *pagina* ad verſum ultimum nil notat, *cum manus Argivum victricia ludat in arma.* Nobis videtur Autor pro *ludat* ſcripſiſſe *tendat.* Forte fuit antiquus mos tn compendioſe pro *ten* ſcribere; ex quo deinceps *lu* fecerunt. *Pag.* 23 ad

dare *cum ſparſerat*, quod ejus eſt inventum, & pro *cumque novus fuſos*, e Codice *cum novus effuſes*, & pro *multa trahit ſecum*, ex eodem antiquiſſimo Codice Divionenſi, *multa trahet Xanthi*; *pag. 18 in gracili*, præeunte Codice; *pag. 25 Scyria haſta*; *pag. 28 Hecubæ & Andromachæ*; *pag. 30, quis novus hic dominus*, ex certiſſima *Dorvillii* emendatione; *pag. 47 numina*, ex prima editione Corporis Inſcriptionum *Gruteriani*, & forte alia plura.

Sed luſtremus eruditum Noſtri laborem paulo curatius. *Pag. 9* ad verſum: *Qui largæ Cereris meſſes fructusque renatos Digerit in pretium*, hæc notat: Ita ad unum omnes. *Ma„zochius* & *Fabricius dirigit*, vitioſe. *Pretium* eſt in *Pighii* „Inſcript. MSt. & *Apiano*. Ceterum, his verſibus contineri „deſcriptionem præfecti annonæ rebusque venalibus, quales „apud Romanos erant Ædiles, apud Græcos τιμȣ̃χοι, vel ἀγο„ρανόμοι, recte notat *Chiſhull* ad *Antiq. Aſiat. pag. 101.*„ Nihil eſt in ipſo carmine, quod, ut hoc credamus magis, perſuadeat, quam fuiſſe mercatorem frumenti, *un ſimple marchand des grains*. A *pag. 16* uſque ad *pag. 24* primus, ut videtur, e Codice Divionenſi protulit inſigne, ſed deterioris ætatis, monumentum Poetæ, *Achillem* referentis, ad tubæ claſſicum e Parthenone proſilientem. Hoc & meretur noſtram, ſi quam conferre poterimus, operam. *Pag. 17* in iſtis: *dum nos bella vocant* (ita leg.) *rauco clangore tubarum*, *Mens quatitur*, *ſævusque fovet præcordia Mavors*, *Rumpe moras omnes fervens in prælia virtus*, mavult Noſter *movet* pro *fovet*. Non tentaremus quidem, ſi ſic ſcriptum exſtaret; at, cum non deterius ſit vulgatum nova conjectura, ſatisque commode noret id, quod Græci appellant αἰθύσσει, ἐκθερμαίνει, ἀναῤῥιπίζει, cui bono movemus eleganti dictioni controverſiam? Poſtrema ipſi languere videntur, ideoque emendanda ſic; *Rumpe moras*: *omnes fervent in prælia vires*. Atqui debuerat ſaltem *ferveant*. Quod cum metrum non patiatur, nihil motum velimus, neque non oratoria & emphatica eſt proſopopœia ſuæ virtutis. Sed illud elegans eſt, quod in *Statio Achill. III, 112*, pro vulgato *Eja*, *irrumpe moras*, reponit *Eja*, *age*,

Digitized by Google

age, rumpe moras. *Pag.* 19 in iſto: *Tenuia loricæ cedant mu-ticia forti*, emendat *cedant nunc licia*. Egregie quidem; ſed id, quod *pag.* 21 in iſtis: *majoremque feret* (nempe gurges Xanthi) *cultorum ſanguine curſum*, *cultorum* in *cæſorum* mutandum ſtatuat, non probamus. Cultorum idem eſt atque accolarum, & *cæſorum* in voce *ſanguine* ſubintelligi ſponte poteſt. In proxime ſequentibus Noſter nos deſerit. Poeta ſic canit ex *Achillis* perſona:

Sed mihi quis referat, quæ tu, præſaga creatrix,
Subducens fatis alieni ſymbola ſexus
Ad Lycomedeos fecit tranſire penates.
Depoſitumque ſuum maluit committere blandis
Virginibus, nec te rapiat ſic Martius ardor,
Orbatam ut crucies non viſo pignore matrem.

Nihil hic neque a Codicibus, neque ab elegante *Burmanni* noſtri Muſa, opis accipimus. Utinam illa defectum, qui ſecundum inter & tertium verſum patet, nobis expleviſſet! Interea tentemus indoctam noſtram & agreſtem poeſin, ſperantes rogantesque venuſtam *Burmanni Calliopen*, ut inconditos noſtros cantus aliquando arguto ſuo modulamine deleat. Putamus autem, deficientium hunc fere ſenſum fuiſſe:

Sed mihi quis referat, quæ tu præſaga creatrix,
Subducens fatis alieni ſymbola ſexus.
Indutum, caris labiis blanda oſcula figens,
In lacrymarum imbres effuſa, Jovemque Patroum,
Et mæſti canos ſenis obteſtata, monebas.
Hic in tranquillo portu, mi care, latebis,
Inſano circum Trojana furore cadentes
Mœnia deridens Græcos: tu, ſi iveris illuc,
Sævorum certa ex fatorum lege, periſti.
Grandævum noli genitorem affligere, qui te
Ad Lycomedeos fecit tranſire penates, &c.

Eadem *pagina* ad verſum ultimum nil notat, *cum manus Argivum victricia ludat in arma.* Nobis videtur Autor pro *ludat* ſcripſiſſe *tendat*. Forte fuit antiquus mos tẽ compendioſe pro *ten* ſcribere; ex quo deinceps *lu* fecerunt. *Pag.* 23 ad

ad iſta de *Therſite*, *forma brevior menteque fugaci*, hæc notat: forte *tergoque fugaci*. Quid ſit homo *brevior tergo fugaci*, non intelligimus. Aut, ſi non referamus ad *brevior*, ſed ſola per ſe ſtare dicamus, ſcribendum erit *fugaciore*. Quidni potius, ſi quid mutandum, *menteque ſagaci*, ἥττων κατ' ἀγχίνοιαν. Nam metri quidem in his inclinantis in deterius Latinitatis monumentis ratio habenda non eſt. Ad iſta intricata verſus finem carminis:

> *Ferre potes quæcunque labans ſucceſſibus ætas*
> *Exigua obſervans matris præcepta verendæ*
> *Induxi molles habitus, velut edita virgo,*
> *Luſimus & tactis modulantes carmina chordis* &c.

hæc notat: „*Ferre potes quæcunque labans*) Sic ſchedæ *Salmaſianæ*. In Divionenſi Codice vitioſa, aut depravata, lectio „erat; nam in ejus excerptis habetur. *Ferre pote*sque cum labans*. *Exigua obſervans*) Ita in Divionenſibus. *Exegi obſervans*, Salmaſianæ. Forte, *quæcunque labans ſucceſſibus „ætas Exigit, obſervans*. *Et tactis modulantes carmina chor„dis*) Sic recte in *Salmaſianis*. Male Divionenſes *modulantur*.„ Optandum fuerat, ut præclarus Vir horum verborum proſaicam interpretationem dediſſet. Satis officio ſuo ſe defunctos hodierni Critici exiſtimant, quando Codicum varietates adſcripſerint. Ad periphraſticam autem interpretationem, vel analyſin grammaticam, deſcendere, id infra dignitatem ſuam poſitum putant. Pulchrum hercle inventum. Hoc enim ſub pallio latent, & in dubio relinquunt ſuos lectores, intellexerintne loca, quæ tractant, nec ne. Saltem non licet eos ignorantiæ reos agere. Hoc tamen maxime cupiunt lectores, ut librum, quem præ manibus habent, penitus intelligant, illi nempe, qui rebus & conceptibus bonis, non ſonis tantum, capiuntur. Alloquitur ipſe ſe *Achilles*, ut ad propoſitum veniamus. Ferre potes, o *Achilles*, & condonare tibi, quando quidem præterita mutare nequis, ea, quæ exigua & puerilis ætas, ſucceſſibus annorum labentium emendatura, peccavit. Hoc enim verbum tacite ſupplendum. *Labens* autem *ſucceſſibus ætas exigua* confertur cum eo, quod in ſuperio-

Digitized by Google

ſuperioribus hic idem Poeta, *creſcens annis ſapientior ætas.* In eo quoque male Noſter exemplum *Salmaſii*, quam Codicem MStum, ſequi maluit, quod *modulantes* exhibet pro *modulamur*, quippe quod prono lapſu e ductibus Codicis fluit. Erit itaque noſtra ex mente ſic conſtituendus locus:

> *Ferre potes, quæcunque fluens ſucceſſibus ætas*
> *Exigua. Obſervans matris præcepta verendæ*
> *Induxi molles habitus. Velut edita virgo*
> *Ludimus, & doctis modulamur carmina chordis.*

Carmen hoc excipit aliud, etiam elegans, quo *Telefus* ab eadem *Achillis* haſta vulneratus & ſanatus pingitur. Sed ejus diſtichon penultimum adhuc graviter laborat. Noſter ſic exhibet:

> *Mox precibus flexi Pelidæ robore ſacro*
> *Injecto membris pulvere plaga fuit.*

Ad hæc Noſter hæc affert: „*Robore ſato* Cod. Voſſ. *robore* „*raſo* ex V. C. *Salmaſii* in margine libri ſui notavit *Heinſius.* „Recte. *Hyginus Fab.* 101: *Tunc Ulyſſes ait: non te dicit* „*Apollo, ſed autorem vulneris haſtam nominat. Quam cum ra-* „*ſiſſent, remediatus eſt.* Aliter *Oliverius* ad *Marmora Piſauren-* „*ſia pag.* 166, qui corrigit: *Mox precibus flexi Pelidæ e ro-* „*bore* ſana, qui plenius ſe de hoc loco acturum promittit in „libro de Viris illuſt. Piſaurenſ. Verſu ſequente ex eodem Co- „dice adſcripſerat *Heinſius*: *pulvere membra fugit.* Unde ipſe „corrigebat: *injecto & membris pulvere plaga fugit*, vel *coit*, „quod verum puto.„ Et nos quoque verum putamus *coit.* Sed cetera omnia huc allata nihil valent. Primum enim *robore raſo* ſe tueri nequit, quia haſta *Achillis* non erat e robore, ſeu quercu; (nam quercus haſtis parandis inepta eſt propter ſuam στεῤῥότητα,) ſed erat e fraxino, μελίᾳ, & inde celebrata eſt illa μελία Poetis Græcis. Deinde indigna foret hoc ſic ſatis puro carmine balbuties iſthæc, *robore raſo injecto pulvere*, pro *roboris raſi pulvere.* Quis hoc ferret? Legendus eſt locus minima mutatione ſic:

> *Mox precibus flexo Pelidæ robore, ſacro*
> *Injecto membris pulvere plaga coit.*

Id eſt, poſt flexum Pelidæ robur. *Robur* autem Pelidæ ſive accipias pro σεῤῥότητι, ἀγερωχίᾳ, αὐθαδείᾳ, ferocia, pertinacia *Achillis*, ſive Græco more dictum putes *robore Pelidæ flexo*, pro *flexo Achille*, βίῃ Ἀχιλλέως, ut *Homerus* loqui amat; id perinde eſt. *Sacer* autem *pulvis* eſt ille, quem *Apollinis* ſacrum oraculum ſalubrem vulneri fore pronuntiaverat, & huic medicationi quaſi ſacraverat atque deſtinaverat. *Pag.* 32 in iſtis: *Hoc terra fiat, hac mare, dixit, eat*, merito laudat incomparabilem emendationem *Gronovii*: *Hoc terra fiant, hoc mare, dixit. Erant*; quo ſublimius quid cogitari poſſit? *Pag.* 35 Epigrammatis in ſubactam Britanniam verſum quartum, *qui finis mundo eſt, non erat imperio*, tentat, & olim cogitaſſe ſe ait, *cum finis mundo eſt, tunc erit imperio*; ſed præferre nunc emendationem *Cambdeni*, *qui finis mundo eſt, non erit imperio.* Utræque corruptelæ ſunt. Sanus eſt elegantiſſimus locus. Romani *Oceanum* atlanticum putabant olim mundi terminum eſſe, donec ultra hunc orbem ſuum non detegerent tantum inſulam Britanniam, ſed et ſubigerent. Tunc non erat amplius imperio eorum finis oceanus, qui olim mundi fuerat. Pergit Poeta:

Victa prius nullo jamjam ſpectata triumpho
Illibata tuos gens jacet in titulos.

Ad hæc noſter: „Hæc eſt editorum ſcriptura. *Cambdenus* „dedit: *Victa prius nulli, jamjam ſpectata triumpho.* Illud *jamjam* deeſt *Voſſiano*. *Viſa prius nullo* Cl. *Dorvillius*, & credebat, viros doctos, ne ita emendarent, retinuiſſe ſequenti „diſticho *Fabula viſa diu*, licet talis repetitio ejusdem vocis „obvia ſit. Variis conjecturis tentabat locum *Heinſius*. *Victa prius* „*nulli*, *nullo ſp. tr.* vel *ducta*, aut *acta*, vel potius, *nec adhuc* „*ſp. tr.* vel denique, *victa prius nullo, ſed jam ſpectanda,* „*triumpho.* Ex his priorem veriſimiliorem opinor; niſi quis „amplecti malit emendationem *Cannegieteri*, *Victa prius nullo,* „*quanquam ſpectata, triumpho.* Sed deſidero exemplum, quo „*ſpectata* terra occurrat pro *tentata*, quæ vox forte huc re„vocanda, & cum *temptata* eſſet ſcriptum prius, alteri lectio„ni literis tranſpoſitis poſſit anſam dediſſe. Sequente verſu

„*gens patet in titulos*, ut emendat *Cannegieterus*, pro *gens ja-*„*cet*, quod vulgatos occupat Codices, lubens equidem am„plector.„ Nolumus inhærere ceterorum conjecturis refutandis, quæ ſponte ſua corruunt, & partim ſunt tavtologæ, partim perverſæ, ὕϛερα πρότερα. Tantum, nihil aliud in hoc diſticho, quam verbum *jacet*, in mendo jacere, pronuntiamus. Quæ olim nullo triumpho victa fuit, ea gens jam ſpectata Romæ in triumpho (poterat enim gens victa quidem fuiſſe, & nihilo minus tamen Romæ non ſpectata,) hæc gens illibata *facit*, (id eſt, acceſſit, incorporata eſt,) in titulos tuos, *Cæſar*, facit partem titulorum tuorum. *Facere in*, vel *ad*, *aliquam rem* phraſis eſt, etſi non tam frequens, quam *faceſſere*, ſatis tamen bona. Ita *Cap. 62 pag. 409 Petronii* edit. nov. *Homo meus ad ſtelas fecit*, pro *ſeſe fecit*, integra locutione, quæ apud *Apulejum* occurrit *pag. 392* ed. *Beroald. intra limen ſeſe fecit. Verſum* ultimum *pag. 39*: *Conjunctum eſt, quod adhuc orbis & orbis erat*, feliciter emendat, *orbis & urbis erat*, idque egregie, & ad veram Autoris mentem, exponit: „Id eſt, id, „quod antea æternæ urbis, Romæ ſcilicet, & orbis terrarum, (ad„damus nos, clarioris ſenſus gratia, peculiaris & a cetero orbe ſe„junctus,) erat, ac proinde ſeparatum ac diverſum, jam in unum „conjunctum eſt.„ Hoc modo ſi procedat & in reliquis, magis intentus enucleando vero ſenſui Poetarum, magno ſibi beneficio ſtudioſos bonarum artium devinciet. In iſto Epigrammate, quod *Auguſtum* ad vulgandam *Æneidem* hortatur, ad verſum, *Æneamque ſuum fac major nuncius ornet*, hæc inter alia notat: „Sic omnes vulgatæ editiones exhibent nullo, vel „inepto, ſenſu. Veram nobis lectionem ſervavit Codex *Sal*„*maſianus*, in quo legitur, *fac major Mincius ornet*, & ſic in „altero exemplari ex ingenio conjecerat *Heinſius*, qui ita „emendandum monuit ad *Silium* & *Ovidium*.„ Quid, ſi prima hujus notæ verba in hanc ſive *Salmaſii*, ſive *Heinſii*, corruptelam retorqueamus? Atqui, ais, vox *Mincius* rarior eſt & elegantior, quam ut ab imperito ſcriba, cui vox *nuntius* notior erat, proficiſci potuiſſe videatur. Hic nempe fatuus erat ille ignis, fulgur illud e pelvi, quod doctorum oculos præſtringebat, qui ubique ſcita & docta, ſed ἀδιανόητα, ſectantur, ut ſcilicet

 poſſint

Digitized by Google

poſſint talium occaſione ſuorum adverſariorum ſacculos excutere. Atqui tamen magna videsne copia exemplorum *pag.* 39 & 40 evictum, quod *Mincius Mantuani* agri fluvius fuerit, ad quem natus *Virgilius*? Opus non erat illis, quæ vix cuiquam, etiam tironum, ignota putamus. Quæſtio eſt, quem ſenſum fundant ambæ hæ lectiones, & quæ meliorem. Fac, veram eſſe novam. Videamus, quid inde emergat. Fac, *Auguſte*, ut *Mincius* ornet *Æneam* ſuum major. Quo major? ſe ipſone? Quid hoc ad rem? Non certe effecit *Auguſtus* per evulgatam *Æneidem*, ut copioſior hodie fluat *Mincius*, quam olim. Xanthone? Atqui frigidum eſt, dicere, Poetam hoc tacite ſupplendum lectoribus reliquiſſe. *Ænea*ne tandem? Quid *Mincio* cum *Ænea*, quem non vidit unquam? *Minci*ne nomen hodie celebrius eſt illo *Æneæ*? Non putemus. Si ſit, ſcribenda erit Noſtro nota major, quam eſt hæc de *Mincio*, qua *Æneæ* nomen ex tota *Æneide* & aliis ab oblivione, qua ſepultum nempe jacet, afferat. Si *Mincium* pro *Virgilio*, adjunctum unum pro altero, dicemus poſitum poetica licentia, licebit & nobis, ſi aliquando carmina ſcribamus, *Yam Amſtelodamenſem* pro *P. Burmanno* ponere. Dolendum eſt certe, viros doctos ſcribere, & vulgare, & tanta cum fiducia nobis obtrudere, talia, quæ ſi penſiculatius examinent, ipſi deprehendent ſe non intelligere. Nobis certe clara & perſpicua eſt lectio *nuncius*, cujus hic ſenſus eſt: Fac, *Auguſte*, ut *Virgilius*, nuncius & præco ſui herois *Æneæ*, ipſo ſuo heroe *Ænea* major & celebrior evadat. Id quod etiam ita evenit. In ultimo & proxime iſta ſequente verſu hujus Epigrammatis legendum eſt *poſſint* pro *poſſunt*.

Hæc habebamus de hoc Specimine monenda, quæ ſi commendata ſibi habere velit Cl. *Burmannus*, bene faciet. Nolumus interea egregiis ejus conatibus aut detrahere quidquam, aut officere.

DEL VITTO PITAGORICO, &c.
id eſt,
DE VITA PYTHAGORICA, QUAE MEDICINÆ loco eſt, Sermo ANTONII COCCHII.

Venetiis,

Venetiis, apud Simonem Occhium, 1744, 12 maj.
Plag. 3.

In hoc Sermone, quem *Cocchius*, Vir Clariſſimus, Florentiæ A. 1743 habuit, ibidemque exire in lucem juſſit, poſtea Venetorum prelis repetitum, nihil ad bonam valetudinem ſervandam, & morbos quosdam ſanandos, aptius eſſe vita *Pythagorica*, oſtenditur, quam hic Philoſophus ita inſtituerit, ut ſolis vegetabilibus veſceretur. Cujus aſſerti veritas ut eo magis eluceret, plura ab initio ad *Pythagoram* ipſum pertinentia protulit; in ejuſque hiſtoria etſi bene multa, propter varias cauſas, obſcura ſunt, tamen id facile omnes *Cocchio* dabunt, honeſtum eum, beneficum, ampliſſimæque doctrinæ, virum fuiſſe, in quo ſumma dicendi judicandique ars fuerit, cum naturalium rerum perfecta cognitione, & eximia prudentia civili, conjuncta. Neque vero *Pythagoras* tantum, ſed omnes antiqui Philoſophi, duplici doctrina uſi ſunt, domeſtica clara, & externa ſymbolica. Ad quod *Cocchius* recte monuit eos animum attendere debuiſſe, qui multa *Pythagoricæ* doctrinæ capita, tanquam ſomnia, contemſerunt, vel, quæ ipſe præſtitit, non dubitarunt inter miracula referre. Oportet autem *Pythagoræ* Phyſici & Mathematici ſummi gloriam concedere, quod præcipue ex iis clare apparet, quæ de ſole, tanquam lucido totius univerſi centro, de terra, ut planeta, de cometis pariter ut planetis, poſt longiſſimum circuitum redeuntibus, de cunctis cœleſtibus corporibus, ratione maſſæ atque diſtantiæ in motu ſibi reſpondentibus, atque de generatione per ſemina, docuit. Primus etiam Veneris ſtellam vidit, quapropter veriſimiliter, in Samiorum nummis, cum globo in columna apparet, in quo quaſi ea, quæ primus obſervavit, bacillo demonſtrat. Adhæc omnia ea tenuit, per quæ utiliſſimus eſſe in hominum ſocietate poterat. Quod vero *Pythagoras* patriam cum Italia commutavit, inde *Cocchius* hanc ſuam patriam laudandi occaſionem arripuit; neque non eo fere inclinat, ut, quicquid *Cicero* cum *Livio* contradicant, *Numam* inter *Pythagoræ* diſcipulos referat. Debent vero *Pythagoricorum* ſententiæ ab illis *Pythagoræ* diligenter diſtingui, in cujus doctrina cum propter mutationes in principatibus Italiæ,

Pag. 3 ſeq. 5. 7 ſeq. 8 ſeq. 10 ſeq. 12. 14 ſeq. 16 ſeq. 18.

& *Socraticam* philoſophiam, tum propter Doricæ dialecti ob-
Pag. 21. ſcuritatem, permulta mutata ſunt. Ab his *Cocchius* ad do-
ctrinam *Pythagoræ* medicam tranſit, quam non ratiociniis
tantum, verum etiam obſervationibus & experimentis, niti,
22. oſtendit. Ut vero *Pythagoras* ſanitatem a motus viriumque
harmonia, atque figuræ conſtantia, hujusque mutatione con-
tra morbum, pendere, ita, cerebrum atque cor præcipua vitæ
inſtrumenta eſſe, credidit, & humida corporis in ſanguinem,
ſerum, ac vaporem, vaſa vero in nervos, arterias, venasque, di-
ſtinxit, & partum formari exiſtimavit hoc, quod ſemen, ad
embryonis corpuſculum appulſum, motum in eo ſanguinis ex-
23. citaret. In ipſa autem medendi arte plurimum victus rationi
24 ſeq. tribuit, quod ex *Jamblicho* conſtat, parum pharmacis, æque
ac ferro & igni; vitamque ita inſtituit, ut teneris recentibus-
que vegetabilibus, ſimul cum lacte ac melle, veſceretur, in
potu autem non niſi aquam puriſſimam aſſumeret, rarius con-
tra cibis teneræ juniorum animalium carnis pauxillum adde-
25. ret. In quo ſibi hunc ſcopum præfixum habuit, ut corpus
ſanum, tranquillamque mentem, ſervaret, quorum hoc a fa-
cilitate parandi victum, humorumque uniformium quiete,
26 ſeq. pendet. Cumque *Pythagoras*, animarum communicationem
in corde eſſe, crederet; *Cocchius* eum exiſtimat, tum ut uni-
formia liquida fierent, ſimpliciſſimum victum commen-
daſſe, tum ut ignaro populo hoc perſuaderet, animarum
migrationem excogitaſſe. Cum enim vegetabilia etiam ani-
mata eſſe exiſtimaret, vetitarum carnium vera cauſa non po-
28. terat animarum migratio eſſe. Erat potius facile parabilium
ciborum uſus, cui aſſuefacere homines volebat. Hoc loco
Cocchius recte docet, per τὰ ἄπυρα apud *Laertium*, non quæ
anima carent, ſed cibos minime coctos, intelligendos eſſe.
29. Neque vero ipſe *Pythagoras* ab omnium carnium eſu abſti-
nebat, &, qui eum fabis aliisque leguminibus uſum eſſe ne-
gant, cum iis, qui affirmant, ita fortaſſis conciliandi ſunt,
ut, illos ſicca, hos recentia teneraque, intellexiſſe, arbitre-
30. mur. Atque in hac victus ratione *Pythagoras* forte Ægy-
ptios ex parte ſecutus eſt, & ſapienter admodum iis uti

prohibuit,

Digitized by Google

prohibuit, ex quibus oleoſa multa ſalinaque exhalant. Hæc Pag. 34.
igitur *Pythagorica* vita, vel ſecundum ea, quæ recentiſſimis temporibus de vita ſanitateque innotuerunt, huic ſervandæ reſtituendæque aptiſſima eſt. Vitam enim ſanitatemque con- 35 ſeq.
cipimus in omni animato corpore, etſi non prorſus eodem modo, in perpetuo æquabilique motu liquidorum per ſua vaſa conſiſtere, quorum alia, arterias vocant, a corde procedunt, alia, quæ venas nominant, ad illud redeunt. Redit vero per has non omne liquidum, ſed aliqua tantum ejus pars, quare motus periret, niſi continuo ex inteſtinis variæ materiæ, ſed accurate mixtæ humectatæque, maſſam ſugerent.
Quæ cum debeat cum humidis corporis pariter non ſimpli- 37.
cis naturæ miſceri, neceſſarius ubique ciborum ſelectus eſt, ne etiam per qualitatem mixtionemque humidorum
ſanitas aliquid detrimenti patiatur. Neque vero alendi nos 38.
facultatem habent, quæ foſſilia nominant, & ſalia aſſumta
protinus immutata rurſus per varias vias ejiciuntur. Qua- 39.
re jam olim a *Plutarcho*, & deinde ab aliis, diſputatum fuit, cum humanæ naturæ vegetabilia conveniant magis, an anima-
lia; ex quibus utriſque etſi, quicquid in corporum noſtro- 40.
rum alimentum cedit, ſolida puriſſimaque terra eſt; tamen teneræ recentium vegetabilium partes illis animalium præferri debent, tum quod minori corporum noſtrorum virtute ſol-
vi poſſint, mitiaque & fixa ſalia acida, adeoque nihil ad pu- 41 ſeq.
trefactionem diſponens contineant, tum quod per ſaponaceam ſuam virtutem fluiditatem ſuccorum noſtrorum, cujus ſumma
ad ſervandam vitam utilitas eſt, optime ſervare queunt. Ne- 43 ſeq.
que alia ratio efficaciæ mellis & ſacchari, nec non lactis, cum
pura præcipue aqua miſti, eſt. Contraria vero eorum facultas 46.
eſt, quæ ex iisdem vegetabilium ſuccis fermentando fiunt, ut vini, cereviſiæ, aquæ mulſæ, præcipueque ſpirituum, qui cohæſionem ſuccorum noſtrorum, motumque & calorem, au-
gent, nervorumque actiones perturbant. Cum his tamen 47.
confundi acetum non debet, quod per ſecundam fermentationem factum, nimium calorem potius mitigat, & alcaleſcentem acrimoniam temperat, cujuſque proinde in variis acutis febri-

bus

bus curandis omni tempore permagna vis eſſe deprehenſa eſt.
Pag. 48. Fere tamen major eſt fructuum recentium acidi ſucci virtus,
quo *Famianus Michelini*, in Piſana ſchola Mathematum Lector,
& *Borelli* diſcipulus, in malignis & peſtilentialibus febribus
50 ſeq. feliciter uſus eſt. Oleorum contra, niſi recentium, tutus
uſus non eſt, atque ex vegetabilibus in univerſum non niſi
tenera utilia ſunt, & quæ ſuccum inſipidum, vel dulcem, aut
grate acidum, aut lacteum, nullius vero, aut ſuavis, odoris,
continent; ex quo vel ſolo conſtare poteſt, quam parum
utiles omnes bulboſæ radices ſint, acri pungenteque ſucco
52 ſeq. turgidæ. Neque adeo ſine cauſa Clariſſ. *Cocchius* oſtendit,
ejuſmodi vegetabilium uſu tum varios alios inexpugnabiles
morbos vinci, tum corpus a periculo omnis morbum facien-
tis cauſæ tutum præſtari poſſe; quod ſeorſim etiam de victu
56 ſeq. lacteo oſtendit, & eo uſque procedit, ut, peſtem Athenien-
ſium, & reliquas fere omnes, pariter ac ſcorbutum varios-
que alios morbos, ex abſtinentia a vegetabilibus, & animalium
62. contra uſu, ortos eſſe, opinetur, ac partim probet. Floren-
tiam proinde inter urbes ſaluberrimas refert, quod non tam
carnibus, quam herbis fructibuſque paucis, maxima civium
63. pars utatur. Eſt etiam alia vitæ *Pythagoricæ* utilitas hæc,
quod guſtum potiſſimum delicatiorem & quaſi acutiorem
64 ſeq. præſtat, nerveis papillis linguæ non irritatis. Etſi vero ne-
gari non poteſt, carnium aliorumque duriorum & oleoſo-
rum ciborum uſum robur corpori inſigne conciliare, quod
vel athleticus victus oſtendit, tamen, eum & ſanitatem ſimul
infirmare, & ſubitaneas mortes ſæpe intuliſſe, ex *Galeno* aliiſque
66. facile diſci poteſt. Sed conſtantem vigorem, qui ſanitatis
effectus eſt, vita *Pythagorica* præſtat, quod *Epaminondæ*
plurimorumque aliorum imperatorum veterum exempla com-
67. monſtrant. Ejusque ſummam utilitatem fuiſſe priſcis Roma-
nis cognitam, cibariæ leges, Fannia & Licinia, teſtantur, aliæ-
que Imperatorum etiam; neque alia videtur *Muſæ*, *Auguſti*
68. Medici, aliorumque, mens fuiſſe. Neque noſtra ætate de-
fuerunt, vel adhuc deſunt, qui non niſi herbis recentibus &
lacte vivunt, ac bene valent.

NUMO-

Digitized by Google

NUMOPHYLACIUM SCHULZIANUM DIGESſit, deſcripſit, & perpetuis inſigniorum rei numariæ ſcriptorum commentariis illuſtratum edidit, MICHAEL GOTTLIEB AGNETHLER, Tranſilvanus. Pars prior. Accedunt ſelectiores clarorum Virorum ad B. SCHULZIUM Epiſtolæ.

Lipſiæ & Halæ, 1746, 4.
Alph. 2 plag. 8½.

Præfationem huic Operi laude prorſus digniſſimo præmiſit Cel. poſſeſſoris & Cl. Editoris civis illuſtris, nunc ad Superos evocatus, *Martinus Schmeizel*, Regi Pruſſorum olim a conſiliis aulicis, & in eadem Fridericiana Juris publici atque Hiſtoriarum Profeſſor. Memoratur in eadem, ipſum jam *Schulzium* primas hujus ſcripti lineas duxiſſe. Id quod anſam dedit, candorem incredibilem, ſinceram fidem, in actionibus mirabilem modeſtiam, pectus ab omni colore, faſtu, invidia, pruritu altercandi, alienum, quæ omnia in beato Viro conſpicua fuerunt, laudandi & commendandi. Eodem ardore *Agnethleri* erga defunctum recolitur pietas, quippe quæ inſignia tam accepit, quam & ægroto & mortuo reddidit, officia. Quid itaque mirum, ſi grato adeo hoſpiti in ipſo virtutis hocce monumento erigendo Halæ pariter ac Lipſiæ certatim ſuppetias tulerint eruditi? Eminet inter illos *Maſcovius* noſter, literis ornandis & juvandis veluti natus. Ita vero inſtructus, ſingula Numophylacii *Schulziani* ornamenta, *priore* hac *Parte* publicata, deſcripſit accurate, ac, pro dignitate rei, ſatis illuſtravit. Cum autem eruditi in plerorumque numorum interpretatione in diverſas abire ſententias ſoleant, hinc ſingulorum fere, tam antiquiorum, quam recentiorum, antiquæ pecuniæ interpretum opiniones congeſſit, ſubjunxit, ſæpe etiam dijudicavit, & Autorum loca, in quibus plura inveniuntur, notavit. Singulorum numorum imagines, quod in vulgatis jam ante hujusmodi libris exſtant, hic omiſſæ fuerunt, locum autem hic invenerunt, quæ aut adhuc ignotæ delituerunt, aut

 a peri-

Digitized by Google

a peritis harum rerum æſtimatoribus in rariſſimis numerantur, aut ad illuſtrationem partis alicujus eruditæ antiquitatis facere poſſunt, aut denique de quibus conſtat, antea ab aliis haud accurate ſatis delineatas eſſe. Præterea *Morellianam* æſtimationem rariorum conſularium, antea nullibi publice viſam, nunc primum in lucem produxit, doctis paſſim ipſius *Schulzii* obſervationibus adjectis. Numi, *priore* iſthac in *Parte* deſignati atque illuſtrati, ſunt duplicis præſertim generis. Græci, ſecundum nobilitatem metalli qui diſponuntur, prius, hinc argentei atque ærei familiarum Romanarum, ſiſtuntur. In ſequente *Volumine* Imperatorum Romanorum ejuſdem generis numi locum invenient. Ut ſpeciminum aliquid exhibeamus, unum, in oculos qui ſtatim incurrit, numum Rhodiorum cum explicatione afferemus. Habet is caput ſolis adverſum, & roſam, cujus calici capitulum inſiſtit. Additur autem affabre ſignatum numiſma. Rhodiorum numi frequenter ex altera parte ſolem, ex altera roſam, exprimunt. Solem enim peculiariter Rhodii coluerunt, cujus honori celebrem illum, atque immenſæ magnitudinis, coloſſum conſecrarunt. Erat autem Aſiæ minoris illuſtriſſima hæc inſula Soli ſacra, teſte *Manilio Lib. IV Aſtronom. v. 763*:

Pag. 13 ſeq. 14.

Tuque domus vere Solis, cui tota ſacrata es.

Eo enim tempore, quo *Jupiter* & ceteri Dii univerſum orbem inter ſe diviſerunt, Rhodus ſub aquis tecta latebat; Sole autem abſente, curſumque ſuum conficiente, cum in diviſione ab omnibus præteritus eſſet, *Jupiter*, cognita re, voluit novam diviſionem inire, ſed Sol hoc recuſavit, & Rhodum, emergentem e fundo maris, ceteris Diis occultam, ſibi vero perſpectam, elegit, quod a *Jove* reliquiſque Diis illi conceſſum fuit. Hinc, *Plinio* & *Solino* teſtibus, nulla dies eſt tam nubila, in qua Sol non oriatur in hac inſula. His haud illepide Cl. *Begerus* ſuam addit epicriſin, dum, mirum, inquit, in tanta ſolis luce tam denſas regnaſſe fabularum tenebras, ut & ipſi Rhodii non tantum Solis coloſſum, qui inter mundi miracula locum meruit, ædificaverint, ſed & Solis ſe progeniem ambitioſe jactaverint. Rhodus a roſis denominata creditur; & hinc, roſam in numis Rhodiorum effictam eſſe, eru-

dit

diti exiſtimant. Inſulam, non urbem, a roſis etymon habere, conſtat, indeque facilis conjectura eſt, Rhodum urbem deinceps non aliunde, quam ab inſula, nomen petiiſſe. Vid. illuſtriſſ. *Spanhemius de Uſu & praeſt. numiſm. Tom. I pag. 315 ſeq. Nonnius* in *Goltzii Graec. pag. 274 ſeq.* & *Laur. Begerus Theſ. Brand. Tom. I pag. 410 ſeq.* Alius occurrit numus, in cujus al- Pag. 121.
tera parte *Coccejus Nerva*, in altera Salus Dea, in cathedra ſedens, atque aliquid porrigens, conſpicitur; qui, *Nerva* ſene nunc privato, cuſus eſſe creditur. Invenimus tertium, *Pluto-* 220.
nis, ſive *Ditis* patris, caput cum unco referentem; ubi compendia ſcriptionis in altera parte notari merentur: SEX*tus* NONI*us* PRI*mus Ludos Votivos Publicos Fecit.* Cl. Editor de ludis publicis votivis hic conſulendum proponit *Fulv. Urſinum* ed. *Patin. pag. 189.* Sequitur caput Romae galeatum, 222.
inter tripodis & denarii notas, cum verbis: *Marcus* OPEIMI*us.* ROMA. In altera parte ſpectandum ſe praebet *Apollo* in citis bigis, arcum tendens, pendente ab humeris pharetra. Ubi nota- 223.
tur, *Apollinem*, tela ſua jaculantem, dirae peſtilentiae tempora reſpicere, id quod ex *Homeri*, Poetarum & ſapientiae parentis, *Iliad. Lib. I v. 44 ſeq.* praeclare doceat *Havercampus.* Alibi deſcribitur 243.
numus, ubi conſpicitur caput Romae galeatum cum litera X, denarii ſigno. his item verbis: *Cajus* CATO. ROMA; & Victoria, in citis bigis dextra corollam praeferente, ſiniſtra equorum tenente habenas. Alibi in moneta *Sulpicia* ſunt capita Deorum 272.
Penatium jugata & laureata, cum literis D. P. P. dein Penates patrii. Alibi caput *Junonis Siſpitae*, ſive *Lanuinae*, pelle caprina 276.
tectum, cum literis I. S. M. R. *Juno Siſpita* Magna Regina. Denique maxime notabilis eſſe videtur Thaſiorum numus, ſi- 14 ſeq.
ſtens caput *Bacchi*, capillo circa tempora collecto, cujus frontem diadema ornat, ſinciput & occiput corona cingit hederacea; item ΘΑΣΙΩΝ ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΣΩΤΗΡΟΣ, ubi *Hercules* nudus ſtat, a cujus ſiniſtro humero leonis exuviae pendent; dextra clavae innititur, ſuper humero ſiniſtro eminet pharetra ſagittis plena, in area monogramma, ex M & H compoſitum. Ille numus, A. 1734 Cal. Jan. Cel. *Schulzio* donatus a *Sam. de Drauth*, Corona Tranſſilvano, ad antiquos numos colligendos eundem concitavit. Atque idem eſt,

cujus ἔκτυπον *Schulzius* in tabula, Diſſertationi *de Numis Thaſiorum* præmiſſa, tertio loco exhibuit, hic autem Cl. Editor in titulo repetiit. *Schulzius* quoque benefico diſcipulo carmine Græco, quod hic ſimul additur, gratias egit ſolennes. Eodem nos exemplo concitati, & Collectori, & Editori, nos ſummopere profitemur devinctos.

NOVA LITERARIA.

Quæ nuper de nova Operum *L. Cæc. Firm. Lactantii* omnium editione, proxime forma, quam vocant, quarta proditura, publicis ad Viros doctos literis nos docuit, quisquis eſt, Vir eruditus, ea cum Lectoribus noſtris communicanda hoc magis ducimus, quo minus dubitandum eſt, quæcunque hic ediſſeruntur, omnibus ac ſingulis fore ſcitu jucundiſſima. Sunt autem hæc:

Pauci ſunt inter Scriptores, ſive eccleſiaſticos, ſive profanos, qui ſæpius editi fuerint, quam Firmianus Lactantius. *Solus initio rei typographicæ, atque ante Seculum decimum ſextum, viceſies fere prelo commiſſus eſt; aliquando ter, ſæpius bis unoquoque anno, diverſis in urbibus publici juris fecerunt eum eruditi tum Catholici, tum a cultu Catholico-Romano alieni. Doctiores quique homines curam omnem atque diligentiorem operam poſuerunt in eo emendando ad veteres Codices, quorum infinitus prope numerus exſtat in arcanis Bibliothecarum. Tantæ fuit olim exiſtimationis* Lactantius *noſter! Itali, Galli, Germani, Hiſpani, Batavi, Angli, hunc notis criticis, quantum in iis fuit, illuſtrarunt. Attamen non æque omnes ſunt utiles; adhuc deſiderabatur aliquid, non ſolum ut textus ab omni amanuenſium errato liber fieret, verum etiam ut apprime mentem Autoris aſſequeremur. Id porro inter Latinos Autores* Lactantio *peculiare eſt, ut ſit quodammodo anceps, & ad diverſa munia paratus. Si enim in Scriptoribus Eccleſiaſticis ſecundum ſolummodo locum obtinet, procul dubio primatus literatorum ipſi debetur. Tanta quippe elegantia, tanto nitore, tanta gravitate, de rebus ſublimioribus diſputat, ut noſtris temporibus æque gratus ſit, ac prioribus ſeculis. At non ſemel querebantur etiam doctiores, quod nemini in mentem venerit, Scriptorem elegantiſſimum integritati, quantum fieri poſſit, reſtituere, & notis illuſtrare; quod conſilium munuſque quibuſdam abhinc annis præter cete-*

ros

ros ſuſceperunt Chriſtophorus Auguſtus Heumannus *in Germania, & in Gallia* Joannes Baptiſta le Brun, *Rothomagenſis. Editio* Heumanni *Lactantiana A. 1736 Gottingæ in Ducatu Brunſuicenſi prodiit. Numerum tantummodo editionum auxit; ſed antiquiorum non exſtinxit deſiderium, immo potius incendit. Verum, quo tempore* Joan. Bapt. le Brun *Aureliæ ad Ligerim, ubi ſedem fixerat, eo ipſo* Nicolaus Lengletius Dufreſnoy *eandem operam ſuſceperat A. 1707 Inſulis Flandrorum, in aula Bavarico-Colonienſi, ubi tunc degebat. Sed certior factus* Lengletius, Joannem le Brun, *qui jam erudite* S. Paulini *Opera ediderat, laborem omnem & omne ſtudium* Lactantio *emendando intendere, tunc ſuſceptum depoſuit opus, atque per interpoſitos amicos miſit* Joanni le Brun *decem rariores editiones ſelectas ex quadraginta & amplius, quas ſumma cura collegerat. Obiit vero* Joan. le Brun *A. 1731; ſed, quantum ſtupuerit* Lengletius, *vix poteſt enarrari, cum vidit, eruditum Editorem improbo decem annorum labore in eo tantum deſudaſſe, ut undique coacervaret, immo & corraderet, varias lectiones, tum Manuſcriptorum Codicum, tum Lactantianarum editionum, omiſſis interim iis obſervationibus, vel hiſtoricis, vel criticis, quæ ad Autoris iſtius mentem tum explicandam, tum explanandam, ſumme ſunt neceſſariæ. Hinc* Lengletio *in mentem venit, ut, quas ipſe notas olim congeſſerat, in unum cum variis lectionibus, a* Joanne le Brun *collectis, copularet atque jungeret. Hac ratione exiſtimavit fieri poſſe, ut eruditorum omnium annotationes hæc nova repræſentaret editio, atque cunctorum inſtar eſſe poſſet. Alias etiam, non omnes tamen, verum ſelectas, & utiliores, conquiſivit in* Betuleio, Eraſmo, Thomaſio, Iſæo, Gallæo, Sparkio, Cellario, Walchio, & Heumanno. *At,* Iſæi *editio cum ſit infrequens, ejus tamen notæ ſint doctiſſimæ, & ad rationem theologicam exaratæ, integras adjungere viſum eſt ad calcem prioris Voluminis, ne deſideret aliquid eruditus Lector in hac nova* Lactantii *editione, quæ omnes alias uno quaſi intuitu complectitur. Si ergo ſubeſt textui Lactantiano quædam annotatio hiſtorica, aut critica, ne dubites, ea eſt* Lengletii; *ſi vero ſubſint lectiones variæ, eas* Joanni le Brun *adjudices. Hæc eſt norma, hujus curas ab alterius opera ſecernendi. Attamen quoſdam manuſcriptos Codices, editiones non-*

nullas, Joanni le Brun *inviſas, conquiſivit* Lengletius. *Codicem unum eximium, etſi quingentorum tantum annorum, ſuppeditavit celeberrima Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis* Rohannei, *nuſquam a Theologis, immo & a literatis omnibus, ſine laude nominandi. Codicem alium quadringentorum fere annorum perhumaniter, ut ſolet, ſubminiſtravit* R. P. *Dominus* Ludovicus Lemerault, *Regiæ Sangermanenſi Bibliothecæ Præfectus; collationes quorundam Italicorum MStorum a* Latino Latinio, *aliaſque etiam, a* Petro Ciaconio *factas, ultro commodavit* D. Claudius Prevotius, *Canonicus Regularis, ex Regalis Abbatiæ Genoveſianæ Bibliotheca deſumtas. Manuſcriptum quoddam Colonienſe exhibet præclara & emendata editio anni 1544; dedit tandem Bibliotheca Cameracenſis Eccleſiæ duos Codices manu exaratos, unum decimi, & alterum, ſed lacerum, decimi quarti, Seculi. Ad ſeptuaginta igitur quinque Codices, quos enumerabat* Joan. le Brun, *additi ſunt a* Lengletio *quinque, aut etiam ſex alii. Idem ſit judicium de pluribus, iiſque rariſſimis, editionibus, quas non viderat* Joan. le Brun, *ac præcipue de Sublacenſi anni 1465, quæ omnium princeps eſt & primaria. Hujus quippe tria vix reperias exemplaria, unum Romæ in Barberina Bibliotheca, alterum in Moguntinenſis Eccleſiæ archivio literario, ultimum tandem in clariſſimo muſeo Viri eruditi & diſerti,* Claudii de Boze, *utriuſque Academiæ, tum Gallicæ, tum inſcriptionum, Socii, atque Regiorum numiſmatum ſcriniis præpoſiti. Hujus editionis variæ lectiones ſigillatim hic edentur. Contulimus præterea Pariſienſe editum anni 1513, quamvis ceteris minus emendatum. Sed magnopere attendimus editionibus Colonienſi anni 1544,* Heumannianæ *anni 1736, atque aliis quibusdam, quas non inſpexerat* Joan. le Brun. *Sub finem XVII Seculi, ac ineunte XVIII, reperta ſunt quædam* Lactantii *opuſcula, quæ vel manca, vel omnino deperdita, putabantur: unum de Mortibus Perſecutorum, alterum Epitome divinarum Inſtitutionum. Hujus pars prior jam a tempore* S. Hieronymi *deſiderabatur, quam tamen integram fere ex Codice MSto Regiæ Taurinenſis Bibliothecæ edidit Pariſiis A. 1712 doctiſſimus* Chriſtophorus Matthæus Pfaffius, *Tubingenſis Academiæ Rector. Cujus libri apographum ad me, deprecante eruditiſſimo* Joan Daniele Schœpflino, *Hiſtor. & Eloqu.*

Profeſſ

Profeſſ. publico in Argentoratenſium Univerſitate, miſit Pfaffius; *atque in eo quædam non exigui momenti obſervavi. At multo utilior, multoque jucundior, eruditis fuit Libellus de Mortibus Perſecutorum, quem primum A. 1679, mandante* Joan. Bapt. Colberto, *publici juris fecit* Stephanus Baluzius. *Singularis hujus Codicis, qui cum reliquis omnibus Colbertinis in Regiam venit Bibliothecam, copiam mihi fecit, inſito quodam, vel innato potius, quo eſt in rem literariam, amore,* Claudius Sallier, *Regiæ Bibliothecæ Præfectus alter. Codicem hunc cum editis iterum conferre viſum mihi eſt, & quædam rurſus ab aliis prætermiſſa annotavi. Sed, ne aliquid deeſſet huic noſtræ editioni, commentarios, quos in editionem Ultrajectinam anni 1692 congreſſerat* Paulus Baudry, *eos omnes, nullo demto, huic noſtræ addidimus editioni; atque ita in hanc noviſſimam omnia contulimus, quæ prius undique per ſingulas partes conquirere erat neceſſe, ut integra* Lactantii *opera, varioſque in ea commentarios, ſibi compararet Lector eruditus. Vicem ſuam implet* Joannes de Bure, *Bibliopola Pariſienſis, in hac excudenda editione, ut doctis emtoribus fiat ſatis, tum quoad chartam, tum quoad characteres impreſſorios, qui elegantiam prorſus inſignem præ ſe ferent. At, cum jam media pars operis edita ſit, integer prodibit* Lactantius *noſter menſe Majo hujus præſentis anni 1748.*

Nos, egregio huic inſtituto proſperrimos ſucceſſus comprecantes, unum hoc dolemus, ignotam prorſus Editoribus elegantiſſimam illam, et mira diligentia curatam, quæ ante annos tres, aut quatuor, docto *Dunemanni* labore, hic Lipſiæ prodiit, Operum *Lactantii* editionem videri; quippe quæ, cum aliis omnibus, quæcunque inde ab artis typographicæ incunabulis in lucem exierunt, multis modis præferri mereatur, potuiſſet ſane, ſi non hoc efficere, ut alius quisque ſibi a novæ editionis cura abſtinendum putaret, at iis ipſis, qui ad novum hunc laborem ſe converterent, inſignes commoditates utilitatesque præſtare.

Utiliſſimum Linguæ Arabicæ ſtudium huc uſque neglectum fuit ob librorum bonæ notæ penuriam maxime. Cui malo ſi mederi ſtudeat pro virili ſua, credit ſic dignum aliquid ſua perſona & munere ſe facturum, doctiſſimus *Jo. Jac. Reiskius,*

Reiskius, publico nuper in Academia Lipſienſi docendi linguam Arabicam munere donatus. Significat itaque hac ipſa velut tabula illis omnibus, qui aut Arabicæ literaturæ operam navant, aut ſcientiarum omnium, præſertim vero elegantiorum, incrementa in optatis habent, deſtinaſſe ſe, volente Deo, idem in Arabicis, quod olim *Aldi* & *Stephani* in Græcis, præſtare, id eſt, typographiam Arabicam erigere, ex qua libri hujus idiomatis, ſed boni, & a fama jam commendati, prodeant. Sollicitam emendationis curam impreſſioni adhibebit, chartasque & typos elegantes. Neque ſinet, cum pauci erunt emtores, niſi pauca exemplaria, ad ſummum quingena, excudi. Dabit aut ſolum textum Arabicum, aut ſimul quoque, idque in plurimis, Latinam interpretationem. Ab *Abilfedæ* Geographia faciet initium, aut ab ejusdem Hiſtoria orientali. Perget deinceps ad alios, quos aut ſperat ſe cum tempore adepturum, aut quos jam poſſidet. Ad hos pertinent e. c. *Hamzæ Iſpahanenſis* Hiſtoria veteris regni Perſici; *al Meidanenſis* proverbia Arabica; *Ibn Kotaibah* notitiæ virorum apud Arabes ſive armis, ſive eruditione, illuſtrium; *Ibn Doreid* Lexicon grammatico-genealogico-hiſtoricum; excerpta ex *Nuwairio*; Chronicon *Ibn Schechnah*; *Ibn Zeidun* Epiſtola hiſtorica cum commentario *Ibn Nobatæ*; *Rhaſis* Liber nonus ad *Almanſurem*; *Iſæ*, filii *Ali*, opus de morbis & medicina oculorum; *Abu Oſaibah* de vitis celebrium in Oriente Medicorum; *Zad ol Moſaferi*, ſeu *Viaticum*, quod Latine inter opera *Conſtantini Africani* exſtat; *Hamaſah* utraque, tam magna, quam parva, id eſt, Anthologia poetica; opera poetica *'l Motanabbii*, & alia. Rogat itaque perhumaniter & officioſe omnes, quotquot huic inſtituto favent, hujusque typographiæ Arabicæ fœtus, ſi qui olim prodibunt, deſiderant, ut nomina ſaltem ſua ſibi dent quantocius, (aut potius celebrioribus ubique locorum librariis, qui colligendi curam in ſe ſuſcipient,) certosque ſe promittant editorum emtores fore; quo nimirum apud ſe de conſilio iſto aut urgendo, aut omittendo, decernere queat. De pretio librorum ſtatui nunc non poteſt. Pendebit ea res ex numero compromittentium. Facile quidem eſt judicatu, libros illos non vili conſtituros, quandoquidem ad vulgum non pertinent; id tamen ſcire volumus fautores, lucrum a *Reiskio* prorſus non ſpectari, ſed unice eum velle bonarum artium pomœria proferre, & de humano genere bene mereri.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLVIII.

Pars II.

VENERABILIS PATRIS MONETAE, CREMOnenſis, Ordinis Prædicatorum S. P. Dominico æqualis, adverſus Catharos & Valdenſes Libri quinque, quos ex manuſcriptis Codicibus, Vaticano, Bononienſi, & Neapolitano, nunc primum edidit, atque illuſtravit, P. Fr. THOMAS AUGUSTINUS RICCHINIUS, ejusdem Ordinis S. T. M. ac Collegii Caſanatenſis Theologus.

Romæ, ex typographia Palladis, 1743, fol.

Alph. 3 plag. 2.

Quinque fere Secula præteriere, ex quo *Moneta*, hujus Operis Autor, vivere deſiit. Cumque Reverendus *Ricchinius*, ejusdem ac *Moneta* Ordinis ſocius, nonnihil intereſſe crederet orbis literati, ut iſtius Autoris quinque contra Catharos & Valdenſes Libri, e tenebris, quibus adhuc ſepulti jacuerant, protracti, eruditi orbis oculis ſubjicerentur, eos ex MSto Codice primus edidit, & notis prolegomenisque ſat copioſis illuſtravit. Autoris vitam in fronte Operis recenſet, &, uti facere ſolent, qui aliorum ſcripta primi evulgant, ut eo commendabiliores evadant eorum conatus, miris *Monetam* ſuum laudibus exornat. Claruit vero ille Seculo poſt C. N. tertio & decimo. Natus eſt Cremonæ,

 in

Digitized by Google

in Bononienſem vero Academiam Philoſophiæ docendæ gratia vocatus, S. *Reginaldi* tandem oratione ſacra, quam, Romæ agens, die *Stephani* protomartyris recitari audivit, incitatus, A. 1220 monachum induit, multaque erga catholicam religionem, zeli & ſanctitatis documenta edidit, circa medium, ut videtur, Seculi decimi tertii ex hac vita egreſſus. Ad ſcripta ejus quod attinet, præter opus, de quo jam agitur, Commentaria in *Ariſtotelis* Logicam, & Summam caſuum conſcientiæ, compoſuiſſe traditur. Quoniam autem vino, quod Rev. Editor lectori propinavit, hedera forſitan opus videbatur, ipſe illuſtrium virorum (hoc enim elogio eos mactat,) de *Moneta*, ejusque ſcriptis, teſtimonia adducit. Sunt autem illi teſtes maximam partem ejusdem Ordinis Prædicatorum ſocii, interque eos *Stephanus de Salanacho, Humbertus de Romanis, Gualvaneus Flamma, Leander Albertus, Antonius Flaminius, Malvenda, Ambroſius Altamurus, Reinerus Sacchonus*, non, ut arbitramur, adeo eruditis nota & celebrata nomina. Nihilo tamen ſecius plurimum his teſtimoniis tribuit Rev. Editor, qui hiſtoriam literariam operis *Monetæ*, quod edidit, contexuit. Archetypum Autoris Bononiæ A. 1550 adhuc integrum fuiſſe, hodie autem deſiderari, obſervat. Apographa nonnulla, in variis Bibliothecis obvia, & quæ Rev. Editori haud parum in ipſa operis editione profuerunt, commemorat. *Jacobus Gretſerus*, nec non *Dominicus Gravina*, Ordinis Prædicatorum ſodalis, *Monetæ* contra Catharos Libros publici juris facere tentarunt, aliis vero occupationibus, tandemque morte, præventi, ſtare promiſſis non potuerunt. Eorum igitur provinciam in ſe ſuſcipiens, non ſolum *Monetæ* textum, quam potuit accuratiſſime, ſecundum antiquorum Codicum fidem expreſſit, verum etiam notas adjecit, in quibus loca veterum Patrum, cum quibus *Moneta* conſentit, indicantur, & Cathari æque ac Valdenſes cum veteribus & recentioribus hæreticis conferuntur. Prooemii loco bigam Diſſertationum præmiſit, quarum altera de Catharis agit, de Valdenſibus altera. Ad priores quod attinet, propaginem Manichæo-

rum

rum eos fuiſſe, exiſtimat. De etymologia vocis Catharo- Pag. 13.
rum nonnullas aliorum affert conjecturas, quorum profecto
famæ melius conſuluiſſet, ſi eas ſilentio præteriiſſet. Lepi-
da inprimis eſt *Henſchenii*, in notis ad vitam *S. Galdini*,
Archiepiſcopi Mediolanenſis, ad d. 18 Aprilis hac de re opi-
nio. Is enim, Catharos dictos eſſe, ſtatuit, a Germanica voce
Cater, quæ felem maſculum denotat, propterea quod noctu
convenire fuerint ſoliti. Præclare autem obſervat Rev. Edi-
tor, conjecturas (ineptias rectius dixiſſet) hæc eſſe, meliuſ-
que ſtatui, a Græco καθαρὸς nomen hoſce homines eſſe ſor-
titos, cum ſolenne antiquis fuerit hæreticis, ſplendida ejuſ-
modi nomina ſibi arrogare. Miramur duntaxat, obſcuritatem
quærere Rev. Editorem in re, quæ longe videtur clariſſima.
De origine ejuſdem ſectæ ſi quæras, eam ab ipſo *Manete* exco-
gitatam, & ab ejus uſque tempore occulta quidem, at nuſ-
quam interrupta ſerie, traductam fuiſſe, obſervat, hac oc-
caſione fata Manichæorum uſque ad decimum poſt C. N. Se-
culum exponens. Seculo undecimo Manichæorum virus a 14.
Bulgaris ad Gallos promanaſſe, & inde *Petrobruſianorum*, *Hen-
ricianorum*, *Apoſtolicorum*, ac demum *Albigenſium*, qui ipſi
aut iidem, aut ſaltem affines Catharorum, fuiſſe videntur, hæ-
reſin exſtitiſſe, contendit. Catharos igitur ſub Seculi unde-
cimi initium jam turbas in Gallia dediſſe, in Belgio etiam,
Germania, & Anglia, pravas opiniones diſſeminaſſe, nomen
vero Catharorum ante annum 1162 a Chronici Hirſaugienſis
Autore novis hiſce Manichæis inditum non fuiſſe, exiſti-
mat. Cumque duntaxat de recentioribus illis Catharis, Ma-
nichæorum propagine, ipſi ſermo ſit, de aſſeclis *Novati*, qui
etiam Cathari audiebant, contra quos Canon VIII Concilii
Nicæni I conditus eſt, & de quibus inter alios *Wilhelmus
Beveregius* in Notis ad Pandectas Canonum Eccleſiæ primi-
tivæ multo eruditionis apparatu diſputavit, nihil affert.
Seculo duodecimo hæreſin illam occaſione ſchiſmatis inter
Fridericum Imperatorem & Papam *Alexandrum III* ortas in
Italiam irrepſiſſe, ſtatuerat *Puricellus*. Hic autem ſtu- 16.
dium partium Rev. Editor utique prodit, & in manes glorio-

 ſiſſimi

ſiſſimi Imperatoris *Friderici*, quo ſane meliorem Cæſarem vix habuit Germania, & qui ſe malis Pontificis auſibus jure ſuo oppoſuit, eſt injurius, quando, eum ſchiſma contra *Alexandrum III* improbe foviſſe, pronuntiat. Confutat vero illam *Paricelli* ſententiam, &, ex *Landulpho a S. Paulo* conſtare, exiſtimat, circa annum 1130, adeoque ante ſchiſma *Fridericianum*, eam hæreſin in Mediolanenſem provinciam jam irrepſiſſe. Duo autem apud Mediolanenſes Catharorum fuiſſe genera, contendit, veterum puta, & recentiorum. Veteres multo prius in Italiam ex vicina Dalmatia, Croatia, Bulgaria, prodiiſſe, recentiores A. 1176 univerſam Inſubriam invaſiſſe, & illuc e propinquis Galliæ provinciis, Toloſa nimirum & Alba Auguſta, confluxiſſe, credit. Non tamen per Inſubriam tantum, aut Longobardiam, ea hæreſis ſeſe diffudit, verum & per Æmiliam, Umbriam, Picenum, Marchiam Tarviſinam, aliasque Italiæ partes, Cathari ſacrorum cauſa coiverunt. Denique A. 1207 Viterbii & in patrimonio *Petri*, uti vulgo dicitur, ab *Innocentio III* inventos atque exterminatos fuiſſe Catharos, ex Card. *de Arragona* Vitis Pontificum, quæ *T. III Script. Rer. Ital.* comparent, evincitur. In Hiſpania etiam ſub finem Seculi duodecimi tales fuiſſe homines, Rev. Editor comprobat. In multas hoſce Neo-Manichæos, qui ſe Catharos vocabant, abiiſſe ſectas, quæ ſe mutuo anathematis fulmine petierunt, ex *Stephani de Borbone*, Ordinis Prædicatorum ſocii, qui Seculo decimo tertio floruit, opere MSto de ſeptem donis Spiritus S. cujus fragmentum edidit *Echardus* in Diſſertatione *de Scriptis Vincentii Bellovacenſis*,
Pag. 17. oſtendit. Uti iſti homines dogmatibus, ita & nominibus inter ſe diſcrepabant, cum alii a locis, a magiſtris alii, alii aliunde, appellationem ſortiti ſint. Varias & portentoſas ejusmodi compellationes Rev. Editor affert, de nonnullarum etiam origine diſſerit, tres tamen principes eorum fuiſſe ſectas, Albanenſium nempe, Concorrezenſium, & Bagnolenſium, obſervat. Ad errores deinde horum hominum delatus, omnes omnino Catharos diabolum hujus mundi conditorem finxiſſe, aſſeverat. Baptiſmum eos rejeciſſe, cetera vero Sacramenta

cramenta eccleſiæ nihil ad ſalutem conferre, exiſtimaſſe, contendit. Ubi tamen optandum eſſet, ut Rev. Editor, qualia ſpreverint Sacramenta, docuiſſet, cum, ſi fortaſſis, ritus iſtos ſuperſtitioſos, quales eccleſia Romana pro Sacramentis venditat, nihil ad ſalutem conferre, cenſuerunt, mitius de illis judicandum foret; quemadmodum & eo nomine teſtibus veritatis rectius, quam hæreticis, ex noſtra ſententia, accenſendi ſunt, quod imaginum & crucis cultum riſu exceperunt, purgatorium vero ad fabulas amandarunt. Quam perverſus enim ſit talis imaginum cultus, qui ad barbariem jam vergentibus ſeculis ab ineptiſſimis monachis eſt inductus, & cui ſe præſtantiſſimi autores, fortiſſimique Imperatores, ſigillatim *Carolus* ille *Magnus*, cui ipſa Roma paruit, & Pontifices ſubjecti fuerunt, coacta Synodo Francofurtana, & conſcriptis egregiis de imaginum cultu libris, oppoſuerunt, quotquot ſunt eruditi cordatiores, agnoſcunt. Hoc autem non obſtante, Rev. Editori vehementer ideo Cathari vapulant, quem etiam male habet, quod magiſtratus ſeculares, animadvertendo in hæreticos male agere, docuerint. Certe, ſi legiſſet, & ſine partium ſtudio penſitaſſet, præſtantiſſimorum JCtorum, *Gerardi Noodtii* & *Chriſtiani Thomaſii*, ſcripta, qui, hæreſin non eſſe crimen, nec magiſtratui aliquod in religionem jus competere, luculentiſſime docuerunt, Catharos fortaſſis excuſaſſet. Alios inſuper horum hominum fuiſſe errores, contendit; matrimonium videlicet tanquam peccatum mortale eos damnaſſe, futuram hominum reſurrectionem negaſſe, eſum carnis, ovorum etiam & caſei, tanquam maximum crimen, vetuiſſe, juramenta omnia omni tempore illicita judicaſſe, neminem extra ipſorum ſectam ſalvari poſſe, parvulos etiam, baptiſmatis fonte lotos, non levius æternum puniri, quam homicidas & latrones, deliraſſe. Varios ad harum rerum comprobationem adducit teſtes, qui tamen profecto tales non ſunt, quibuſcum in tenebris mices. Sunt enim homines admodum obſcuri, qui ſeculis barbaris, & omni bonarum literarum cultu deſtitutis, vixerunt, quos adeo facile credas plurima Catharorum dogmata non ſatis cepiſſe, ſed falſa multa de illis

Pag. 19

 memoriæ

memoriæ prodidiſſe. Uti ergo eſt in hæreſium hiſtoria, de dog-
matibus eorum ſatis dilucide & certe nihil poteſt definiri.
Et hæc quidem fuiſſe præcipua placita, quæ omnium Catha-
rorum animis inſederint, Rev. Editor arbitratur. Sectæ, in quas
ſciſſi erant, alia adhuc alebant dogmata, quæ operoſe Edi-
Pag. 20. tor ediſſerit. Uſus eſt ad hoc negotium ſcripto quodam *Per-
egrini Priſciani*, qui tempore illo floruit, quo hæreſis Catha-
rorum longe lateque graſſabatur, a Cl. *Muratorio* in ſexageſi-
mam Diſſertationem *Tomi V Antiquitatum Italicarum* ex Co-
dice MSto tranſlato. Tabulam quoque confecit locorum,
in quibus *Moneta* doctrinas Catharorum, a *Peregrino* recenſitas,
21-23 confutavit. Adjecit illi tabulæ monumentum, ex Codice
MSto Bibliothecæ Vaticanæ editum, quod interrogationes,
quæ per inquiſitores debent fieri ab illis, contra quos eſt
præſumtio hæreſeos, continet; cum illud perſpicue atque diſtin-
cte Catharorum errores exhibere ipſi videretur. Ubi igitur
ſatis diſſeruerat de Catharorum erroribus, ad mores eorum
depingendos delatus, eos Manichæorum more ſingularem
ſanctitatem ſimulaſſe, & occultas ſacrorum congregationes
25. inſtituiſſe, ne ab orthodoxis dignoſcerentur, oſtendit. Inſu-
per, cum legitimum connubium damnarent, fœdiſſimis ſe Ma-
nichæorum more contaminaſſe libidinibus dicuntur. Fraudes
etiam, latrocinia, uſuraſque illicitas, exercuerunt, & ſum-
ma pertinacia errores ſuos defenderunt. Ut paucis omnia
complectamur, nihil fere eſt mali, aut nefandi, quod illis non
impingat Rev. Editor. Quodſi tamen & hic dicendum, quod
res eſt, nimis fortaſſis contumeliæ illis adſperſit. Quibus enim
teſtimonium hac in re denuntiat, inter quos inprimis *Lu-
cas Tudenſis* eſt in ſuis adverſus Albigenſes libris, infenſiſ-
ſimi eorum hoſtes fuerunt, qui ex more, veteris Eccleſiæ
patribus jam ſolenni, ſummo erga hæreticos odio incenſi, ni-
hil non mali contra eos proferebant. Fortaſſis etiam, quæ
nonnulli eorum ſcelera commiſerunt, univerſæ ſectæ vitio
28. imprudenter vertuntur. Quod ad ritus eorum religioſos at-
tinet, in locum baptiſmatis impoſitionem manuum ſubſti-
tuerunt, quam *conſolamentum*, ſeu ſpirituale baptiſma, vocan-

Digitized by Google

bant, ſine quo nec peccatum remitti, nec Spiritus ſanctus conferri, poſſit. S. Euchariſtiæ loco quotidianam panis fractionem, recitata ſimul oratione dominica, habuerunt, conſtanter tamen negantes, ex illo pane corpus Chriſti confici. Huic vero errori anſam ipſimet, arbitramur, Catholici dederunt. Cum enim hi figmentum de tranſubſtantiatione, uti barbaro vocabulo dicitur, jam tunc temporis profiterentur, quod non potuit non erectioribus ingeniis ſtomachum movere, Cathari, illud improbantes, in aliud lapſi ſunt extremum, id quod jam Seculo IX *Ratramno* accidiſſe novimus; Catharorum etiam pœnitentia & hierarchia ab illa Catholicorum diſcrepabat. Feſtum Paſchatos illos cum aliis Chriſtianis non celebraſſe, ſed pro eo memoriam iſtius diei, quo occiſus eſt *Manes* hæreſiarcha, religioſe coluiſſe, ex *Eckberti* Sermonibus Rev. Editor docet. De jejuniis etiam & orationibus Catharorum diſputat. Diſciplinam arcani inter illos viguiſſe, docet. Non enim omnia & penitiora dogmata tironibus revelabant, ſed ea apud perfectos tanta ſecreti fide retinebant, ut adhibito etiam perjurio occultarent. Hanc artem eos a Priſcillianiſtis & Manichæis didiciſſe, Rev. Editor contendit. Ad ſectam ſuam accedentes ſingulari ritu recipiebant, quem ritum Noſter fuſe & accurate ediſſerit, &, in Gallia eundem a reliquis paulo fuiſſe diverſum, obſervat. Contra hos ipſos vero hæreticos non multum argumentis theologicis, uti tamen fieri debebat, pugnatum eſt, ſed, quemadmodum ſolent facere homines, qui, perperam de religione ſentientes confutari a ſe poſſe, deſperant, ignis, ferrum, graviſſimæque perſecutiones, in auxilium vocatæ ſunt. Acceſſit inprimis inquiſitionis Romanæ tribunal, autore S. *Dominico* inſtitutum, quod, quamvis ſummis laudibus Rev. Editor exornet, dignius tamen eſt judicio, acriori quidem illo, vero tamen, quod *Caveus* de eo tulit, & quod totum Rev. Editor appoſuit, cum ex ipſiſmet Pontificiis illius iniquitatem jure ſuo deteſtentur & impugnent haud pauci. Multa inſuper Concilia & contra ipſos Catharos, & alios, iisdem dogmatibus imbutos, ſunt habita, quæ ad calcem

Pag. 29. 30. 31.

Pag. 32 ſeq. cem hujus Diſſertationis recenſentur. Abſoluta autem hac de Catharis commentatione, altera de Valdenſibus incipit. Taxat Rev. Editor illos, qui Valdenſes & Albigenſes confundunt, quos tamen origine, dogmatibus, & moribus, diverſiſſimos fuiſſe, pro certo habet. Et, quamvis hæc prorſus taxanda non ſint, optandum tamen eſſet, ut Rev. Editor tempora probe diſtinxiſſet. Certe jam ante Valdenſes exortos Albigenſium nomine ſectæ quædam venerunt, quibus cum Valdenſibus nihil commune fuit. Poſtea tamen, in Albigeſio & Toloſanis partibus habitantes, & cum Valdenſibus a Romana Eccleſia ſecedentes, eandem compellationem nacti ſunt, unde Albigenſium & Valdenſium appellatio promiſcue cœpit uſurpari, qua de re vir ſummus, *Fridericus Spanhemius, Tomo I Operum pag. 1596* eruditiſſime more ſuo diſputavit. Statuiſſe nonnullos, iſtos homines Valdenſes eſſe dictos a Germanico *Wald*, quod in illa loca ſe receperunt, alios a civitate *Walden*, quæ in finibus Franciæ ſita erat, & ab Itala voce *Valdeſi*, quæ habitatores convallium denotat, alios eorum compellationem derivaſſe, obſervat. Hæc tamen diverſæ de eorum denominationis etymo ſententiæ cum jam a laudato *Spanhemio l. c.* ſint expoſitæ, eas hic recoquere non

37. opus fuiſſet. Recte autem ſtatuit, a *Petro Valdio*, (*Valdo* rectius dixiſſet,) ſeu *Valdenſi*, cive Lugdunenſi, originem appellationemque Valdenſes accepiſſe, quorum primordia ex *Stephani de Borbone* libro de ſeptem donis Spiritus S. exhibet. Citatus ille Autor, cujus locum ſatis longum, barbaro autem ſtilo conſcriptum, appoſuit, originem Valdenſium non adeo accurate nobis tradidiſſe videtur, partium quoque ſtudio vehementer fuit abreptus. Unde non immerito ea, quæ laudatiſſimus *Spanhemius* de *Petro Valdo* ex teſtibus fide digniſſimis diſputat, multo majoris facienda ſunt. Variis inſuper iſti homines nominibus ſunt appellati. Nam dicti etiam ſunt *Leoniſtæ*, ab urbe Lugduno, quæ & *Leona* audit, nec non *Pauperes de Lugduno*, quia paupertatem profitebantur. *Sabatatos*, vel *inſabatatos*, eos eſſe vocatos, quod, feſtis papiſticis repudiatis, ſolum diem dominicum colerent, *Spanhemius* obſervavit.

Digitized by Google

obſervavit. Et videtur utique hæc etymologia ſatis bona & apposita, cum ſatis conſtet, Valdenſes ſuperſtitioſos illos Romanæ Eccleſiæ ritus repudiaſſe, & obſcuris illis temporibus, a Pontificiorum ſacris vel tantillum diſcedentibus, barbaras & contumelioſas appellationes eſſe impoſitas. Nihilo tamen ſecius valde hoc nomine in *Spanhemium* invehitur Rev. Editor, hanc conjecturam *ineptiſſimam* judicans. Quid Pag. 38.
autem, quæſumus, rectius attulit? Sequitur nimirum *Cangium* in Gloſſario, qui, quoniam Valdenſes paſſim calceis ligneis, quos Galli *ſabots* dicunt, utebantur, eos exinde hoc nominis tuliſſe hariolatur. Hæc autem etymologia num propius rem tangat illa *Spanhemii*, valde dubitamus; cum nec is ligneorum calceorum uſus omnibus communis fuerit, nec exinde nomen *Sabatatorum*, ſed potius *Sabotatorum*, ferre potuerint. Valdenſes in ſui admirationem quamplurimos pertraxiſſe, & eorum congregationes eximia cepiſſe incrementa, obſervat Editor. Inuſitati autem candoris documentum hac occaſione edit, quando Clericorum laxiorem vivendi rationem inter cauſas hujus incrementi numerat. Hac in re nos prorſus conſentientes habet; reliquæ enim, quas ex *Reinero* affert, hujus incrementi cauſæ parum habent probabilitatis. Credi 39.
vix poteſt, quam ſtupidi, illiterati, omnibusque vitiis inquinati, fuerint iſtius temporis Clerici, ut adeo viri probi non potuerint non ejuſmodi impietatem averſari, & ab Eccleſia Romana ſecedere. Non autem mirum eſt, male habuiſſe talem ſeceſſionem Pontifices, qui eam ob cauſam anathematis fulmine (hoc enim decebat homines illiteratos & rudes) Valdenſes percuſſerunt, deque illis prorſus eliminandis cogitarunt. Maxima certe hæc fuit iniquitas. Nam, ſi fingas, illos nonnullis in rebus erraſſe, juſtis rationibus & argumentis in rectam viam reducendi erant. Jam vero, ſi catalogum errorum, 40.
quos foviſſe dicuntur, a Rev. Editore additum, inſpicimus, tantum abeſſe apparet, ut hæreticis per omnia accenſendi ſint, ut in plurimis capitibus rectius de religione ſenſerint, quam reliqui iſtius temporis divinarum literarum interpretes. Miramur ſane, *Lucium III*, Pontificem, illis vitio

vertiſſe, quod calceos deſuper pedes præciderent, & quaſi nudi ambularent. Ipſa enim fortaſſis paupertas illis pauperibus *de Lugduno* miſerum ejusmodi habitum injecit, &, ſi ea res ex mente Pontificis vitio illis vertenda eſt, quid fiet hodiernis monachis, regulam S. *Franciſci* ſequentibus, qui, eodem calceamentorum genere æternam ſalutem mereri ſe poſſe, ſomniant. Neque etiam reprehendendi ſunt, quando, miſſas ſacerdotum vivis & mortuis nihil prodeſſe; docuerunt, pœnam purgatorii negarunt, indulgentias papales deriſerunt, ad ſalutem ſufficere, ſoli Deo, non hominibus, confiteri peccata, & peccatorum vere pœnitentem, quamvis graviſſima commiſerit peccata, poſt mortem in cœlum evolare, dictitarunt, luminaria Sanctis offerre, rem inanem judicarunt, ſolumque Deum eſſe adorandum ſtatuerunt. Nobis rectiſſime feciſſe judicatur *Flacius Illyricus*, qui teſtibus veritatis optimos illos Valdenſes annumeravit, neque moramur Rev. Editoris effata, qui eos graviorum errorum reos poſtulat, cum ad ejus rei probationem teſtibus utatur, quibus fides haberi vix poterit. Exploſa jamjam hæc eſt fabula, quam ante Rev. Editorem *Bzovius* ad nauſeam uſque decantavit, nec in hodierna literarum luce talia ſibi perſuaderi patiuntur eruditi. Sed qui poterat aliter evenire, quam ut odia ejus incurrerent Valdenſes? Valdenſes, inquam, qui ſacerdotes ſui temporis, ampliſſimas poſſidentes divitias, filios perditionis & diaboli vocabant, qui dicere non verebantur, peccare, qui eis decimas & oblationes darent, eosque *lardum hoc pacto impinguare* pronuntiabant, qui eccleſiam Romanam Babylon meretricem, de qua legatur *Apoc. XVII*, Romanam ſedem errorum omnium magiſtram, Papam vero errorum omnium caput, vocabant. Ut ſe tamen æquum erga Valdenſes gereret Rev. Editor, de erroribus, falſo illis tributis, integrum *Caput* addidit, ubi, in paucis eos a Pontificiorum ſacris ſeceſſiſſe, comprobare annititur. Verum enim vero

Pag. 43.

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis,
Tempus eget.

Dogmata

Digitized by Google

Dogmata ſane illorum hominum ex limpidiſſimis fontibus, confeſſionibus nempe, catecheſibus, & dialogis eorum antiquiſſimis, adeo luculenter a viris doctis ſunt tradita, ut oleum & operam perdant, qui nobis perſuadere contrarium conantur. Cum vero Valdenſes a Catholicis graviſſime vexarentur, nec in Italia, aut Gallia, amplius ſecuri eſſent, ſedem fortunarum ſuarum eos in Cottiarum Alpium vallibus quæſiviſſe, obſervat. Habuerunt ibi proprios ſacerdotes, *barbas*, ſeu *barbatos*, dictos, quos communi ſumtu aluerunt, &, ſi forte quis in gravius crimen prolaberetur, ſtatim eum e ſacro ejecerunt miniſterio. Neque Rev. Editor, eos caſtiſſimis fuiſſe moribus, audet negare. Ex *Claudio Seiſellio* deinceps, affert, præcipuos eorum errores fuiſſe, quod ſtatuerint, nec penes Pontificem, nec Eccleſiæ ſacerdotes, eſſe facultatem, conficiendi corpus Chriſti, atque abſolvendi a peccatis, quod eorum vita ad Apoſtolorum exemplum & ſanctimoniam minime exigeretur. Summo igitur honori Valdenſibus cedit, quod ipſimet eorum hoſtes hiſce laudibus eos privere nequeant. Veterem vero hanc eorum fidem evertere, irrito tamen conatu, ſtuduiſſe *Bucerum* & *Oecolampadium*, Calvinianis ſacris addictos, exiſtimat. Feliciores autem poſtea hoc in negotio fuiſſe Genevenſes miniſtros, ait, qui eos ad *Calvini* caſtra pertraxerint, ita, ut nihil præter nomen Valdenſium iis reliquum manſerit. Cumque nonnulli eos, qui ante *Lutheri* tempora in Polonia, Moravia, & Bohemia, a Romanis ſacris ſeceſſerunt, ad Valdenſes retulerint, eos falſo ita dici, ex propriis eorum confeſſionibus comprobat. Ipſum *Lutherum* illos homines, qui fratrum Bohemorum nomine veniebant, averſatum eſſe, & *Eccium* in colloquio Lipſienſi, A. 1519 inſtituto, rogitaſſe, ne ſe Bohemis accenſeret, poſtea vero A. 1533 mutata ſententia cum eis feciſſe, tradit. Quæ autem hic in contumeliam *Lutheri* afferuntur, nihil minus quam ad eum deprimendum faciunt. Cum enim *Eccius* colloquium cum *Luthero* de rebus ſacris inſtituere cogeretur, ſtatim viribus ſuis diffiſus, ad criminationes & convicia confugiens, non melius cauſæ Pontificiorum conſuli credebat, quam ſi, *Lutherum* cum Bohemis

Pag. 46.

47.

hemis facere, clamaret, eumque hac ratione apud plebem infamaret. Tantum autem aberat, ut hoc pacto excelſus *Lutheri* animus infringeretur, ut palam diceret, nonnullos Bohemorum articulos, in Concilio Conſtantienſi damnatos, chriſtianiſſimos eſſe & evangelicos, id quod ipſemet *Eccius* in Epiſtola, ad *Jacobum Hochſtratanum* perſcripta, quæ in S. Rev. *Læſcheri Actis Reformationis Tom. III pag. 222* comparet, teſtatur. Ex quo teſtimonio intelligitur, quam mala fide cum *Luthero* Rev. Editor agat, quando, eum ſibi non conſtitiſſe, audacter aſſeverat. Verum quidem eſt, *Lutherum* Bohemis aliquando fuiſſe infenſum; ſed hoc accidit eo tempore, cum adhuc Pontificiis opinionibus eſſet imbutus, & antequam ſaluberrimum repurgationis ſacrorum opus incepit. Poſtea vero, uti facere ſolent homines probi, qui, ſepoſito omni autoritatis præjudicio, veritatem unice ſectantur, ea, in quibus recte ſentiebant Bohemi, approbavit, quæ contra in eorum doctrinis & vita reprehenſione digna erant, modeſte indicavit. Qua de re optimum teſtem & autorem, perilluſtrem *Seckendorfium* in *Hiſtoria Lutheraniſmi pag. 527 & 1482*, excitaſſe juvat. Duas fidei ſuæ confeſſiones Bohemos exhibuiſſe, alteram A. 1508 Regi Hungariæ *Uladislao*, & A. 1535 *Ferdinando*, Romanorum Regi, alteram, Rev. Editor docet. Priori præfatum eſſe verbis admodum honorificis *Lutherum*, exiſtimat. Dubio procul autem duas has confeſſiones inter ſe confudit. Qui potuiſſet *Lutherus* A. 1508 ejusmodi confeſſioni præfari, cum adhuc monachum ageret, de ſacris repurgandis nondum eſſet ſollicitus? De altera igitur, *Ferdinando* exhibita, hæc dicenda potius erunt, cui quidem elegantiſſimam adjeciſſe præfationem *Lutherum*, laudatus modo *Seckendorfius* l. c. docuit. Quæ igitur opera Rev. *Ricchinii* in *Moneta* edendo fuerit, amice Lector, te docuimus; jam de ipſo *Monetæ* opere paucis dicemus. In *quinque Libros*, in quos deſcriptum eſt opus, eo ordine diſpoſuit, ut primo hæreticorum, contra quos pugnat, dogmata recenſeat, deinde argumenta eorum addat, tandem eadem confutet. Ne autem longiori recen-

ſione

ſione patientia Lectoris abutamur, ſpecimina duntaxat eam in rem afferemus, ut, quid de toto opere judicandum ſit, eo facilius & rectius poſſit definiri. In vexatiſſima illa quæſtione, unde malum ſit, Cathari, ad ſyſtema Manichæorum confugientes, duo principia confinxiſſe dicuntur. Ut igitur eos confutaret, & meliora doceret, *Moneta*, primo quidem recte diſtinctionem inter malum culpæ & pœnæ, quamvis aliis conceptam verbis, affert, deinde ex S. *Auguſtino* obſervat, omne malum eſſe privationem ſpeciei, modi, & ordinis. Hoc pacto hæreticos facile confutari poſſe, exiſtimat. Dicit enim: *Si in quæſtione præmiſſa* (ipſa *Monetæ* verba damus,) *unde venerit primum malum in populum Dei, ipſe ſumit malum pro malitia, reſpondendum eſt ei, ſicut S. Anſelmus de caſu diaboli Cap. 27 reſpondit cuidam diſcipulo, interroganti, unde venit nihil in aliquid? Quam quæſtionem oportet eum ſolvere, ſicut diſcipulus S. Anſelmi fecit. Nihil nec venit, nec recedit. Quo dicto dicemus ei, cur ergo quæris, unde malitia in populum Dei venit, cum malitia nihil ſit.* Egregia, ſi Diis placet, confutatio. Quid, quæſumus, dixiſſet *Moneta*, ſi ulterius inſtitiſſent hæretici inquirendo, unde igitur illa ipſa boni carentia & abſentia exſtiterit. Melius ſibi conſuluiſſet, ſi loco dictorum ex Patribus ſacras literas elegiſſet duces. Inde profecto didiciſſet, formalem rationem mali, ſeu peccati, in ἀνομίᾳ conſiſtere, adeoque præter carentiam boni etiam poſitivum quid, ſive ſit connata qualitas, ſive promtitudo acquiſita, ſive actus legi divinæ contrarius, ponere. Didiciſſet profecto, originem mali a ſeductione diaboli, lapſu primorum parentum, & univerſali illa corruptione humanæ naturæ, originem capere, neque adeo malum in purum nihil commutaſſet. Dato autem uno, ſecuta ſunt hujus generis plura, falſiſſima ſane, effata. Deum enim per accidens autorem malitiæ, ſeu peccati, dici poſſe, concedit, perverſa profecto, & in ſummum Numen injurioſa, ratione. Putat nimirum, bonitatem & malitiam eandem habere cauſam, unde, cum Deus ſit cauſa bonitatis, eum etiam eſſe cauſam malitiæ, ideo, quia ſit cauſa boni, quo non exiſtente, nullus eo poſſet privari. Pag. 37.

 At

At enim vero falſiſſimum eſt, malum in ſola privatione conſiſtere, &, ſi *Monetæ* argumentandi ratio conſiſteret, tunc optimi legislatores graviſſimorum ſcelerum autores dici poſſent, quoniam, ſi leges non adeſſent, illæ a facinoroſis non violarentur, quod quam foret ridiculum, nemo eſt, quin videat. Neque etiam Deus, ille peccati oſor & vindex, illud ens longe ſanctiſſimum, ſine ſumma impietate autor peccati per accidens, dici poteſt, cum vel in vita civili vir gravis & honeſtus de ſumma injuria ſibi illata queri poſſit, ſi a quopiam hominis nequam & nebulonis per accidens convicio proſcinderetur. Cum, liberum arbitrium homini reliquum eſſe, negaſſent, contra quos *Moneta* diſputat, ille, homines ad-
Pag. 65. huc hodie libero arbitrio gaudere, oſtendere laborat. Fluit autem ex hac ejus ſententia prono alveo, hominem propriis viribus ſe poſſe convertere, & ad æternam ſalutem perducere, id quod jam in *Pelagio*, antiquo illo hæreſiarcha, damnarunt veteris eccleſiæ doctores. Tantum igitur abeſt, ut *Monetæ* hac in re ſubſcribamus, ut deteſtandam illam cenſeamus ſententiam, cum præſertim a ſummo *Luthero* noſtro, in præſtantiſſimo libello, quem *de ſervo arbitrio* conſcripſit, hæc doctrina optimis rationibus ſit diſcuſſa. Multos quidem pro ſtabilienda libertate arbitrii S. Scripturæ adduxit locos; nos tamen certiſſime, & ex vero, affirmamus, unumquemque, acroamaticæ Theologiæ notitia inſtructum, ſtatim, ex quo eos inſpexerit, intellecturum eſſe, ſine judicio hos locos conſcribillaſſe *Monetam*, nec quidquam eos ad cauſam ipſius defendendam facere. Notum profecto ei eſſe debebat, naturam humanam per peccatum originis adeo eſſe depravatam, ut malum duntaxat appetat, Deum contra resque divinas averſetur. Unde facile ſequitur, hominem adeo corruptum libero arbitrio in ſpiritualibus plane carere, nec aliquid ad ſui converſionem poſſe conferre. Diſertis hoc verbis docet *Paulus Phil. II, 13, Deus eſt is*, dicens, *qui agit in vobis, & velle, & perficere*, quem locum in partes ſuas obtorto ve-
64. luti collo imprudenter trahit *Moneta*, addens, illum ita capiendum eſſe, ac ſi Deus modo auxiliaretur ad ejusmodi opera-

operationem. Addita autem hæc ſunt ex ingenio, & in ipſo *Pauli* textu plane non exſtant, unde hanc explicationem recenſuiſſe, idem eſt, ac confutaſſe. Neque etiam diſtinguere novit inter actiones civiles, & eas, quæ divina & ſpiritualia reſpiciunt, cum in illis quidem, neutiquam vero in his, libertas homini poſt lapſum ſit reliqua, quemadmodum nec ſatis cogitaſſe videtur, Deum hominibus vires ad converſionem, quibus natura carent, ſuppeditare, dummodo non malitioſe reſiſtant. Hæc enim omnia ſi animo volviſſet, multos Scripturæ locos, quos ſine delectu corraſit, rectius explicaſſet. Jam vero documenta ſat certa dedit, quam longe noſtri Theologi *Moneta* ſimiles poſt ſe relinquant. Apoſtolos ante & poſt paſſionem Chriſti miracula perpetraſſe, ex variis Scripturæ locis comprobat. Inde autem confici poſſe cenſet, ſolam Pag. 221
Romanam eccleſiam eſſe veram eccleſiam; ipſam enim ſolam hanc poteſtatem retinuiſſe, & habere eam in aliquibus membris ſuis. Bone Deus! quæ conſequentia. Ponitur ſcilicet pro certo, de quo adhuc vehementer ambigitur, an nimirum Romana eccleſia poteſtate miracula perpetrandi polleat. Et, quamvis Rev. Editor in nota, huic loco adjecta, illum defectum quodammodo ſuppleturus, varios Autores excitarit, qui, Romanam eccleſiam miracula facere, tradiderunt, illi tamen utique ſubleſti ſunt, nec in propria cauſa pro fide dignis poſſunt haberi, multoque propius ad verum accedit, quamplurimas fraudes hominibus ſuperſtitioſis pro miraculis ſolere obtrudi. Inſuper plane neſcivit *Moneta*, quid per vocem eccleſiæ intelligendum ſit. Cum enim in ſacris literis ea vox cœtum vere credentium & ſanctorum denotet; nemini poteſt eſſe obſcurum, ſolam Romanam eccleſiam hoc elogio ornari non poſſe. Hujus autem generis ratiocinia innumera adhuc poſſemus afferre, ſi res ita ferret. Totum enim opus hiſce colligendi rationibus ſcatet. Verum enim vero tempus inutiliter conſumeretur, ſi longius hiſce rebus immoraremur. Et, ne invidioſa fiat noſtra recenſio, plura non addimus, cum ex allatis abunde queat intelligi, quid de *Moneta* ſentiendum ſit. Genus dicendi, quo utitur, admodum inſulſum eſt, & barbariem ſeculi, quod vivendo attigit, abunde

de prodit. Quam alienus etiam a judicio critico & bonis literis fuerit, vel ex eo liquet, quod *Dionyſium de divinis no-*
Pag. 37. *minibus* excitet, quem tamen librum *Dionyſium* plane non agnoſcere autorem, ſed circa Seculum ſextum a quodam tenebrione confictum eſſe, longe certiſſimum eſt. Quamvis etiam nonnulla in *Monetæ* libro ſic ſatis bona occurrant, uti v. c. ſunt, quæ de divinitate Chriſti, de humana ejus natura, de *Joanne*, Chriſti præcurſore, & hujus generis alia, contra hæreticos affert, ea tamen ab aliis multo meliori doctrina & ingenio ſunt expoſita, &, an illi, qui perperam his de doctrinis ſentiunt, lecta *Monetæ* diſputatione ad meliorem frugem ſint redituri, admodum dubitamus. Injurius igitur fuit Rev. Editor in tineas atque blattas, quas hujus operis editione eſca ſua defraudavit. Quodſi noſtra qualiacunque conſilia apud eum aliquid valent, autores ipſi ſumus, ut præclaros ſuos labores ſcriptoribus *Moneta* præſtantioribus in poſterum impendat. Ita enim & honori patriæ, & orbis literati commodis, melius proſpiciet.

JOANNIS MILTONI PARADISUS amiſſus, Latine redditus interprete JOSEPHO TRAPP, S. T. P.
Volumina II.

Londini, typis J. Purſer, impenſis L. Gilliver, J. Wood, & C. Woodward, 1741 & 1744, 4 maj.
Alph. 3 plag. 6.

In hoc libro recenſendo multi non erimus. De Anglicano *Miltoni* opere nota ſunt omnia. *Trappii* nomen etiam ab edito *Anacreonte* & *Virgilio* Anglicano innotuit. Nuper ille grandi ætate, paulo poſt celebratas nuptias, ſolenni ſenibus amatoribus ſupplicio, periit. Quomodo autem hic principem Anglorum Poetarum interpretandi conatus ipſi ceſſerit, Lectores ipſi ex uno & altero, quod apponemus, ſpecimine intelligent vel non admoniti. Forte patientur idem, quod nos poſt perlecta Præfationis non multa paſſi ſumus. En ejus ſpecimen: „Ad interpretationem meam quod ſpectat, non ſum neſcius, verſifica-

„*verſificationem* non eſſe uſquequaque jucundam & numero-„ſam, ſed, in quibusdam Orationibus præcipue, quin & in „deſcriptionibus nonnullis, aſperam interdum atque hirſutam. „Verum quid facerem in materia tam dura, tam ineleganti, a „dictione poetica tantopere abhorrenti? in materia penitus „theologica, ſcholaſtica, philoſophica, mathematica? Fru-„ſtra hic quæritur verſificatio *Virgiliana. Virgilius* ipſe, ſi vir-„bius eſſet, & *Paradiſum amiſſum* in linguam ſuam transfer-„ret, neceſſe haberet, ni vehementer fallor, numeros non „ſuos, ſed *Lucretianos*, imo *Horatianos* in Sermonibus, iſtis „locis identidem adhibere.„ Veniunt nobis, hæc deſcriben-tibus, in mentem iſta *Polyxenæ* ad *Hecubam* apud *Euripidem*, quæ poſſet hic liber ſuo parenti acclamare, ſi vocem haberet: *τί με δυσφημεῖς, πάτερ, φροίμιά μοι κακά.* Sed pergit Noſter: „Idem dictum velim de *terminis artis*, quos vocant, „logicis & metaphyſicis. Eos aliquoties uſurpare voluit *Mil-„tonus*; & quis ſum ego, ut ab illo audeam recedere? Inter-„pres ſum, non autor. Ille hiſce terminis uſus eſt; nos etiam „utimur, & dignum eſt patella operculum. Voces iſtæ, non „diffiteor, nunquam ſunt claſſicæ, interdum vix Latinæ; præ-„terea ſonum edunt auribus neutiquam gratum. Sed rogo „iterum, quid faciendum? Verbo dicam: Si quis hæc atque „his ſimilia ſtilo *Virgiliano* poteſt exornare; mentem *Miltoni* „eodem tempore exprimere, ejusque ſtili, quo etiam in hiſ-„ce locis utitur, imaginem exhibere, quod ut fiat, curare, „me judice, officium eſt interpretis; do manus. Ego, fa-teor, non poſſum.„ Hæc ex Præfatione. E quibus, ve-remur, ne multi confirmatam in Noſtro quoque deprehendant ejus proverbii veritatem, quod, Anglos Latinæ linguæ peri-tiſſimos eſſe, negat. En jam ipſius operis guſtum. Initium hoc eſt:

Primum hominis lapſum, vetitaque ex arbore fructus
Avulſos, quorum e guſtu lethale venenum,
Mortem, atque omne malum, quo plectimur, intulit orbi;
Amiſſa Edena, donec nos aſſerat horto
Unus homo major redimens, ſedique beatæ;

Cæleſtis, cane, Muſa, ſacri quæ culmine montis
Secreto Horebis reſidens, vel culmine Sinæ,
Paſtori inſpiraſti animum, qui tradidit olim
Delectæ ſoboli, ut cœli tellusque profundo
Emerſere Chao, &c.

Lib. I v. 208 balænam deſcribit ſic:

- - - - *bellua ponti*
Leviathan, opera inter quem ſua cuncta creavit
Maximum, in oceano quæ tranant vaſta fluenta,
Omnipotens. Hunc fors dormitantem in ſale ſpumeo
Norvegiæ, rector feſſæ ſub nocte biremis
Eſſe aliquam ratus inſulam, ut ajunt nautica pubes,
Sæpe tenax figit ſquamoſo in cortice ferrum,
Atque hæret lateri, ad littus; dum nox nigra veſtit
Æquor, & auroræ lux exoptata moratur: &c.

Quæ in his trajecta ſenſum implicent, quæve ſenſu careant, ipſi lectores deprehendent. Certe dormitabat Noſter, quando dormitantem in ſale ſpumeo Leviathanum faciebat. Impliciti ſermonis exempla haud rara apud Noſtrum. E. c. *Lib. I v. 190*: *Tendamus protinus iſtuc, ex his ſurgentes agitatis ignibus undis.* Quid jungas τῷ *agitatis*? *ignibus*ne, an *undis*? Nec ſatis illa *eod. Lib. v. 91*: *Spes par, eademque pericla, atque eadem illuſtri conamine gloria in armis, Te ſocium junxere mihi*, intelligimus. Quæ Latinitas, *facere alicui periculum*, id eſt, bellum alicui intentare, in illis *ejusd. Lib. v. 137*: *Æterno fecere pericula Regi.* Poſſent talia multa coacervari, ſi quis ingratam velit eam operam exantlare. Apparet omnino, Muſam Noſtro pectus agitaſſe aliam ab ea, quæ *Anti-Lucretii* Autorem impulit. Id tamen non poſſumus, neque licet, diffiteri, multos in hoc Anglico *Miltono* venuſtate & majeſtate radiantes enitere locos, qualis ille eſt *Lib. I v. 227 & ſeq.*:

Protinus immanem, ſurgens de gurgite, molem
Erigit; hinc atque hinc ab utraque impulſa recedit
Flamma manu refluens, ſpirasque obliquat acutas:
In cumulos volvunt ſe ſtagna flagrantia, fiſſis

Fluctibus;

Digitized by Google

Fluctibus; in medioque relinquitur horrida vallis.
Tunc exporrectis ſe tollit in aera pennis,
Remigio ſubigens, auraque incumbit opacæ;
Quæ gemit, inſolitoque laborat pondere: donec
Littore ſe ſiſtit; ſi fas ſit dicere littus,
Quod ſolidis arſit, liquidis velut ignibus amnis.
Qualis ubi terra incluſi vis intima venti
Torquet divulſumve Peloro, Ætnæve tonantis
E latere exeſo, montem; cui fœta metallo,
Materiemque intus ſævæ accendentia flammæ,
Viſcera ſublime erumpunt, ventisque volucres
Dant rapidis alas, nigro tandem igne relinquunt
Exuſtum, fumantem, & olentem ſulphura, fundum;
Tali, tam tetro, terra horruit iſta colore;
Talem inviſa Deo perſenſit planta quietem.

Sed vel in his tamen forent quædam animadverſione digna; e. c. in *v. 10*, niſi *liquidus* legatur pro *liquidis*, nullus ſenſus ineſt; aut ſaltem vox *undis* deficit. Sic enim dici poterat: *Solidis ignibus, velut amnis liquidis undis.* Dubitamus etiam, num ſat probum ſit, *cui ſublime erumpunt*, pro *ex quo ſ. e.* Illud *vis intima venti* pro ſumma, quæ omnes ſuos nervos quaſi in unum nodum contraxit, non admodum placet. Utcunque ſit, id certum eſt, ad hunc Poetam Latinum legendum ſi quis accedat, illi ſtomachum durum & robuſtum, animumque attentum & patientem, qui ſæpius eadem relegere non faſtidiat, afferendum eſſe.

Sammlung einiger vertrauten Briefe, ꝛc.

hoc eſt,

JO. ERHARDI KAPPII, PROF. P. LIPS. SYLLOGE Epiſtolarum familiarium, quæ inter Celeb. Baronem GOTHOF. WILH. DE LEIBNITZ, & Eccleſiaſten aulicum Berolinenſem, DAN. ERN. JABLONSKIUM, alioſque doctos, præcipue de reconciliatione religionis Lutheranæ & reformatæ, de regia Boruſſica Societate Scien-

tiarum, aliisque rebus, ultro citroque miſſæ fuerunt & communicatæ, ex autographis una cum annotationibus, ac novem Leibnitianis deſtinationibus, protractæ.

Lipſiæ, apud Bernh. Chriſt. Breitkopfium, 1745. 8. Alph. 1 plag. 13.

Non fatigatur, nec ſuccumbit moli, Cel. *Kappius*, quam ipſi amplificatio rei literariæ in dies affert. *Leibnitio* patria obtigerat Lipſia. Lipſienſe igitur decus, *Kappius*, de cive ſuo bene voluit mereri, tantum Lipſiæ ſuæ daturus, quantum gloriæ undique ex ſcriptis ac deſtinationibus meritisque immortalibus *Leibnitii* elucet. Huic Berolinenſis ſcientiarum ſocietas debet originem, per *Danielem Erneſtum Jablonskium* conſilia ſua urgenti. *Sophiæ Charlottæ*, Boruſſorum Reginæ, is tribuendus eſt honor, quod ipſa prima ſocietati illi inſtituendæ, ac condendæ ſpeculæ aſtronomicæ Berolinenſi, anſam ſuppeditavit. Rex vero *Fridericus I.* in id etiam incubuit, ut cultura linguæ Germanicæ in circulum ſcientiarum adſciſceretur. *Paſcalis* ac *Leibnitius* vocantur *duo magna ætatis noſtræ ornamenta* in ephemeridibus Italicis, *Giornale de' Letterati d' Italia*, quæ Venetiis prodierunt A. 1710, *Tom. I pag. 381.* *Summus* ipſe *Geometra* appellatur a *Poleno* in epiſtola ad *Jo. Jacobum Hermannum.* *Hermannus* ipſe *Newtonum* ac *Leibnitium* appellat *duos magnos viros ac eruditos incomparabiles.* *Nicolao Concinæ*, Profeſſori Metaphyſices, *Leibnitius* audit *vir ſummus, vir ingenioſiſſimus, majorum gentium Mathematicus.* At vero minus probari potuit Pontificiis religio cui *Leibnitius* nomen dederat, Evangelico-Lutherana. Miramur itaque, qui fieri potuerit, ut Anonymus in *Hiſtoria ſeptem dormientium pag. 35 Leibnitium* vocaverit *olim heterodoxum*, ac *Boldettius* crediderit, eum in ſinu Romanæ eccleſiæ obdormiviſſe, ſeu diem obiiſſe ſupremum. Videantur illius *Oſſervazioni ſopra i Cimeteri di SS. Martiri Lib. I Cap. 38 pag. 186.* At ſalva res eſt. *Boldettius* tantum refert, famam fuiſſe diſſeminatam, *Leibnitium* fidei Romano-catholicæ

licæ fuiſſe immortuum. Egregie ſenſerunt de *Leibnitio* peræque Galli. Abbas *de S. Petro*, Jeſuita *Dominicus Parrenin* in literis A. 1740, 10 Sept. Pekino datis, & *Voltairius*, eum ſuſpexerunt, ac publice laudarunt. Syllogen harum epiſtolarum Cel. *Kappius* a Boruſſico Conſiliario intimo, *Carolo Stephano Jordano*, Berolinenſis ſcientiarum ſocietatis olim Propræſide, viro literis omnibus erudito, earumque patrono πολυγράφῳ, A. 1733 per Aſtronomum *Chriſtfridum Kirchium*, qui A. 1740, 9 Mart. Berolini e vita deceſſit, accepit. *Kirchii* hujus apud patrem *Godofredum Kirchium*, celeberrimum æque Berolini Aſtronomum, *Leibnitius* videtur epiſtolas illas reliquiſſe. Ex hoc theſauro Noſter epiſtolas aliquot cum editore Epiſtolarum *Leibnitianarum*, Cel. *Kortholto*, communicavit, ab hoc evulgatas. Idem Cel. *Kappius* Perill. *Jordano*, tunc adhuc viventi, publice pro hiſce cimeliis ſecum communicatis gratias habet agitque debitas, easque omnino magnas. Deſcripſit pleraque ipſe *Kappius*, literas ſecundum ordinem chronologicum collocavit, ſummamque præfixit, nec non annotationes & jucundas, & rei congruentes, adjecit. Ipſe A. 1742, 8 Febr. recitavit publice Orationem *de novis & adhuc incognitis Godofredi Guilielmi Leibnitii, Viri ſummi, in religione promeritis.* Vindicat eum Cel. Vir denuo a ſugillationibus, ac, religionis Chriſtianæ, ejusque evangelicæ, exſtitiſſe fautorem & ſodalem, argumentis firmiſſimis oſtendit. Ipſi *Leibnitio* Theodicæam ſuam viſam fuiſſe inſtar ludi, negat idem *Kappius* ita, ut lectori facile exprimat aſſenſum. Conſenſerunt cum ipſo *Wolfius, Burgetus, La Croze*, Jeſuita *Turneminius*, ac *Jordanus*. Laudanda erat ea moderatio, qua *Leibnitius* utebatur in Theologia, & qua ab ambitioſo ſectæ condendæ ſtudio erat disjuncta. Creſcet ex hoc literarum ſimiliumque commercio ſenſim edito plenior *Leibnitii* ac *Jablonskii* vita, quam demum ſucceſſu temporis exſpectari poſſe, dubitandum non eſt. Promittit in ea Præfatione, quam hic ſequimur, Cel. Editor & Commentator novam ineditarum Epiſtolarum *Leibnitianarum*, earumque Latinarum, collectionem. Si hanc orbi literario quamprimum haud inviderit, omnes ipſe bonos ſibi maxi-

mopere, habebit devinctos. Nam *bis dat, qui cito dat, nil dat, qui munera tardat.* Sylloge, de qua in præſens diſſerendum, complectitur centuriam epiſtolarum, ab A. 1689 uſque ad A. 1704 ſcriptarum. Accedunt hiſce novem *Leibnitii* Conſilia adhuc inedita, quæ ad fundum ſocietatis ſcientiarum, ad negotium irenicum, ad miſſionem ſacram, ad Calendaria, a ſocietate quotannis conficienda, ad moros prope Potsdamium ac Copenicium ſerendas, ad obſervationes aſtronomicas inſtituendas, ad Codicem diplomaticum continuandum, & ad jura imperii ex archivis, hiſtoriis, ac documentis, cuſtodienda, viroque cuidam demandanda, ſunt referenda. Operæ pretium fecit *Caſpar Neumannus*, qui primus ſuaſit, ut indices eorum, qui ſingulis annis naſcuntur & exſpirant, conficiantur, ac inde ratiocinando doctrinæ colligantur. Optato huic in terris Brandeburgicis paulo poſt experimentum conſtitit. Docuit poſtea Ven. Præpoſitus *Süsmilch*, quid exinde liceat addiſcere & ratiocinari. Conſiliarii aulici, *Jo. Gerhardi Rabneri*, *Laurentius Begerus* in Præfatione, *Theſauro Brandeburgico* præmiſſa, incommode meminerat, viri optimi, qui theſauro Brandeburgico miram veterum cimeliorum copiam intulerat. Scripſit proinde ad Lic. *Ottonem Menckenium Leibnitius* A. 1696, ut *Rabneri*, Aſſeſſoris in ſupremo Electoralis Pomeraniæ dicaſterio meritiſſimi, mentio fieret in *Actis* hiſce ſatis honorifice. Id quod omnino factum *A. 1696 pag. 434.* Obiit *Rabnerus* A. 1701, 15 Febr.

Pag. 9. Epiſtola tertia *Leibnitii* ſpectat ad doctrinam Reformatorum de *perſeverantia ſanctorum*, ab iis omnino legenda, qui *Leibnitium* inter irreligioſos homines numerant. Quinta exponitur de rumore, qui, *confeſſionem peccatorum eccleſiaſticam* in terris Brandeburgicis ſublatam eſſe, nuntiaverat, ac mentio injicitur de numo, Fehrbellenſis victoriæ Brandeburgicæ

13. teſte ad A. 1675 luculento. Præmiſit huic de hoc numo mentioni Cel. *Kappius* inſignem annotationem pro more ſuo, quam per volumen omne continuat ac proſequitur adeo, ut incertum ſit, an volumen hoc ob *Kappianas* dapes, an ob theſaurum epiſtolarum, inibi exhibitarum, potius ſit emendum

Digitized by Google

dum ac perluſtrandum. Multa profecto momenta hiſtorica, quæ in illis epiſtolis vix digito attinguntur, lectorum plurimis forent obſcura & tenebroſa, niſi Cel. Editor eis lampada prætuliſſet, & accendiſſet lucem. Legi dignæ ſunt *Jablonſkii* ac *Leibnitii* epiſtolæ de præſentia corporis & ſanguinis in uſu ſacræ Cœnæ. Memoratur ibidem *Tentamen irenicum*, a *Leibnitio* jam A. 1698 ſcriptum, quod in *Conſiliis Latinis Phil. Jac. Speneri pag.* 105 legitur. *Leibnitii* ſententiam de illa præſentia vix exſpectaſſent ab eo plurimi noſtratium Theologorum. Certatim enim dudum in viri optimi manes ſolet ſævire. *Zwinglii* ſententiam Reformatis univerſis haud probari, *Jablonſkius* & *Leibnitius* docuerunt. *Jablonſkium* A. 1699 Epiſcopum fratrum Bohemicorum, in Polonia commorantium, fuiſſe renuntiatum, ex hac ſylloge conſtat. Dolemus, vitam ejus a nemine adhuc ſcriptam ex profeſſo. Qui de D. *Sterckii* & *Sculteti* controverſiis theologicis, de *Richb. Bentleji* lite ſuper epiſtolis *Phalaridis*, de *Bernierii* dubiis, certiores fieri ſtudent, eorum eſt, animum huc appellere. De negotio reconciliationis Lutheranorum ac Reformatorum ad annum usque 1703 varia ſunt tentata. *Jeremias Sterckius* A. 1718 Berolini obiit. Memorabilia ſunt, quæ de Pentateucho Judæorum Chinenſium afferuntur. *Leibnitium* Perill. *de Fuchs* voluit *Puffendorfio* defuncto ſurrogare. De *Notis Ez. Spanhemii in Julianum*, ac de *Chriſtophori Hendreichii Pandectis Brandenburgicis*, differunt duumviri. D. *Joannis Melchioris Goetzii*, eccleſiaſtæ Halberſtadienſis, epiſtola de conſiliis irenicis inſeritur. Conqueritur idem de Superintendentis *Lüderſii* opinionibus Pietiſticis. Anonymi judicium in capita *de unione Proteſtantium* in lucem profertur. *Jablonſkii* literæ ad D. *Joannem Fridericum Mayerum*, A. 1700 datæ, inſeruntur. De negotio Calendariorum, ad ſocietatem Berolinenſem revocandorum, de confeſſione Polonica, de *Joach. Juſti Breithaupti* carmine funebri in obitum *Jo. Adami Crebſii*, aliisque rebus haud futilibus, differitur. De rationibus ſocietatis ſcientiarum recte conformandis exponitur. *Tabulas Rudolphinas*

Pag. 18. 27. 44. 55. 57. 63. 95. 126. 141. 147.

Digitized by Google

dolphinas dijudicat *Leibnitius*, de ſocietatis apparatu diſſerit,
Pag. 167. ac jam A. 1700 de *Theodicaea* ſua promittit egregia. De *Thomae Shadwelli* Comoedia *The virtuoſe* facetiſſima commentatur Cel. *Kappius*. *Joannam* Papiſſam dimittit & expungit
179. *Leibnitius*, diſſeritque de uſu culturae ſermonis Germanici.
187. De *Centuriis Magdeburgicis* judicium facit *Jablonskius*, ac ſpem quodammodo facit, ſe adornaturum Hiſtoriam eccleſia-
190. rum Sclavonicarum. De Academia Hetruſca *del Cimento*, A. 1657 Florentiae inſtituta, exhibentur haud qalatitia. *Leibnitii* commemoratio de ſocietatis ſcientiarum ambitu lucernam olet. Ipſe cum ea voluit conjunctam Evangelii ad gen-
197. tes exteras propagationem. *Jacobi Dornkrellii ab Eberherz*, Luneburgenſis, fata potiora ſciri ſunt digna. Libellus ejus *de Politia vere beata* cum Utopia *Mori* in contentionem adduci poteſt. Iter Toplitienſe *Leibnitii* in aeſtatem A. 1700 inci-
209. dit. *Leibnitii* judicium de capitibus libri, a *Pacifico Verino*, id eſt, *Henrico Ludolpho Benthemio*, ſuper Reformatae ac Lutheranae eccleſiae reconciliatione A. 1700, 8, Brunſuigae editi, ſpirat multum peritiae theologicae, & ex ipſo hiſtoriarum eccle-
214. ſiaſticarum fundo depromtum eſt. De titulo *Burggraviatus No-*
227. *ribergici*, Principibus Zolleranis a Brandeburgico Electore amice indulto, *Leibnitius* exponit. De coronatione Boruſſica, & hierarchiae Anglicanae in Boruſſiam introducendae deſtinatione, eventum fruſtrante, nonnihil ex *Jablonskio* ac *Leibnitio* addiſci poteſt. De monarchia Siciliae varias, easque optimae frugis,
242. obſervationes Cel. *Kappius* adjecit. De *Acoluthi* invento Aegyptiaco, phosphoro *Bernoulliano*, ac *Helmontii* Cabbaliſticis, certiorem reddidit *Leibnitius Jablonskium*. De *Joannis Michaelis Bruti* Operibus ſelectis ſcriptisque, ſcriptori-
270. busque Marchicis, nonnihil intexitur. *Benthemius* de Anglicanae eccleſiae ſententia, quantum ad praeſentiam corporis
278. & ſanguinis euchariſticam attinet, diſſeruit. De praedeſtinatione, & abſoluto decreto, ac *Burneti* ſententia, egit viciſſim *Leibnitius*. Quis fuerit Medicus, Chimiam callens, *Joel Joannes Kortholtus*, hinc intelligere licet. Plurima ad ſocietatem ſcientiarum
282. Berolinenſem, ejusque initium, ſpectant. Immiſcetur tamen nonnihil deſtinationis irenicae anno adhuc 1703. De *Winckleri*

Digitized by Google

teri Arcano regio Leibnitius ita ſenſit, ut id improbaſſe exiſtimandus ſit. *Fr. Julii Lüttkenſi* cogitata reconciliationis ireni- Pag. 340.
cæ iterum hic edita conſpiciuntur *pag. 342 ſeq.* Epiſcopi *Urſini* ea de cauſa ſcriptæ literæ haud minus exhibentur. Quid 363.
ordo theologicus de arcano illo regio ſenſerit Helmſtadii, ex ejus reſponſo, hic evulgato, pateſcit. Criteria Pietiſmi 371.
in eo inter alia explicantur *pag. 386.* Irenicis epiſtolis *Molani, Urſini, Leibnitii, Jablonskii*, jam non immoramur. De 424.
Pietiſtis & Socinianis candide *Leibnitius* fecit judicium tale, quale ab ipſo exſpectaſſes. At quid multa? Sylloge integra ſelectis ornamentis effulget.

L. E. SOLUTIO PROBLEMATIS CATOPTRICI, in Novis Actis Eruditorum Lipſienſibus pro Menſe Novembri A. 1745 propoſiti, iterum continuata, & finita.

Conf. *Nova Acta Menſ. Januar.* hujus *Anni pag. 27 ſeq.* & *Menſ. Februar. pag. 61 ſeq.*

Problema VII.

LXIV. Dato puncto radiante C invenire curvam continuam $FMBmf$ hujus naturæ, ut ſinguli radii CM, poſtquam duas reflexiones in M & m fuerint paſſi, in ipſum punctum C revertantur. Schema habet Lector in *Figura V Tabulæ II, Menſem Februarium* hujus *Anni* comitantis.

Solutio.

Per punctum C ducatur pro lubitu recta CB, ad quam tanquam ad axem curvæ quæſitæ referantur, ſitque CM radius incidens, Mm primo reflexus, atque MC ſecundo reflexus: ita ut M ſit punctum prioris reflexionis, & m poſterioris reflexionis. Perſpicuum igitur eſt, hæc puncta M & m inter ſe commutari poſſe. Si enim Cm fuerit radius incidens, is poſt geminam reflexionem abibit in MC: unde quemadmodum in curva quæſita punctum m refertur ad punctum M, ita pari modo viciſſim punctum M referetur ad punctum m, eritque relatio inter hæc puncta M & m reciproca. Si igitur ponamus, ſingula curvæ FBf puncta per variabilitatem quantitatis cujuſpiam ω determinari, ac punctum M definiri, ſi ponatur $\omega = \mu$, punctum m vero,

Digitized by Google

ſi ponatur $\omega = \nu$, inter hos valores μ & ν ejusmodi relationem intercedere oportet, ut, quemadmodum ex μ oritur ν, ita viciſſim ex ν oriatur μ: cui conditioni ſatisfit, ſi ſit $\nu = -\mu$. Hinc, ſi punctum M per functiones quascunque ipſius ω determinetur, punctum m per ſimiles functiones ipſius $-\omega$ determinabitur. Statuamus ergo in Axe CB intervallum $CR = r$ & angulum $CRM = \phi$, cujus ſinus ſit $= s$ & coſinus $= u$; atque pro puncto altero m idem habebimus intervallum $CR = r$, angulus autem ille fiet CRm, quia in plagam contrariam cadit, erit $= -180° + \phi$, eritque propterea ejus ſinus $= -s$ & coſinus $= -u$. Cum igitur pro m quantitates r, $-s$ & $-u$ tales debeant eſſe functiones ipſius $-\omega$, quales ſunt r, s, & u, ipſius $+\omega$, manifeſtum eſt, r eſſe debere functionem parem ipſius ω, at s & u functiones impares ipſius ω. Hinc viciſſim erit ω functio impar ipſarum s & u, ac propterea intervallum $CR = r$ erit functio par ipſarum s & u. Pro curvis ergo Problemati ſatisfacientibus relatio inter angulum $CRM = \phi$ & intervallum $CR = r$, ita debet eſſe comparata, ut, poſito ſin. $\phi = s$ & coſ. $\phi = u$, ſit r functio parium dimenſionum ipſarum s & u: ita ut ſi loco s & u ponantur $-s$ & $-u$, quo caſu angulus CRM abit in CRm, idem prodeat intervalli $CR = r$ valor: eritque ergo in functionibus rationalibus:

$$\text{vel } r = \frac{A + Bs^2 + Csu + Du^2 + Es^4 + Fs^3u + Gs^2u^2 + \&c.}{\alpha + \beta\alpha^2 + \gamma su + \delta u^2 + \varepsilon s^4 + \zeta s^3 u + \eta s^2 u^2 + \&c.}$$

$$\text{vel } r = \frac{As + Bu + Cs^3 + Ds^2u + Esu^2 + Fu^3 + Gs^5 + \&c.}{\alpha s + \beta u + \gamma s^3 + \delta s^2 u + \varepsilon su^2 + \zeta u^3 + \eta s^5 + \&c.}$$

Quæcunque ergo hujusmodi relatio inter s, u, & r, accipiatur per Probl. I, ſemper orietur curva, Problemati ſatisfaciens. Scilicet, ſi ex M & m ad axem CB demittantur perpendicula MP & mp, vocenturque $CM + MR = p$; $RM = q$; $CM = z$; & coordinatæ $CP = x$, $PM = y$, hæ quantitates ſequenti modo determinabuntur:

$CM +$

$CM + MR = p = a + \int u\,dr$; $MR = q = \frac{pp - rr}{2(p - ur)}$ CM

$= z = p - q = \frac{pp + rr - 2upr}{2(p - ur)}$

$$CP = x = r - uq = \frac{2pr - u(pp + rr)}{2(p - ur)}$$

$$PM = y = sq = \frac{s(pp - rr)}{2(p - ur)} \quad Q.\ E.\ I.$$

Coroll. 1.

LXV. Quoniam pro puncto m quantitates s & u fiunt negativæ, r vero non mutatur, formula integralis $\int u\,dr$ abibit in $-\int u\,dr$, eritque ergo $Cm + mR = a - \int u\,dr$. Cum igitur ſit $CM + MR = a + \int u\,dr$, erit perpetuo tota via ab eodem radio confecta $CM + Mm + mC = 2a$, ideoque conſtans.

Coroll. 2.

LXVI. Si pro puncto m ponatur: $Cm + mR = p'$; $Rm = q'$, $Cm = z'$ & $Cp = x'$; $pm = -y'$, quia in partem contrariam vergit, erit:

$p' = a - \int u\,dr$

$q' = \frac{p'p' - rr}{2(p' + ur)}$ & $x' = \frac{2p'r + u(p'p' + rr)}{2(p' + ur)}$

$z' = \frac{p'p' + rr + 2up'r}{2(p' + ur)}$ $y' = \frac{s(p'p' - rr)}{2(p' + ur)}$

Coroll. 3.

LXVII. Cum ſit $\int u\,dr = ur - \int r\,du$ ponatur $\int r\,du = v$, poſitoque u negativo, fiet quoque v negativum. Erit ergo $p = a + ur - v$ & $p' = a - ur + v$. Sic denotante $v = \int r\,du$ ſequentes habebimus formulas:

pro puncto M	pro puncto m
$p = a + ur - v$	$p' = a - ur + v$
$q = \frac{a - v}{2} + ur - \frac{ssrr}{2(a - v)}$	$q' = \frac{a + v}{2} - ur - \frac{ssrr}{2(a + v)}$

 $z =$

$$z = \frac{a-v}{2} + \frac{ssrr}{2(a-v)} \qquad z' = \frac{a+v}{2} + \frac{ssrr}{2(a+v)}$$

$$x = ssr - \frac{u(a-v)}{2} + \frac{ssurr}{2(a-v)} \qquad x' = ssr + \frac{u(a+v)}{2} - \frac{ssurr}{2(a+v)}$$

$$y = \frac{s(a-v)}{2} + sur - \frac{s^3rr}{2(a-v)} \qquad y' = \frac{s(a+v)}{2} - sur - \frac{s^3rr}{2(a+v)}$$

Coroll. 4.

LXVIII. Si in curvæ punctis M & m ducantur tangentes MT & mt, itemque normales MN & mn, erit ex §. XX: tang. $RMT = \frac{p-ur}{sr} = \frac{a-v}{sr}$ & tang. $RMN = \frac{sr}{a-v}$; unde fit tang. $RTM = \frac{r-up}{sp}$ & tang. $RNM = \frac{sp}{r-up}$.

Ex §. XXIV autem habebimus: $RT = \frac{pp-rr}{2(r-up)}$ & $RN = \frac{u(pp-rr)}{2p(p-ur)} = \frac{qr}{p}$.

Coroll. 5.

LXIX. Deinde etiam ſupra invenimus eſſe, $CR = \frac{2\,CT.\,CN}{CT+CN}$ quia hic CT in partes contrarias vergit. Cum igitur pro puncto m ſimili modo ſit $CR = \frac{2\,Ct.\,Cn}{Ct+Cn}$, erit $\frac{CT.\,CN}{CT+CN} = \frac{Ct.\,Cn}{Ct+Cn}$, hincque $Tt : Nn = CT.\,Ct : CN.\,Cn$.

Coroll. 6.

LXX. Quod ad cauſticam attinet, quoniam hic eandem habemus æquationem inter r & Φ, quam ſupra pro radiis axi parallelis invenimus, erit ut ibi, ſi Q ſit punctum in cauſtica




Fig. I

Digitized by Google

ſtica $RO = \frac{-ssdr}{du}$; unde, ſi ducto ad axem perpendiculo OS vocentur coordinatæ pro cauſtica $CS = X$ & $SO = Y$, erit $X = r - \frac{ssudr}{du}$ & $Y = -\frac{s^3 dr}{du}$: & longitudo cauſticæ denuo erit $= CM + MO \pm C = a + \int udr - \frac{ssdr}{du} \pm C$: unde eadem conſtructio fluit, quam jam ante §. XLIX tradidimus.

Coroll. 7.

LXXI. Si punctum radians C in axe promoveatur, ſeu removeatur, ita ut r quantitate conſtante vel augeatur, vel diminuatur, cauſtica ob dr non variatum non mutabitur. Unde, ſi inventa fuerit cauſtica idonea ad axem CB relata, ex ea pro quocunque puncto radiante in axe CB aſſumto curvæ quæſito ſatisfacientes conſtrui poterunt, & quidem infinitæ, ſiquidem quantitatem conſtantem a, a qua cauſtica non pendet, pro lubitu variare licet.

Coroll. 8.

LXXII. Breviſſimus ergo modus hoc Problema reſolvendi in hoc conſiſtit, ut plures curvæ cauſticæ idoneæ ex æquationibus $X = r - \frac{ssudr}{du}$ & $Y = -\frac{s^3 dr}{du}$ inveſtigentur & conſtruantur. Tum enim ex qualibet cauſtica pro quovis puncto radiante in ejus axe ſito infinitæ curvæ Problemati ſatisfacientes inveniri & conſtrui poterunt.

Conſtructio Curvæ.

LXXIII. Circa axem Ad per punctum radians d ductum deſcribatur curva quæcunque QdQ, quæ ab axe Ad in duas partes ſimiles & æquales biſecetur, ita ut Ad ſit ejus diameter orthogonalis. Statuatur C initium abſciſſarum, ſitque $CR = r$ & $RQ = u$, atque hæc curva talem exprimet relationem inter r & u, qualis requiritur: valori enim $-u = Rq$ eadem abſciſſa $CR = r$ reſpondet. Hinc ergo formula integralis TAB. III. Fig. 1.

 $\int udr$

$\int u\,dr$ exhibebit aream hujus curvæ $CGQR$. Jam centro C radio quovis $CE = 1$ deſcribatur circulus, poſitaque CE ad axem Ad perpendiculari, per Q axi parallela agatur XQY, erit $XY = \sqrt{(1 - uu)} = s$, ideoque ducto radio CY, erit angulus $ECY = \phi$, quippe cujus ſinus eſt $= s$ & coſinus $= u$. Ex R in CY demittatur perpendiculum RZ, in quo utrinque producto capiatur $RK = Rk = a$, denotante a quantitatem quamcunque conſtantem pro lubitu aſſumtam, erit ang. $CRZ = ECY = \phi$. Tum quæratur linea quædam CI, ut ſit rectangulum $CE \cdot CI$ æquale areæ $CGQR = \int u\,dr$, erit $CI = \int u\,dr$ ob $CE = 1$: atque hoc intervallum CI ad RK addatur, ab Rk vero auferatur, ut ſit $KL = kl = CI$, & $RL = a + \int u\,dr = p$, atque $Rl = a - \int u\,dr = p'$. Jungantur CL & Cl, ex quarum punctis mediis T & t perpendicula erigantur TM & tm, rectæ Ll occurrentia in M & m, erunt puncta M & m in curva quæſita $FMBmf$, quam ſimul tangent rectæ MT & mt: ita ut ductis CM & Cm, ſi CM fuerit radius incidens, tum futurus ſit Mm radius primo reflexus, & mC radius ſecundo reflexus in ipſum punctum C revertens.

Coroll.

LXXIV. Cum igitur deſcripta curva QAq, non ſolum radius circuli CE, ſed etiam intervallum $RK = Rk = a$ pro lubitu aſſumi poſſit; manifeſtum eſt, ex eadem curva QAq innumerabiles lineas curvas Problemati ſatisfacientes conſtrui poſſe. Ac, ſi curva quidem QAq fuerit quadrabilis, lineæ inde conſtructæ erunt algebraicæ.

Problema VIII.

LXXV. Iisdem manentibus conditionibus, quæ in Problemate præcedente erant poſitæ, invenire omnes curvas algebraicas FBf, quæ radios ex C emiſſos poſt duplicem reflexionem in idem punctum C repercutiant. Vid. TAB. II Fig. 5.

Solutio.

Per punctum radians C ducatur recta quæcunque CB pro axe habenda, ad quem curva FBf referatur. Sit CM radius incidens Mm primo reflexus axem ſecans in R, & mC

radius

radius altera vice reflexus. Ponatur ut ante intervallum $CR = r$, & angulus $CRM = \Phi$, cujus ſit ſinus $= s$ & coſinus $= u$: debebitque eſſe r functio parium dimenſionum ipſarum s & u, ut puncta reflexionum M & m ad eandem lineam curvam pertineant. Cum igitur ſupra invenerimus eſſe $CM + MR = p = a + \int u\,dr$ & $Cm + mR = a - \int u\,dr$, manifeſtum eſt, curvam fore algebraicam, ſi formula $\int u\,dr$ ſit integrabilis. Eſt vero $\int u\,dr = ur - \int r\,du$, quare r ejusmodi functionem ipſarum s & u eſſe oportet, ut formula $\int r\,du$ fiat integrabilis. Erit autem $\int r\,du$ functio imparium dimenſionum ipſarum s & u. Denotet ergo v functionem quamcunque imparium dimenſionum ipſarum s & u, ita ut in rationalibus ſit

$$\text{vel } v = \frac{As + Bu + Cs^3 + Dssu + Esuu + Fu^3 + Gs^5 + \&c.}{\alpha + \beta s^2 + \gamma su + \delta uu + \varepsilon s^4 + \zeta s^3 u + \eta s^2 u^2 + \&c.}$$

$$\text{vel } v = \frac{A + Bs^2 + Csu + Du^2 + Es^4 + Fs^3u + Gs^2u^2 + \&c.}{\alpha s + \beta u + \gamma s^3 + \delta s^2 u + \varepsilon su^2 + \zeta u^3 + \eta s^5 + \&c.}$$

atque hujusmodi functioni v aequalis ponatur formula $\int r\,du$, ut ſit $v = \int r\,du$ erit $r = \frac{dv}{du}$: & $\int u\,dr = ur - v = \frac{u\,dv}{du} - v$; unde fiet $CM + MR = p = a + ur - v$; & $Cm + mR = a - ur + v = p'$. Si jam porro ponatur ut ante: $RM = q$; $CM = z$; $CP = x$ & $PM = y$, item $Rm = q'$; $Cm = z'$; $Cp = x'$; & $p'm = -y'$; erit ut ſupra (§. LXVII), ſiquidem quantitas r jam algebraice per s, u, & v, datur ob $r = \frac{dv}{du}$:

$p = a + ur - v$	$p' = a - ur + v$
$q = \frac{a-v}{2} + ur - \frac{ssrr}{2(a-v)}$	$q' = \frac{a+v}{2} - ur - \frac{ssrr}{2(a+v)}$
$z = \frac{a-v}{2} + \frac{ssrr}{2(a-v)}$	$z' = \frac{a+v}{2} + \frac{ssrr}{2(a+v)}$

$x =$

Digitized by Google

$$x = ssr - \frac{u(a-v)}{2} + \frac{ssurr}{2(a-v)} \quad \Big| \quad x' = ssr + \frac{u(a+v)}{2} - \frac{ssrr}{2(a+v)}$$

$$y = \frac{s(a-v)}{2} + sur - \frac{s^3 rr}{2(a-v)} \quad \Big| \quad y' = \frac{s(a+v)}{2} - sur - \frac{s^3 rr}{2(a+v)}.$$

In quibus formulis omnes prorſus curvæ algebraicæ, quæ Problemati ſatisfaciant, continentur. *Q. E. I.*

Coroll. 1.

LXXVI. Jam notavimus, ſemper eſſe $CM + Mm + mC = 2a$. Hic igitur notaſſe juvabit, eſſe $q + q' = Mm = a - \frac{assrr}{aa - vv}$ & $z + z' = CM + Cm = a + \frac{assrr}{aa - vv}$. Præterea vero erit: $x' - x = Pp = au - \frac{assurr}{aa - vv}$ & $PM + pm = as - \frac{as^3 rr}{aa - vv}$.

Coroll. 2.

LXXVII. Si ponamus $v = ut$, erit t functio par ipſarum s & u nempe in rationalibus

$$\text{vel } t = \frac{A + Bs^2 + Csu + Du^2 + Es^4 + Fs^3 u + Gs^2 u^2 + \&c.}{\alpha + \beta s^2 + \gamma su + \delta u^2 + \epsilon s^4 + \zeta s^3 u + \eta s^2 u^2 + \&c.}$$

$$\text{vel } t = \frac{As + Bu + Cs^3 + Ds^2 u + Esu^2 + Fu^3 + Gs^5 + \&c.}{\alpha s + \beta u + \gamma s^3 + \delta s^2 u + \epsilon su^2 + \zeta u^3 + \eta s^5 + \&c.}$$

Hinc vero erit $dv = tdu + udt$; & $r = t + \frac{udt}{du}$; & $p = a + \frac{uudt}{du}$, atque $p' = a - \frac{uudt}{du}$.

Conſtructio.

TAB. III Fig. 2. LXXVIII. Circa punctum radians C tanquam centrum deſcribatur curva algebraica partibus alternatim poſitis CQ, Cq ſimilibus prædita, ita ut quævis recta per C ducta utrinque ud curvam ſimiliter ſit poſita. Capiatur hujusmodi recta DCB

Digitized by Google

ea DCB pro axe, ac vocetur abſciſſa $CP = v$, applicata $PQ = u$, fietque poſita u negativa & v negativa, ita ut v ſit functio impar ipſius u, uti requiritur. Ad Q ducatur tangens QZ, erit ſubtangens $PZ = \frac{u\,dv}{du}$; & $PQ : PZ = du : dv$, quare, ſi, ducto ad axem perpendiculo $Ce = 1$, per e tangenti QZ parallela ducatur eR erit $CR = \frac{dv}{du}$, ideoque $CR = r$. Deinde centro C radio $Ce = 1$ deſcribatur circulus, in quo per Q axi parallela agatur XQY, erit $XY = \sqrt{(1 - uu)} = s$, hincque juncto radio CY angulus $YCe = \phi$, jam ex R in YC productam demittatur perpendicularis RL, erit ang. $CRL = eCY = \phi$, ideoque RL poſitio debita radii ſemel reflexi. Sumatur $RV = CZ = \frac{u\,dv}{du} - v$, & in recta RV utrinque producta, ex V capiantur ſpatia æqualia $VL = Vl = a$, datæ ſcilicet rectæ a æqualia: erit $RL = a + \frac{u\,dv}{du} - v = p$, & $Rl = a - \frac{u\,dv}{du} + v = p'$. Jungantur rectæ CL & Cl; ad quas in T & t biſectas normaliter ſtatuantur TM & tm, erunt M & m puncta in curva quæſita, & rectæ TM & tm erunt tangentes hujus curvæ in iisdem punctis M & m, hocque modo curva ſatisfaciens $FMBmf$ eo facilius conſtruetur, quod non ſolum ex quovis puncto Q curvæ aſſumtæ QCq duo puncta M & m, ſed etiam tangentes, ibidem invenientur.

Scholion.

LXXIX. In Figura, qua hanc conſtructionem illuſtravimus puncta M & m ſitum permutatum obtinent, dum punctum M propius ad l, m vero propius ad L, cadit, atque adeo intervallum Mm valorem nanciſcitur negativum; qui caſus ad Problema ſolvendum, ex natura reflexionis, ineptus eſt cenſendus. Curva enim FBf convexitatem axi obvertit, & radius incidens CM non ſecundum Mm, ſed ſecun-

Z dum

Digitized by Google

dum directionem contrariam Ml, reflectitur, in qua directione non amplius ad curvam pertingit, neque alteram reflexionem ſubit. In hoc ergo calculus a vera Problematis indole recedit, quod alterum reflexionis punctum in m indicat, ad quod radius Ml pervenire nequit; cujus diſſenſus cauſa eſt, quod in calculo ſola radii directio ſpectetur, eaque utrinque producta aeque conſideretur. Scilicet pro radio incidente CM, ſi natura reflexionis geometrice conſideretur, ad punctum incidentiæ M, angulum FMl æqualem conſtitui oportet angulo CMT, atque recta Ml tam antrorſum, quam retrorſum, Mm verſus producta, pro radio reflexo habetur, cum tamen ſola prior directio Ml naturæ reflexionis conveniat. Si igitur hanc reflexionis indolem omittamus, atque Problema tantum geometrice interpretemur, curva hæc FBf Problemati ita ſatisfacit, ut pro quavis recta CM ex C ad curvam educta, ſi ad M conſtituatur recta Mm, ad tangentem MT æque inclinata ac ipſa CM, ea curvæ denuo occurrat in puncto quodam m, quæ cum tangente mt angulum conſtituet $Mmt = Cmt$. Neque ergo in M, neque in m, erit reflexio vera, principiis catoptricis conſentanea, ſed reflexio ficta, quæ in calculo æque locum habeat. Interim tamen hujusmodi caſus, quibus Problema per reflexiones fictas reſolvitur, facile dignoſci, atque, ſi viſum fuerit, excludi, poterunt: occurrunt ſcilicet, quoties ſitus punctorum M & m permutatur, atque intervallum Mm fit negativum. Supra autem invenimus, eſſe $Mm = a - \frac{assrr}{aa - vv}$: quare, quo curva Problemati proprie ſatisfaciat, neceſſe eſt, ut ſit $aa - vv > ssrr$, ſeu $a > \surd(vv + ssrr)$; vel $a > \surd\left(vv + \frac{(1-uu)dv^2}{du^2}\right)$. Unde patet, ex eadem curva aſſumta QCq innumerabiles curvas FBf Problemati proprie ſatisfacientes conſtrui poſſe, dummodo linea conſtans a major aſſumatur, quam $\surd\left(vv + \frac{(1-uu)dv^2}{du^2}\right)$. Cum igitur $CP = a$ excedere nequeat

$CD = 1$, quæratur maximus valor formulæ $\sqrt{(vv + \frac{(1-uu)dv^2}{du^2})}$, dum u continetur intra limites 0 & 1, hocque quantitas conſtans a major ſtatuatur. Sic, ſi ſit $v = bu$, debebit eſſe $a > \sqrt{(bbuu + bb(1-uu))}$ ſeu $a > b$; ſi ſit $v = bu^n$ denotante n numerum imparem quemcunque ob $\frac{dv}{du} = nbu^{n-1}$, debet eſſe $a > b\sqrt{(nnu^{2n-2} + (1-nn)u^{2n})}$ qui valor ſi vel $n < 0$, vel $n < 1$ caſu $u = 0$ evadit infinitus: unde reflexiones ſictæ evitari non poterunt.

Conſtructio alia.

LXXX. Deſcribatur curva algebraica quæcunque diametro orthogonali prædita QAq, cujus diameter AB per punctum radians C tranſeat, &, quia applicatæ ſive affirmativæ PQ, ſive negativæ Pq, eadem abſciſſa CP reſpondet, ſi ponatur $PQ = u$ & $CP = t$, erit t functio par ipſius u: uti §. LXXVII poſtulatur. Ad Q ducatur curvæ tangens QZ, erit ſubtangens $PZ = \frac{udt}{du}$, cui ad alteram applicatæ partem in axe æquale capiatur intervallum $PR = PZ$, erit $CR = t + \frac{udt}{du}$, ideoque $CR = r$. Jam centro C radio $CE = 1$ deſcribatur circulus, ſeu ſaltem quadrans ED, & per Q agatur axi parallela XQY, erit $XY = \sqrt{(1-uu)} = s$, unde ducto radio CY erit angulus $ECY = \phi$. Ex P ipſi CY ducatur parallela PV, in quam ex R demittatur perpendiculum RV utrinque producendum, erit angulus $CRV = ECY = \phi$, & $RV = u.$ $PR = \frac{uudt}{du}$. Jam in recta RV producta ex V utrinque æqualia abſcindantur intervalla $VL = Vl = a$, erit $RL = a + \frac{uudt}{du} = p$ & $Rl = a - \frac{uudt}{du} = p'$. Deinde jungantur

rectæ

rectæ CL, Cl, ad quas biſectas in T & t perpendicula ducantur TM, tm rectam Ll ſecantia in M & m erunt M & m puncta in curva Problemati ſolvendo apta: atque rectæ TM & tm ſimul ejus erunt tangentes. Radius enim incidens CM ad M reflectetur in Mm, & ad m denuo in mC.


Scholion.

LXXXI. Constructio hæc nititur Coroll. 2, dum prior ex ipſa ſolutione eſt derivata: utraque autem latiſſime patet, atque omnes lineas algebraicas Problemati ſatisfacientes in ſe complectitur. Tum vero etiam utraque ex eadem curva aſſumta QAq innumerabiles ſuppeditat curvas ſatisfacientes. In conſtructione enim priori quævis recta per punctum F radians C ducta loco axis aſſumi poteſt, in altera vero conſtructione curva QAq ſecundum axem CD pro lubitu vel promoveri, vel removeri, poteſt. Tum vero in utraque conſtructione, tam radium circuli CE, quam quantitatem conſtantem a, pro lubitu variari licet, unde ex eadem curva QAq innumerabiles lineæ curvæ FBf per conſtructionem emergent. Supereſt igitur, ut lineas curvas algebraicas ſimpliciores, quæ Problemati ſatisfaciant, eruamus, earumque æquationes more ſolito inter coordinatas orthogonales expreſſas exhibeamus. Hoc præſtabimus, ſi loco v functiones idoneas ſimpliciores ſubſtituamus, ubi quidem primo eſt notandum, ex pluribus diverſis valoribus ipſius v eandem lineam curvam oriri poſſe: cum enim nihil ſit, quo axis CB, ad quam curvam referimus, determinetur, & quævis recta per punctum radians C ducta vicem axis ſubire queat, eadem curva FBf infinitis modis diverſis obtinere poterit, dum modo ad hunc, modo ad alium, axem refertur. Ne igitur hic decipiamur, atque eandem curvam ex pluribus diverſis valoribus ipſius v aſſumtis adipiſcamur; quemadmodum omnes ipſius v valores, qui eandem lineam curvam ad diverſos axes relatam præbent, ſint inter ſe affecti, erit diſpiciendum. Si igitur pro axe CB ſit angulus $CRM = \Phi$, ejusque ſinus $= s$ & coſinus $= u$; pro alio quovis axe Cb cum illo CB angulum conſtituente $BCb = \theta$, erit angulus $CrM = \Phi - \theta$: unde ſi ſit ſin. $\theta = m$ &

TAB. III Fig. 2. TAB. IV Fig. 1. TAB. IV Fig. 2.

coſ. θ

Fig. I.



Digitized by Google

Digitized by Google

coſ. $\theta = n$, erit anguli CrM ſinus $= ns - mu$ & coſinus $= ms + nu$. Quare, ſive pro v aſſumatur functio quæpiam ipſarum s & u, ſive ſimilis functio ipſarum $ns - mu$ & $ms + nu$, eadem reperietur linea curva. Scilicet, ſi curva fuerit inventa ex valore $v = bu$, eadem curva reperietur, ſi ponatur $v = mbs + nbu$: hincque ex omnibus valoribus ipſius v, qui ad eandem lineam curvam deducunt, facillimus & ad calculum maxime accommodatus eligi poterit.

Exemplum. 1.

LXXXII. Cum v debeat accipi functio impar ipſarum s & u, ponamus $v = bu$, qui valor æque late patet; ac ſi aſſumeremus $v = bu + cs$: uti modo vidimus. Erit ergo $r = \frac{dv}{du} = b$: ideoque punctum R in axe CB conſtans; ex quo jam eſt perſpicuum, curvam fore ſectionem conicam, circa focos C & R deſcriptam, atque ellipſes quidem Problemati per reflexiones veras, hyperbolas vero per fictas, eſſe ſatisfacturas. Calculum autem ſi proſequamur, erit ob $r = b$ & $v = bu$: TAB. II Fig. 5.

$CM + MR = p = a$	$Cm + mR = p' = a$
$RM = q = \frac{aa - bb}{2(a - bu)}$	$Rm = q' = \frac{aa - bb}{2(a + bu)}$
$CM = z = \frac{aa - 2abu + bb}{2(a - bu)}$	$Cm = z' = \frac{aa + 2abu + bb}{2(a + bu)}$
$PR = uq = \frac{aau - bbu}{2(a - bu)}$	$Rp = uq' = \frac{-aau + bbu}{2(a + bu)}$
$CP = x = \frac{2ab - (aa + bb)u}{2(a - bu)}$	$Cp = x' = \frac{2ab + (aa + bb)u}{2(a + bu)}$
$PM = y = \frac{aas - bbs}{2(a - bu)}$	$pm = -y' = \frac{aas - bbs}{2(a + bu)}$

Ex æquatione $x = \frac{2ab - (aa + bb)u}{2(a - bu)}$ fit $u = \frac{2ab - 2ax}{aa + bb - 2bx}$ & $a - bu = \frac{a(aa - bb)}{aa + bb - 2bx}$, atque s

$= \surd$

$$= \sqrt{(1 - uu)} = \frac{\sqrt{((aa-bb)^2 + 4b(aa-bb)x - 4(aa-bb)xx)}}{aa + bb - 2bx}.$$

Hinc erit $y = \frac{\sqrt{(aa-bb)(aa-bb+4bx-4xx)}}{2a}$:

ideoque $yy = \frac{(aa-bb)^2 + 4b(aa-bb)x - 4(aa-bb)xx}{4aa}$

quæ eſt pro ellipſi, ſi $a > b$; pro parabola, ſi $a = b$; pro hyperbola, ſi $a < b$, & pro circulo, ſi $b = a$. Tum vero parameter erit $= \frac{aa - bb}{a}$; axis conjugatus $= \sqrt{(aa - bb)}$, & axis transverſus $= a$.

Exemplum. 2.

LXXXIII. Ponamus $v = bu + cu^3$, erit $r = \frac{dv}{du} = b + 3cuu = CR$, unde porro fiet:

$CM + MR = p = a + 2cu^3$

$RM = q = \frac{(a+2cu^3)^2 - (b+3cuu)^2}{2(a-bu-cu^3)}$

$CM = z = \frac{(a-bu-cu^3)^2 + (1-uu)(b^2+3cuu)^2}{2(a-bu-cu^3)}$

$PR = uq = \frac{u(a+2cu^3)^2 - u(b+3cuu)^2}{2(a-bu-cu^3)}$

$CP = x = \frac{(2a-bu+cu^3)(b+3cuu) - u(a+2cu^3)^2}{2(a-bu-cu^3)}$

$PM = y = \frac{s(a+2cu^3)^2 - s(b+3cuu)^2}{2(a-bu-cu^3)}$

$Cm + mR = p' = a - 2cu^3$

$Rm = q' = \frac{(a-2cu^3)^2 - (b+3cuu)^2}{-2(a+bu+cu^3)}$

$Cm = z' = \frac{(a+bu+cu^3)^2 + (1-uu)(b+3cuu)^2}{-2(a+bu+cu^3)}$

$Rp = uq' = \frac{u(a-2cu^3)^2 - u(b+3cuu)^2}{2(a+bu+cu^3)}$

$Cp = x' = \frac{(2a+bu-cu^3)(b+3cuu) + u(a-2cu^3)^2}{2(a-bu-cu^3)}$

$pm = -y' = \frac{s(a-2cu^3)^2 - s(b+3cuu)^2}{2(a+bu+cu^3)}$

Quoniam

Digitized by Google

Quoniam hæ formulæ nimis ſunt complicatæ, ponamus $b = 3a$ & $c = -4a$, ut ſit $v = 3au - 4au^3$ & $r = 3a - 12auu$, fietque

$p = a - 8au^3$; $q = -4a - 12au + 8au^3$; $z = 5a + 12au - 16au^3$

$x = 3a + 4au - 8au^4$, & $y = -4as - 12asu + 8asu^3$.

Hinc autem inter x & z æquatio rationalis quarti ordinis reſultat, quæ veriſimiliter inter x & y ad gradum octavum aſſurget.

Exemplum 3.

LXXXIV. Statuamus $v = bu + \frac{c}{u}$, erit $r = \frac{dv}{du} = b - \frac{c}{uu} = CR$, atque

$CM + MR = p = a - \frac{2c}{u}$	$Cm + mR = p' = a + \frac{2c}{u}$
$RM = q = \frac{(a - \frac{2c}{u})^2 - (b - \frac{c}{uu})^2}{2(a - bu - \frac{c}{u})}$	$Rm = q' = \frac{(a + \frac{2c}{u})^2 - (b - \frac{c}{uu})^2}{2(a + bu + \frac{c}{u})}$

Ponamus $b = 0$ & $a = c$, erit $CR = -\frac{c}{uu}$ atque

$CM + MR = c - \frac{2c}{u} = p$	$Cm + mR = p' = c + \frac{2c}{u}$
$RM = q = c - \frac{3c}{u} + \frac{c}{uu} + \frac{c}{u^3}$	$Rm = q' = c + \frac{3c}{u} + \frac{c}{uu} - \frac{c}{u^3}$
$CM = z = \frac{c}{u} - \frac{c}{uu} - \frac{c}{u^3}$	$Cm = z' = -\frac{c}{u} - \frac{c}{uu} + \frac{c}{u^3}$
$CP = x = -cu + 3c - \frac{c}{u} - \frac{2c}{uu}$	$Cp = x' = cu + 3c + \frac{c}{u} - \frac{2c}{uu}$
$PM = y = cs - \frac{3cs}{u} + \frac{cs}{uu} + \frac{cs}{u^3}$	$pm = y' = cs + \frac{3cs}{u} + \frac{cs}{uu} - \frac{cs}{u^3}$

Ex

Ex his ergo erit $u^3z - cuu + cu + c = 0$ & $cu^3 + (x - 3c)uu + cu + 2c = 0$, unde eliminando u fiet primo $+ 2zuu + cu + c = 0$
$- cuu - xu$

tum vero $zuu - 2zu + x = 0$, ex quibus obtinetur

$$uu = \frac{2zu - x}{z} = \frac{(c - x)u + c}{c - 2z}$$ ac propterea $u =$

$$\frac{cx + cz - 2xz}{cx + xz - 4zz} = 1 \pm \sqrt{\left(1 - \frac{x}{z}\right)} : \text{ ergo } \pm \sqrt{\left(1 - \frac{x}{z}\right)}$$

$$= \frac{cx - 3xz + 4zz}{z(c + x - 4z)} = \frac{\sqrt{(zz - xz)}}{z}$$ quæ ad rationalitatem perducta dat

$$x^3z - 4cxxz - 2cxzz + 8cz^3 + ccxx + ccxz - cczz = 0$$

ac ſi pro z ſtatuatur valor $\sqrt{(xx + yy)}$ æquatio ad octavum gradum eſt adſcenſura. Ad curvas ergo Problemati ſatisfacientes cognoſcendas præſtabit, utramque coordinatam x & y per functiones ejusdem variabilis u exprimere, quam eliminando u æquationem rationalem inter coordinatas x & y eruere, quæ nullum alium habere poteſt uſum, niſi quod oſtendat, ad quemnam linearum ordinem curva inventa pertineat.

THESAURI EPISTOLICI LACROZIANI Tomus II. Ex Bibliotheca Jordaniana edidit JO. LUDOVICUS UHLIUS.

Lipſiæ, impenſis Jo. Frid. Gleditſchii, 1743, 4.

Alph. 1 plag. 19.

Continet hic *Tomus* Epiſtolas *CLXVIII* celeberrimi quondam, nunc deſideratiſſimi, Hamburgenſium Theologi, *Jo. Chriſtoph. Wolfii*, limatiſſimas utique ac digniſſimas lectu. His mantiſſæ loco, & ad *primum Tomum* ſupplendum, adjunguntur *Theophili Sigefr. Bayeri* Epiſtolæ quatuor, una *Jo. Hübneri*, *Pauli Ern. Jablonskii* una, una *Bernardi Pezii*, *Caroli Schaafii* ſola Germanica, *Guilielmi Whiſtoni*, pariter ſingularis, ut

ut adeo numero ſint generatim *Epiſtolæ CLXXVII*, quibus rerum atque ſcriptorum utiliſſimus index ſubjungitur. Obruimur cumulo rerum notatu digniſſimarum, iſto quæ in *Tomo* reperiuntur. Inde vel nonnihil per lancem ſaturam ſpeciminum loco, & ad ordinem Epiſtolarum, proponemus. In Pag. 6.
Epiſtola III grammatica eſt obſervatio de litera *q*, a Romanis non alio, quam τῷ *k*, ſono pronuntiata, quod præter alios *Danſquium T. I Orthogr. pag. 27* extra controverſiam poſuiſſe, putat immortalis *Wolfius*; vix tamen adduci poteſt, ut credat, ex veterum mente τὸ *q* ſecundum interiorem naturam prorſus cum *k* comparatum fuiſſe. Exiſtimat potius cum *Wallifio*, literam *q* recentiori ætate ad reliquas alphabeti literas acceſſiſſe, natam ſcilicet ex *cv*, de quo diſputat *T. I Oper. pag. 45 Wallaſius*, *Gatakeri* ſententiæ ſimul aſſurgens. Noſter, ita ni ſtatuamus, haud videt, quis τῷ *q* fuerit uſus. *Epiſtola VIII* nonnullæ *Lycophronis* ex tribus 14.
Codicibus lectiones afferuntur, ut antea *Ep. VI Apollonii* ad 11.
Epiſtolas nonnihil obſervatum, ibidemque ἀρχὴν adverbialiter per *omnino* præſertim expoſitum fuiſſe, vidimus. *Epi-* 12.
ſtola XXXI laudat *Wolfius* deſignationem Grammaticorum 56.
Ebræorum, quam, ab *Ezechia* Judæo compoſitam, & ex Codice Bibliothecæ oratorii Pariſienſis deſcriptam, cum *Ungero*, a Rabbinicis literis commendato, communicaverat *le Long*, illeque miſerat Noſtro, qui ſimul illud exemplum hoc ſibi gratius accidiſſe profitetur, quod iſto indice olim in *Hiſtoria Lexic. Hebraic.* uſus fuerit beneficio *Hiſtoriæ criticæ V. T. Rich. Simonii*, cujus tamen diligentiam tunc aliquoties, hoc autem exemplum adeptus, multo magis, deſideret. Ibidem agitur de Diſſertatione *Lacroziana*, qua *Phil. Maſſonii* de lingua Sinenſi ſententiam confutarat, qui exemplo *Webbii* abreptus fuiſſe putatur, multum in extrema huic linguæ antiquitate vindicanda deſudantis. *Epiſtola XLIII*, A. 1715 ſcri- 80.
pta, *Balianas* Epiſtolas ſe cum voluptate legiſſe, *Wolfius* profitetur, ſimulque, a *Lacrozio* eum de *Leone* Judæo quædam didiciſſe, commemorat. *Epiſt. LV Terraſſonii* librum Galli- 105.
cum de *Homeri* Iliade, nondum viſum, vehementer legere

 geſtit;

geſtit; cum, quæ in Diario Hagenſi excerpta extant, mirum
ſibi quantum placuerint; ſimulque, quod & ſequenti facit,
Pag. 135. de *Arpio* non proletaria narrat. *Epiſt. LXXI*, ſe legiſſe, ait,
Olavi Rudbeckii Diſſertationem *de uſu linguæ Gothicæ in ex-
plicandis difficilioribus Scripturæ ſacræ locis*, fateturque, in-
ſignem variæ doctrinæ atque inprimis linguarum notitiam ab
Autore probari, neque infeliciter *Philippi Maſſoni* etymologias
vocum Hebræarum, ex Sinica lingua, obtorto quaſi collo,
156. ſurreptas, profligari ab eo, ac Sinenſibus remitti. Id vero cogi-
tando non aſſequitur *Wolfius*, qui fieri potuerit, ut Sinenſibus
illis originibus ſemper Gothicas ſubſtitueret, niſi forte *Maſſo-
num* labore, cogitata ſua viciſſim confutandi, eadem opera li-
berare voluerit. Certiſſime enim perſuaſus eſt, notationes
Maſſonianas eandem veri ſpeciem, quam *Rudbeckiana* præ
161. ſe ferre unquam poſſunt, lectori probaturas eſſe. *Epiſt.
LXXXVII*, ſe, ſcribit, accepiſſe *Barrioſii* illa Carmina Hiſpanica,
& quidem exemplum *Lacroziano* plenius, tum narratione qua-
dam de Poetis & ſcriptoribus Hiſpanis, tum aliis quibusdam
non contemnendis, & funebribus maximam partem carmini-
178. bus. *Epiſt. CI Bernardini Baldi* Fabulas, ex proſa oratione
carmine redditas, ſub titulo: *Cento Apologhi di Monſignor Ber-
nardino Baldi, Abate di Guaſtalla, portati in verſi da Giovanni
Mario Creſcimbeni*, Romæ A. 1702, 12, editas, tanquam non in-
247. concinnas laudat. *Epiſt. CLI* fragmenta & elogia *Sapphus*
indice longiori percenſet, de quibus publicandis in ſequen-
tibus pariter agit. Pluribus autem verbis agitur paſſim de
Libanii Epiſtolis, a *Wolfio* verſis, expoſitis, publicatis, qui-
bus quantum operæ ac diligentiæ impenſum fuerit, ne-
ſcire arbitratur neminem. Sed non illæ ſolæ ſunt oc-
cupationes *Wolfianæ*, lucem quæ indidem accipiunt. Præci-
pua vitæ, ab eo actæ, momenta hinc poterunt illuſtrari;
licet non ſit diffitendum, nonnihil forſitan eſſe, in amici ſi-
num quod effuderit paſſim, quod certe vivus publicari
noluiſſet. Sed habemus quoque, cur Appendicem uno
ſaltem obtutu conſideremus. Eminet hic, quæ vel ſola nos mo-
277. ratur, in *Beyerianis Epiſtola CLXXI*. Agit illa de migratio-
nibus

nibus gentium, ac de literis Pruſſorum aliorumque. Literis antiquitas quidquam conſignatum fuiſſe, non credit *Bayerus*. Ceterum, habuiſſe Pruſſos literas, & a Getis accepiſſe, *Gruna* memorat, immo etiam exemplum earum ex idoli ſcuto & vexillo nobis reliquit, in quibus ut illum minime nos decipere voluiſſe credatur, ætas, qua vixit, poſtulat. Easdem *Lucas David* paulo aliter exaravit in opere MSto, unde adduxit atque effinxit Noſter figuras, repetitione forſitan iſta non indignas. Non ita illas primo adſpectu Runis ſeptentrionalibus convenire judicavit, ſicut deinde, cum, quæ *Ge. Hiquerſius* &, *Olaus Wormius* evulgarunt, monumenta contuliſſet accuratius. Interim, ſi quis Aſomenſe monumentum, A. 1232 *Valdemaro II* victori poſitum, inſpiciat, illæ quidem literæ cum Codicis argentei ſcriptura, & cum Runis faſtorum, a *Wormio* editorum, quin & cum Islandicis Runis, quas *Arngrinus Jonas* in Crymogæa ex popularis cujusdam ſcripto, A. 1216 exarato, edidit, concordant, at a paulo ante nominatis Pruſſicis characteribus immane quantum diſcrepant; quibuscum magis conſentiunt, quo antiquiora ſunt, monumenta. Fuſius id perſequitur *Bayerus*; ſed, ne tædio ſit Lectoribus longior noſtra recenſio, abrumpimus filum. Pag. 278.

D. P. UDALRICI WEIS, BENEDICTINI URSInenſis, *Liber de emendatione intellectus humani, in duas Partes digeſtus, veram operationum omnium intellectus theoriam, tum earundem directionem, ſolide ediſſerens.*

Urſini, typis Chriſtiani Starkii, proſtat apud Autorem, 1747, 4. Alph. 4 plag. 20.

Opus hoc ſane eximium de Autoris ſolida cum in Philoſophia antiquiori, tum recentiori, doctrina luculenter teſtatur. Prouti e re viſum, nunc antiquiorum, nunc recentiorum, Philoſophorum ſequitur placita, nec profecto ſine delectu. Ea, quæ ſunt multis preſſa difficultatibus, acute inquiruntur, novæ ſæpius animadverſiones adducuntur, &, quæ

Digitized by Google

veritati ſunt congrua, non multitudine, ſed vi, argumentorum corroborantur. Nec cæco, uti perquam multis hodie moris eſt, recentioris Philoſophiæ *Wolffianæ* præcepta arripit impetu, ſed, præmiſſo examine, ea ſolum tradit, quæ ad veritatem proxime accedunt. Multis in locis dogmata dilucidius exponuntur, & novis ſtabiliuntur argumentandi modis. Hinc non ſine ratione licet ſuſpicari, fore, ut & alii Romanæ eccleſiæ addicti ad propagandam veritatem idem efficiant, & hunc de ſolidiori doctrina bene meritum Virum in limitibus Philoſophiæ dilatandis ſectentur.

Libri hujus, in *duas Partes* digeſti, *prior* de ideis & operationibus mentis circa res; *poſterior* de emendatione intellectus humani, præcipit. In *priori Parte Cap. 1 & 2* idearum noſtrarum origo & natura conſiderantur, ubi Autor in difficili de origine idearum argumento, illorum ſequitur ſententiam, qui eandem a ſenſibus repetunt. Exquiſita ſane profert pro hac evincenda idearum origine argumenta; ita, ut *Platonis* doctrina, illorumque, qui ipſum ſunt ſecuti, ſententia de origine notionum per modum reminiſcentiæ, hoc ipſo explodatur. Cum vero rerum exiſtentium aliæ ſint materiales, uti corpora, aliæ immateriales, uti ſpiritus, ideas rerum corporearum a ſenſoriis externis, ſpirituum vero ideas ſenſu intimo, & ad exemplum noſtri, formari, docet. Nec minus in hoc argumento de determinando vocabuli *ſenſus* ſignificatu fuit ſollicitus. Ex Ariſtotelicorum enim ſententia, cum nunc aliquid in corpore, nunc aliquid in iſto ſubjecto intelligente, quod animum vocamus, denotet; multæ ex hac ambiguitate exortæ ſunt logomachiæ. Nec profecto unum idemque, referendo hoc ſenſus vocabulum ad corpus, intelligitur; nunc enim ipſas in organis ſenſoriis indicat ſpecies impreſſas, nunc motus ad cerebrum usque continuatos, illarumque ſpecierum varias in eodem repræſentationes, ſignificat; unde vocabula ſenſus communis, phantaſiæ, memoriæ ſenſualis, ſunt orta. Ut itaque hæ evitentur vocabulorum diſceptationes, ſenſus in rigore refertur ad animam, unde ſenſatio Autori noſtro nihil aliud eſt, quam conſcientia eorum, quæ menti utcunque obver-

Digitized by Google

obverſantur. Hac vero ratione ea, quæ menti noſtræ inſunt, ſollicite diſtinguuntur a partibus corporis, quas organa ſenſoria cum ipſo licebit vocare.

Cap. II naturam idearum exponit, qua cognita, illarum variæ modificationes, uti memoria, imaginatio, ingenium, abſtractio, &c. ſimul expenduntur, in quibus reliquarum omnium idearum abſtractarum & univerſalium fundamentum eſt quærendum. Hac occaſione variæ moventur quæſtiones, uti, an ideæ ſolum in corpore, mente vero ſola idearum conſcientia; quænam vocabuli ideæ formalis ratio; &c.

Cap. III ad rerum, quarum ideas habemus, varietatem progreditur, &, cum in mundo cauſarum & effectuum, mediorum & finium, detur ſeries, quæ mirum in modum variant, hæ rerum varietates conſiderantur, & in ſuas claſſes rediguntur.

Ex hoc vero rerum diſcrimine oriuntur variæ cognitionis humanæ ſpecies. Hinc primo totam univerſalium doctrinam, quæ in rerum ſingularium conditione fundatur, dilucide exponit, &, in his formandis pleraque arbitrio noſtro relinqui, recte ſtatuit, uti contra in nuda individuorum repræſentatione adeſt neceſſitas, qua omnes illorum determinationes ſimul cogitare adigimur. Hanc generum & ſpecierum theoriam ſequitur diſtinctio humanæ cognitionis generalis, qua in hiſtoricam, philoſophicam, & mathematicam, dirimi ſolet, ubi ſimul conceptum Philoſophiæ, quod ſit ſcientia poſſibilitatis rerum, inveſtigat & approbat. Nec enim opus eſt ad rerum exiſtentiam ſemper reſpicere; ſufficit, ſi a nobis, ſub certis quibusdam conditionibus poſitis, hos, nec alios, effectus produci poſſe, evidenter cognoſcatur.

In reliquis *primæ Partis Capitibus* totius Logices finem, nempe veritatem, conſiderat, inquirendo, quænam iſtius genuina ſint criteria, nec non ideas ſubſtantiarum & modorum & relationum acute explicat, quibus denique doctrina de vocibus, earumque uſu, ſubjungitur.

Pars II in *quatuor* dirimitur *Sectiones*. Harum *prima* de modo acquirendi ideas rerum claras, diſtinctas, adæquatas, ope ſenſationis, reflexionis, &c. hoc eſt, immediatæ cognitionis, agit. Hinc, quoniam duplex datur cognitio, a priori & poſteriori, *Cap. XII* de experientia, & ſequentibus de definitionibus & diviſionibus, abunde diſſerit. Non pauca, eaque eximia, hic deprehenduntur, quæ in aliis hujus generis libris plane ſunt prætermiſſa.

Sectio II de Judicio & Propoſitionibus exponit, ubi varia, quæ ad emendationem intellectus noſtri ſpectant, occurrunt. Præmiſſa

miſſa enim de natura, objecto, motivis, judicii, tum immediati, tum mediati, doctrina, præjudicia, intellectui noſtro noxia, eaque, quæ oriuntur a voluntate noſtra, fuſius recenſet, & denique de propoſitionum natura, & generalioribus ipſarum diſtinctionibus, diſſerit.

Sect. III contemplatur varias argumentandi ſpecies. Incipit a ſimplicioribus, & progreditur ad magis compoſita. Hinc primo explicat conſequentias, quæ dicuntur immediatæ, cum quibus *Cap.* ſequentibus conjungit Syllogiſmorum doctrinam, & alios ratiocinandi modos, denique de ſophiſmatibus, & locis logicis, diſſerit.

Sectione IV methodus meditandi & probandi in genere & ſpecie traditur, ita, ut *Cap. XXV* ratiocinium compoſitum, ſive continuatum, tum intra mentem protractum, tum verbis expreſſum, explicetur. Huic ſuccedit methodus probandi indirecta, cui *Cap. ſequentibus* adjungitur methodus arguendi Socratica, doctrina de demonſtratione & ſcientiis, methodi diſputandi, refutandi, defendendi, & denique methodus in docendis diverſis diſciplinis adhibenda.

Ex animo precamur, ut Deus noſtri Autoris vitam & vires conſervet, ut hoc tam laudabile propoſitum feliciter poſſit perficere, & orbis literatus, hoc Opere delectatus, eandem ex reliquis Philoſophiæ Partibus capiat voluptatem, quas Benedictinus noſter moliri ſe, verbis non obſcuris ſignificavit.

DE PARALLAXI FIXARUM ANNUA ET RECTAſcenſionibus, quam poſt Rœmerum & Parentem ex propriis obſervationibus demonſtrat CHRISTIANUS HORREBOWIUS, *in Univerſitate Havnienſi Aſtron. & Mathem. Prof. deſ.*

Havniæ, 1747, 4.

Plag. 12½, Tab. æn. 1.

Ferali, quod Havnia paſſa eſt, incendio conſumto Obſervatorio, obſervationibusque triginta octo annorum deſtructis, præ tædio Cel. Daniæ obſervator, *Petr. Horrebowius*, Aſtronomiæ fere nuntium miſit. Ejus tamen tædio excitati duo filii, *Chriſtianus* & *Andreas*, obſervatorium, quamprimum per iniqua fata licuit, A. 1741 in turri Aſtronomica inſtruxerunt. Eos parens ſibi ipſis & ſtrenuis eorum conatibus permiſit, jamque horum laborum fructus major natu exhibet. Hæc ex parentis Præfatione, qui ſimul *aberrationes*, *Bradlejo* detectas, ope *Anaclaſium*, quas vocat, explicare ſe monet, qua de re proxime Actis Havnienſibus Tractatum ſe inſerturum, promittit.

Ipſius

Ipſius Operis *Caput* præliminare de fato ſyſtematis terræ motæ, ſcopoque ſcriptionis, tractat, hiſtoriamque ejus ſententiæ inde a *Pythagoræ* temporibus repetit. *Manfredium*, qui contra parallaxin orbis annui ex inſtituto ſcripſiſſe videri voluit, id ſaltem ea ex cauſa feciſſe, quod veram animi ſententiam profiteri non auſus fuerit, pater & filius contendunt. Secundum *Caput* de methodo ſenſibilitatem orbis annui obſervandi agit. Scilicet, ſi diameter orbis annui ad ſphæram fixarum ſenſibilem rationem habeat, pro diverſo terræ poſitu phænomena oriuntur in fixis, ſtationibus retrogradationibusque planetarum, quas tam apte ex motu annuo *Copernicani* explicant, non diſſimilia. Hæc qualia ſint, ex *Zannotti* & *Manfredii* de hoc negotio ſcriptis Autor enumerat, deinde *Hockii*, *Flamſtedii*, aliorumque, pro parallaxi inveſtiganda ſuſceptos labores recenſens, lapſum *Davidis Gregorii* corrigit, qui ex nutatione axis telluris aberrationem ſtellæ polaris explicare conatus erat. Locus *Gregorii* eſt *El. Aſtr. Lib. III pr. 55 Schol.* Monſtrat vero Autor, aberrationem declinationis, ex hac nutatione axis telluris oriundam, non cadere in ſtellas, quæ in & circa colurum ſolſtitiorum verſantur, cum declinationes ſtellæ polaris ſenſibiliter differre in obſervatione *Flamſtedii* non poſſint, ipſa poli aberratione, unde differentia illarum oriri debet, non niſi paucorum ſecundorum exiſtente. Miſſis vero illis, qui per declinationes parallaxin inveſtigare ſategerunt, quorum conatus quam laborioſi & lubrici ſint, *Manfredii* & *Rœmeri* teſtimonio monſtrat, ad idem rectaſcenſionum ope inveniendum progreditur, quæ *Rœmeri* methodus eſt, ejusque præſtantiam exponit. Nam, quod *Caſſino* accidiſſe *Gregorius* refert, ut unicam ſtellam in duas abeuntem viderit, id nunquam ſibi contigiſſe Autor fatetur. *Capite tertio* obſervatorium Autor deſcribit, & cautiones in obſervando adhibitas. Uſus eſt rota meridiana, alioque apparatu, in *Baſi Aſtronomiæ* parentis deſcripto, horologiisque ſatis exactis. Inſtrumenta ut ſemper immota manerent, ſumma cura adhibita fuit, ita quidem, ut vitra tubi, quæ per biennium, quo hiſce obſervationibus operam dederunt, ſordes aliquas contraxerant, mundare auſi fuerint. Fixas obſervandas elegerunt, capellam, geminorum pedem lucidum, Sirium, caput Draconis, & lucidam Lyræ, quibus poſtea junxerunt Orionis humerum dextrum, & pedem ſiniſtrum. Has fixas aliis prætulere, quia cerni adhuc poſſunt, nubeculis fixas alias minores tegentibus, nec non quod, ſi quæ parallaxis percipi poteſt, in his, quæ, quod majores appareant, propiores nobis eſſe non ſine ratione cenſentur, quærenda videtur. Denique fixas adeo diverſas declinationes habentes elegerunt, ut, ſi accideret, ut quædam

dam

Digitized by Google

dem, ob mutatum inſtrumenti ſitum parallaxin mentirentur, id tamen omnibus non contingeret. Æquinoctiorum vero tempus obſervationibus his commodiſſimum ſumſere, quia parallaxis obſervanda eſt, cum ſtellæ in quadraturis cum ſole ſunt, id eſt, ſexta hora ante, vel poſt, meridiem culminat, quo fit, ut nimium ſolis lumen ſtellas æſtivis menſibus vel prorſus reddat inconſpicuas, vel illarum ſplendorem minuat, præterea, cum calor & frigus ferrum expandendo, vel contrahendo, inſtrumentorum exactitudinem turbent, tempora æquinoctiorum, quibus moderatus maxime eſt calor, reliquis præſtant; his etiam temporibus aberratio, ex nutatione axis telluris oriunda, ſi qua eſt, obſervationes non turbat. Meridianum inſtrumenti, etſi non ſatis accuratus ſit, dummodo inſtrumentum eodem modo uno anni tempore atque altero aberret, obſervationes incertas non reddere, oſtendit. Ipſas obſervationes *Caput quartum* enumerat, A. 1742 & 1743 circa utriusque æquinoctia habitas. Earum major eſt numerus, quam ut omnes hic poni poſſint, paucas autem a reliquis avellere, nullius foret utilitatis. Quare & hoc *Caput*, & ſequens, quo illas examinat, prætereimus. *Sextum Caput* ipſam parallaxin actu exhibet, quam quidem non ex omnibus obſervationibus eandem deprehendit, quia paucorum tertiorum error in ſingulis obſervationibus poteſt in parallaxes, quarum ſingulæ ex quatuor obſervationibus colliguntur, errorem ſatis ſenſibilem inducere. Parallaxes varias binæ tabellæ recenſent, inter quas medium ſumendo, duo ſecunda pro duplo parallaxeos orbis annui circiter reperit. Cum inſtitutum non ſit, parallaxeos quantitatem exacte inveſtigare, ſed exiſtentiam ejus oſtendere, licet Autori parallaxin omnium fixarum æqualem ponere, etſi hoc nec ſit, nec, ſi eſſet, apparere debeat, aberratio enim ſtellæ in rectaſcenſionem magis ſenſibilis eſt in ſtella polo vicina, quam in ſtella æquatori vicina. Summa vero circumſpectione, animoque non præoccupato, obſervationes eſſe peractas, inde conſtat, quia Autor, Perill. *Wolfium* in *Elem. Aſtron.* ſecutus, olim ipſe de parallaxi dubitavit. *Septimum Caput* oſtendit, tria vitia, in *Baſi Aſtronomiæ* enumerata, paralleliſmum, inclinationem, & declinationem, ſive ſecundum paria, ſive omnia terna conjuncta fuerint, parallaxin mentiri non potuiſſe. *Octavum Caput* ex obſervationibus, ab adminiſtro Aſtronomico, *Nicolao Gundeſtrup*, factis, parallaxin colligit. Cum parallaxis duarum quarumcunque fixarum adeo parva ſit; facile patere aſſerit Autor, cur exteri, qui methodo & inſtrumentis *Rœmeri* uti noluerunt, eam non fuerint aſſecuti; Sed, Suecos, quia B. *Andr. Celſus* in obſervatorio Upſalienſi inſtrumentum *Rœmeri* domeſticum erexit, idem reperturos, ſperat.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXLVIII.

SCRIPTORES RERUM HUNGARICARUM VETERES & genuini, partim primum e tenebris eruti, partim antehac quidem editi, nunc vero ex MSS. Codd. & rariſſimis editionibus Bibliothecæ Auguſtæ Vindobonenſis ab innumeris mendis vindicati, plurimis variantibus lectionibus, & neceſſariis hinc inde quibusdam notis, illuſtrati, & partim etiam ad noſtra uſque tempora continuati, multisque in locis auctiores redditi, antiquiſſimis demum icunculis exornati, & cum ampliſſima Præfatione MATTHIÆ BELII, nec non inſtructiſſimo rerum verborumque Indice, in nitidiſſimam hanc formam redacti, cura & ſtudio JOANNIS GEORGII SCHWANDTNERI, Auſtriaci Stadelkirchenſis.

Tomi II.

Lipſiæ, impenſis Jo. Pauli Kraus, Bibliopolæ Vindobonenſis, 1745 & 1746, fol. maj.

Alph. 20 plag. 18.

Satis conſtat, quam fructuoſam, patriæque ſuæ decoram, præſtent operam ii, qui Scriptores nationis ſuæ hiſtoricos, in unum corpus collectos, in publicam lucem edunt, ut hiſtoriæ rerumque geſtarum cupidi habeant, unde documenta capere poſſint, quid imitentur, quid vi-

tent. Itaque fere omnes populi invenerunt inter ſuos, qui & ſuæ, & patriæ, gloriæ, hoc in genere, velificarentur; ſola Hungaria iſto decore deſtituta diu jacebat. Expertus tandem eſt *Jacobus Bongarſius*, Gallus, Vir omnium literarum laude ornatiſſimus; quo autore Hiſtoria Hungarica ſe commoveret, & in lucem diemque exſurgeret. Is enim A. 1600 Francofurti *Rerum Hungaricarum Scriptores varios hiſtoricos, geographicos, ex veteribus pleroſque, ſed fugientibus, editionibus revocatos, quosdam tunc primum editos, in unum Volumen congeſtos*, evulgavit. Sed & alteram V. Cl. Collectionem *Syndromus rerum Turcico-Pannonicarum* inſcriptam, quæ *Tuberonem* de rebus ſui temporis, aliosque Scriptores minutiores, complectitur, A. 1627, quarta forma, procuravit. Quo quidem lumine perfuſa rerum Hungaricarum Hiſtoria, cum neminem præterea ſuæ gloriæ ſtudioſum inveniſſet, contenta eſſe per ſeſqui pæne Seculum debuit; donec, diſtractis *Bongarſiani* Corporis exemplis, raroque & impenſo pretio inveniendis, nova editio flagitaretur. Erat quidem *Matthias Belius*, Vir Celeberrimus, eruditorum atque Hiſtoricorum Hungariæ facile princeps, qui, vivente adhuc Imperatore Auguſto *Carolo VI*, novam exactiſſimamque Scriptorum rerum Hungaricarum Collectionem, obſervationibus paſſim ſuis illuſtratam, multis *Tomis*, meditabatur: quam Doctiſſimi Viri deſtinationem *Buderus*, Vir Cl. exhibitis ſimul ſingulorum Voluminum argumentis, in Bibliotheca hiſtorica, non ſine laudibus, recenſuit; quia vero reperiebantur eo tempore, qui ſua intereſſe crediderunt, eam inſtauratæ Hungaricæ Hiſtoriæ gloriam *Belio* eripi; neque præbitor inventus eſt, qui conſilium ſumtibus juvaret; accidit, ut, mortuo inprimis Auguſtiſſimo *Carolo*, omnis ea deſtinatio ſenſim evaneſceret. Succurrit tandem hominum doctorum, exterorum inprimis, deſiderio opera & ſtudium *Joannis Pauli Krauſſii*, Bibliopolæ Vindobonenſis, viri honeſtiſſimi, qui rationes rei librariæ non intelligit tantum prudenter, ſed tractat etiam liberaliter. Is enim conſilio hortatuque eruditorum, Illuſtriſſimi inprimis *Andreæ Mohrii*, quem honoris

honoris cauſa nominamus, Viri & eruditiſſimi, & ad omnem elegantiam humanitatemque naturâ & arte facti, induci ſe haud illiberaliter paſſus eſt in eam ſententiam, ut Collectionem iſtam *Bongarſianam*, omni ſtudio recognitam, & diligentia ſedula expolitam, aut locupletatam, formis chartisque elegantiſſimis, denuo exſcribendam vulgandamque ſuſciperet, &, ubi, probari conſilium literatis, hiſtoriæque amantibus, hominibus, intellexiſſet, eandem ſuam curam ceteris etiam Scriptoribus impenderet. In quo quidem, cum vidiſſet, non infructuoſum, aut illaudatum, fore, ſi ſinguli Scriptores de integro recenſerentur, & cum ſcriptis æque atque cum editis exemplis componerentur; quo Lectionum varietas notata, animadverſiunculis, ſubjectis ſuo loco, exprimeretur; negotium dedit iſtud *Joanni Georgio Schwandtnero*, Viro Doctiſſimo, qui in eo inprimis elaboravit, ut, quæ in Bibliotheca Auguſta Vindobonenſi aſſervantur MSta, & impreſſa, eorum conſulendorum poteſtatem acciperet. Quod cum ipſi, indulgentia Reginæ Sereniſſimæ, *Mariæ Thereſiæ*, permiſſum eſſet; nihil reliqui fecit, quin, quicquid ibi reperiretur, diligenter inſpiceret, ſi editum jam eſſet, conferret cum editis, emendaretve; ſin ineditum, in lucem protraheret. Atque ita quidem *duos* jam *Tomos* Scriptorum rerum Hungaricarum publica luce donatos habemus.

Sed, age, nunc, quid præſtitum ſit, videbimus. Præmiſſa utrique *Tomo* eſt *Matthiæ Belii*, Viri Celeberrimi, ampliſſima Præfatio, in qua & de hujus Operis inſtituto, & de Scriptoribus his, eleganter, &, ut ſolet, erudite, diſputat. E qua, quæ neceſſaria huic recenſioni videbuntur, ea ſuis quæque locis commemorabimus. Neque enim aut eruditiorem Autorem ullum hac in re, neque fideliorem ducem, cognovimus. Primo loco igitur in *Tomo priori* poſitum eſt ſcriptum, antea nunquam editum, quod inſcribitur: *Anonymi, Belæ Regis Notarii, Hiſtoria Hungarica de ſeptem Ducibus Hungariæ.* Repertum illud eſt in Bibliotheca Vindobonenſi Auguſta, in Codice membranaceo formæ quadripartitæ, foliorum admodum quatuordecim. Is Codex fuit inter La-

tinos 671, qui Viro Celeb. *Matthia Belio* viſus fuit circa Seculum XIII deſcriptus. Jam *Lambecius* hujus Codicis mentionem fecerat in *Diario ſacri itineris Cellenſis*, *Additamento II*, *pag.* 277, & *Neſſelius* in *Magni Corporis hiſtorici Sciagraphia pag.* 291 ſpem ejus evulgandi oſtenderat. Sed fruſtra. Autorem hujus Codicis quanquam non ſatis liquido erui poſſe confitendum eſt; tamen probabile eſt, vixiſſe ſub Rege *Bela IV*, cui cognomen *glorioſiſſimi*, quod tribuit, optime convenit. Sacerdotem vero fuiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum: propterea, quod formulis loquendi utitur, ſacerdotum atque Monachorum familiæ, ejus ætatis, perquam uſitatis, v. c. quod dicit, *Regem ac Nobiles regnum Hungariæ habere per S. Mariæ gratiam*, *pag.* 2 Prolegom. *Almum Ducem*, *ex divino quodam ſomnio*, *nomen retuliſſe*, *non ſine prodigio*, *Cap. III pag.* 4, & multis ejusmodi. Deinde hunc ſuum libellum inſcripſit cuidam *Sacerdoti*, ſuo jam, ab ludo literarum inde, amico. Ipſe vero, ut tum erant tempora, non adeo indoctus fuit, etſi viribus fiſus, quippe cum eloquentia hiſtoriam veterem ſe conjunxiſſe teſtatus, &, ſicuti *Trojanum & reliqua bella*, ita & *Genealogiam Regum & Nobilium Hungariæ*, literis ac memoriæ prodidiſſe, gloriatus, *pag.* 2 Prolegom. Quid? quod de ſe tam mirifice ſenſit, ut non dubitaverit in hæc verba erumpere:

Felix ergo Hungaria,
Cui ſunt dona data varia,
Omnibus etiam horis
Gaudeat de munere ſui Literatoris.

His igitur literis, hoc genere, pervenit eo, ut Regis *Belæ* crearetur Notarius, tum quod tunc, ut tempora habebant, nemo fere præter Sacerdotes & Monachos literas tenebat; tum quod huic hominum generi, propter laudem ſanctitatis, tutiſſime arcana conſilia committi poſſe videbantur. Neque dubium eſt, quin & valde utile hujus Autoris opus ſit, & facile omnium inter Scriptores Hungaricos antiquiſſimum. Sed invidit tamen temporis malignitas nobis integrum; deeſſe enim alteram partem, facile intelligitur ex prolegomenis,

Digitized by Google

nis, in quibus Genealogiam Regum Nobiliumque ſe ſcripſiſſe ait; at præter *Almum*, *Arpadum*, *Zoltan*, *Toxin*, & *Geyſam*, gentis Duces, nullius Regis mentionem facit. Deinde in priori parte lectores ſæpenumero ad operis ſui poſteriorem partem ablegat, quæ tamen nuſquam reperitur. Ceterum ſumma ejus cura in eo occupata eſt, ut primos Hungaricæ gentis Nobiles, eorumque res geſtas, literis celebret, memoriæque commendet. Itaque non eſt abſurdum credere, hanc, quæ ſupereſt, partem priorem fuiſſe; alteram, ubi de Regibus expoſuerat, intercidiſſe. Nam, quod in hoc ipſo ἀποσπασματίῳ S. *Stephanus*, *Andreas*, *Petrus*, Reges, commemorantur, id profecto tam leviter fit atque obiter, ut juſtæ de Regibus hiſtoriæ numero haberi nequaquam poſſit. Jam, quod ad fidem autoritatemque hujus ſcriptiunculæ antiquæ pertinet, de ea judicaturis neceſſe eſt fontes inveſtigare, unde, quæ memorat, hauſiſſe videatur. Ac primo quidem non neglexit vulgares illos Hiſtoriographorum fontes, rejectis tamen fabulis atque commentis, ut ipſe oſtendit in prologo: tanquam in eo genere, ubi de gentis origine tractatur *Cap. V* & *VII*. Deinde, ſecutum eſſe inprimis, judicante *Belio*, V. C. in Præfatione, Ruſſorum annales, non inprobabile eſt, quo referuntur ea, quæ *Cap. VII*, *VIII*, *XI*, traduntur. Neque dubium eſt, quin adhibuerit quoque publica gentis commentaria, & privata equeſtrium familiarum diaria, quippe quæ olim in Hungaria ſtudioſe conficiebantur. Itaque conſequens ſane eſt, rem juſta æſtimantibus trutina, judicare, etiam in quibus rebus ab aliis rerum Hungaricarum Scriptoribus diſſentiat, in iis fidem facere oportere: atque adeo nobis ſummo ſe opere probare. Cum inprimis veterum Hungariæ Ducum hiſtoriam, reſque geſtas, leviter tantum quaſi perſtrictas a *Thuroczio*, uberius perſequatur, Slavicæ gentis Hunniacæque Ducum acta, veteres ſedes, locorum ſitus, Hungarici Principatus; a ſua inde origine, formulam, Comitatuum primam originem, ſatis copioſe diligenterque explicat. Sed ſatis de hoc.

Alter ordine eſt M. *Joannes Thuroczius*, *Chronici Hungarorum*, ex vulgari ſententia, hanc uſque ad ætatem, primus Autor, quem *Schwandtnerus*, V. C. ut diligentet recognoſceret emendaretque, & ſuppleret, ſummam curam adhibuit. Uſus autem his eſt ſubſidiis. Primo *Anonymi* cujusdam in Bibliotheca Vindobonenſi Aug. Codice MSto f. 73 foliorum, numero inter libros hiſtoricos Latinos MSS. 456, quem *Lambecius* in *Diario itineris Cell. pag. 61, 62, & 176*, ſcriptum eſſe A. 1358, eundemque eſſe putat, e quo *Thuroczius* ſua deſcripſerat. Tam bene ei amiceque cum *Thuroczianis* convenit! Sed duobus poſterioribus Capitibus truncatus eſt. Quare non immerito ſuſpicari licet, *Thuroczium* integro Autoris αὐτογράφῳ uſum fuiſſe. Hinc itaque Cl. Editor, multa in *Thuroczio* reſtituit, emendavit, atque ſupplevit, non ſolum, ſed, cum ibi etiam reperirentur imagunculæ quædam, haud ineleganter depictæ, & has æri incidi, ſuisque apponi locis, voluit Bibliopola: tum ut ſplendor ac decus huic Operi afferretur, tum ut armorum, inſignium, veſtimentorumque, veteris populi Hungarici, hæc monumenta conſervarentur, ſi quando forte quid utilitatis rei antiquariæ afferri inde poſſet. Uſus præterea eſt ad emendandum *Thuroczii* textum duplici editione, *Brunenſi* & *Auguſtana*, uno eodemque anno 1488 vulgata. Denique adhibuit in conſilium *Antiqua Hungarorum Chronica, tum Præfatione ad Venerandum Dominum Ladislaum, Præpoſitum Eccleſiæ Budenſis, Proto-Notarium Apoſtolicum, nec non Vice-Cancellarium Regis Sereniſſimi Matthiæ, in f. min. Budæ per Andream Heſſ A. Dni 1478 in vigilia Pentecoſtes*, impreſſa. Quem librum Compendium eſſe Hiſtoriæ *Thuroczianæ*, judicat *Belius*, V. C. in Præfatione, ex Epitomatore excerptum; quem & accuratiorem fidelioremque *Thuroczio*, nec imperitum Hiſtoriæ Hungaricæ, putat fuiſſe. Singula autem, quæ ex his ſubſidiis profecta ſunt, ſuis locis reddita in annotationibus viſuntur, & eſt, e quibus ſingula hauſta ſint, notis quibusdam indicatum. Quibus rebus omnibus effectum eſt, ut *Thuroczii* Chronicon curatius emendatiusque prodiret, quam unquam antea lucem

lucem conſpexiſſet. De *Thuroczii* ipſius fide nihil habemus dicere, quod eo labore egregie defunctus eſt *Belius* junior, in *Diſſertatione hiſtorico-critica de Maria, Hungariæ non Rege, ſed Regina*; cum de *Thuroczio*, quod eo inprimis inniteretur contraria *Kœleri*, V. C. ſententia, ferendum erat judicium.

Tertio loco exhibetur *M. Rogerii*, *Hungari*, Varadienſis Capituli Canonici, *Miſerabile Carmen*, ſeu *Hiſtoria, ſuper deſtructione regni Hungariæ*, temporibus *Belæ IV* Regis per Tartaros facta; ad fidem duarum, quibus opuſculum hoc annexum reperitur, antiquarum *Thuroczii* editionum, Brunenſis & Auguſtanæ A. 1488. IV. *Petri Ranzani*, Siculi, Epiſcopi Lucerini, apud *Matthiam I*, olim Hungariæ Regem, per triennium Legati, *Epitome rerum Hungaricarum*, per Indices deſcripta, a *Jo. Sambuco*, Tyrnavienſi Hungaro, quondam continuata, & ab eodem A. 1558 Viennæ Auſtriæ primum edita; nunc vero, tam ad primæ hujus editionis, quam aliorum Autorum, fidem, diligenter recognita, emendata, & præmiſſis cuilibet Indici argumentorum compendiis diſtincta eſt, a *J. G. Schwandtnero*, Auſtr. Stadelkirch. Libellus ſumma fide dignus, cum judicio ſcriptus, dignusque, quem rerum Hungaricarum curioſi conſulant, etſi aliter plane de eo, ut hypotheſi ſuæ ſerviret, judicavit *Kœlerus*. V. *Chartuitii*, Epiſcopi, *Vita S. Stephani*, primi Hungarorum Regis, qui eos ad Chriſti religionem traduxit, a *Fr. Laurentio Surio*, Carthuſiano, olim inter Sanctos *Menſis Auguſti Tom. IV*, ſed ſtilo Autoris mutato, edita; nunc vero ad primam illam editionem *Surianam* recognita & emendata. VI. *Vita S. Emerici*, B. *Stephani*, Hungarorum Regis, filii, itidem a *Surio* olim inter Sanctos *Menſis Novembris Tom. VI*, ſed ſtilo Autoris mutato, edita, nunc ad primam hanc editionem *Surii*, & ad *Antonii Bonfinii Rer. Hung. Decadis II Lib. II*, ubi iisdem fere verbis inſerta legitur, recognita atque emendata. VII. *Philippi Callimachi* de rebus a *Vladislao*, Polonorum atque Hungarorum Rege, geſtis *Libri III*, recogniti & emendati. Scriptoris hujus Florentini, qui odio *Pauli II* Papæ ad *Caſimirum III*, Polon. Regem, conceſſerat,

Digitized by Google

ceſſerat, Commentarii iſti ſeorſim A. 1584, 4, prodierunt; reperiuntur quoque in *Crometi Polonia*, Coloniæ A. 1589 edita, digniſſimi, qui hoc loco exhiberentur iterum, quod pleraque viſa, Autorique certa, enarrant. VIII. *Regis Ungariæ Matthiæ nuptiæ, & Coronatio Reginæ, atque illorum poſtea ingreſſus Budam*, a Palatini Comitis Legato olim deſcripta, & ex V. Cl. *Joannis Piſtorii* Bibliotheca a *Bongarſio* primum edita. IX. *Galeoti Martii, Narnienſis*, Regiæ quondam Bibliothecæ Budenſis Præfecti, *Commentarius* elegans, *de Matthiæ Corvini, Hungariæ Regis, egregie, ſapienter, jocoſe, dictis & factis*, Viennæ Auſtriæ A. 1563 typis *Mich. Zimmermanni* primum excuſus, nunc iterum recognitus & auctus. X. *Melchioris Soiteri a Vinda, J. C. de Bello Pannonico*, per Illuſtriſſimum Principem ac D. D. *Fridericum*, Comitem Palatinum, &c. contra *Solymannum*, Turcarum tyrannum, geſto, *Libri II*, ad editionem *Schardianam* novam recogniti & emendati. XI. *Joannis Martini Stellæ*, LL. Doct. *de Turcarum in Regno Hungarico A. 1543 & 1544 ſucceſſibus*, ad *Guilielmum & Martinum Stellam*, FF. Epiſtolæ IV, ad novam editionem *Schardianam* recognitæ & emendatæ. XII. *Wolfgangi Lazii, Viennenſis*, Regii Hiſtorici & Medici, *rei contra Turcas geſtæ A. 1556 brevis deſcriptio*, ad novam editionem *Schardianam* recognita & emendata. XIII. *Baſilii Joannis Heroldi rerum contra Turcas, auſpiciis Ferdinandi Auſtriaci, A. 1556 in Interamnenſi Polonia geſtarum, Hiſtoriola*, dialogo conſcripta, ad novam editionem *Schardianam* recognita & emendata. XIV. *Petri Bizari*, Sentinatis, *Bellum Pannonicum*, ſub *Maximiliano II*, Rom. & *Solymanno*, Turcarum Imp. geſtum, recognitum & emendatum. XV. *Hiſtoria Sigethi*, totius fortiſſimi Sclavoniæ propugnaculi, a *Solymanno*, Turcarum Imp. A. 1566 capti, Chriſtianisque erepti per M. *Samuelem Budinam*, Labacenſem, jam olim in Latinum converſa, nunc vero ad novam editionem *Schardianam* denuo recognita & emendata. XVI. *Joannis Jacobini*, Claudiopolitanæ urbis Notarii, *brevis enarratio rerum, a Sereniſſimo Tranſilvaniæ Principe Sigiſmundo A. 1595 geſtarum*. XVII *Joannis*

Digitized by Google

Joannis Piſtorii, Niddani, &c. *Genealogia Regum Hungariæ*, ex optimis quondam Scriptoribus explicata, nunc vero emendata, & ad hodiernum uſque diem continuata, a *Jo. Georgio Schwandtnero*. XVIII. *Georgii a Reycherſdorf*, Tranſilvani, *Chorographia Tranſilvaniæ*, recognita & emendata. XIV. Ejusdem *Chorographia Moldaviæ*, recognita & emendata. XX. *Martini Broniovii a Biezdzfedea, Stephani I*, Poloniæ Regis, nomine, bis in Tartariam Legati, *Deſcriptio Tartariæ*, ad primam editionem Colonienſem anni 1559 denuo recognita & emendata. XXI. *Georgii Wernheri*, Conſiliarii Regii, & apud Saros Præfecti, *de admirandis Hungariæ aquis*, Hypomnemation, ad Colonienſem editionem anni 1595 recognitum & emendatum. XXII. *Jo. Martini Stellæ* Deſcriptio & *munitiones Altemburgi Hungarici*, arcis dotalis Sereniſſimæ Hungariæ Reginæ *Mariæ*, &c. XXIII. *Felicis Petantii*, Cancellarii Segniæ, *Diſſertatio de itineribus aggrediendi Turcam*, ad *Vladislaum*, Hungariæ & Bohemiæ Regem. XXIV. *Tranſilvaniæ Inſcriptiones veteres nonnullæ*, & *Annales de templis Leutſchovienſi* & *Coronenſi* deſcripti, a *Jac. Bongarſio* olim Collectioni ſuæ Scriptorum rerum Hungaricarum, Appendicis loco, in fine annexi. Atque hæc eſt *Tomi primi* facies. Qui additus eſt Index copioſiſſimus, ſcite factus, Hungaricæ Hiſtoriæ compendii inſtar eſt; ita ſunt omnes omnium Regum expeditiones, chronologico ordine, annotatæ.

In *Tomo altero* hæc inſunt: I. *Epiſtola Joannis de Zredna*, Cancellariæ Regis Hung. (ſic in MSS. inſcribuntur) olim Protonotarii, *in diverſis negotiis, ſtatum publicum regni concernentibus*, ab A. Chr. 1445 uſque ad A. 1451 *Gubernatoris*, (is *Joannes Hunyadi* fuit,) *nec non Prælatorum & Baronum hujus Regni, nomine exaratæ*. Hæ Epiſtolæ ſunt, pro ſeculi illius captu, eleganter ſatis politeque conſcriptæ, & pro rei dignitate ſtudioſe curateque elaboratæ. Imitantis *Symmachum Sidoniumque Apollinarem*, eminet inepta quædam inconſtansque, nunc obſoletarum, nunc recentium, dictionum affectatio, & nimium orationis ſententiis exornandæ ſtudium: in quibus vel nimis ſublimis ſurgit, vel nimis humilis ambulat. Tum vero ſtu-

Digitized by Google

ro ſtudium contentioque, & *Joannis Hunyadi*, & reliquorum regni Procerum, patriæ defendendæ, jurisque tuendi ſui, apparet. Quanta ſit harum Epiſtolarum, ad fidem in hiſtoria ejus temporis, & ad ſtatum illorum temporum cognoſcendum, autoritas, nemo eſt, quin videat. Quapropter valde eſt dolendum, cum ipſe Autor diſpergi eas paſſus fuerit, neque in tabularia regni conferri juſſerit, maximam partem deperditas videri. Itaque, vivo adhuc Autore, *Paulus de Iwanich*, cum ab alio *Paulo* Archidiacono rogatus eſſet, ut has Epiſtolas colligeret, neceſſum habuit ex omnibus, ut ait, angulis conquirere, ut in hunc ordinem redigeret. Codex is ipſe adhuc in Bibliotheca Vindobonenſi reperitur, *Joannis Fabri*, ſuperiore Seculo Viennenſis Epiſcopi, liberalitate donatus. Adjectæ fuere in margine quædam annotationes *Iwanichii*, vulgares illæ quidem pleræque & inutiles, ſed religione Cl. *Schwandtneri*, nimia fortaſſis, ſimul typis mandatæ ſunt. II. *Ludovici Tuberonis*, Dalmatæ Abbatis, *Commentaria de rebus, quæ temporibus ſuis, in illa Europæ parte, quam Pannones & Turcæ incolunt, geſta ſunt.* Qui Abbas quis fuerit, etſi certo ſatis liquidoque definiri non poteſt; tamen Cel. *Belius* in Præfatione in hanc conjecturam inclinat, probabilem profecto, ut Autor ſub hoc nomine ficto, quaſi ſub umbra quadam, latere, & ſcribendi libertatem tueri, voluiſſe videatur. Commentarii hi puri ſunt, ſimplices, recti, nudi, omni ornatu, quaſi veſte, detracto. Quibus ſane rebus fidem Lectoribus facere debet, cum hanc ſimplicitatem vix, niſi veritatis ſtudioſiſſimus, tueri poſſit. Prima editio facta eſt Francofurti ad Mœnum, ſumtibus *Claudii Marnii*, & *Joannis Aubrii* hæredum, curante M. *Adalarico Cravelio*, Scholæ Francofurtanæ Rectore, juſſu Senatus urbani; alteram quoque partem Syndromi rerum Turcico Pannonicarum *Bongarſiani* efficiunt. Quis e ſcripto, an impreſſo, hos Commentarios ediderit, neque ipſe dicit *Cravelius*, neque aliunde conſtat. Conjecturam cupientibus, Cel. *Belii* probabitur fortaſſe ſententia, exiſtimantis, e Codice MSto expreſſos eſſe, quem Germani, quemadmodum alia MSta, e

bellis

Digitized by Google

bellis Hungaricis domum retulerint ſuam. Quæ conjectura eo quodammodo confirmatur, quod in iſta editione notiſſima Hungarorum nomina depravata ſunt, ut *Cravelius* iſta non potuiſſe legere videatur. Quanquam, ne ipſum quidem *Tuberonem* a talibus erroribus immunem fuiſſe, exemplo ſatis lepido probat. Ceterum Scriptor ingenuus eſt, & qui de illis quoque veritatem ſcribere ſuſtinuit, qui proſcribere poterant; in eo tamen peccaſſe nobis videtur, ſi id peccare eſt, graviſſimos alioquin Scriptores, *Thuanum*, *Ramuſium*, *Comineum*, *Davilam*, *Bentivoglium*, alios, ſocios habere, quod propria nomina Latino ſermone expreſſit, tantopere immutata ſæpenumero, ut ne divinando quidem, quem velit, aſſequaris. Factum inde eſt, ut operoſiſſimam Cl. Editoris aliorumque recognitionem tamen effugerint quædam, quæ emendatura eſt poſteritas. III. *Joannis Zermegh Hiſtoria rerum inter Ferdinandum & Joannem geſtarum.* Exilis eſt ſcriptor, atque jejunus ille quidem, ſed temporum difficillimorum, quibus ipſe interfuit, aut quæ ab aliis idoneis Autoribus accepit, memoriæ tradens, atque fidei ſinceritate commendabilis. Primum in lucem exiit apud Batavos, cura *Nicolai Iſthuanffii*. *Zermeghus* autem ipſe, e Sclavonia ortus, apud *Ferdinandum* Regem Conſiliarius fuit aliquandiu; ſed, gratia, quod dicto eum quodam læſiſſet, effuſa, munere dejectus, non procul a Nitria, in tenui anguſtaque re familiari, ſeptuagenarius conſenuit, formulam Lutheranorum in ſenſu religionis ſecutus. Hunc libellum cum Cel. *Belius* Apparatui ſuo ad Hiſtoriam Hungariæ inſerere cogitaſſet, impenſis bibliopolæ precibus commotus, cum annotationibus ſuis paſſus eſt huic Collectioni inſerri. Ejus corrigendi adornandique curam tranſtulit ad filium ſuum, *Carolum Andream Belium*, Prof. Publ. Lipſienſem, qui annotationes patris ſui, ſuis quasque locis, adjectis etiam ſuis animadverſionibus, collocavit, libros in minores ſectiones partitus, lemmata cuique addidit, & ſingulis libris Synopſin præfecit. IV. *Petri de Rewa*, Comitis Comitatus de Thurocz, *brevis Commentarius de S. Regni Hungariæ Corona*; in quo de coronæ regiæ fatis,

 ſecun-

Digitized by Google

ſecundum ſeriem Regum, a *Stephano I* inde, conjectura ſæpenumero uſus, enarrat. Prima editio eſt A. 1643, 4, Auguſtæ Vindelicorum, apud *Chriſtoph. Mangum*, vivo etiam tunc Autore facta. Altera A. 1722 multis acceſſionibus, veluti Diſſ. de vetuſtiſſima *Rewaiorum* gente, aliisque, locupletata, Tyrnaviæ prodiit. Hic autem longe melior inſtructiorque iſte Commentarius emittitur, quod Cel. *Belius*, ex gentilitio *Rewaiorum* tabulario exemplum primæ editionis, annotationibus, ab ipſo Autore copioſe adſcriptis, auctum, nactus, comparare cum commentario & conferre potuit. V. *Martini Schmeitzelii*, Tranſilvani, P. P. Halenſis, *de Clenodiis regni Hungarici Meletema*, ab ipſo Autore nunc denuo recenſitum, ſecundis curis auctum, emendatumque. Quod quanquam maximam partem e *Rewaii* Commentario hauſtum eſt, neque adeo eleganter politeque conſcriptum; quoniam tamen luculentius atque enucleatius *Rewaio*, ac, propter rationem viamque tractandi, commodius lectoribus, effectum eſt, hac Collectione non indignum, aut alienum, viſum fuit. VI. *Hiſtoria coronationis Mariæ Thereſiæ in Reginam Hungariæ*, Autore *Joſepho Torkoſſ*, V. C. Jaurini A. 1741 edita. In duos Libros deſcripta eſt. Primo inaugurationem ipſam enarrat, altero documentis ad XXXIV res ipſas confirmat. VII. Hiſtoria Hungarica, in compendium miſſa, e Diplomatibus & MStis hauſta, atque emendata a *Rewaio*, cum conſilium cepiſſet, ſuum de Corona Hungariæ Commentarium recognoſcendi. Inſcribitur: *Monarchiæ Hungariæ Centuriæ.* Primum vulgata eſt hortante *Franciſco*, Comite *de Nadasd*, Judice Curiæ Regiæ, Francof. ad Mœnum A. 1669 fol. cura *Caſparis Jongelini*, Abbatis Euſerſthalenſis, regni Hungariæ Hiſtorici, ſed parum curate, minusque diligenter, tractata. Maſcule de eo *Rewaii* labore judicavit in Præfatione ſua Cel. *Belius;* niſi quod nobis quidem videtur, ex MSto doctiſſimi viri, inimica manus, quædam, quæ forte ad palatum non erant, ſuſtuliſſe. Hæc noſtra conjectura eo confirmatur, quod antecedentia cum conſequentibus non ſemper cohærent, adeoque intermedia ſublata fuiſſe, neceſſario

credendum

Digitized by Google

credendum eſt. Sed ita ſunt homines nonnulli, longo uſu adeo depravati, ut *Herculi* clavam citius, quam iis vulgatarum opinionum farraginem, extorqueas. VIII. *Caſp. Jongelini Catalogus Palatinorum & Judicum Curiæ Regiæ*, a Cl. *Schwandtnero* ad noſtra uſque tempora deductus, a *Belio* autem, Viro Cel. multis locis auctus, atque emendatus. Tenuis *Jongelini* opella eſt, quam elaboratiorem multo, atque inſigniorem, inprimis quod ad Judices Curiæ Regiæ attinet, edere parat Illuſtriſſimus Baro, *Carolus a Keller*, Vir ſummæ dignitatis, literarum amans, eruditionis, humanitatis, omnisque elegantiæ, laude conſpicuus; cui partui, noſtri & literarum cauſa, propitiam Lucinam precamur. Index, & *alteri* huic *Volumini* annexus, cum priore, de quo paulo antea judicium fecimus, plane convenit.

In quibus omnibus, ſatis apparet, quantum pretii ſtatuendum ſit huic Collectioni. In univerſum nos quidem ita ſentimus, præ nobisque ferimus, *Schwandtnerum* & *Belium*, Cel. Viros, omnibus Collectorum Editorumque officiis cumulate ſatisfeciſſe. Neque vero bibliopola ullis ſumtibus pepercit, quibus Scriptores hi ornati atque decorati prodire poſſent. Adjecit enim etiam Mappas quasdam geographicas, ad intelligendam Hiſtoriam eam neceſſarias; & maximam, quæ dicitur, nitidiſſimamque Chartam, literasque elegantiſſimas, adhiberi curavit. Quibus ſane rebus omnibus effectum eſt, ut jactare ſe hoc Opere, & poſteritati oſtentare, Hiſtoria Hungarica poſſit, & ut res literaria magno ſe beneficio obſtrictam debeat obligatamque profiteri. Sperare nos jubet bibliopolæ, Viri honeſtiſſimi, deſtinatio *Tomos* plures; de quibus (ut autem prodeant, vehementer optamus,) ſuo tempore ingenue judicabimus.

CORN. VALERII VONCK LECTIONUM LATInarum Libri duo; in quibus plurimi Scriptores Latini, & maxime Chriſtiani, emendantur atque illuſtrantur, alia item nonnulla obſervantur.

 Trajecti

Digitized by Google

Trajecti Viltorum, apud Herm. Beſſeling, 1745, 8 maj.
Plag. 13.

Pergit Autor Clariſſimus lucem Scriptoribus priſcis affundere; &, cum ante duos, ſive quod excurrit, annos, *criticum* ejus, quod in his *Actis* laudavimus, *Specimen* cum doctorum approbatione virorum exceptum eſſet, felici omnino omine *Obſervationes* emiſit haſce in Scriptores varios, Chriſtianos præſertim, eosque inprimis, qui cum in paucorum manibus, tum nondum ſatis a librariorum mendis liberati, erant: in quibus idem ingenium alacre, lectionem eandem diffuſam, deprehendimus, judicium ſubtile idem, acutum, elegans, quod in *Specimine critico* commendavimus, & nobiliſſimum Autorem apud quemvis bonum ac æquum non poteſt non commendabilem efficere. Ita etiam comparatæ ſunt hæ Lectiones, ut, de *Corippi* meditantem editione, unde præclara multa in eruditum orbem redundabunt, ſicut de reliquis, quæ de *Martiano Capella*, & *Boethii Commentario in Topica Ciceronis*, cogitat, excitandum inde Noſtrum arbitremur. Incipit autem a *Sulpicio Severo*, eleganti veteris Eccleſiæ ſcriptore, eumque ſæpius emendat & illuſtrat. Locus eſt mox a principio *Hiſt. Sacr. Lib. I Cap. 1* hujus tenoris: *Viſum autem mihi eſt non abſurdum, cum usque ad Chriſti crucem, Apoſtolorumque actus, per ſacram Hiſtoriam cucurriſſem, etiam poſtgeſta convertere, excidium Hieroſolymæ, vexationes populi Chriſtiani*, &c. Verba ne ſana ſint, efficere videntur viris doctis illa *etiam poſtgeſta*. Reſcribebat *Giſelinus*, ut opitularetur ſcriptori, *connectere*. Vir acutus, *Joan. Arcerius*, in margine exemplaris ſui, quod communicaverat cum Noſtro Cel. *Weſſelingius*, adjecerat *contexere*. Ipſe Autor, ſimul legerat, malebat *converrere*, quod vidit poſtea jam occupaſſe *Jo. Dan. van Hoven* in *Veris & Veroſim. pag. 48, 65*. Sed mutavit etiam ſuam ſententiam: ægre enim verbo *cucurriſſem* reſpondere τὸ *converrere*, recte ſentit. Præterea, vocem *converrere* nil aliud eſſe, quam multa & varia, ſine cura diſcriminis, in unum conducere, ex *Gellio* probat *Præf. Noct. Att. pag. 7*, quod

Pag. 1-4.

vocabu-

vocabulum ad metaphoram ab itinere ſumtam (unde *cucurriſſem* ſcripſit *Sulpicius*,) minime quadrat. In quo nos plane conſentientes habet. Igitur ita cupit legi: *Viſum autem mihi eſt n. a. - - - cucurriſſem, etiam in poſtgeſta convertere.* At, ſi quid nobis ſuboleat, addi quoque ita neceſſario deberet *me*, hoc modo: *etiam in poſtgeſta me convertere.* Latini enim dicunt *convertere ſe*, (vel *animum*,) *in aliquid*, aut *ad aliquid*, ut ipſe Cl *Vonck* e *Cicerone* adducit, *convertere ſe in Aſiam.* Atqui, ſic duæ excidiſſent voces, neceſſe ſit, *me* & *in*, quod ſubleſtum eſt, &, eas textui tamen ingerere, aliquantulum audaciæ fuerit. Interim vel absque emendatione capimus ἐξήγησιν. Nam *Sulpicius* verbo *convertere* innuit *e Græco in Latinum*, in verbo autem *cucurriſſem* intelligit *convertendo.* Qua ratione omnia molliter atque optime videntur fluere. Ad alia pergimus. *Sulpicius* eodem *Libro I Cap.* Pag. 15,
50 §. 5 ita ſcribit: *Rex Aſſyrius, portis adſultans, minitari ex-* 16.
cidium, deditionem imperare, Ezechiam fruſtra Deo confidere, ſe Dei nutu potius arma ſuppreſſiſſe, - - - Vocabulum *ſuppreſſiſſe* omnem hic ſenſum ſupprimere, Interpretes non inepte ſtatuunt: plerique etiam reponunt *ſumſiſſe.* Sed conjecturæ huic aſſenſum denegat *van Hoven Lib. cit. pag. 92*, cupitque legi *ſuſcepiſſe*; mallemus tamen prius, *ſumſiſſe.* Utrumque vero Autori noſtro diſplicet. Ille emendat: *Se Dei nutu potius arva ſua preſſiſſe.* Admodum ſane ingenioſe. Nam *ſua* eſt *Ezechiæ*, ἀντὶ τοῦ *ejus*, quomodo & optimi quique loquuntur, Autores vero hujus ætatis quam maxime. Poſſet etiam ad Regem Aſſyrium referri, qui arva Judæorum, quo erat faſtu & tumore, *ſua* vocet. Ac iſta primum firmatur emendatio ex *Regum Lib. IV Cap. 18 v. 25*; deinde, quoties *arma* & *arva* inter ſe permiſceantur, Cel. *Burmannus* docet ad *Rutilii Itiner. Lib. I v. 83*, cujus *Rutilii* duo loca hic obiter atque ὡς ἐν παρόδῳ tentat *Vonckius*, & alium corrigit, quæ ſi qui cupiunt, ad ipſum librum eos remittimus. *Libro II Cap. 1* hæc leguntur: *Maxime itaque Danielis* 17,18.
egregiam perſeverantiam, & in abſolutionem Suſannæ divino

conſilio,

conſilio, ceteraque ab eo geſta ordine perſequemur. Jam iſto loco in varia abeunt Interpretes. *Sigonius* jubet emendari, *in abſolutionem Suſannæ divinum conſilium. Druſius* τὸ *in* expungit; quod etiam *Arcerio* viſum eſt. *Vorſtius* autem *Sigonium* ſequitur. Sed vidit Vir Cl. mutatione nulla opus eſſe. Ait enim *Severus Sulpicius*, perſecuturum ſe eſſe *Danielis* perſeverantiam, & ab eo *geſta*, divino conſilio in abſolutionem *Suſannæ*, ceteraque, quæ perpetravit. Præterea inſolens non eſt ullo modo, ſcribere: *gerere aliquid in alicujus abſolutionem;* veluti dicitur *fieri in utilitatem*, *perniciem*, *alterius*. Aut, ſi quid eſſet omnino immutandum, legi poſſet: *& inde abſolutionem Suſannæ div. conſ.* cujus generis correctio nec contorta, & non improbabilis, foret. Ceterum ad hiſtoriam *Suſannæ* conferri meretur *Alcimus Avitus Lib. VI Poemat.* ſive *de laude Virginit. v. 559 ſeq.* eandemque *Nicod. Friſchlinus* eleganti Comœdia executus eſt, quæ in *Oper.* ejus *poeticis* apparet *Parte II.* Porro *Capite XV* in *Lib. II Sulpicii* duabus diſtinctis vocibus habetur *ante captivitatis* (ſcil. *mala*), pro quo Noſter uno verbo *antecaptivitatis* ſcribendum cenſet; non aliter ac *Lib. I Cap. 1 poſtgeſta*; & apud *Terentium*, *ſemperlenitas*, aut, ut in *Diſtichis Catonis*, *ſemperpatientia.* Quod nobis non diſplicet. Excitat præterea ſuffragantem Doctiſſ. *Arnzenium*, ad *Lib. I Diſt. 38*, & Cl. *Cannegieterum Reſcr. Boxhorn. pag. 141*, ſiquidem, illum, obſervavimus ſubinde, ſcriptores producere ex inſtituto, qui de aliquo argumento data opera expoſuerunt, veluti *de Chriſtianiſmo Conſtantini*, item *de Priſcilliano, & ſectatoribus ejus*, atque nonnunquam alios. Jam plura in ſequentibus annotat ad *Vitam Martini*, ac *Dialogos Sulpicii*, poſt diligentem *Hieronymi de Prato* operam. In *Præfatione vitæ Martini* §. 5 ex edit. *Clerici* habetur: *quia nec magnam iſtarum unquam ſcientiam contigiſſem.* Deficit vox *iſtarum* in Trajectinorum altero Codice, eamque nec in MStis inveniri multis, *Barthius* refert, ideo legens: *quia nec magnam unquam Rhetorum ſcientiam c.* Nobis quidem admodum videtur durum, pro *rerum* legere *Rhetorum*; at

Vonckius

Vonckius emendationem arripit, & ita jubet: *quia nec magnam Sophiſtarum unquam, aut Rhetorum, ſcientiam cont.* addens, *Sophiſtas* & *Rhetoras* conjungi *l. 6 §. 1 ff. de Excuſat. tut.* & alibi. Quod a vero non quidem alienum eſt; ſed, loco *iſtarum* & *rerum* ſubſtituere *Sophiſtarum* & *Rhetorum*, contorta valde correctio, ac eo minus vero ſimilis, habetur, quod vocabulum *iſtarum* a multis abeſt Codicibus. Per *ſcientiam* enim *iſtarum rerum*, ſeu nude *rerum*, intelligit *Sulpicius* (veluti e contextu claret,) facultatem, ornate, et absque ſolœciſmis, ſcribendi. In *Epiſt. 3 ad Baſſulam ſocrum §. 17* legitur ſic: *Vultus luce clarior renitebat, cum membra cetera ne tenuis quidem macula fuſcaret. In aliis etiam, & in illo tantum artubus non pudendis, ſeptennis quodammodo pueri gratia videbatur.* Hæc depravata eſſe, atque ſenſu carere, videntur. Itaque Autor tentabat: *Id aliis* (aut, *id in aliis*,) *etiam. Sed in illo tantum artubus non pudendis ſept. q.* Interpretatur autem hoc modo: Quod de vultu clariori, & omnis maculæ toto corpore abſentia, relatum erat, id *Martinus* commune cum aliis habebat Sanctis; illud vero ipſi peculiare erat, quod in membris pueri defuncti, ſeptennis *gratia artubus non pudendis* videbatur. *Artus pudendi* pueri ſeptennis dicuntur, quod illa ætate pudoris vera cauſa non obtinet; aut, quod reapſe in ſeptennis pueri *gratia*, quæ in *Martini* membris videbatur, τὰ αἰδοῖα prorſus deficiebant, judicium caſtimoniæ ſancti viri, & perpetuum ab eo cuſtoditæ virginitatis. At ea *Vonckius* eſt modeſtia, ut judicare de hac interpretatione ſua alios ſinat; qua nobis data venia utentes, exiſtimamus, nimis eſſe decurtatum, ſi legatur: *Id alios etiam*, ſive *id in aliis etiam*; nec ſtilo reliquo *Sulpicii* convenire; dein, durum aliquando, quod reliqui Sancti ſubintelligi jubentur: erat enim in reliquis etiam Sanctis *gratia*; porro, non commoda loquendi formula enuntiari, *& in illo* (ſcil. *puero*) *ſeptennis pueri gratia videbatur.* Progreditur Autor ad *Minucii Felicis Octavium*, eximiæ libellum utilitatis, ſed nondum a nævis omnibus, Criticorum opera, perſanatum. *Cap. VIII*, *Cum Abderitem*, ait, *Protagoram Athenienſes viri conſulte potius, quam* Pag. 51, 52.

 profane,

profane, de divinitate diſputantem, - - finibus expulerint. Hic flagitare antecedentia *Minucii*, *Vonckius* putat, ut legatur, *non conſulte potius*, *quam profane*; nam ſæpe, addit, per ſequentem ſyllabam *con* vocabulum *non* in aliis locis excidiſſe, v. c. *l. 4 D. de Legibus* haberi: *ex his*, *quæ forte uno caſu accidere poſſunt*, *jura conſtituuntur*, ubi legendum eſſet, *jura non conſtituuntur.* Similiter ex *Martiani Lib. I de Nupt. Philol. pag. 2*, & *Suetonii Tiber. Cap. 7*, idem adſtruit. At nos in bonis obſervavimus ſcriptoribus, inprimis *Cicerone* & *Livio*, τὸ *non* ſubinde haud adjici, quamvis neceſſario ſubintelligatur: ipſe præterea *Minucii* locus vix indiget ejusmodi medela; nam *conſulte* opponitur τῷ *profane*, id eſt, *non conſulte.* Senſus eſt: Quamvis *Protagoras* ita de Diis loqueretur, ut conſulte potius, quam inconſiderate, de ipſis videretur verba facere, finibus tamen eum expulerunt. Ut adeo ne transpoſitione quidem, quam cupit Vir doctus, opus ſit, hoc modo: *profane potius*, *quam conſulte*, *de divini-*
Pag. 61 *tate diſputant.* Jam poſt *Minucium*, de *Althelmi*, ſive *Adelmi*, Poematibus quædam decerpuntur. Ejus Monachi *de laude virginitate* carmen, non plebejæ eruditionis, immo limatioris, quam quis putet, ingenii, eſt, niſi quod ex opinionibus ac barbarie ſeculi ſui, (ſeptimo florebat,) multa traxit. Illum Scriptorem, ob metri neglectam rationem, *Caſp. Barthius Lib. XIII Adverſ. Cap. 17*, & ad *Statii Thebaid. Lib. V v. 253*, ſuo merito, non Poëtam, ſed *doctiſſimum verſificatorem*, nominat. Ab imperitis autem librariis fœde inquinatum, *Jo. Frid. Gronovius*, ex MSto Oxonienſi, & ſuopte ingenio, innumeris in locis emendavit, *Obſerv. ad Script. Eccleſ.* Conf. *Syllogen Epiſt. Petr. Burmanni Tom. II pag. 596.* Ipſe *Vonckius* medicas ſimiliter manus, nec infelici ſucceſſu, admovit. *Verſu 28* legitur apud *Althelmum*:

Verſibus infandis nonum quem dicere dignor.

Pro *nonum quem* reponit Noſter *non unquam.* Idque ipſum haud dubie *Hanckius* voluit, quem *Jac. Baſnagius Tom. I Antiq. Lect. pag. 714* in nota MSta legiſſe refert *non nunquam*, quod hic nihili tamen eſt. In hac enim Critices parte parum

ſe eſſe

ſe eſſe verſatum, pluribus argumentis palam fecit *Baſnagius*,
vir alioquin rerum eccleſiaſticarum peritiſſimus. *Verſ. 170* Pag. 64.
hæc habentur:

Dactylus ut dulcis frondenti vertice palma
Truditur ex ſicco, præſtabit ſtipite proles.

Imitatur hoc loco *Virgilium Lib. II Georg. verſ. 30, 31, Althelmus*, ubi ſimiliter legis *truditur ex ſicco*, quem verſum fruſtra fuit aggreſſus emendare *Jul. Pontedera* apud Cel. *Geſnerum Collect. Scriptor. rei ruſt. pag. 1297*, dum jubet: *truditur ex ſicto*, ut *ſicto* ſit ἀρχαίως dictum pro *ſecto*. Nam vulgatum & *Althelmus*, & verba *Virgilii*, quæ præceſſerunt, *caudicibus ſectis*, tuentur. Neque enim *Virgilius* a vitio ταυτολογίας excuſaretur, ſi tam brevi intervallo absque cauſa bis eadem dediſſet. *Sicco ſtipite* eſt ſolo trunco, frondibus & cacumine deſtituto, de qua *ſicci* notione vide *Salmaſium* ad
Capitolin. in Maximin. Cap. 13. Porro, varietatis cauſa, im- 72.
miſcet quædam Vir Cl. inter *Althelmi* explanationes, ad *Cypriani* libellum *de idolorum varietate*, e quibus exemplum ſimiliter unum addamus. Legitur *pag. 392* ed. *Minucii Gronov.* ita: *Nam & immolabant hoſtias, & dies feſtos dando honore celebrabant.* Hic ſubleſta ſunt Autori verba *dando honore.* Primo itaque intuitu legendum credebat *tanto honore*, poſtea malebat *indicendo*, ſeu *dicendo*, *honore*, conjecturam corroborans loco *Virgilii Æneid. I. v. 636*: *Simul Divum templis indicit honorem.* Sed, ex noſtra ſententia, *dare* hoc loco idem eſt, quod *indicere*, veluti a probatiſſimis Autoribus accipitur, *Ovidio*, *Horatio*, *Claudiano*, ipſo *Cicerone* & *Virgilio*, quorum tamen loca adſcribere, hic longius foret. Et hæc ſufficiant de *primo* Lectionum Latinarum ſpecimine.
Principia *ſecundi* ducit *Optatus Milevitanus*, cujus nonnulla 98.
loca e libello *de Schiſmate Donatiſtarum* emendantur atque corriguntur. Et ibi quidem *Vonckius* ad verba *Lib. I Capitis 14*: *jam omnes hæretici cœperant murmurare*, longum primo panegyricum, nec ſine ſale, inſtituit, de Αἱρετικοποιοῖς, floſculos inſpergens varios, & acerbam ſatiram, qua-
lem homines aphiloſophi non lubenter audiunt; qua finita, 99-102.

 Optati

Optati verbis *hæreticos* eximit, & ita legit: *jam omnes ceteri cœperant murmurare.* Quomodo enim *hæretici* huc arceſſantur, obſcurum eſt. Putabat *Gronovius* in *Script. Ecclef. Cap.* 13, legendum eſſe *omnes erecti c. m.* qua ratione ex uno etiam Codice *Dupinius* edidit; Autoris vero emendatio forſitan præferenda videtur. *Lib. III Cap.* 3 hæc verba occurrunt: *Quid de levitate & furore laboravit tantis pauperibus impedire?* Forte *tantus*, ait Noſter, pro *tantis*; qualis nimirum *Donatus* ſibi videbatur; nam de eo hic agit. Niſi, quæ veriſimilior conjectura eſt, *tantis* dixerit *Optatus* pro *tot*; erat enim ingens pauperum numerus. Ita etiam loquuntur non poſterioris ſaltem ævi ſcriptores, ſed ipſi ſubinde antiqui & aurei ſeculi. Vid. *Broukhuſium ad Propert. Lib. II Eleg.* 16. Eam ſententiam Autore *Corippo*, *Iſcanio*, *Pſeudo-Dicty*, ulterius comprobat, & bene tuetur. Nunc in *Sedulii Carmine Paſchali* quædam, poſt virorum doctorum labores, perſequitur. Mox ab initio legitur in *Prologo verſ.* 3:

Pag. 106.

114.

Nec quæras opus hic codicis artificis.

Qui locus hic *codici*, quæſumus? Poeta eſt in perpetua a convivio metaphora, unde, vocabulum *codicis* quomodo huc pertineat, non perſpicitur. Id damus omnino Viro docto haud inviti. Interim *Vonckius* abſque mora (ſic enim loquitur,) reponere jubet:

Nec quæras opus hic onychis artificis;

poſt excogitatam autem hanc emendationem, *Sedulium* graviter accuſat, quod accuratiorem ſyllabæ rationem non habuit: prima enim in *onychis* producitur. Quaſi emendatio in *onychis Sedulii* certa ſcriptura eſſet, & non *Vonckii* conjectura quædam! Quod ſignificat, nimium fidere ſuis viribus, doctrinæque! magisque (ut cum pace illius dicamus,) niteret Autoris Clariſſimi rectum judicium, ſi a formulis quorundam Criticorum nonnullis abſtinuiſſet, qui faſtuoſius quidem loquuntur, quam ipſi apud animum cogitant. Nam quare εὐδαιμονίαν ubivis ſuam, liberalitatem in concedendo, ϛοχασμὸν, εὑρήματα, commendat & prædicat? Atqui iſta omnia lectoribus doctis ex ſe patebunt, nec præcone, Autore ipſo, indigent.

indigent. Sed juventuti forſitan tribuendum eſt, quod ætas relinquit maturior. Poſt hanc operam, in Poemate *Gunthe-* Pag. 124.
ri occupatur, quod ſub titulo *Ligurini*, de *Friderici Barbaroſſæ* bellis Italicis tractat: cujus publicandi ſpecimen, poſt *Spigelii* & *Rittershuſii* editiones, Cl. *Witboſius* dedit. Legitur in *Lib. I verſ. 165*:

Illa ſuis ſpecioſa locis.

Pro *ſpecioſa locis* ſcribendum, recte cenſet, *ſpatioſa locis*, quomodo pariter peccatum fuit *Lib. II verſ. 336*:

Parva quidem, ſed tuta novo ſpecioſaque muro;

nam iterum debet *ſpacioſaque muro*. Contra, vocem *ſpecioſa*, quæ bis ejecta e *Gunthero*, reddendam *Corippo* eſſe, in ſequen- 126.
tibus evincit. *Lib. III v. 921* habetur: *Jura vetuſta feram*, pro quo *feram*, corrigi *Witboſius* in *Specim. Guntheri pag. 91* jubet *jura vet. teram.* Sed *feram* hoc loco, ut ſæpius, ſignificat *auferam*, atque adeo longe eſt melius. Patet id e verbis *Friderici*, ubi legato populi Romani reſpondet, *v. 448.* Et quid notius formula, *omnia fert ætas*, ſeu, ut Græci dicunt, *αἰων φέρει πάντα*? Similiter JCti *furtum* a *ferendo*, id eſt, auferendo, deducunt; & infinita alia. Ad finem *Capitis* de 132.
pretio ac fide *Guntheriani* operis paucula adjicit, neque colore, ait, deſtituta eſſe, quæ in *Parergis Gottingenſibus Tom. I Lib. III pag. 149 ſeq.* diſputantur, ubi, ſuppoſititium eſſe *Guntheri* poema, & ſeriori adſcribendum ætati, evincitur. Non audet Vir Cl., poſt diſſenſum maximorum virorum, aliquid decernere. Illud adſtruit jure merito, *Guntheri* nunquam eam eſſe autoritatem, ut ad vocis alicujus dubiam latinitatem adſtruendam idonea ex eo hauriri probatio queat, ubi alia præſertim teſtimonia deficiunt. Non invenuſtum etiam 133.
carmen *Severi Sancti*, ſive *Endeleichi*, exſtat *de boum mortibus*, cui nævos aliquot eximit. Inter alia nobis placuit lectio, dum pro verbis *Endeleichi*, *v. 33*, *quis mentes geminæ conſona tinnulo*, reponit levi immutatione: *quis mentis geminæ conſ. t.* quæ melior eſt certe, quam Rev. *Heumanni*, *quis frontes geminæ*. Denique plura decerpere hinc inde poſſemus, ni elegans Autoris ingenium, & quam præclara in

 aliis

Digitized by Google

aliis promittat olim, ex his adductis jam ſatis eluceret. Itaque ad Lectiones criticas, quas ex *Joſephi Iſcani de Bello Trojano* carmen, item ad *Jul. Exuperantium de Bello Civ.* dedit, porro, quæ ad loca varia *Joannis Caſſiani de inſtitutis cœnobiorum*, ad carmen *Marii Victorini de Fratribus Maccabæis*, ad aliud *de laude virginitatis*, *Alcimi Aviti*, non contemnenda propoſuit; ad hæc igitur, & ſimilia, Lectores, ut in ipſo libro melius, quam in excerpto, perſpiciant, remittimus; eas enim Lectiones adiiſſe, neminem pœnitebit.

Das Oſt-Frieſiſche Land-Recht, nebſt dem Deich- und Syhl-Rechte, ꝛc.

hoc eſt,

JUS PROVINCIALE FRISIÆ ORIENTALIS,

una cum jure ſtagnorum & piſcinarum, ad fidem antiquiſſimorum Codicum manuſcriptorum editum. Addita eſt verſio Germanica hodiernæ dialecti, cum notis hiſtorico-criticis, & Indicibus locupletiſſimis, opera & ſtudio MATTHIÆ DE WICHT, J. U. D.

Aurici, apud Hermannum Tapperum, 1746, 4.

Alph. 7 plag. 5.

Quam ſolliciti olim fuerint in cuſtodiendis conſervandisque patriæ ſuæ legibus atque inſtitutis Germani, vel ex eo intelligitur, quod introductionem Juris Romani atque Canonici admodum indigne tulerint, &, ne peregrinæ leges juris Germanici luminibus officerent, tanto ſtudio providerint. Loquuntur hanc majorum noſtrorum curam, quamplurimæ jurium provincialium ac ſtatutorum compilationes, non alia de cauſa in ſcripturam redactæ, quam ut oblivionis tenebris ereptæ, præ juribus peregrinis autoritatem illibatam in foro obtinerent. Exemplo itaque civium incitati Friſiæ orientalis incolæ, paterna inſtituta diligenter literis mandarunt, tandemque a Comite *Edzardo I* abſolutum

juris

juris Friſici corpus, publica autoritate confectum, & ex inſti-
tutis, conſuetudinibus, legibusque patriis, hauſtum, impe-
trarunt. Præclarum hoc Themidos Germanicæ monumen-
tum, quod & hodie ad cauſas dirimendas in conſilium adhibere
ſolent Friſii, nunquam hactenus typis exſcriptum, in curia
provinciali Friſica latuit. Unde egregiam eruditis operam na-
vaſſe dicendus eſt Cl. *de Wicht*, quando illud jam primus
evulgavit, doctiſſimisque animadverſionibus inſtruxit. Cum
autem, obſervante *Cajo*, Jureconſulto, in *l. 1 D. de O. J.* il-
lotis, quod ajunt, manibus ad legum explicationem accedant,
qui non de hiſtoria earum prius ſunt ſolliciti, originem ju-
ris Friſici orientalis ſtudioſe Cl. Editor ediſſerit. Narratio-
nem de legibus, ab antiquiſſimo Rege, *Friſone* dicto, & ex
India oriundo, huic genti datis, inter fabulas relegandam eſſe,
conſtituit. Friſios tamen, ad exemplum reliquorum Germa- Pag. 5.
norum, antiquiſſimis jam temporibus inſtitutis atque legibus
non ſcriptis uſos eſſe, contendit, illudque vel ex notiſſimo
Cimbrico bello palam fieri, ſtatuit. Mores Germanorum, 7.
quos *Tacitus* deſcripſit, maximam partem in jure Friſico de-
prehendi, obſervat, multisque exemplis confirmat; qua 12.
etiam occaſione multis argumentis contra quosdam viros eru-
ditos comprobare annititur, teſtamenti factionem Germanis 14.
fuiſſe incognitam, *Taciti* vero libellum optimam antiqui ju-
ris Friſici notitiam ſuppeditare, concedit. De jure Romano
nihil *Taciti* ævo apud Friſios in uſu fuiſſe, urget. Leges 31.
Salicas inter fontes juris Friſici numerandas eſſe, contendit, 33.
idemque de legibus Anglo-Saxonicis aſſeverat. Qua ratio- 42.
ne Friſii ſub Francorum dominationem pervenerint, expo-
nit. Ab eo tempore Friſios Francis tributarios factos eſſe, 44.
ſervitia militaria illis præſtitiſſe, & legibus eorum vixiſſe,
narrat. *Carolum M.* vero, aut *Carolum Martellum*, jura Fri- 50.
ſica conſtituiſſe, negat, cum plurima hoc in jure compareant, 55.
horum Principum ætate recentiora. Antiquas potius Friſio-
rum leges, a *Joanne Heroldo*, *Friderico Lindenbrogio*, *Si-
brando Siccama*, & recentiſſime ab Ill. *Gærtnero*, evulgatas,
hoc temporis tractu, quo Francis parebant Friſii, confectas
eſſe,

Digitized by Google

eſſe, contendit, eas juſſu *Haraldi*, Daniæ Regis, uti vul-
Pag. 62. go creditur, datas eſſe, negans. Ex legibus quoque Saxonum, Anglorum, Warinorum, aliarumque ſeptentrionis gentium, multa ad juris Friſici illuſtrationem hauriri poſſe, ob-
69. ſervat. De Capitularibus etiam Regum Francorum erudite
72. diſputat, eaque etiam ad Friſios pertinuiſſe, eosque ſtrinxiſſe, multaque adeo ex illis in jus Friſicum migraſſe, monet. Statum juris Germanici, qualis poſt exſtinctam Carolingorum ſtirpem fuerit, depingit, atque conſtitutiones *Ottonum*, *Henrici II*, *Conradi II*, reliquorumque *Henricorum* & *Fridericorum*,
85. inter fontes juris Friſici referendas eſſe, contendit. De jure etiam imperiali (*Kayſer Recht*), quod Ill. *Senckenbergius* Corpori Juris feudalis inſeruit, diſputat, ejus originem ad tempora *Conradi II* referri poſſe, negat, ſed, illud ex conſtitu-
90. tionibus imperii, & Capitularibus Regum Francorum, *Friderici*
92. *II* tempore, a privato quodam compilatum eſſe, contendit.
96. Jura Friſiæ domeſtica deinceps recenſet, quæ ſaltem tempore
98. *Friderici II*, Imperatoris, confecta eſſe, exiſtimat. Communi conſenſu integræ nationis Friſicæ, ſub directione tamen miſſi imperialis, ea jura fuiſſe condita, & primum Latine in literas relata, conjicit. Tempore interregni Friſios avi-
103. tam fere libertatem recuperaſſe, nos docet. Democraticus ab eo tempore ſtatus apud Friſios obtinuit, & de cauſis, ad integram nationem pertinentibus, in comitiis, ſub dio habitis,
108. conſultum eſt. Præcipuas leges, in ejusmodi comitiis condi-
113 ſeq. tas, Cl. Editor recenſet, &, quænam ex illis juri huic provin-
125 ſeq. ciali fuerint inſertæ, indicat, de juribus etiam Friſiæ in ſcri-
133 ſeq. pturam redactis abunde & accurate diſputans. Comes Friſiæ, *Edzardus I*, de immutando, & ad formam reipublicæ ſui temporis adaptando, jure Friſico ſerio cogitavit, idque conſilium A. 1515, prævio ordinum provinciæ conſenſu, &
195. opera Jureconſultorum uſus, perfecit. Codicem illum *Edzardi* neutiquam in illa forma, in qua confectus eſt, hodienum proſtare, Cl. Editor urget, cum varia huic juri addiderit *Sibrandus Eddens*, judex provincialis, poſt tempora *Edzardi* clarus, & inſuper Codices hujus Juris manuſcripti, quotquot ſuperſunt,

ſunt, omnes, in ordine & numero Capitum, inter ſe differant. Jus vero *Edzardinum*, per quamplurima additamenta, quæ illi judices provinciales ſubinde attexuerunt, ex Pag. 196.
Jure Romano nonnunquam hauſta, vehementer incertum evaſiſſe, & varias in judiciis turbas excitaſſe, idem docet. Cautum ideo eſt communi Ordinum Friſiæ orientalis 198.
conſenſu, ut exemplar hujus juris, in curia provinciali ſuprema reconditum, quod quidem ceteris accuratius, & ab additamentis magis immune, habebatur, typis exſcriptum, publicaretur, verſio Theotiſca ſecundum hodiernam dialectum adderetur, voces obſoletæ explicarentur, indicibus denique neceſſariis editio inſtrueretur. Provinciam hanc Cl. Editor in ſe ſuſcepit, qui, ſuperatis, quæ ipſi hoc in negotio remoram objiciebant, impedimentis, illud lectoribus tandem integrum exhibuit. Et, quamvis Codex ſupra memoratus, ad cujus quippe normam præſens editio effecta eſt, pro avthentico habeatur, eum tamen omni vitio neutiquam carere, Cl. Editor pronuntiat, unde illos errores, & inde naſcentes obſcuritates, ope aliorum Codicum is emendavit, quos
quidem ſigillatim adducit, & deſcribit. De jure tamen ſta- 200.
gnorum & piſcinarum (*vom Teich und Sybl-Rechte*), quod appendicis loco in plerisque Codicibus juri provinciali additur, & in hac etiam editione comparet, nihil hic Cl. Editor affert, commodiori occaſioni eam deſcriptionem reſervans. Integrum vero jus provinciale in *tres Libros* deſcriptum eſt, & ſinguli *Libri* in ſua *Capita*. Præmiſſa eſt Comitis *Edzardi* Præfatio, in qua, quid quilibet *Liber* pertractet, explicatur. Notæ Cl. Editoris ipſi textui ſubjectæ ſunt, &, quamvis longiores interdum, ad explicationem tamen textus utramque paginam faciunt. Jus piſcinarum & ſtagnorum *novem Capitibus* abſolvitur, docte, ut cetera, a Cl. Editore illuſtratum, cui profecto multas grates debent rerum Germanicarum ſtudioſi, cum Juris hujus editio ad illuminandam patriæ noſtræ jurisprudentiam, & indagandas linguæ Theotiſcæ origines, haud parum conferat.

 D. TRA-

Digitized by Google

D. TRAJANUS, SEU DE LEGIBUS TRAjani Commentarius, Autore JO. AUGUSTO BACHIO.

Lipſiæ, apud Joannem Wendlerum, 1747, 8.

Plag. 18.

Cum inter omnes ex veterum monumentis, rerumque geſtarum memoria, ſatis conſtet, Principes, ut quisque eorum fuerit ſapientia, doctrina, bonisque moribus, maxime præditus, ita æquiſſimas leges ſaluberrimasque conſtitutiones in rempublicam induxiſſe; nemini ſane mirum videbitur, ſi is, qui inter Romanos Imperatores Optimi cognomentum meruit, *Trajanus* inter alias virtutes hanc quoque laudem ad poſteros transtulit, ut optimis legibus fundaſſe rem Romanam prædicaretur. Quam ob cauſam egregiam ſane atque maximopere laudabilem operam poſuit Cl. *Bachius*, cum *Trajani* Conſtitutionibus pro ſua, qua maxime pollet, doctrinæ atque elegantiæ copia magnam lucem affundere laboravit. Qua in re verſatus eſt ita, ut nos ipſi dubii hæreamus in definiendo, utrum magis *Trajano* de reperto legum ſuarum interprete, an Clariſſ. Autori de opportuna tractationis materie, gratulari debeamus. Eam enim viam ingreſſus eſt Cl. *Bachius*, quam omnes ante eum JCti, quibus vera Jurisprudentia curæ cordique fuit, ambularunt, ut Hiſtoriam cum legum ſcientia cummaxime conjungerent. Quod vinculum quam vim ad intelligendos Juris libros afferat, non ſolum eleganter, ſed etiam docte, commonſtravit in Præfatione Autor, quam quidem totam, quod nemo ex noſtra ſententia ea de re ſerio dubitare poſſit, taciti relinquimus, hoc tantum allaturi, quod in ea de reſcriptis *Trajani* commentatus eſt. Cum enim ex loco *Julii Capitolini Macr. Cap. 13* poſſet colligi, Imperatorem nunquam libellis reſpondiſſe; Cl. *Bachius* non ſine ratione contendit, hunc locum ad præſentes tantum pertinere, quoniam inhumanum videretur, civibus adeundi poteſtatem circumſcribere, atque præſentibus ſupplicandi neceſſitatem libellis imponere. Sequitur Præfationem vita *Trajani*, tanta verborum elegantia,

rerumque

rerumque copia deſcripta, ut, neminem fore, arbitrentur, quem, legiſſe eam, pœnitere poſſit, niſi quis, Autorem plus, quam ratio propoſiti ferret, oratorem egiſſe, dicere velit; quod tamen, tantum abeſt, ut reprehendatur, ut aliis, qui in deſcribendis vitis laborant, luculentiſſimo exemplo eſſe poſſit. Ipſa tractatio in *quatuor partes* diſtributa eſt, quarum *prima* Leges, SCta, Edicta *Trajani*, ſecundum ordinem temporis proponit; *altera* ea, quibus certus annus aſſignari haud poteſt, complectitur; *tertia* de reſcriptis ac decretis *Trajani* agit, quam *quarta* de ſtatu Juris civilis ſub *Trajano* excipit. Nos, inſtituti noſtri & brevitatis bene memores, dabimus unum alterumque ex illis ſpecimen, ex quo, quem in explicandis legibus modum adhibeat Autor, Lectores poſſint cognoſcere, atque ſimul judicare, quid de ipſa elegantiſſima tractatione ſtatuere debeant. Primum locum occupet non incognitum Pag. 41.
illud *Trajani* beneficium, de his, qui ſe ipſi deferunt, Edicto quodam promulgatum, &, ut Autori contra *Heineccii* 42.
ſententiam videtur, ab Edicto de pœnis delatorum diverſum. Cum enim ex Lege Julia de caducis, inſtitutisque primorum 43.
Imperatorum, maxima delatoribus præmia conſtituta eſſent, iisque ad ad emungendas civium opes invitarentur iſti, ut ita dicamus, canes; ſapienti ſane conſilio edixit *Trajanus*, ut, 44.
qui ipſi, antequam cauſa ad ærarium deferretur, profiterentur, ſe caduca poſſidere, partem fiſco inferrent, partem 45.
ſibi retinerent; ad quam profeſſionem admittebantur omnes, quibus alioqui deferendi poteſtas interdicta erat, ut fœminæ, impuberes, atque minores, ſervus, cui legatum relictum erat, 46.
non dominus ejus, item hæres ejus, qui, quod capere ex legibus non poterat, cepit, ſi modo hic ſe deferendi animum habuit, atque morte præventus eſt. Caduca autem ab 47.
Auguſto & ſequentibus Imperatoribus in ærarium, ab *Antonino Caracalla* ad fiſcum, redacta fuiſſe, veterum Autorum teſtimoniis comprobat. Sed quid bonis, quæ delator haud poſſi- 48.
debat, factum eſt? Neque hac in cauſa dimidia parte excidebat, ſi res, quæ jam ad ærarium pervenerat, ipſi vel palam, vel tacite, erat relicta. Cujus rei differentiam in eo po- 50.

ſuit Autor, quod fideicommiſſa, *palam* relicta, in ipſis tabulis
teſtamenti continerentur, *tacita* vero a ſecreta conventione,
ſtipulatione, & chirographo, originem ducerent, quod variis
exemplis ex *Quintiliani Inſt. Orat. IX, 2, 74*, & *l. 3 pr. D. de*
Jure fiſci, commonſtrat, uti etiam magna cum veri ſpecie con-
tendit, ejusmodi fideicommiſſa tacita, primo SCto *Planciano*,
Pag. 53. non vero L. Julia Papia, fuiſſe prohibita & ſublata. Jam ve-
ro haud levis ſuboritur dubitatio, cum quæritur, quomodo
fideicommiſſa, palam relicta, ad fiſcum pervenerint; quam Cl.
Autor ita ſolvit, ut exiſtimet, quædam ex eo genere in
fraudem fieri legis. Nempe, ſi quis incapaci quid reliquit
ſub ſpecie debiti, & hæres illius fraudis particeps eſt; alia
contra ſpecies eſt, cum is, cui fideicommiſſum relictum eſt,
poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas fit incapax, qui-
bus modis fideicommiſſum infertur fiſco, & inde dimidia
55. poſt redditur ei, qui ſe ipſum detulit. Quæ de Præfecti
ærarii cognitione de caducis diſputavit, apud ipſum legan-
tur, uti etiam ea, quæ de SCto *Hadriani* ad hoc Edictum do-
59. cte commentatus eſt; ſi modo addiderimus, Autori videri,
59. Edictum *Trajani* ad præteritum quoque tempus pertinuiſſe,
propterea quod edicto adjecta eſſet clauſula: *tranſacta, fi-*
nitave, rata firmaque ſunto, quæ, ſi inveniatur, ſignificet,
legem præterita quoque reſpicere. Inter varias Juris quæſtio-
62. nes magna cum cura tractata eſt ea, quæ de eo agit, an, de-
64. tracta quarta Falcidia, præmium *Trajani* totius aſſis, vel
dodrantis, dimidia ſit, quod ultimum reſcripſit *Antoninus*
Pius, non *Caracalla*, uti recte vidit Autor in *l. 54 D. ad L.*
Falcid. quo tamen reſcripto SCtum *Plancianum*, ex quo fi-
duciario quarta detracta eripiebatur, & ceteris legatariis con-
ferebatur, haud imminutum eſt, cum illud reſcriptum eo
pertineat, quando teſtator hæreditatem omnem, nullo legato
oneratam, fiduciario relinquit, quo in loco per ſe SCtum ceſ-
ſat, & quarta ad ærarium redigitur, cui tamen poſt *Cara-*
66. *callam* fiſcus Principis ſucceſſit. Tandem Cl. *Bachius*, eos,
qui pro indignis haberentur, a præmio *Trajani* eſſe excluſos,
conciliatis legibus, *l. 5 §. 20 D. de his, qui ut indign.* &

l. 1

Digitized by Google

l. 1 eod. commonſtrat. Egregiam ſane, nec ſatis laudandam, operam impendit explicationi SCti *Rubriani* atque *Daſumiani*, quibus tantam lucem attulit, ut non poſſit non omnium, qui recte ſapiunt, aſſenſum laudesque exſpectare. Quæ enim de iis diſputavit Autor, facile ſe commendant omnibus, tum quod nova ſunt, tum quod a vero proxime recedunt. Nos, rejectis vulgaribus, præcipua tantum delibabimus. Præpoſita Pag. 102.
curata fideicommiſſariæ libertatis, ut ita dicamus, hiſtoria, SCtum *Rubrianum* ad eos tantum, qui ex cauſa fideicom- 104.
miſſi rogati manumittere deberent, atque latitarent, vel certe venire contemnerent, pertinuiſſe, ex *l. 26 §. 11* & *l. 36 D. de Fideic. hæred.* inprimis efficit: quo in loco notionem τῦ *latitare* 105.
accurate definit, exemplisque idoneis comprobat, ſemper hoc fraudationis cauſa fieri, & male agere *Ulpianum* in *l. 7 §. 4 D. Quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* qui *Ciceronem* præter rationem confutet. Neque obeſt *l. 28 pr. D. de Fideic. libert.* 108.
ex qua *Rubrianum* locum habet & tum, cum emtor ſervi fideicommiſſarii latitet, quoniam facile intelligitur, huic ſub conditione manumiſſionis ſervum eſſe venditum. Quoties vero ſer- 109.
vus ex SCto *Rubriano* manumittitur, orcinus libertus redditur, demto hæredi jure patronatus adeo, ut eum nec alio jure, v. c. ex SCto *Claudiano*, recuperare poſſit *l. 33 §. 1 h. t.* Cum ve- 110.
ro SCtum *Rubrianum* hæredum dolum malum & fraudes coer- 111.
ceret, eosque libertorum operis privaret, *Daſumianum* hæredibus, qui ex juſta cauſa abeſſent, proſpexit, voluitque, ſervos fideicommiſſarios perinde haberi, ac ſi ex cauſa fideicommiſſi eſſent manumiſſi, quod erat *Caput primum SCti*; cum *al-* 113.
terum ad alios, qui fideicommiſſi libertatem præſtare deberent, v. c. ſucceſſores, emtoresque, directum eſſet, qui, ex quacunque tandem cauſa abeſſent, libertum ſervabant. Et primo 114.
quidem Autor conſtituit lectionem in *l. 51 §. 6 h. t.* eam, ut ſcribat: *ut quemcunque fideicommiſſam libertatem ex quacunque cauſa debere pronuntiatum fuerit, & eum, eosve, abeſſe contigerit*, quoniam vulgaris ſcriptura nullum fere ſenſum habet, SCtum *Rubrianum*, & hujus *Cap. I*, tollit, cum ex lectione vulgari ſequeretur, etiam ex injuſta

Digitized by Google

cauſa abſentiæ jura patronatus manere, atque præterea verba, *quacunque ex cauſa*, plerumque, uti in *l. 28 §. 4 eod.* fideicommiſſæ libertati, non vero abſentiæ, conjunguntur, neque hoc in loco in abſentiæ cauſam anquiritur *l. 29 eod.* quæ ſane lectio
Pag. 116. prorſus contemnenda haud videtur. Differt igitur *Daſumianum* a *Rubriano* in eo, quod in hoc, qui adeſſe nolunt, in fraudem libertatis libertum amittunt, in illo, qui juſta ex cauſa abſunt, habentur, ac ſi ex cauſa fideicommiſſi ſervum manumiſiſſent, quemadmodum hoc ſervos tantum hæreditarios,
117. *Juncianum* vero non hæreditarios, complectitur. Præterea recepta *Merillii Obſerv. VI, 24*, conjectura in *l. 29 D. eod.* qua pro: *ei libertas ſervatur*, legit, *ei libertus ſervatur*, probabili ratione totam legem ad alterum *Daſumiani* caput refert, tum quod is, qui libertatem præſtare debet, non
122. hæredis loco eſt, neque abſentiæ cauſa diſquiritur, in quo tamen *Merillii* partes, qui hanc legem SCto *Junciano* tribuit, re-
154. linquit. Lex *Vectibulici* quibus prematur difficultatibus, omnes norunt. Cl. Autor putat, *Vectio Libico*, cujus no-
155. men in MSto *Contii* legitur, Coſſ. ſuffecto incerti anni originem debere, atque in ſenatu, ut nunc moris erat, leges ferre, eſſe perlatam a *Trajano*, tum quod *Hadrianus l. 2 C. de Serv. reip. manumiſ.* eam ad provincias prorogavit, tum quod prior commodis & honoribus municipiorum mirifice
156. favit, quo in loco Cl. *Nordkerkii* opinionem rejicit, qui ex loco *Varronis de L. L. Lib. VII in fin.* cum tamen is de libertate juris gentium agat, contendere ſtuduit, hanc legem jam ante *Trajanum* obtinuiſſe, quo in loco quibus quaſi gradibus ad plenam libertatem pervenerint reip. ſervi, perſpicue ſatis atque ſecundum temporis ordinem explicat. Animus quidem erat, unum adhuc exemplum ex Reſcriptis Lectoribus noſtris proponere, ſed, quoniam poſiti nos ſcriptionis noſtræ cancelli admonent, conſilium relinquimus, quemadmodum de quarta parte, qua optime ſub *Trajano* Juris formam adumbratam dedit, quod in compendium mitti vix poteſt, dicere ſuperſedemus. Ceterum nihil magis optamus, quam ut Doctiſſ. Autor, quam ſibi hoc elegantiſſimo libello peperit gloriam, edendo opuſculo *de Plinii legatione Pontica*, tan-

quam

Digitized by Google

quam altera hujus tractationis parte, amplificet atque confirmet.

ICONUM ANATOMICARUM, QUIBUS PRÆcipuæ partes corporis humani, exquiſita cura delineatæ, continentur, Faſciculus primus; Diaphragma, Medulla ſpinalis, Vagina Uteri, Omentum, & Cranii Baſis.

Gœttingæ, typis Abrahami Vandenhœck, Acad. Typographi, 1743. fol. maj.

Plag. 12½, Tab. æn. 6.


Nihil eſt, quod Anatomen magis perficiat, quam icones partium corporis humani, ad vivum delineatæ, & æri inciſæ, quibus vera de nexu, ſitu, & proportione, partium idea excitatur. Licet enim minime credamus, anatomicam cognitionem ex ſolis iconibus hauriendam eſſe, ſed potius perſuaſum nobis habeamus, Anatomicum in ipſa corporum diſſectione verſari debere; tamen in iconibus curate delineatis repetitio & comparatio cum diſſectis partibus vel a diſſectoribus ipſis, vel a diſcentibus, cum fructu ſuſcipitur. Inter plures alias, hoc ſeculo exhibitas, icones anatomicas, eæ, quæ in theatro anatomico Gœttingenſi elaborantur, omnino excellunt. Inſignis enim peritia in rebus anatomicis, quæ illuſtrem *Hallerum* ornat, maximo & indefeſſo ſtudio in dies augetur, & in uſus publicos convertitur. Separatim jam exhibuerat aliquas icones, quas typographus aliis addidit, & in unum faſciculum coegit. De ſingulis vero quædam ſigillatim exponenda erunt. Tabula prima Diaphragmatis iconem ſiſtit. Dederat olim longe imperfectiorem ex cadavere, Baſileæ diſſecto, ſed, cum ipſi Autori non ubique placeret, icones aliquot veriores elaborari curavit, & ex iis optimam elegit, quæ diaphragma a facie inferiori conſpiciendum præbuit, cum adhærentibus cartilaginibus coſtarum, & vertebris lumborum. Deſcriptio addita eo accuratior eſt, quod *Albini*, *Sennai*, & *Cowperi*, delineationes & deſcriptiones optimas cum ſuis *Hallerus* comparaverit. Altera Tabula icones aliquot medullæ ſpinalis ex infan-

infantibus trium circiter annorum, ad vivum delineatas, exhibet, & concinnam explanationem ſiſtit. Hanc dedit *D. J. J. Huberus*, & prima icone medullam ſpinalem, vel potius duræ matris productionem, ſpinalem medullam, ejusque nervos, inveſtientem, repræſentat, prout ſe in ſitu naturali, una cum nervis vertebralibus omnibus, eorum directione, ſitu, & magnitudine naturali, in ſpecu vertebrarum habet, & quidem a facie poſtica ſpectata. Icon ſecunda a facie quoque poſtica medullæ oblongatæ partem, in infima baſi cranii poſitam, refert, omnemque ex ea productam medullam ſpinalem, ab omni involucro, excepta pia matre, denudatam, exhibet. Icon tertia medullæ ſpinalis partem ab antica parte viſam exhibet. Tertia Tabula eundem autorem habet, & uteri muliebris, præcipuarumque partium vicinarum, delineationem & explanationem ſiſtit. In ſex iconibus, quas hæc Tabula oſtendit, rugæ vaginæ uteri, ex fœmina ſexaginta circiter annorum, & ex puella quatuordecim annorum, pudendum muliebre externum, & inprimis hymenis varia ſtructura, cervix uteri, & aliæ vicinæ partes, conſpiciuntur. Tabula quarta, quæ Illuſtrem *Hallerum* autorem habet, nova omenti icon traditur, cui ab eodem Autore in Tabula quinta altera, quæ omentum deſcribit, delineatio additur. In prima icone omentum, ut vulgo aſſumitur, gaſtrocolicum, nec non omentum colicum, quod eſt portio prioris, tandem omentum minus *Winslovii*, exhibentur, & deſcriptio, ex triginta circiter cadaveribus, inter ſe comparatis, eruta, additur, in altera reliquæ partes, in abdomine poſitæ, relictæ, omento gaſtrocolico & colico tantum ſeparatis, conſpiciuntur, ubi ſimul hiatus *Winslovii*, ſive portio ad omentum, quam ad priorem Tabulam deſcripſerat, delineatur. Tabula ſexta baſin cranii partis hujus convexa & cerebro ſeparatis ſiſtit, autore Ill. *Hallero*. In elegantiſſima hac icone nervi & arteriæ, tum a latere ſellæ equinæ, tum in orbitarum ſuperiori parte, collocatæ, nitide delineantur. Præterea quoque ſinus duræ matris & principia nervorum, quantum in hac icone conſpici poſſunt, delineantur. Omnes hæ icones incomparabili arte Cel. *Bollini* exaratæ ſunt, & accuratis deſcriptionibus, quas in compendio tradere

haud

Digitized by Google

TAB. V ad Nov. Act. E






Fig. V

Digitized by Google

Digitized by Google

haud poſſumus, vividiores redduntur, ita ut ſimiles icones a celeberrimis noſtri ſeculi diſſectoribus omnino expetendæ ſint.

G. F. BAERMANNI, MATH. P. P. IN ACADEmia Vittebergenſi, Analyſis Problematis geometrici, in his Actis A. 1745 propoſiti.

Problema, cujus hic exhibeo ſolutionem, in *Parte I Menſis Septembris* horum *Actorum A. 1745 pag. 523* his verbis propoſitum legitur: „Propoſito puncto lucido *F* invenire „omnes curvas *AMBN* hujus naturæ, ut ſinguli radii ex *F* „egreſſi poſt duplicem reflexionem in *M* & *N* in idem punctum *F* revertantur.„ Quod Problema quisquis paulo attentiori animo perpenderit, non poterit non intelligere, id ex eorum genere eſſe, quibus ex data relatione inter aliquot puncta ejusdem curvæ illa ipſa curva invenienda proponatur; cujusmodi Problemata primum, ſi recte memini, a V. C. *Joanne Bernoullio* in his *Actis A. 1696*, cum defectum Geometriæ *Carteſianæ* oſtenſum iret, publice exhibita fuerunt. Verum enim vero methodi, quibus diverſi Geometræ ad ſolvenda hujus generis Problemata, eaque non adeo trita, uſi ſunt, utrum quove modo, ad hoc Problema applicari queant, res ſane eſt difficilioris indaginis. Contigit tamen mihi, iſtas methodos animo verſanti, et ea præcipue, quæ V. C. *Leonardus Eulerus* de trajectoriis orthogoniis in *Tomo II Comment. Acad. Petropol.* ac Viri Clariſſimi, *Clairaltus* & *Fontanus*, in *Comment. Acad. Pariſ. A. 1734*, pro illuſtranda *Iſ. Newtoni* ſolutione unius ex Problematibus *Bernoullianis*, paulo ante commemoratis, dedere, perpendenti, ut viam cernerem, qua in ſolutione plurimorum hujus generis Problematum recta tutoque progredi, & ſcopum attingere, liceat. Quam viam paucis indicaſſe juvabit, antequam ipſum Problema, de quo nunc agitur, aggrediamur. Cardo ſcilicet rei in his duobus verſatur: primum eſt, ut, tot, quot opus eſt, variabilibus aſſumtis, a quibus coordinatæ rectangulæ *x*, *y*, curvæ quæſitæ pendeant, & inter quas aliqua ſit, quæ ad utrumque correlatorum punctorum curvæ eodem TAB. V Fig. 1.

 modo

modo referatur, duæ æquationes inveniantur, quibus relatio inter iſtas variabiles aſſumtas atque coordinatas ſic exprimatur, ut alterutra ſaltem harum æquationum unam tantum coordinatarum includat: alterum, ut ipſarum aſſumtarum variabilium relationes ad ſe invicem exponantur æquationibus, quarum ope per unam earum variabilium, quæ arbitraria remaneat, determinari poſſint reliquæ. Nam, ſi hæc ſingula fieri queunt, patet, vel exterminatis omnibus illis, quæ in auxilium aſſumtæ erant, variabilibus, inventum tandem iri æquationem inter coordinatas curvæ x & y, vel erui ſaltem poſſe valores ſimultaneos utriusque coordinatæ, quos geometrice, conceſſis quadraturis, conſtruere liceat. Hac via propoſiti etiam Problematis ſolutionem aſſecutus ſum, ad quam exponendam nunc pergo.

Analyſis.

I. Sit $AMBN$ una ex curvis quæſitis. Per datum punctum radians F ducta ſit recta linea ſic, ut radium reflexum MN ſecet inter M & N in O. Ad hanc rectam ordinatim ſub rectis angulis applicabimus rectas MP vel $N\Pi$, &, poſita origine abſciſſarum in F, vocabimus $FP = x$, $MP = y$. Nunc in auxilium vocemus rectam FO variabilem, quæ ſit $= z$, & quam patet ad utrumque punctum reflexionis M, N, eodem prorſus modo referri, ita ut, licet ea alia atque alia ſit pro aliis atque aliis punctis M, tamen ad utrumque correlatorum punctorum M, N, eandem & poſitionem & magnitudinem habeat. Præter hanc opus quoque habebimus angulo variabili MOF, cujus ſit coſinus $= s$, ſinus $= \sigma$, pro ſinu toto $= a$. Jam cum, his poſitis, pateat eſſe $PO = sy : \sigma$: primo offert ſeſe nobis hæc æquatio:

$$(A) \quad \cdots \quad \frac{sy}{\sigma} = z - x.$$

II. Deinde, aſſumto angulo variabili FMO, cujus dimidii cotangens ſit $= t$, pro eodem ſinu toto a, pervenire licebit ad æquationem inter z, y, s, t, computando baſin z trianguli OMF ex ejus altitudine y & duobus angulis

MOF,

MOF, *FMO*. Scilicet eſt *PF* ad *PM*, ut tangens anguli *PMF* ad ſinum totum. Atqui per nota theoremata trigonometrica eſt tangens $OMF = 2aat:(tt-aa)$, & tang. $OMP = as:\sigma$; ideoque tangens anguli reſidui $PMF = (2aa\sigma t - as(tt-aa)):(2ast + \sigma(tt-aa))$. Ego erit $PF = (2a\sigma t - s(tt-aa))y:(2ast+\sigma(tt-aa))$, & $OF = PF + sy:\sigma = 2a^3ty:(2as\sigma t + \sigma\sigma(tt-aa))$. Ex quo ſequitur æquatio

$$(B) \text{-----} \; 2a^3ty = (2as\sigma t + (tt-aa)\sigma\sigma)z.$$

III. Nunc, ut duas adhuc æquationes inveniamus inter aſſumtas variabiles z, t, & s, (vel σ, quæ eſt $=\sqrt{(aa-ss)}$) conſiderabimus z & t tanquam functiones quantitatis s. Et relationem quidem inter z & s determinaturi conſideremus, puncto *N* in locum puncti *M* cogitatione ſubſtituto, angulum *FOM* mutari in ang. *FON*, qui illi deinceps & in plagam contrariam poſitus eſt, ideoque pro ſinu habet $-\sigma$, & pro coſinu $-s$. Hinc evidens eſt, rectam z, quæ ad utrumque punctum *M*, *N*, eadem prodire debet tam poſitione, quam magnitudine, ſive per quantitatem anguli *FOM*, ſive per quantitatem anguli *FON* determinetur, æquandam eſſe tali functioni variabilis s, vel σ, quæ nullo reſpectu varietur, ſi in ea pro s & σ ſcribantur $-s$ & $-\sigma$; hoc eſt, ut appellatione utar, quam Vir de omni Matheſi longe meritiſſimus, *Leonardus Eulerus*, in Geometriam introduxit (vid. *Comm. Petrop. T. II pag. 98*), pro z ponendam eſſe functionem parem variabilis s. Ceterum æquatio inter s & z per naturam Problematis non determinatur, ideoque pro arbitrio accipi poterit.

IV. Reliquum eſt, ut æquatio inter s & t inveniatur. Quem in finem intelligatur in *M* tangens curvam *MR*, & ex *F* in hanc tangentem ducta perpendicularis *FR*, quæ tangenti in *R*, & radio *NM* producto in *Q*, occurrat. Ex *F* etiam in *NM* perpendicularis ſit *FD*. Jam, quia ang. $QFD = QMR$, & per legem reflexionis radiorum ang. $QMR = RMF =$ complemento dimidii anguli *FMO* ad rectum; erit $t:a = QD:DF$. Eſt autem in triangulo rectangulo *ODF*,

 $DF=$,

$DF = \sigma z : a$. Ergo $t = \frac{aa}{\sigma z} QD$. Reſtat itaque QD exprimenda, per s. Quod ut fiat, conſideremus, ob $MQ = FM$, eſſe $QD = FM + MD$, & intelligamus elementum curvæ Mm ac in punctum m incidentem radium Fm, qui inde reflexus ſecet radium ſibi proximum MN in C, rectam FD in δ, rectamque FO in o, atque procedens curvæ iterum occurrat in n, unde reflexus redibit ad F. Ducta concipiatur Fd in nm perpendicularis, & centris C, F, per m intelligantur deſcripti arcus circulorum, qui rectis MN, MF, in e, k, occurrant. Quibus poſitis, erit, ob ang. OCo infinite parvum, $CD = C\delta$, ideoque $De = \delta m$. Hinc differentiale ipſius $QD = d.(FM + MD) = Fm + md - FM - MD = kM + \delta d - eM$. Sed in triangulis kmM, emM, quæ per legem reflexionis angulos ad M æquales habent,. eſt $kM = Me$: quare $d.\ QD = \delta d$. Jam, quia, propter ang. $DFd = OCo$ infinite parvum, recta δd pro arcu circuli haberi poteſt, erit $\delta d = Fd \times$ ang. $DFd = Fd \times$ ang. OCo. Atqui $OCo = Fom - FOM =$ elemento ang. $FOM = \frac{-ds}{\sigma}$; ac $Fd = FD = \frac{\sigma}{a} z$. Ergo $\delta d (= d.\ QD) = -\frac{z}{a} ds$, &, aſſumta recta conſtante b, fit $QD = b - \int z\, ds : a$. Habemus itaque $t = \left(\frac{aa}{\sigma z} QD =\right) \frac{ab - \int z\, ds}{\sigma z} a$.

V. Jam, ſi pro z aſſumamus talem functionem parem variabilis s, quæ elementum $z\,ds$ integrabile reddat, in æquationibus (A) & (B) ſubſtitutis pro σ, z, & t, eorum valoribus algebraicis per s expreſſis, ſemper obtinebimus æquationem algebraicam inter coordinatas x, y, curvæ quæſitæ, eliminando s ex illis primis æquationibus. Sin autem $z\,ds$ non fiat integrabile, vel ſi ipſa quantitas z tranſcendens accipiatur;

Digitized by Google

piatur, curvæ tranſcendentes, quæ Problemati faciant ſatis, conſtruentur conceſſis quadraturis. Nam ex æquatione (B) fit valor ordinatæ

$$y = \left(\frac{zs}{aa} + \frac{ab - \int z ds}{2aa} - \frac{(aa-ss)zz}{2aa(ab-\int z ds)} \right) \sqrt{(aa-ss)}$$

qui per quadraturas poterit conſtrui, ſubſtituto in locum z ejus valore per s expreſſo, quod s pro arbitrio accipitur. Inventa autem y habetur ex æquatione (A)

$$x = z - \frac{sy}{\sqrt{(aa-ss)}}.$$

Evidens quoque eſt, infinite multas curvas ex his formulis inveniri poſſe, cum conſtans b prorſus ſit arbitraria, & pro z innumeræ functiones ipſius s accipi poſſint.

VI. Ut autem curvarum algebraicarum, Problema ſolventium, facilior reddatur inventio, quæ hoc difficultatis habet, quod non ſtatim appareat, quales functiones pro z aſſumere liceat, ſalva integrabilitate elementi zds: pro $\int zds:a$ ſcribamus S, intelligentes per S aliquam variabilis s (vel σ) functionem, cujus conditiones ex §. III petendæ ſunt. Nimirum, cum ipſius z valor nullo reſpectu mutari debeat, pro s & σ in eodem ſcriptis $-s$ & $-\sigma$; ds autem abeat in $-ds$, abeunte s in $-s$: patet, quantitatem $\int zds:a$ valorem nanciſci prioris ſui valoris negativum, ubi s & σ abeunt in $-s$ & $-\sigma$; ideoque ipſam S debere imparem eſſe functionem quantitatum s & σ, hoc eſt, talem, quæ, ubi s & σ abeant in $-s$ & $-\sigma$, valorem nanciſcatur prioris ſui valoris negativum. Atqui poſito $\int zds:a = S$, fit $z = adS:ds$. Quibus valoribus ſubſtitutis in æquationibus §. præcedentis, relatio inter coordinatas x, & y rectangulares omnis curvæ, Problemati ſatisfacientis, hisce exprimetur formulis:

$$y = \left(\frac{b-S}{2a} + \frac{sdS}{ads} - \frac{(aa-ss)dS^2}{2a(b-S)ds^2} \right) \sqrt{(aa-ss)}$$

$$x = \frac{adS}{ds} - \frac{sy}{\sqrt{(aa-ss)}}$$

$DF = \sigma z : a$. Ergo $t = \frac{aa}{\sigma z} QD$. Reſtat itaque QD exprimenda, per s. Quod ut fiat, conſideremus, ob $MQ = FM$, eſſe $QD = FM + MD$, & intelligamus elementum curvæ Mm ac in punctum m incidentem radium Fm, qui inde reflexus ſecet radium ſibi proximum MN in C, rectam FD in δ, rectamque FO in o, atque procedens curvæ iterum occurrat in n, unde reflexus redibit ad F. Ducta concipiatur Fd in nm perpendicularis, & centris C, F, per m intelligantur deſcripti arcus circulorum, qui rectis MN, MF, in e, k, occurrant. Quibus poſitis, erit, ob ang. OCo infinite parvum, $CD = C\delta$, ideoque $De = \delta m$. Hinc differentiale ipſius $QD = d.(FM + MD) = Fm + md - FM - MD = kM + \delta d - eM$. Sed in triangulis kmM, emM, quæ per legem reflexionis angulos ad M æquales habent, eſt $kM = Me$: quare $d.\ QD = \delta d$. Jam, quia, propter ang. $DFd = OCo$ infinite parvum, recta δd pro arcu circuli haberi poteſt, erit $\delta d = Fd \times$ ang. $DFd = Fd \times$ ang. OCo. Atqui $OCo = Fom - FOM =$ elemento ang. $FOM = \frac{-ds}{\sigma}$; ac $Fd = FD = \frac{\sigma}{a} z$. Ergo $\delta d\ (= d.\ QD) = -\frac{z}{a} ds$, &, aſſumta recta conſtante b, fit $QD = b - \int z\, ds : a$. Habemus itaque $t = \left(\frac{aa}{\sigma z} QD =\right) \frac{ab - \int z ds}{\sigma z} a$.

V. Jam, ſi pro z aſſumamus talem functionem parem variabilis s, quæ elementum zds integrabile reddat, in æquationibus (A) & (B) ſubſtitutis pro σ, z, & t, eorum valoribus algebraicis per s expreſſis, ſemper obtinebimus æquationem algebraicam inter coordinatas x, y, curvæ quæſitæ, eliminando s ex illis primis æquationibus. Sin autem zds non fiat integrabile, vel ſi ipſa quantitas z tranſcendens acci-

piatur;

Digitized by Google

piatur, curvæ tranſcendentes, quæ Problemati faciant ſatis, conſtruentur conceſſis quadraturis. Nam ex æquatione (B) fit valor ordinatæ

$$y = \left(\frac{zs}{aa} + \frac{ab - \int z ds}{2aa} - \frac{(aa-ss)zz}{2aa(ab - \int z ds)} \right) \sqrt{(aa-ss)}$$

qui per quadraturas poterit conſtrui, ſubſtituto in locum z ejus valore per s expreſſo, quod s pro arbitrio accipitur. Inventa autem y habetur ex æquatione (A)

$$x = z - \frac{sy}{\sqrt{(aa-ss)}}.$$

Evidens quoque eſt, infinite multas curvas ex his formulis inveniri poſſe, cum conſtans b prorſus ſit arbitraria, & pro z innumeræ functiones ipſius s accipi poſſint.

VI. Ut autem curvarum algebraicarum, Problema ſolventium, facilior reddatur inventio, quæ hoc difficultatis habet, quod non ſtatim appareat, quales functiones pro z aſſumere liceat, ſalva integrabilitate elementi zds: pro $\int zds:a$ ſcribamus S, intelligentes per S aliquam variabilis s (vel σ) functionem, cujus conditiones ex §. III petendæ ſunt. Nimirum, cum ipſius z valor nullo reſpectu mutari debeat, pro s & σ in eodem ſcriptis $-s$ & $-\sigma$; ds autem abeat in $-ds$, abeunte s in $-s$: patet, quantitatem $\int zds:a$ valorem nanciſci prioris ſui valoris negativum, ubi s & σ abeunt in $-s$ & $-\sigma$; ideoque ipſam S debere imparem eſſe functionem quantitatum s & σ, hoc eſt, talem, quæ, ubi s & σ abeant in $-s$ & $-\sigma$, valorem nanciſcatur prioris ſui valoris negativum. Atqui poſito $\int zds:a = S$, fit $z = adS:ds$. Quibus valoribus ſubſtitutis in æquationibus §. præcedentis, relatio inter coordinatas x, & y rectangulares omnis curvæ, Problemati ſatisfacientis, hisce exprimetur formulis:

$$y = \left(\frac{b-S}{2a} + \frac{sdS}{ads} - \frac{(aa-ss)dS^2}{2a(b-S)ds^2} \right) \sqrt{(aa-ss)}$$

$$x = \frac{adS}{ds} - \frac{sy}{\sqrt{(aa-ss)}}$$

$$= -\frac{b-S}{2a}s + \frac{(aa-ss)\,dS}{ads} + \frac{(aa-ss)\,s\,dS^2}{2a(b-S)\,ds^2}$$

Jam, aſſumtis pro S quibuſcunque imparibus functionibus algebraicis variabilis s, vel $\sqrt{(aa-ss)}$, poterunt ex his formulis derivari æquationes ad omnes curvas algebraicas, radios lucis lege Problematis reflectentes. Sin S cuilibet impari functioni tranſcendenti variabilis s, pro arbitrio aſſumtæ, ponatur æqualis, eædem formulæ Problema ſolvent per innumeras curvas tranſcendentes, quarum conſtructio, conceſſis quadraturis, in promtu erit. *Q. E. I.*

VII. Si ponatur $S = s$, vel $S = \sqrt{(aa-ss)}$, vel $S = \frac{c}{a}s + \frac{e}{a}\sqrt{(aa-ss)}$: formulæ illæ, eliminato s, dabunt æquationes ad Ellipſes conicas, focum alterum habentes in puncto F.

VIII. Simili modo æquationes ad alias curvas algebraicas altioris gradus elici poſſent. Sed, cum hæc res nimium operæ ſibi poſcere videretur; animum ad earum curvarum Cauſticas inveſtigandas converti, quippe ex quibus datis ipſæ illæ curvæ poſſunt deſcribi. Tentavi itaque, num relatio inter coordinatas rectangulas Cauſticarum hujus Problematis in ſimilibus formulis generalibus, ſed ſimplicioribus, exprimi poſſent, & rem vidi ſuccedere. Analyſin autem pro hiſce Cauſticis ita inſtitui. Conſtat, puncta Cauſticæ catoptricæ eſſe interſectiones binorum radiorum reflexorum, ſibi invicem proximorum. Ergo C erit punctum Cauſticæ. Sit ex C in FO perpendicularis CS ordinata Cauſticæ $= q$, abſciſſa $FS = r$: erit itaque in triangulo rectangulo CSO, $q = \frac{\sigma}{a}CO$, & $OS = \frac{s}{a}CO$, ideoque $r = z - \frac{s}{a}CO$. Eſt autem in triangulo ODF rectangulo $DO = \frac{s}{a}z$, hinc $CO = \frac{s}{a}z + CD$. Denique ob ang. $DC\delta$ infinite parvum, & angulos ad D rectos

ctos, eſt $\frac{\delta D}{CD}$ = ang. $DC\delta = d.\ FOM = -\frac{ds}{\sigma}$; δD autem eſt elementum rectæ $FD(=\frac{\sigma}{a}z)$, quod in caſu Schematis negative accipiendum eſt, cum, creſcente angulo FOM, decreſcat recta FD, ideoque δD exprimendum eſt per $-\frac{zd\sigma+\sigma dz}{a}$. Quare habemus $CD = -\frac{z\sigma d\sigma+\sigma\sigma dz}{ads}$, &, ob $\sigma d\sigma + sds = 0$, fit $CO = \frac{\sigma\sigma dz}{ads}$ & hinc $q = \frac{dz}{aads}\sigma^3$, atque $r = z - \frac{\sigma\sigma s dz}{aads}$. Et, quia eſt $z = adS : ds$, $dz = addS : ds$, atque $\sigma = \sqrt{(aa-ss)}$, coordinatæ rectangulares omnis cauſticæ hujus Problematis ſic exprimi poſſunt:

$$q = \frac{(aa-ss)ddS}{ads^2}\sqrt{(aa-ss)}$$

$$r = \frac{adS}{ds} - \frac{sddS}{ads^2}(aa-ss)$$

IX. Quas formulas conſideranti non poteſt hoc obſcurum eſſe, eas ſemper ſuppeditare curvas algebraicas, ſi S æquetur functioni algebraicæ literæ s, nec non, ſub certis tamen conditionibus, ſi pro S ponatur functio tranſcendens: nam, ſi modo terminus ſimpliciter tranſcendens, qui in valore literæ S occurrere poteſt, non ſit per variabilem s multiplicatus, vel diviſus, (e. g. poſito $S = s + a\frac{\int ds}{2\sqrt{(aa+ss)}}$) curva naſcetur algebraica; cum ſic $dS:ds$ quantitas algebraica futura ſit, & ergo etiam $ddS : ds^2$; ponitur enim ds conſtans. Præterea & hoc dignum eſt, quod obſervetur, ope earundem formularum (§. VIII) curvas algebraicas permultas, quæ rectificabiles ſint, inveniri poſſe, ſi pro S in illis ponatur quælibet functio impar algebraica literæ s, vel quantitatis $\sqrt{(aa-ss)}$: Conſtat enim, omnis curvæ algebraicæ cauſticam eſſe rectificabilem; & curvas, quarum cauſticæ

per

Digitized by Google

per has formulas determinentur, eſſe algebraicas, quotiescunque S ſit ipſius s functio algebraica impar, ex ſuperioribus patet.

X. Ponatur e. g. $S = (c s^k + e s^m)^n$: & prodibunt Cauſticæ algebraicæ rectificabiles, per quoscunque numeros impares poſitivos explicentur literæ k, m, n. Inter has ſimpliciſſimam habebimus, poſito $S = s + \frac{s^3}{aa}$. Quæ hypotheſis dat $q = \frac{6s}{a^3}(aa - ss)^{3:2}$, & $r = a - \frac{3ss}{a} + 6\frac{s^4}{a^3}$. Ex his coordinatarum valoribus hæc fluunt hujus curvæ attributa. 1) Curvam lineæ abſciſſarum FS in duas partes ſecat æquales & ſimiles, & circum eam, tanquam axem, ſimiliter poſitas. 2) Curva ab axe ſuo tangitur, & punctum contactus cuſpis eſt, quæ ab origine abſciſſarum diſtat intervallo $4a$. 3) Præter hanc cuſpidem in vertice, duas adhuc habet, ad utramque partem axis unam, cui reſpondet abſciſſa $r = \frac{5}{8}a$, & ordinata $q = \frac{9}{8}a\sqrt{3}$. In utraque harum cuſpidum tangens curvam recta occurrit axi ſub angulo $\frac{2}{3}$ recti æquali. 4) Unum adhuc verticem habet hæc curva, in quo tangens axi normalis eſt; & ad hunc verticem eſt $r = a$. Quibus omnibus ſi hoc jungas, cujus non multo difficilior eſt demonſtratio, curvam hanc neque plures vertices, neque plures cuſpides, neque plura puncta, quorum tangentes cum alterutra coordinatarum coincidant, neque crura infinita, neque puncta flexus contrarii, habere poſſe: intelliges, hanc curvam ea eſſe figura, quam Schema 2 exhibet. Tria ejus crura, $\alpha\gamma$, $\gamma\delta$, $\delta\alpha$, ſingula rectæ $F\alpha$ æqualia deprehenduntur: ut itaque appellari poſſet triangulum curvilineum æquilaterum, lateribus intus convexis. Si e valoribus coordinatarum q, r, ejiciatur s, obtinebitur hæc

TAB. V Fig. 2.

æquatio

Digitized by Google

æquatio ad hanc curvam $q^4 + (2rr + 11ar - \frac{61}{4}aa)qq + r^4 - 13ar^3 + 60aarr - 112a^3r + 64a^4 = 0$, quæ docet, Cauſticam hanc eſſe lineam quarti ordinis. Transferendo originem abſciſſarum ex F in verticem α, ſeu ponendo $r = 4a - v$, iſta æquatio mutabitur in breviorem

$$q^4 + (2vv - 27av + \frac{243}{4}aa)qq + v^4 - 3av^3 = 0.$$

XI. Ponamus $S = s + \frac{ss}{aa}\sqrt{(aa - ss)}$: & eadem curva prodibit, quam modo deſcripſimus. Linea autem abſciſſarum nunc erit recta fg, & origo in puncto f, cujus poſitionem habebimus, facta parte axis $Fg = 2a$, & gf in $F\alpha$ perpendiculari $= a$. Jam, ſi puncto lucido poſito in F, per evolutionem, vel involutionem, crurum curvæ $\alpha\gamma\delta$, aliove modo (vid. *Hoſpitalii Analyſe des infiniment petits Art. 128, 129,*) deſcribatur aliqua curva, quæ curvam $\alpha\gamma\delta$ pro cauſtica habeat: curva naſcetur algebraica, Problemati ſatisfactura. Alias curvas algebraicas eodem modo obtinebimus, puncto lucido in f collocato. Quin imo, puncto radiante alibi alibique aſſumto, ex hac una cauſtica $\alpha\gamma\delta$ innumeras curvas algebraicas deſcribere licebit, radios lege Problematis reflexuras. Si generatim ſit $S = cs^n + es^m(aa - ss)k:m$ aliæ atque aliæ Cauſticæ rectificabiles hujus Problematis determinari poterunt, aliis aliisque numeris poſitivis imparibus pro n & k, paribus autem pro m, ſubſtitutis.

XII. Tribuamus nunc literæ S hunc valorem $= \frac{c}{a}s + \frac{e}{2.3a^3}s^3 + \frac{f}{4.5a^5}s^5 + \frac{g}{6.7a^7}s^7 + \frac{h}{8.9a^9}s^9 +$ &c. qui, cum coefficientes c, e, f, g, &c. poſſint eſſe quanti-

Digitized by Google

tates poſitivæ, vel negativæ, vel nihilo æquales, valde generalis eſt. Quo poſito, erit $\frac{dS}{ds} = \frac{c}{a} + \frac{e}{2a^3}\,ss + \frac{f}{4a^5}\,s^4 + \frac{g}{6a^7}\,s^6 + \&c.$ & $\frac{ddS}{ds^2} = \frac{e}{a^3}\,s + \frac{f}{a^5}\,s^3 + \frac{g}{a^3}\,s^5 + \&c.$ His in formulis §. VIII ſubſtitutis, erit $y = \frac{s(aa - ss)^{3:2}}{a^4}\left(c + f\frac{ss}{aa} + g\frac{s^4}{a^4} + h\frac{s^6}{a^6} + \&c.\right)$; & $r = c + e\,\frac{s^4}{a^4} + f\frac{s^6}{a^6} + g\,\frac{s^8}{a^9} + \&c. - \left(\frac{e}{2aa}\,ss + \frac{3f}{4a^4}\,s^4 + \frac{5g}{6a^7}\,s^6 + \frac{7h}{8a^8}\,s^8 + \&c.\right)$. Jam de omnibus curvis, quarum coordinatis hæ formulæ accommodari poſſunt, demonſtrari poteſt, eas habere axem, circum quem duæ partes perimetri, ſimiles & æquales, ſint ſimiliter poſitæ; duo minimum habere vertices, quorum alter a recta ordinatis parallela tangatur, & plures vertices in aliqua harum curvarum eſſe poſſe, ſi quædam ex coefficientibus e, f, g, &c. ſint quantitates negativæ, quædam poſitivæ; tres item ad minimum cuſpides in hujus generis curva deprehendi, quarum una ab ipſo axe tangatur, pluribusque cuſpidibus eam inſtructam eſſe poſſe, ut 5, 7, 9, &c. numero ſemper impari; denique nulla crura infinita in ejusmodi curva reperiri, & punctis flexus contrarii eam aut omnino carere, aut, ſi quod habeat, id in aliquo vertice eſſe. Ex hac curvarum familia unaquæque, ſi tres tantum cuſpides habeat, innumeras dabit curvas algebraicas, quales Problema poſcit; neque huic rei minus idoneæ erunt reliquæ hujus generis cauſticæ, pluribus quam tribus cuſpidibus præditæ, niſi cum ſitus earum cuſpidum talis forte fuerit, ut curvæ, ex his cauſticis genitæ, in plures gyros volvantur. Tales enim curvas,

quæ,

Digitized by Google

quæ, duobus pluribusve gyris abſolutis, in ſe redeant, Problema, in proprio ſenſu acceptum, non videtur admittere. Curva tricuſpidata Paragraphi VIII eſt ſpecies, ſub genere cauſticarum, in hac §. deſcriptarum, contenta. Dabimus nunc quoque exemplum curvæ, quinque habentis cuſpides, quæ in numero cauſticarum Problematis cenſenda eſt. Poſito videlicet $S = \frac{c}{a}s + \frac{c}{6a^3}s^3 - \frac{cs^5}{8a^5}$, invenio pro Cauſtica curvam, cujus figura Schemate III oculis ſubjicitur. Ad hanc curvam eſt ordinata $q = \frac{s}{a}\left(1 - \frac{ss}{aa}\right)^{3:2}$ TAB. V Fig. 3.
$\left(1 - \frac{5s^2}{2an}\right)c$, & abſciſſa $r = \left(1 - \frac{ss}{2aa} + \frac{23s^4}{8a^4} - \frac{5s^6}{2a^6}\right)c$, origine abſciſſarum in puncto axis f exiſtente. Tres hæc curva vertices habet, b, g, h, ad quos pertinent abſciſſæ $fb = 1,\ 1000\ c$, $fg = c$, $fh = 0,\ 875\ c$. Ornata eſt quinque cuſpidibus, quarum prima eſt in vertice b, ubi axis curvam tangit, ſecunda & tertia a, e, pro abſciſſa communi habent $0,\ 9762\ c$, & pro ordinata $0,\ 2025\ c$, ad quartam c quintamque d eſt abſciſſa $= 1,\ 2039\ c$ ordinata $= 0,\ 0855\ c$. In vertice g tangens eſt axi bf normalis, & vertex h eſt interſectio crurum ad, ce. Quodſi ſingula crura hujus cauſticæ filo, cujus alterum extremum in puncto lucido, ubicunque extra eam collocato, fixum ſit, ſucceſſive evolvantur & involvantur, infinite multæ curvæ algebraicæ ovales poterunt deſcribi, quæ radios lucis, ex aſſumto puncto radiante egreſſos, lege Problematis reflectant. Ceterum hanc Cauſticam inter lineas ſexti ordinis deprehendimus.

XIII. Aſſumtis pro S ejusmodi functionibus literæ s, quæ conſtent ex fractionibus, in quarum denominatores in-

Gg 2 gredia-

grediatur s, vel $\sqrt{(aa - ss)}$: Cauſticæ quidem algebraicæ & rectificabiles determinabuntur; ſed curvæ, ex his deſcriptæ, proprie dici non poterunt Problemati ſatisfacere. Quemadmodum enim hæ Cauſticæ crura infinita habebunt; ita & curvæ reflectentes in infinitum extenſæ erunt, & alterum binorum punctorum reflexionis ab altero infinito diſtabit intervallo. Attamen, ſi liceat ſenſum Problematis eo usque ampliare, ut punctum radians ipſum in diſtantia infinita poſitum intelligatur: curvas quoque iſtas inter cauſticas hujus Problematis referre licebit.

TAB. V Fig. 4. XIV. Verum, quoniam hic caſus Problematis, ſeorſim ut conſideretur, dignus eſt, ſolutionem ejus, eadem, qua antea uſi ſumus, methodo concinnatam, hic exhibebimus. Sit MAN curva, radios lucis, datæ poſitione rectæ BA parallelos, ſic excipiens, ut ab ea bis in M & N reflexi revertantur, eidem rectæ AB paralleli. Quæritur natura hujus curvæ. Accipiatur in recta BA punctum B pro origine abſciſſarum BP, $B\Pi$, & ſint ad rectam AB ſub angulis rectis ordinatæ MP, $N\Pi$. Radius reflexus MN occurrat lineæ abſciſſarum in O puncto. Sit $MP = y$, $BP = x$. Jam, ut inveniam relationem inter x & y, duas variabiles (pluribus enim nunc opus non eſt) aſſumo, rectam puta BO, & ang. FMN, quarum illam, BO, ad utrumque correlatorum curvæ punctorum M, N, æqualiter ſe habere, patet. Sit $BO = z$, coſinus $FMN = s$, ſinusque $FMN = \sigma$ pro ſinu toto a. Et primo quidem, cum per hyp. $FMO + MOB = 2$ rectis, erit OP ad PM ut coſinus anguli FMN ad ſinum, & hinc habebimus æquationem:

$$(A) \ldots\ldots \frac{sy}{\sigma} = z - x.$$

Deinde æquationem inter z, y, & s, inveniemus differentiando æquationem (A), quo facto erit $\frac{s}{\sigma}\,dy + \frac{\sigma ds - s d\sigma}{\sigma\sigma}y = dz - dx$. Jam intelligatur elementum Curvæ Mm, & ex

& ex m in MF ductum perpendiculum mk, radiusque incidens Fm reflecti ponatur juxta rectam mn, quæ rectas MN, BA, ſecet in C & o, præterea per M ducta ſit curvæ normalis MD. Quibus poſitis, patet, Mk, km, Oo, eſſe elementa variabilium x, y, z, & in caſu Schematis noſtri elementum Mk reſpectu reliquorum negativum eſſe, cum, creſcentibus MP & BO, decreſcat BP. Porro, cum per legem reflexionis ſit ang. $FMD = \frac{1}{2} FMN$, ideoque $mMk + \frac{1}{2} FMN$ = recto: in triangulo Mkm rectangulo erit $mk (= dy) : Mk (= -dx) = \text{coſ.} \frac{1}{2} FMN : \text{ſin} \frac{1}{2} FMN = a - s : \sigma$, & ergo $\frac{\sigma dy}{a-s} = -dx$. Quo valore in ſuperiori æquatione differentiali pro $-dx$ ſubſtituto fiet $\left(\frac{s}{\sigma} - \frac{\sigma}{a-s}\right) dy + \frac{\sigma ds - s d\sigma}{\sigma\sigma} y = dz$, & ductis omnibus in $a - s$, habebimus

$$\left(\frac{(a-s)s}{\sigma} - \sigma\right) dy + \frac{\sigma ds - s d\sigma}{\sigma\sigma} (a-s) y = a dz - s dz.$$

In qua æquatione cum primum membrum, ob $s ds + \sigma d\sigma = o$, integrabile ſit: aſſumto aliquo rectangulo conſtanti ab, fiet integrando æquatio:

$$(B) \ldots\ldots \left(\frac{(a-s)s}{\sigma} - \sigma\right) y + ab = az - \int s dz.$$

Denique, ut exprimatur relatio inter z & s, conſiderandum eſt, dum recta z ad utrumque punctum reflexionis M & N tam magnitudinem, quam poſitionem, eandem ſervat, angulo FMO ſuccedere, in altero reflexionis puncto N, angulum FNO, qui cum (ob parallelas FM FN,) illius FMO complementum ſit ad duos rectos, atque illius reſpectu in contrariam cadat plagam, pro ſinu habebit $-\sigma$, & pro coſinu $-s$. Patet itaque, ſicut in præcedenti caſu, pro z aſſumi poſſe quamlibet functionem parem variabilis s, vel σ; & infinite multas curvas conſtrui poſſe, Problemati ſatisfacturas, ſi (vi æquationis B) capiatur ubique:

$$y = \left(b - z + \frac{\int s\,dz}{a}\right)\sqrt{\frac{a+s}{a-s}}$$

$$\&\quad x = z - \frac{sy}{\sqrt{(aa-ss)}}.$$

Ex his derivaturi curvas algebraicas, ſolliciti eſſe debemus, ne pro z talis functio literæ s accipiatur, quæ $\int s\,dz$ faciat quantitatem tranſcendentem. At vero, cum ſit $\int \frac{s\,dz}{a} = \frac{sz}{a} - \int \frac{z\,ds}{a}$; pro $\frac{\int z\,ds}{a}$ ſcripto S, ideoque $\frac{a\,dS}{ds}$ pro z, & $\frac{s\,dS}{ds} - S$ pro $\frac{\int s\,dz}{a}$, fiet

$$y = \left(b - S - \frac{(a-s)\,dS}{ds}\right)\sqrt{\frac{a+s}{a-s}}$$

$$x = (a+s)\frac{dS}{ds} - \frac{b-S}{a-s}\,s.$$

Quibus formulis ſi utamur, liberum nobis erit, quamcunque functionem algebraicam quantitatis s, vel $\sqrt{(aa-ss)}$, ſi modo ea impar ſit, accipere pro S, & curvæ inde derivatæ ſemper algebraicæ erunt, ſatisque facient quæſtioni; id quod iisdem ratiociniis, quæ ſupra (§. VI) adhibuimus, colligitur. Iisdem formulis tranſcendentes etiam curvæ includuntur, quas, pro S aſſumta qualibet ipſius s, vel $\sqrt{(aa-ss)}$ functione impari tranſcendente, licebit inde eruere.

XV. Ponamus $S = s$, ac erit $yy = \frac{a+s}{a-s}(b-a)^2$, & $x = \frac{aa-bs}{a-s}$, ex quibus fit $yy = (b-a)(b+a-2x)$ æquatio ad parabolam Apollonianam, cujus focus a vertice diſtat recta $= \frac{1}{2}(b-a)$, origo autem abſciſſarum B a foco O intervallo $= a$.

XVI. Sin autem ponatur $S = s^{-1}$, vel $= \frac{aa}{s}$, & (ſimplicitatis cauſa) ſumatur quoque $b = a$: fiet ex formulis §. XIV,

XIV, $y = \frac{aa - as}{ss}\sqrt{(aa - ss)}$, & $x = a - aa\frac{a+s}{ss}$. Ex quibus æquationibus eliminato s, prodit æquatio ad lineam quarti ordinis $y^4 - (2xx - 14ax + 21aa)yy + x^4 + 2ax^3 - 2a^3x - a^4 = 0$, quam æquationem ſimpliciorem reddere poſſumus, pro x ſcribendo $v - a$, ex quo exiſtit $y^4 - (2vv - 18av + 27aa)yy + v^4 - 2av^3 = 0$. Hæc curva quatuor habet crura infinita parabolica, quæ e duobus axis punctis A, G, ab origine B abſciſſarum x utrinque intervallo æquali a diſtantibus, exeunt, & ad utrasque axis partes ita producuntur, ut ſingula bina, ex eodem puncto egreſſa, ſibi mutuo æqualia & ſimilia, & circum axem AP ſimiliter ſint poſita. Et duo quidem crura ex A educta verſus ſe mutuo & axem verſus ſemper concava ſunt; reliqua autem duo, ex puncto G, origine abſciſſarum v exorta, ſibi invicem & axi convexitatem ubique obvertunt, ita ut in communi origine G cuſpidem forment, cujus tangens cum axe coincidit. In altero autem vertice A tangens eſt ad axem perpendicularis. Duo tantum illorum crurum GM, AN, in Schemate delineavimus, quippe quæ conjuncta, ſine duobus reliquis, Problemati ſatisfaciunt. Singuli enim radii FM, axi GA paralleli, quos crus curvæ GM excipit, reflexi incidunt in crus AN, quod eos verſus F axi iterum parallelos reflectit. Et hæc curva poſt parabolam conicam ſimpliciſſima eſſe videtur inter eas curvas algebraicas, quæ radios parallelos ſimiliter reflectant. TAB. V Fig. 4.

XVII. Cauſticarum, ad has curvas pertinentium, naturam eodem modo, quo cauſticarum præcedentis caſus, determinare licet. Quoniam MN, mn, ſunt radii reflexi, ſibi mutuo proximi, C interſectio eorum erit punctum Cauſticæ. Sit CS in AB normalis $= q$, & abſciſſa $BS = r$. Ex B ſint in MN, mn, perpendiculares rectæ BE, Be, & ſit ε interſectio rectarum BE, Cm. Jam $BE : BO =$ ſin. MOB : ſin. tot. $=$ ſin. FMN : ſin. tot. $= \sigma : a$, & hinc $BE = \frac{\sigma z}{a}$. Similiter invenitur $OE = \frac{sz}{a}$. Porro, cum ECM ($= d.\ FMC = \frac{ds}{\sigma}$) $= \frac{E\varepsilon}{CE}$ ob angulos ad E & e rectos; $E\varepsilon$ autem ſit elementum rectæ BE, quod in caſu Figuræ negative eſt ſumendum, ſi ad elementum ang. FMC compa-

Digitized by Google

comparatur, quippe quó angulo creſcente BE, evadens in Be, decreſcit, ut itaque ſit $Ee = -\frac{zd\sigma + \sigma dz}{a}$; erit $CE = -\frac{\sigma z d\sigma + \sigma\sigma dz}{ads}$. Hinc $CO = OE - CE = \frac{\sigma\sigma dz}{aas}$, $OS = \frac{s}{a}CO = \frac{\sigma\sigma s dz}{aads}$, $BS = r = z - \frac{\sigma\sigma s dz}{aads}$, & $CS = \frac{\sigma}{a}CO = q = \frac{dz}{aads}\sigma^3$. Si autem cauſticæ algebraicæ rectificabiles deſiderentur, ut eæ facilius inveniantur, denotante S idem, quod antea, in his valoribus ipſarum r & q pro z & dz ſcribamus $\frac{adS}{ds}$ & $\frac{addS}{ds}$, quo facto, relatio inter coordinatas orthogonias omnis Cauſticæ hujus caſus ſic exprimitur:

$$r = \frac{adS}{ds} - \frac{sddS}{ads^2}(aa - ss)$$

$$q = \frac{ddS}{ads^2}(aa - ss)^{3:2}$$

XVIII. Eædem ergo Cauſticæ caſui radiorum parallelorum conveniunt, quæ caſui divergentium radiorum (§. VIII). Si ponas in his formulis $S = s$, invenies æquationem ad punctum, ut par eſt; fit enim in hac hypotheſi Cauſtica focus parabolæ conicæ (§. XV). Si capiatur $S = \frac{aa}{s}$, fiet $r = -a\frac{3aa - 2ss}{ss}$, & $q = \frac{2a}{s^3}(aa - ss)^{3:2}$, quæ æquationes, eliminato s, dant $\frac{27}{4}aqq + (r + a)^3 = 0$, æquationem ad parabolam cubicam ſecundam. Ergo, ſi vertice G parametro $= \frac{27}{4}BG$ circa rectam AG ultra G productam, tanquam axem, deſcribamus parabolam cubicam ſecundam: habebimus Cauſticam radiorum parallelorum pro curva $NAGM$. Sufficiet autem, crus unicum hujus parabolæ deſcripſiſſe, quod cadet ultra crus GM curvæ reflectentis ad partes, quibus concavitas arcus GM obverſa eſt.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji Anno MDCCXLVIII.

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDIOLANENſium, ſeu acta & elogia virorum omnigena eruditione illuſtrium, qui in metropoli Inſubriæ, oppidisque circumjacentibus, orti ſunt, Autore PHILIPPO ARGELATO, Bononienſi. Præmittitur Clariſſimi Viri, JOSEPHI ANTONII SAXII, Collegii S. S. Ambroſii & Caroli Oblati, nec non Bibliothecæ Ambroſianæ præfecti, Hiſtoria literario-typographica Mediolanenſis ab anno MCDLXV ad annum MD, nunc primum edita.

Tomi II.

Mediolani, in ædibus palatinis, 1745, fol.

T. I Alph. 8 plag. 17, T. II Alph. 9 plag. 20.

Cum incredibilis fere ſcriptorum omnis generis hodie exſtet numerus, atque non ultimam eruditionis partem conſtituat, præcipuos in omni literarum genere libros noſſe; egregiam profecto operam navaſſe dicendi ſunt, qui, notitiam omnis generis Autorum ſuppeditantes, faciliorem hoc pacto ad omnis generis doctrinam aditum reddere laborarunt. Fecit hoc jam olim inter Græcos *Photius*, interque Latinos *Hieronymus*, qui *Eccleſiaſticorum Scriptorum Catalogum*, Romanis Clericis conſulturus, compoſuit. Neque inter recentiores defuerunt, qui eundem laborem felici conatu in ſe ſuſciperent.

Celebratiſſimi ſunt *Raphaelis Savonarolæ*, Patavini, conatus, qui Patavii, in *Orbe* ſuo *literario*, ampliſſimum opus ſuſcepit, in quo, omnium nationum ſcriptores pertinaci viginti annorum diligentia colligere aggreſſus eſt, atque indicem eorum, in quadraginta & amplius Tomos manu ſua conſcriptos, digeſtum, compilavit. Vincente autem humanas vires ejusmodi argumento, alii viri docti certarum duntaxat nationum eruditos, eorumque opera, deſcribere ſategerunt, quorum exemplo incitatus Cel. *Argelatus*, Vir literatiſſimus, novam hanc Scriptorum Mediolanenſium collectionem componere, apud animum conſtituit. Ab ineunte is ætate Hiſtoriæ literariæ ſtudio plurimum temporis impendit, evolutis per integrum vitæ curriculum pluribus inſigniorum Bibliothecarum indicibus, earumque loculis in Italia, præſertim Ciſtiberina, non ſemel excuſſis, quo uberiorem ſcriptorum notitiam ſibi compararet. Acceſſit aſſiduum cum viris doctiſſimis epiſtolarum commercium, unde quamplurimum incrementi ad eruditionem ſuam acceſſiſſe, fatetur. Inprimis autem Viri ſummi, *Antonii Magliabechii*, amicitiam prædicat, cujus conſuetudine, cum biennium Florentiæ ageret, uſus, multis de rebus edoctus eſt, inque librorum autores atque editores diligentius cœpit inquirere. Mediolanum vero poſtea delatus, frequenter in eos incidit ſermones, qui de Mediolanenſibus ſcriptoribus habebantur, &, eruditos deſiderare intellexit, ut exactiori cura, quam adhibuerat quondam Abbas *Philippus Picinellus*, Bibliotheca Mediolanenſium Scriptorum exhiberetur. Cumque eo tempore inſignem Italicorum ſcriptorum & antiquitatum medii ævi, a Cel. *Muratorio* compilatam, collectionem typis vulgandam curaret, ob eamque cauſam innumerabiles propemodum Codices, tam ſcriptos, quam typis expreſſos, evolveret; non raro Mediolanenſium ſcriptorum ipſi occurrerunt nomina. Multi inde, quos inter primo loco Illuſtriſſimum Comitem, *Antonium Simonettam*, laudat, de Bibliotheca hac conſcribenda Cel. Autorem monuerunt, qui, quamvis laboribus aliis obrutus eſſet, cedendum tamen eſſe ſummorum hominum autoritati, ſtatuit. Manum igitur operi admovit, & primum commentarios ſuos de

præſtan-

præſtantioribus in omni literarum genere ſcriptoribus perſcrutatus eſt, ut ſolos Mediolanenſes excerperet, videlicet, tam in illa urbe, quam in Mediolani Ducatu, hoc eſt, in univerſa regione, quam ſtatuti Mediolanenſis tenet autoritas, natos. Ceterarum enim urbium, in Mediolanenſi Ducatu ſitarum, cives eruditos, cum jam alii deſcripſerint, merito præteriit. Ubi autem Cel. Autor excerpta e propriis commentariis cum *Athenæo Picinelli*, & *Catalogo Medicorum Mediolanenſium Bartholomæi Curtii*, contulit, ſtatim cognovit, aliud adhuc præſidium ſibi hoc in negotio eſſe comparandum. Confugit ergo ad Virum humaniſſimum, *Joſephum Antonium Saxium*, Ambroſianæ Bibliothecæ præfectum, qui, aperto ſibi conſilio, cœptam operam non ſolum approbavit, verum etiam indices Bibliothecæ, cui præeſt, cum Autore communicavit, ſeque, in dubiis, conſilio & opera nunquam defuturum, liberaliter promiſit. Excerpturus itaque ex Ambroſianæ Bibliothecæ indicibus Mediolanenſium ſcriptorum nomina, menſium aliquot tædium & laborem devoravit Autor, qui labor novum alterum, non minus tædii plenum, poſtulavit laborem, ob cognominum ſimilitudinem in diverſæ nationis hominibus, qualia ſunt, exempli gratia, *Moroſinorum*, *Iſolanorum*, *Spinularum*, nec non *de Florentia*, *de Aretio*, *de Roma*, aliorumque centum, qui Romam, Bononiam, Florentiam, Neapolin, Venetias, atque in alias Italiæ urbes, ob migrationes aliasque cauſas, conceſſerunt. Acceſſit frequentiſſimum ſcriptorum vitium in reticendis vel propriis nominibus & cognominibus, vel patriæ ſuæ nulla facta mentione, unde ambiguitatis & obſcuritatis plurimum ad certos ſcriptores inveſtigandos emerſit. Eam ob cauſam innumerabiles Codices, & manuſcripti, & typis impreſſi, evolvendi, nec Ambroſiana tantum, verum plus quam quadraginta aliæ Bibliothecæ, perquirendæ fuerunt, quarum poſſeſſoribus pariter ac cuſtodibus, pro uſu earum conceſſo, plurimas Cel. Autor refert grates. Ingenti hac libraria merce tandem comparata, neceſſitas alia oborta eſt, inveſtigandi ſcilicet impreſſas hactenus aliorum Bibliothecas, tam eccleſiaſticas, quam profanas,

& ſingularum artium diverſarum nationum & provinciarum, omneſque alias religioſorum Ordinum, Principum, & privatorum, theſauros literarios, quorum indices opulentiſſimi in publicam lucem emiſſi ſunt. Deſperavit autem ferme de opere perficiendo Cl. Autor, cum, in tanto notitiarum cumulo, quamplurima eſſe cognoſceret, limam & lapidem Lydium deſiderantia, ut vera a falſis diſtinguerentur. Sed, quoniam in continuo quatuor annorum curſu, quibus hæc paraverat, perlegenti ſubinde nuncupatorias epiſtolas, vel Præfationes librorum, ultro emerſerant plura, quæ alibi fruſtra quæſiviſſet, ipſe ſibi animum addidit, & renovato ſtudio ad epiſtolarum collectiones ſe convertit, literarias quoque omnes eruditarum nationum ephemerides perſcrutatus eſt. Cumque earum lectio plurimum delectationis ipſi afferret, recreata paulisper mente, depoſitum jam laborem continuandum reſumſit. Maximopere quidem optaſſet, præcipuas Italiæ Bibliothecas inviſendi, & Mediolanenſium ibi ſcripta percurrendi, ſibi fuiſſe facultatem conceſſam. Quamvis autem ætas pariter, ac rei familiaris anguſtia, hoc prohiberent, ab amicis tamen varia accepit, quorum ope nonnulla diligentius inveſtigaret, hisque auxiliis opportune ſe uſum eſſe, profitetur. Omnium vero ſcriptorum, de quibus verba fecit, ætatem, qua nempe floruerunt, diligentiſſime inveſtigavit, eorumque parentes, munera, ſtudia, fortunas, mores, emortuales dies, & quicquid ad uberiorem eorum hiſtoriam facere poterat, ſtudioſe indicavit. In familiarum genealogia diſtinctius cognoſcenda, operam *Joannis Sitoni a Scotia* plurimum ſibi profuiſſe, commemorat, quem etiam in ſingulis ferme Articulis laudatum lector deprehendet. Perverſus mos apud Italos invaluit, ut Inſubres fere omnes, ab una metropoli Mediolano, Mediolanenſes appellentur, quamvis minoribus aliis Inſubriæ civitatibus natales debeant. Invaluit hoc potiſſimum inter religioſorum familias, unde nonnunquam in errorem ſe incidiſſe, Cl. Autor dolet. Mutavit vero ſententiam pluribus in locis, antequam liber prelo ſubjiceretur, ubi errorem agnovit; chartis vero impreſſis, mutare nihil potuit, ac propterea, ſi quid certius emerſit, inter addenda & corrigenda

Digitized by Google

rigenda ad calcem libri amandavit. Singula, quæ a ſingulis ſcriptoribus edita ſunt, quantum fieri potuit accurate, recenſuit, ſi quid tamen nonnunquam ab eo fuerit omiſſum, ab æquis æſtimatoribus, operis ejusmodi amplitudinem cogitantibus, veniam facile impetrabit. Libros typis exſcriptos recenſens, locum, annum, typographi nomen, & libri formam, ſemper annotavit, cumque ii, qui ante annum 1506 editi ſunt, ob raritatem manuſcriptis Codicibus accenſeantur, ea de cauſa etiam locum, quo iſti reperti ſunt, cum cura notavit. Scriptores hoc pacto Mediolanenſes, quotquot reperit, omnes, tam bonæ, quam malæ, notæ, hic appoſuit; id enim operis inſcriptio atque inſtitutum poſtulabant, &, vix ſine temeritatis nota de præſtantia cujusque ſcriptoris judicium ferri poſſe, Cl. Autor judicavit. In *duas* interim *Partes* Bibliothecam omnem diſtribuit, quarum *prior* illuſtriorum Autorum vitas & ſcripta continet, *altera* vero ceterorum, quos ipſe minoris notæ vocat, notitiam exhibet. Univerſo autem Operi præfixa eſt *Joſephi Antonii Saxii Hiſtoria literario-typographica Mediolanenſis*. De antiquitate, origine, ac progreſſu, ſtudiorum Mediolanenſium primo Cl. *Saxius* hic præfatur. A Græcis primum, & quidem A. U. C. 592, per illos mille Achæos exules, quos ſenatus e patria accitos poſt bellum *Perſei* in urbe, aut per Italiam, multos annos detinuit, primum bonas artes in Italiam, adeoque, ut videtur, & Mediolanum, delatos eſſe, contendit. Simul enim ac Romæ literarum ſtudia florere cœperunt, Mediolanenſes ad eadem colenda incitatos fuiſſe, locus *Suetonii de illuſtribus Grammaticis*, a Cl. *Saxio* adductus, evincit. Seculo poſt natum Chriſtum primo Bibliothecam publicam Mediolani exſtitiſſe, inſcriptio antiqua, ab *Alciato* jam explicata, declarat. Pag. 4.
De alia etiam Bibliotheca antiquiſſima, Mediolani collecta, cujus reliquiæ adhuc in vetuſtiſſimo tabulario Canonicorum baſilicæ S. *Ambroſii* aſſervantur, ex *Puricelli Diſſertatione Nazariana* Cl. *Saxius* diſputat. Bibliothecam quoque Eccleſiæ Mediolanenſis metropolitanæ valde antiquam eſſe, nos edocet. Tempore *Hadriani* Imperatoris, Mediolanum *novas* 8. 10.

Digitized by Google

Athenas vocari ſueviſſe, ex inſcriptione, a *Petro Appiano* pri-
Pag. 11. mum vulgata, & hic appoſita, intelligitur, quam ipſam de
Mediolano capiendam eſſe, contra *Joſephi Scaligeri*, *Iſaaci Ca-
ſauboni*, & *Joannis Meurſii*, objectiones Cl. *Saxius* evincit.
13. S. *Auguſtinum* rhetoricæ artis magiſtrum Mediolani publica
autoritate conſtitutum eſſe, in ejusque honorem a republica
Mediolanenſi ſtatuam, hodienum exſtantem, eſſe poſitam, idem
16. obſervat. Seculo quinto, ſub imperio *Theodorici*, *Deuterium*
quendam, Grammaticum, Mediolani floruiſſe, ex locis *Enno-
dii*, hic appoſitis, apparet. Nobiliſſimos etiam juvenes eo
tempore Mediolanum ſtudiorum cauſa conceſſiſſe, idem *En-
18. nodius* tradit, cujus locorum interpretationes *Gattii*, in *Hiſto-
ria Gymnaſii Ticinenſis Cap. 4*, de ſcholis Ticinenſibus eos ca-
19. piendos eſſe, ſtatuentis, erudite Cl. *Saxius* convellit. *Aratorem*,
Poetam, nec non *Ennodium*, Mediolanenſibus civibus accen-
22. ſendos eſſe, demonſtrat. Miſeram inde literarum faciem ſub
poſtremis Regibus Gothis ac Longobardis depingit, & Cel.
25. *Muratorii* Diſſertationem *de literarum ſtatu, neglectu, &
cultura in Italia, poſt barbaros in eam invectos, uſque ad A. C.
milleſimum centeſimum*, nec non ejusdem Autoris Diatriben al-
teram, *de literarum fortuna in Italia, poſt annum Chriſti 1100,
& de Academiarum & Gymnaſiorum erectione*, quæ ambæ Diſ-
ſertationes in *Tomo tertio Antiquitatum Italicarum medii ævi*
28. exſtant, adducit. Ejus autem veſtigiis inſiſtens, Seculo nono,
vel decimo, hiſtoriam Mediolani doceri cœptam eſſe, ex opu-
ſculo *de Situ civitatis Mediolanenſis*, quod apud *Murato-
rium*, in Operis, modo adducti, *Tomo I* exſtat, Cl. *Saxius* docet.
Juriſprudentiam quoque, artemque poeticam, ſaltem Seculo
duodecimo & inſequente, Mediolani floruiſſe, ex variis
30. ſcriptoribus coævis declarare annititur. Artem medicam
paulo ſerius, circa Seculum tamen decimum quartum, coli
31. cœpiſſe, fatetur. Vicecomitum dein Principum in literas
merita extollit. Inſignem quoque eruditorum proventum
ſub Ducibus *Sfortiacis* Mediolani exſtitiſſe, interque hos
Franciſcum Philelphum, Græce Latineque doctiſſimum, floruiſſe,
37. qui laudes *Sfortiæ* carmine heroico decantavit, obſervat. Pu-
blica

Digitized by Google

blica eo tempore univerſis ferme liberalibus diſciplinis Gym-
naſia patebant, cum Græcam linguam doceret *Demetrius Chal-
condylas*, artemque rhetoricam *Georgius Merula*, & *Alexan-
der Minutianus*. Nec Jurisprudentiæ, Matheſi, aliisque arti-
bus, ſuos defuiſſe magiſtros, Cl. *Saxius* monet. Ea au-
tem Gymnaſia adhuc hodie perdurare, quanquam ſingulis
hiſce diſciplinis pertractandis unus tantummodo præceptor
publico nomine conſtituatur, atque generali nomine *ſcholarum
palatinarum* iſta Gymnaſia veniant, nos edocet. Inter omnes
tamen diſciplinas nullam hodie diligentius ibi tractari, quam
Jurisprudentiam, obſervat, ſimulque Auguſtiſſimæ Romano-
rum Imperatricis erga has ſcholas clementiam hac occaſione
prædicat, quæ, inter præſentes bellorum turbas, reditibus Pag. 44.
licet vehementer imminutis, præceptoribus tamen palatinis
nihil omnino de mercede conſueta detraxit. Ineunte Seculo
decimo ſexto, ob bellum a Gallis cœptum, & *Ludovico Ma-
ria Sfortia*, Duce Mediolanenſi, capto, inſignem librorum ſu-
pellectilem, Mediolani aſſervatam, in regiam Gallorum urbem
traductam eſſe, & literarum florem haud parum decreviſſe, Cl.
Saxius monet. Inſtituta tamen eſt A. 1546 *Academia transfor-
matorum*, in quam celebris ille *Majoragius*, cum multis aliis, na-
talium ſplendore & munerum dignitate conſpicuis, receptus
eſt. Quamplurima hos Academicos Epigrammata Italica com-
poſuiſſe, *Philippo*, *Caroli V* filio, dedicata, Cl. *Saxius* narrat.
Gymnaſii Canobiani, a *Paulo Canobio* A. 1554 fundati, origi- 47.
nes exponit, inque illo Gymnaſio dialecticam artem, & mo-
ralem Philoſophiam, tradi ſolere, docet; de quamplurimis
etiam aliis, circa hæc tempora fundatis, Collegiis diſputat. Ne- 48.
mini tamen in augendo literarum flore ſecundum fuiſſe *Ca-
rolum Borromæum*, ſtatuit, cujus adeo inſtituta, rei & ſa-
cræ & literariæ maximopere profutura, fuſe ediſſerit. A.
1594 *Mutius Sfortia Columna* Marchio *Caravagii* illuſtrem 49.
Academiam propria in domo condidit, in qua Philoſophia,
Phyſica, Matheſis, atque ars poetica, egregie culta eſt, id
quod ex ephemeridibus iſtius Academiæ, quarum exemplar
manuſcriptum Cl. *Saxius* apud ſe habuit, commemorat, præ-

clarum

claram hanc Academiam prorſus tandem diſſolutam eſſe, ſimul dolens. Ad *Fridericum* Cardinalem *Borromæum*, *Caroli Borromai* conſobrinum, poſtea delatus, ejus erga literas Mediolanenſes immortalia prorſus merita fuſe ediſſerit, inprimisque Bibliothecam Ambroſianam, ab eo conditam, accurate deſcribit, atque, anteceſſorem ſuum in munere Bibliothecarii, *Petrum Paulum Boſcam*, peculiarem librum *de origine & ſtatu Bibliothecæ Ambroſianæ* conſcripſiſſe, teſtatur. Quamplurimas Seculo decimo ſeptimo ſocietates literarias Mediolani conſtitutas deſcribit. Laudat ſimul *Joannis Jarckii Specimen hiſtoriæ Academiarum eruditarum*, hic Lipſiæ A. 1725 typis exſcriptum, in eoque libro omnes Academias, Mediolani inſtitutas, recenſeri, docet. Commemorat etiam, R. P. *Franciſcum Xaverium Quadrium primo Voluminí* præclariſſimi operis, quod de Italicæ poeſeos hiſtoria & ratione prelo paravit, earum Academiarum elenchum inſeruiſſe. Inſtitutas quoque tunc temporis ſcholas quasdam fuiſſe, quæ *Maronæ* vocantur, monet, quamvis Grammaticæ & Arithmeticæ non excedant confinia. Tandem, hodierni ſeculi ſtatum literarum enarrans, de *Academia equitum*, a Comite *Carolo Archinto*, de quo mox plura afferemus, condita, & ſtudiis nobilium dicata, mox tamen iterum diſſoluta, diſputat. *Academiam Arcadum*, ad exemplum Academiæ Romanæ poeſeos cauſa fundatam, deſcribit. *Academia palatina*, in palatio Regio Mediolanenſi congregata, de evulgandis ſcriptoribus Italicis fuit ſollicita. Variæ præter has hoc ſeculo fundatæ ſunt Mediolani Academiæ, de quarum inſtitutis, legibus, & in artium finibus promovendis ſtudio, accuratam Cl. *Saxius* notitiam ſuppeditat. Hac autem Diſſertatione præliminari finita, ipſa *Hiſtoria typographico-literaria Mediolanenſis* ſequitur. Mediolanenſes omnium primos Codices Græcos typis exſcripſiſſe, Cl. *Saxius* obſervat, *Maittairium* conſentientem adducens. Taxat eo nomine *Burchardum Gotthelf Struvium*, qui in *Introductione*, quam compoſuit *ad notitiam Hiſtoriæ literariæ*, *Aldo Manutio* hanc gloriam tanquam omnium primo adſcribit. Quid? quod primus

Pag. 51 ſeq. · 60. · 61. · 68 ſeq. · 85.

nos Codices Hebraicos, Soncini, Mediolanenſis ditionis oppido, fuiſſe excuſos, docet, eumque locum perperam alios cum loco Germanico, *Suns* dicto, & in Colonienſi Ducatu ſito, confundere, oſtendit. *Petrus Paulus Porrus*, civis Mediolanenſis, Arabicæ typographiæ dedit originem, & Pſalterium *Davidicum* Hebraico, Græco, Arabico, & Chaldæo idiomate, A. 1516 Genuæ excudit. Latinos inſuper libros optimæ notæ, Mediolanenſibus typis exſcriptos, Cl. *Saxius* affert. Miſſalia, tam Ambroſiano, quam Romano, ordine compoſita, primum Mediolani typis vulgavit *Zarotus*, cum antea, inventa licet arte typographica, manuſcriptis libris ſacra peragentes uti cogerentur. Anno autem Seculi XV ſeptuageſimo quinto, ex officina ejusdem *Zaroti* Miſſale Romanum jamjam prodiiſſe, illudque, a multis adhuc hiſtoriæ typographicæ ſcriptoribus indicatum, in Ambroſiana Bibliotheca aſſervari, Cl. *Saxius* obſervat, *Maittairium* ſimul confutans, qui, anno Pag 79.
demum 1478 Miſſale Romanum ab illo typographo evulgatum eſſe, ſibi perſuaſerat. De origine deinceps artis typographicæ veluti πάρεργον aliquod inſpergit, cumque de primo ejus inventore, & tempore inventionis, admodum fuſe diſſeruiſſet, variasque variorum ea de re ſententias attuliſſet, in vulgari tandem atque recepta opinione, anno nimirum
1440 eam artem inventam eſſe, acquieſcit. Germanis glo- 86.
riam inventæ artis non denegat, Mediolanum vero A. 1465 eam delatam eſſe, cum illo anno *Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ* ibi excuderentur, docet, Cel. *Fabricium*, in *Bibliotheca Latina* idem affirmantem, adducens. Deſiderari quidem apud Mediolanenſes iſtius editionis exemplar, non diffitetur, verum, *Claudium Salmaſium* illud ab amico quodam dono accepiſſe, & illo in explanandis hiſce ſcriptoribus non ſine fructu
uſum eſſe, ex prima ejus ad *Ælium Spartianum* annotatione 87.
paret. Antiquiores quidem Codices Venetiis impreſſos fuiſſe, putat *Maittairius*; ejus tamen ſententiam, firmis fundamentis
minime ſuffultam, Cl. *Saxius* penitus ſubruit. Deſcriptio- 89.
nem vitæ eorum, qui Mediolani artem typographicam olim
cum laude exercuerunt, idem ſuppeditat. Immo & typogra- 94 ſeq.

phos Mediolani natos, qui in aliis urbibus artem nobiliſſimam
Pag. 112. exercuerant, peculiari Capite recenſet. Intelligitur exinde, typographos ejus temporis in omni literarum genere fuiſſe verſatos, & ab his præſtantes ex antiquitate ſcriptores typis non ſolum excuſos, verum etiam eruditis commentariis illuſtratos. His autem præmiſſis, hiſtoriam typographico-literariam inde ab anno 1470, ſeriem annorum ſecutus, Cl. *Saxius* texit, primum triennium, delatæ ad Mediolanenſes artis typographicæ infantiam vocans. Coli quidem ea ars anno iſtius Seculi ſexageſimo quinto jam ſuevit; cum autem temporum edacitas, & negligentia majorum, editos primo illo quinquennio libros abſumſerit, & hiſtoriæ typographicæ ſcriptores vix unum aut alterum Codicem his annis Mediolani impreſſum commemorent, ſatius duxit Cl. *Saxius*, hiſtoriam ſuam a ſeptuageſimo demum Seculi iſtius anno exordiri, quamvis, tenuem quoque in hiſce primordiis librorum, typis Mediolanenſibus excuſorum, ſupellectilem occurrere, non diffiteatur. Primos Mediolanenſes typographos natione Germanos fuiſſe, & ab his Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ, de quibus ſupra dictum eſt, typis expreſſos, ex *Joannis Andreæ, Epiſcopi Alerienſis, Epiſtola ad Sixtum IV* comprobat. *Antonium Zarotum* vero nomen ſuum exemplaribus Mediolani editis primum inſcripſiſſe, ac *Terentii Comœdias* primo loco evulgaſſe, contendit.
116. *Horatium* eodem ſeptuageſimo anno Mediolani impreſſum fuiſſe, dubitanter tamen, affirmat. *Feſti* vero *de proprietate verborum* libros, *Pomponium Melam de ſitu orbis*, nec non *Poggii Libros facetiarum*, hiſce annis prela Mediolanenſia nobilitaſſe, obſervat. Cum opus illud *Poggianum* flammis dignum judicaverit *Gerardus Joannes Voſſius*; non incongruum exiſtimavit *Saxius*, de *Poggio* illo Florentino,
118. ejusque ſcriptis, & præcipue *Facetiarum libris*, paulo fuſius diſſerere, doctorumque hominum de eo judicia apponere. A. 1473 unicum Mediolani librum, *Dantis* nempe *Comœdias*, excuſum eſſe, *Maittairius* cum aliis ſomniavit. Hos autem longiſſime a veritate aberraſſe, ea, quæ *Saxius* affert, abunde loquuntur. Diſputat is modo de illis libris, quorum inſpiciendorum

Digitized by Google

cienndorum ipſi copia facta eſt, quique ad eruditionem faciunt. Affert adeo *Epiſtolas Pii II*, quas Pontifex ille conſcripſit, cum ſupremum illum Præſulatum teneret. De vita iſtius Pontificis, qui antea *Æneas Sylvius* dictus fuerat, & munera ſacra Mediolani adminiſtraverat, multa notatu digna affert. Diſputat etiam de libro, qui inſcribitur, *Synonyma Medicinæ Simonis Genuenſis*, hoc anno vulgato. *Simonem* illum eundem eſſe, qui *Vanderlinden* ab aliis cognominatur, eumque vitæ inſtituto medicum quidem fuiſſe, ſacra tamen munera adminiſtraſſe, docet. Editionem Operum *Ambroſii*, A. 1474 adornatam, affert, quam *Oudinus* & *Fabricius* ignorarunt; ei tamen varia ſcripta fuiſſe addita, quæ a recentiſſimis Operum *Ambroſii* editoribus inter ſpuria relata ſunt, dolet. Eodem anno *Georgii Trapezuntii Compendium Priſciani de partibus orationis*, ante biennium jam editum, typis repetitum eſt. Opus hoc Autorem ad preces cujusdam *Colæ Montani* compoſuiſſe, epiſtola, ad illum ſcripta, & operi adjecta, declarat. De rebus, ad *Georgium* hunc ſpectantibus, in *Additamentis ad Voſſium*, quæ *in Ephemeridibus Venetis* exſtant, dictum eſt, ubi inter cetera ejus opera *invectiva in Theodorum Gazam* refertur. Nunquam illud opus lucem adſpexiſſe, Cl. *Saxius* teſtatur, Ambroſianam vero Bibliothecam nonnullos Codices manuſcriptos, hunc titulum præferentes: *Georgii Trapezuntii in perverſionem Problematum Ariſtotelis, a quodam Theodoro Gaza editam, & Problematum Ariſtotelis Philoſophiæ protectio*, ſervare, dictitat, eumque librum eundem eſſe, qui *Invectivæ* nomen habet, conjicit. *Demetrium Cretenſem*, qui primus Codicum Græcorum impreſſionem Mediolani cives docuit, e Creta quidem oriundum fuiſſe, concedit Cl. *Saxius*, ob diuturnam tamen apud Mediolanenſes moram & contubernium, *Mediolanenſis* cognomen accepiſſe, eumque in libris, per ea tempora editis, hoc cognomine inſigniri, docet. Grammaticam Græcam is, Mediolani excuſam, evulgavit, Florentiam poſtea evocatus, ut ibi manum parandæ *Homeri* editioni admoveret, quo etiam labore ſumma cum laude perfunctus eſt. Affert Cl. *Saxius* Epigramma elegantiſſimum, ab *Angelo Po-*

Pag. 130.

145.

155.

ſtiano in ejus honorem confectum, &, *Demetrium* in Hiſpaniam poſtea conceſſiſſe, ibique *Bibliis polyglottis Complutenſibus* evulgandis manum admoviſſe, ex *Alvari Gomeſii* libro *de rebus geſtis Cardinalis Ximenii*, docet. Multos quidem viros celebres, *Demetrii* nomen gerentes, in *Bibliotheca Græca* adduxit *Fabricius*; de noſtro tamen nihil, certe perparum, retulit, unde hic defectus ex iis, quæ Cl. *Saxius* diſpu-
Pag. 164. tat, egregie poteſt ſuppleri. *Conſtantini Laſcaris* in Mediolanenſes literas merita ſummopere idem prædicat, eumque aſſidua cura in Gymnaſiis literas Græcas profeſſum eſſe, docet. Non tamen diu Mediolani ſubſtitit, ſed Neapolin, magnis præmiis invitatus, petiit, eloquentiam ibi & Græcas literas ſumma cum laude profeſſus. Tandem vero in Siciliam abiit, & Meſſanæ perpetuam fixit ſedem, ibique tanta nominis celebritate floruit, ut ſummi ordinis viri filios ſuos ex Italia in Siciliam erudiendos ablegarent. Unicum duntaxat librum, a *Laſcare* conſcriptum, nempe *de Scriptoribus Græcis, patria Siculis*, in *Bibliotheca Græca* laudavit *Fabricius*. Verum, alia adhuc iſtius Autoris Græca exſtare ſcripta, quæ Ambroſiana Bibliotheca aſſervat, Cl. *Saxius* teſtatur. Hunc in cenſum refert *librum de conſtructione verborum*, *Solutiones quarundam quæſtionum grammaticarum*, *Commentarios in prolegomena Orphei*, nec non *Epiſtolam ad Bartholomæum Sulmonenſem contra Philelphum*, in qua eum carpit, quod nimium ſe jactaret de Græcæ linguæ peritia, plures ejuſdem errores notans, ac genuinam nonnullarum vocum originem & ſignificationem exponens. Ad gloriam vero noſtri quamplurimum facere, *Saxius* dictitat, quod *Aldus Manutius*, Græcos libros Venetiis impreſſurus, exordium duxerit a grammaticis ejuſdem inſtitutionibus. Hoc enim ipſummet *Aldum* in epiſtola, ipſis præfixa, cujus fragmentum *Maittairius* affert, pro-
176. fiteri, obſervat. Statuta Mediolanenſia, pergamenis, aut chartaceis, codicibus antea inſcribi ſolita, anno hujus Seculi octogeſimo, ſumtibus cujuſdam *Pauli Suardi* typis expreſſa ſunt; qua occaſione, Cl. *Saxius* hiſtoriam ſtatutorum urbium Italicarum texit. Mediolanenſium ſtatutorum originem ab A.

1215

1215 repetendam eſſe, innuit, quo nimirum anno *Conſuetudines Mediolani*, quarum exemplar manuſcriptum in Bibliotheca Ambroſiana aſſervatur, collectæ ac promulgatæ ſunt. Apparet ex iſtis conſuetudinibus, modum lites per duellum componendi eo tempore apud Mediolanenſes viguiſſe, quale certamen vel ab ipſis litigantibus, vel a ſubſtitutis *campionibus*, inſtituebatur. Judicium aquæ frigidæ itidem ibi vigebat, neutiquam vero candentis ferri judicium adhiberi conſuevit. Conſuetudinibus vim legis fuiſſe inditam, antea vero jam ſta- Pag. 210.
tuta & leges municipales ibi exſtitiſſe, quamvis non amplius ea ſuperſint, teſtimonia, a Cl. *Saxio* appoſita, ſatis declarant. *Franciſci Craſſi* opinionem, qui in libro *de origine juris Mediolanenſis*, non alias leges, quam conſuetudines feudales, a majoribus conditas, agnovit, *Saxius* confutat, & potius, *nova ſtatuta communis Mediolani* A. 1330 promulgata fuiſſe, docet. Poſt varia deinceps jura, a *Matthæi Magni Vicecomitis* filiis, aliisque ſubſequentibus Mediolani Principibus, condita, tandem *Caroli V* autoritate *novarum conſtitutionum jus*, adhuc vigens, curiis Mediolanenſibus præſcriptum fuiſſe, monſtrat. A. 1482 *Panegyrici veteres*, a *Franciſco Puteolano* 214.
tenebris erepte, atque in pergamena impreſſæ ſunt, quale exemplar Bibliotheca Ambroſiana tenet. Erravit proin *Jacobus de la Beaune*, recentiſſimus iſtarum Orationum in uſum Delphini editor, quando, primam earum editionem A. 1520 demum excuſam fuiſſe, contendit. Duplicem rectius earum editionem, *Franciſci Puteolani* ſtudio adornatam, intra Seculum XV Mediolani prodiiſſe, Cl. *Saxius* oſtendit. Quod vero ad ipſum hunc *Puteolanum* attinet, Par- 237.
mam is patriam habuit. Ubi Mediolani rudimenta eloquentiæ perceperat, Bononiam ſe contulit, ſiniſtram hic expertus fortunam. Mediolanum a *Cicbo Simonetta* tandem vocatus, artem rhetoricam pro honeſtiſſimo ſtipendio ibi profeſſus eſt. Magna nominis & eloquentiæ fama floruit, & a plurimis eruditis, ſigillatim *Angelo Politiano*, ſummo honore affectus eſt. Edidit, inter quamplura alia, *Dionyſii Halicarnaſſei præcepta de oratione nuptiali, natalitia, & epithalamiis*,

lamiis, quæ *Theodorus Gaza* quondam e Græco in Latinum traduxerat. Ignoravit illam editionem *Fabricius*, atque inter inedita *Gazæ* ſcripta eandem in *Bibliotheca Græca* repoſuit. De variis *Gazæ* fragmentis Cl. *Saxius* etiam diſputat, inſigni poeſeos facultate eundem fuiſſe præditum, teſtatur, nullum tamen opus poeticum, præter *epicedium extemporaneum* in funere *Galeacii Mariæ Sfortiæ*, a conjuratis trucidati, ab eo confectum, hodie exſtare, & ejus manuſcriptum exemplar in Bibliotheca Ambroſiana repoſitum eſſe, dictitat. *Qui Curtii Hiſtoriam* e Latino in Italicum ſermonem quondam convertit *Petrus Candidus Decembrius*, eamque A. 1438 Duci Mediolanenſi, *Philippo Mariæ* Vicecomiti, in cujus aula verſabatur, obtulit. Hæc ipſa autem verſio A. 1488, cum diu inedita deſtituiſſet, typis Mediolanenſibus primum excuſa eſt. Quamplurimas dein alias urbes eandem prelis ſuis ſubjeciſſe, Cl. *Saxius* docet, ſimulque de alia verſione *Curtii* Italica, a quodam *Bernardo Philippo de Junctis* adornata, diſputat. Hac etiam occaſione data, de ætate *Curtii*, de qua, prout conſtat, vehementer inter eruditos diſceptatum eſt, nonnulla lectu digna inſpergit. Narrat nimirum, Bononiæ nuper librum prodiiſſe, a *Comite Bagnolio* compoſitum, in quo de *Curtia* gente, atque ætate hujus ſcriptoris, eruditiſſime diſſeratur, eumque *Conſtantino M.* non antiquiorem eſſe, ex duobus ejusdem locis comprobetur. De vita autem *Decembrii* multa hic afferre ſupervacuum duxit, cum varii Autores, ſigillatimque *Fabricius*, fuſe de eo jam diſputarint, cumque *Laurentius Mehuſius*, qui Epiſtolas illuſtrium ſcriptorum Seculi decimi quinti, cum eorundem vita, Florentiæ edendas ſuſcepit, itidem *Decembrii* vitam enarraturus ſit. Rem igitur eruditis multo gratiorem facturus, manuſcripta *Decembrii* opera, quæ Biblio-
Pag. 293. theca Ambroſiana ſervat, accurate recenſuit. Et hunc quidem in modum hiſtoriam typographico-literariam Mediolanenſem uſque ad annum 1500 texuit Cl. *Saxius*. Plura ejusdem ſpecimina facile potuiſſemus afferre, niſi & brevitati ſtudendum eſſet, & jam ex illis, quæ diſputavimus, de operis

dis inſtituto pariter, ac præſtantia, lectores poſſent judicare. Notatu digniora nonnulla ſelegimus, ut ſtatim ex illis appareret, quam multa, ab aliis nondum obſervata, & eruditis huc uſque incognita, hôc in Opere legantur. Addidit autem Cl. *Saxius* tabulas publicas initi A. 1472 inter primos Mediolani typographos, ad inſignem librorum ſupellectilem communi ſumtu exſcribendam, fœderis. Italico quidem ſermone illud fœdus conſcriptum eſt, cum autem is pro ſeculi barbarie innumeris ſolœciſmis ſcateat, atque adeo a noſtris hominibus intelligi vix poſſit, Latina interpretatio adjecta eſt. Literæ nuncupatoriæ, libris, primo typographiæ ſeculo Mediolani impreſſis, præmiſſæ, hiſtoriam hujus ævi literariam mirifice illuſtrant, quam ob rem, eas junctim hic edere, opportunum cenſuit Cl. *Saxius*. Latinas autem duntaxat ſelegit epiſtolas, cum Italicæ tot vocibus corruptis repletæ ſint, ut earum inſpectio facile tædium potuiſſet creare legentibus. Tandem catalogum omnium librorum, Seculo decimo quinto Mediolani editorum, ſecundum annorum ſeriem compoſuit, ab anno iſtius Seculi ſexageſimo quinto incipiens. Quos libros ipſemet oculis uſurpavit, eorum titulos aſteriſco diſtinxit, ſingulis notas eruditiſſimas adjecit, indicem denique rerum & nominum univerſo Operi addidit. Verum de Cl. *Saxii* lucubrationibus hæc dixiſſe ſufficiat. Ad *Argelatum* jam revertimur, in cujus Scriptorum Mediolanenſium Bibliotheca indices Autorum, qui ibi memorantur, ordine alphabetico diſpoſiti, agmen ducunt, paginis libri, ubi de quovis ſcriptore agitur, ad marginem ſemper annotatis. Excipit hos Indices Syllabus Scriptorum, ſecundum ordinem temporis confectus, qui ab anno ante æram vulgarem 168 uſque ad A. C. 1744 perducitur. Ipſa Bibliotheca ordine alphabetico eſt diſpoſita, & *Tomus* quidem *primus* uſque ad literam L procedit, hocque ordine ſervato omnium Scriptorum Mediolanenſium vitæ, & ingenii, quæ reliquerunt, monumenta, ſuccincte accurateque ſunt enarrata. Qua de re ut eo certius conſtet, ſpecimina quædam ex illis nunc afferemus. Cum quamplurimi ſcriptores, de S. *Ambroſio*, Mediolanenſium ſacrorum antiſtite,

(Margin: Pag. 447. — 453. — 559.)

antiſtite, ejusque urbis ornamento præcipuo, verbo fecerint, dubius hæſit Cl. Autor, quemnam inter tot ejus vitæ ſcriptores ducem ſequeretur. Selegit vero ex inſigni eorum numero *Caſimirum Oudinum*, & *Jo. Alb. Fabricium*, utpote qui omnes alios, de *Ambroſio* diſſerentes, conſuluiſſe videbantur. Memorat adeo Cel. Autor, *Ambroſium* A. C. 374, annum ætatis quadrageſimum agentem, a tribunalibus raptum, ad ſedem epiſcopalem promotum eſſe. Miratur ejus intrepidum in munere paſtorali obeundo animum, & invictam fortitudinem, quam & in Arianorum hæreſi profliganda, & in cauſa *Maximi*, tyranni, ac *Theodoſii* Imperatoris, quos ob crudelitatem commiſſam ab eccleſiaſtica communione ſegregavit, ſatis dedit comprobatam. Doctrinam ejus quanti fecerit S. *Auguſtinus*, ab *Ambroſio* quippe ad religionem perductus, atque ipſemet hæreſiarcha *Pelagius*, dicta S. *Auguſtini*, a Cel. Autore hic appoſita, affatim loquuntur. Memoriam ſummi hujus antiſtitis ad diem IV Aprilis in Martyrologio recoli, ejusque corpus ſub ara maxima baſilicæ Mediolanenſis, quæ ab eo condita eſt, & *Ambroſiana* vocatur, requieſcere, Cl. Autor monet, atque epigramma *Ennodii*, Picinenſis Epiſcopi, in laudes noſtri compoſitum, cum lectoribus communicat. De operibus S. *Ambroſii*, eorumque variis editionibus, copioſius diſſerere ſupervacuum duxit, cum eorum index accuratiſſimus & ab *Oudino*, & a *Monachis Benedictinis in Gallia*, tanquam recentiſſimis hujus Sancti operum editoribus, compoſitus jam ſit. Elenchum igitur duntaxat Tractatuum, a S. *Ambroſio* confectorum, quem clariſſimi Monachi protulere, hic exhibuit, eique titulos opuſculorum, quæ antiſtiti

Pag. 42. huic vulgo, quamvis minus accurate, tribui fueverunt, attexuit, atque in notis adjectis varios, de vita & ſcriptis ejus fuſius agentes, citavit. Illuſtriſſima gens *Archintea* Mediolanum, patriam quippe ſuam, ob immortalia in rem publicam atque literariam merita mirifice illuſtravit. In illa autem, velut inter ignes luna minores, emicuit *Carolus Archintus*, Eminentiſſimi *Alberici Archinti*, Archiepiſcopi Niceni, & hoc tempore ad aulam Potentiſſimi Regis noſtri Nuntii Apoſtolici,

Digitized by Google

ſtolici, parens, de cujus vita, lucubrationibus, atque in literas meritis, quamplurima Cl. Autor in medium profert, cum præſertim, ejus ſe clementia mirifice exornatum, & multis beneficiis ab eo cumulatum eſſe, prædicet. Natus nimirum eſt Noſter anno Seculi præteriti ſexageſimo nono, primaque literarum fundamenta, in Academia Baydenſi, ſub clariſſimis viris, ſodalibus Ignatianis, poſuit, quibus dein, Ingolſtadium concedens, egregiam in omni eruditionis genere notitiam ſuperſtruxit. Abſoluto ſtudiorum curſu, cultiores Europæ provincias peragravit, & Romæ potiſſimum diu commoratus eſt, ibique cum maximis doctiſſimisque hominibus amicitiam atque familiaritatem contraxit, quos inter *Proſper Lambertinus*, Pontificis Maximi honore jam effulgens, primo loco memorandus eſt. Cum autem, non ſibi, ſed patriæ, natum ſe eſſe, judicaret *Carolus*, ita literas poſt felicem ex itinere reditum tractavit, ut univerſa civitas, & inprimis nobilium ordo, uberrimos exinde fructus poſſet percipere. Academiam enim equitum inſtituit, & Bibliothecam, fere regiam, opera & conſilio Cl. Autoris adjutus, condidit, cujus catalogum idem jam parat. Civicos præterea magiſtratus tantum non omnes in patria ſumma cum laude geſſit, principum vero oculis ejusdem virtutes adeo illuſtres apparuerunt, ut *Leopoldus* Imperator eum ſacri cubiculi præfectum conſtituerit, Hiſpaniæ vero Reges, *Carolus II* & *Philippus V*, eum aurei velleris ordine donarint, & in magnatum Hiſpaniæ numerum adſciverint. Maxima fuit Noſtri in omni eruditionis genere peritia, id quod lucubrationes ejus, quæ philoſophica, mathematica, phyſica, anatomica & chymica, argumenta pertractant, & a Cl. Autore nominatim indicantur, ſatis ſuperque declarant. Dolendum duntaxat eſt, præſtantiſſimos hos tanti ingenii fœtus in omnium manibus nondum verſari, ſed manuſcripta eorum exemplaria ab illuſtriſſima gente *Archintea* cuſtodiri. *Tabulæ* interim, *præcipua diſciplinarum & artium capita, per ordinem digeſta*, exhibentes, poſt mortem *Archinti*, magna ex parte, Venetiis, ſine nomine tamen Autoris, typis excuſæ ſunt. In Præfatione, illis præmiſſa,

Noſter teſtatur, ſe primo hujus ſeculi anno, cum Roma in patriam rediiſſet, cogitaſſe, ad imitationem florentiſſimarum in Urbe Academiarum, de eruditorum cœtu apud ſe congregando, qui ſtatis diebus de variis rebus literariis diſceptarent. Cumque dein ſchedas ſuas evolviſſet, incidiſſe in tabulam Matheſeos univerſæ, quam multos ante annos, cum ibi liberalibus diſciplinis vacaret, in Academia Ingolſtadienſi theſibus mathematicis præfixerat, quo labore ita ſit delectatus, ut reliquas etiam diſciplinas ſimiliter in tabulas redigendas ſtatuerit. In his autem tabulis, mirum dictu eſſe, quam recte, erudite, & ex ordine, diſciplinarum omnium diviſiones præcipuas annotarit, ut uno velut intuitu, quicquid diuturno labore in ſcholis diſcitur, in hiſce tabulis deprehendatur expoſitum, Cl. Autor obſervat. Laudat idem ſummam *Archinti* ergo ſe beneficentiam, eaque factum eſſe confirmat, ut editio magni operis, Mediolanenſibus prelis ſubjecti, cui titulus: *Rerum Italicarum Scriptores*, feliciter ad umbilicum ſit perducta. Confecerat ipſemet *Archintus* notas in III, IV, & V Librum *Hiſtoriarum Arnulphi Mediolanenſis*, quas, ipſo dictante, Cl. Autor calamo excepit, eæque in *Tomo quarto* dicti operis comparent. Mortuus tandem eſt ſummus iſte literarum ſtator ac Mæcenas, die 17 Decembris A. 1732. Celebratiſſimum vero non minus eſt apud Mediolanenſes *Borromæorum* nomen, quos inter *Gibertus* aliquis, S. *Caroli* pronepos, fuit, qui inſigni eruditionis laude floruit, & Seculum decimum ſeptimum haud parum illuſtravit. Incredibili is literarum amore ab ineunte ſtatim ætate flagravit, &, Philoſophiæ, Theologiæ, aliarumque diſciplinarum, curſu Mediolani abſoluto, Romam ſe contulit. Sub *Urbano VIII* Epiſcopali dignitate ornatus, & difficillimis temporibus legatus Pontificis conſtitutus eſt, ubi, rebus egregie ſemper ac proſpere geſtis, ſub *Innocentio X* tandem locum inter purpuratos curiæ Romanæ Præſules obtinuit. Inter ſcripta ejus, *Sententia adverſus errores Janſenii*, nec non *Epiſtola ad Urbanum VIII de gemma Barberina*, eminent. Præſtantiſſimi autem hujus viri nomen atque famam noſtro ſeculo renovaſſe

vaſſe alterum *Gibertum Borromæum*, Epiſcopum Novarienſem, & curiæ Romanæ purpuratum Præſulem, qui anno hujus Seculi quadrageſimo vitam cum morte commutavit, Cl. Autor obſervat. Quanti enim is literas & eruditos fecerit, inſignis Pag. 307.
optimorum librorum collectio, cujus inſignem partem Ambroſianæ Bibliothecæ inferri in teſtamento juſſit, declarat. Cum de *Hieronymo Cardano*, viro omnium admiratione digniſſimo, quamplurimi diſſeruerint ſcriptores, interque hos *Carolus Sponius* atque *Gabriel Naudæus* vitam ejus data opera enarrarint; nulla ſpes Cl. Autori ab initio fuit, aliquid de eo proferendi, ab aliis nondum obſervatum. Bonis tamen avibus tantum undique ſelegit, ut, cramben bis coctam eum appoſuiſſe, neutiquam dici poſſit. Ex pluribus nempe libris breviſſimam, ut potuit, tanti viri vitam exhibuit, atque quamplurima de ejusdem operibus, huc uſque incognita, in medium protulit. Natus eſt nimirum noſter anno octavo Seculi decimi ſexti, a *Facio Cardano*, Mediolanenſi, homine itidem eruditiſſimo, progenitus. Cum ipſemet *Cardanus* in libris, de vita propria conſcriptis, hoc commemoret, jure ſuo Cl. Autor *Curtium*, *Belium*, & *Philippum Thomaſſinum*, taxat, qui, 308.
quantumvis libros *Cardani de vita ſua* citent, in anno tamen natali conſtituendo, haud leviter a vero aberrarunt. Annum ætatis viceſimum agens, ſtudiorum cauſa Ticinum ſe contulit, ubi, cum vix primum biennium exegiſſet, *Euclidis* libros interpretatus, & Philoſophiam primam pariter ac Medicinam vice quorundam Profeſſorum nonnunquam docuiſſe, dicitur, Patavii poſtea & Philoſophiæ & Medicinæ lauream ſuſcepit, ibique & magiſtratu Academico aliquando perfunctus eſt. In patria dein & Matheſin, & artem medicam, profeſſus eſt, hinc a variis Regibus lautiſſimorum præmiorum ſpe nequicquam evocatus. Complures potius Italiæ urbes eruditione ſua illuſtravit, bonasque artes earundem civibus inſtillavit, uſque dum, variis ærumnis oppreſſus, in Collegium Romanum reciperetur, annuumque ſtipendium a Pontifice acciperet. Tanta fuit vivi adhuc *Cardani* inter Italos fama, ut ejusdem ſcripta oraculi inſtar haberentur. Non tamen idcirco æmuli eidem de-

Digitized by Google

fuerunt, de quibus ipſe in libro *de vita ſua* mentionem injecit. Eminet inter illos quidam *Andreas Canutus*, qui, peculiares Diſſertationes, contra noſtrum directas, & Papiæ A. 1563 in 4 editas, compoſuit. Obiit noſter ſub finem anni 1576, aut certe ſub inſequentis initium, unde merito *Thuani* atque *Naudæi*, citius noſtrum ex hac vita receſſiſſe ſtatuentium, ſententias Cl. Autor explodit, & locum, ex *Cardani* vitæ ſuæ deſcriptione, huc facientem, adducit. Diem mortis ſuæ *Cardanum* prædixiſſe, &, ne vana & mendax videretur prædictio, ab omni cibo abſtinuiſſe, ita ut mors neceſſario ſequi deberet, quidam, a Cl. Autore citati, dictitarunt. Indicem operum *Cardani* ſatis longum idem ſuppeditavit, eique varias annotationes ſuis noſter locis inſeruit. Ubi v. c. ejus *libri de Subtilitate* occurrunt, eos ſummo applauſu exceptos fuiſſe, commemorat, id quod ſæpius iteratæ eorum editiones, a Cl. Autore indicatæ, affatim loquuntur. Exercitationes criticas contra hoſce libros conſcripſit *Scaliger*, quamvis errores, a *Scaligero* ipſi objectos, in ſecunda operis editione jam correxiſſet noſter. Ubi ergo poſtea *Scaligeri* cenſuram inſpexit, *actionem in calumniatorem librorum de Subtilitate* contra eum compoſuit, quæ variis horum librorum editionibus adjecta eſt. Subjicit vero his Cl. Autor notitiam eorum *Cardani* operum, quæ a ſeſe compoſita, ipſemet *Cardanus* teſtatur. Plurima ex illis perierunt. Sed latent fortaſſis adhuc nonnulla in ſcriniis Bibliothecarum inedita, cum in variis catalogis opera *Cardani* manuſcripta, abſque ulteriori indicio, citentur. Tandem vero Cl. Autor literas, a quodam *Fabricio Cocanaro* ad *Cardinalem Fridericum Borromæum* datas, & Italico ſermone compoſitas, ex manuſcripto Bibliothecæ Ambroſianæ hic exhibet. Transmittit nempe *Cocanarus Borromæo* una cum literis libros *Cardani* manuſcriptos, quotquot Romæ reperit, pretiaque eorum ſimul indicat. Cumque quamplurimi operum tituli, fruſtra alias quærendi, his in literis nominentur, eos ideo diligenter excerpſit, atque cum literis ipſis hic appoſuit, Cl. Autor. *Ennodius*, cujus nomen inter eruditos

Pag. 312.
314.

Digitized by Google

ditos valde notum eſt, Mediolanum natalibus ſua decoravit. Vere enim illum civibus Mediolani adſcribendum eſſe, *Saxius* jam oſtendit. Natum eundem eſſe A. 473, ex eo intelligitur, quod *Ennodius* ipſemet affirmet, ſe annum ætatis ſextum & decimum egiſſe, quando *Theodoricus* Italiam ingreſſus ſit. Cum autem id A. 489 contigerit, jure ſuo eorum ſententiam confutavit Cl. Autor, qui, A. 511 ſcriptorem hunc natum eſſe, dictitarunt. Ab ipſa pæne infantia bonis artibus, inprimisque poeſi & eloquentia, animum excoluit noſter, matrimonium etiam iniit, ex eoque filium ſuſcepit. Poſtquam autem caſtitatem profeſſa eſt uxor, *Ennodius*, ejus exemplo incitatus, ſacros aſſumſit ordines, ad Ticinenſem denique Epiſcopatum promotus. Laudat Cl. Autor ejus conſtantiam & fervorem, in cauſa *Symmachi Papæ*, & *Synodi palmaris*. Obtulit nempe *Ennodius libellum apologeticum* in Romano Concilio, qui tanto in honore apud Synodi iſtius patres fuit, ut communi decreto in acta ſynodica fuerit relatus. In exemplari iſtius Apologiæ, quod in Bibliotheca Vaticana aſſervatur, nomen *Ennodii S. R. E. Diaconi* inſcriptum eſt. Cum vero inter Romanæ Eccleſiæ Diaconos a nullo ſcriptorum, qui de Cardinalibus egerunt, fuerit relatus, illam inſcriptionem errori librarii, pro ſigla S. T. E. ſiglam S. R. E. reponentis, deberi, non male Cl. Autor conjicit. A. 517, in cauſa quorundam dogmatum, ab *Hormisda Papa* ad *Anaſtaſium*, Orientis Imperatorem, noſter miſſus eſt. Cum autem *Anaſtaſius*, Pontificis juſſis obedientiam denegans, *Ennodii* monita parum curaret, re infecta is in Italiam reverti coactus eſt. Quamvis autem Cl. Autor vehementer eo nomine in *Anaſtaſium* invehatur, eumque inter hæreticos ideo numeret; nos tamen, recte & laudabiliter eum feciſſe, quod jura circa ſacra, Imperantibus vere competentia, contra Pontificis inſultus tam ſtrenue vindicarit, dicere nulli dubitamus. Redux interim noſter, non ſolum ab *Hormisda* humaniſſime exceptus, verum etiam privilegiis & honoribus variis decoratus eſt, quibus præcipue uſus pallii, & jus crucis in Archiepiſcoporum

Pag. 570.

morem præferendæ, accenſendum eſt, quo honore etiam adhuc Ticinenſes fulgent Epiſcopi. In templo S. *Victoris*, quod extra mœnia Ticini noſter ædificarat, divinas laudes Græce & Latine decantandas inſtituit, quem ritum uſque ad *Joannis*
Pag. 572. *XXII* tempora perduraſſe, Cl. Autor oſtendit. Obiit tandem anno Chriſti 521 die 16. Cal. Auguſti, & inter ſanctos relatus, eodem die apud Pontificios colitur. Affert Cl. Autor inſcriptionem, ſepulcro ejus, quod Ticini in templo S. *Michaelis* eſt, inciſam, & indicem operum, ſicut in editione Pariſienſi *Jacobi Sirmondi*, A. 1690 adornata, legitur, longe tamen diligentius confectum, apponit. Non ſolum enim ea, quæ in editione Operum *Sirmondi*, Venetiis A. 1718 typis repetita, adjecta ſunt, ſtudioſe notavit, verum etiam, catalogum manuſcriptorum *Ennodii*, quæ variis in Bibliothecis reperit, cum lectoribus communicavit. *Ambroſium Ferrarium*, Mediolanenſem, qui Seculo decimo ſexto floruit, ob ſingularem notitiam, Græcæ, Hebraicæ, Latinæque linguæ, Cl. Au-
597. tor commendat. Ubi is adoleſcentiam laudabiliter exegerat, monachum florente adhuc ætate induit, S. *Benedicti* regulam ſecutus. In Genuenſi urbe eum Abbatis munere in quodam monaſterio eſſe perfunctum, *Armellinus* in *Bibliotheca Benedictino-Caſſinenſi* obſervavit. *Origenis Commentarium in Joannem* e Græco in Latinum ſermonem *Ferrarius* transtulit, eaque verſio Venetiis primum A. 1552, poſteaque Rothomagi A. 1668, typis exſcripta eſt, de qua etiam verſione *Huetius* in *primæ Partis Origenianorum Libro tertio* uberiorem notitiam ſuppeditat. Adjungere huic *Ferrario*, ob ſimilem in Græcis literis peritiam, juvat *Joannem Donatum Ferrarium*, ob *Porphyrii vitam Pythagoræ*, Latinitate donatam, ſatis illuſtrem. In præcipuo eum Mediolani ſeminario literas humanas divinasque ſub optimis præceptoribus imbibiſſe, Cl. Autor narrat. Cum autem inſigni eruditionis fama floreret, a *Friderico* Cardinali *Borromæo* ad linguam Græcam in Collegio Ambroſiano docendam vocatus eſt. Quanta diligentia & fructu hanc ſibi creditam provinciam adminiſtrarit, vel diſcipuli, qui ex ejus ſchola prodierunt, in-

terque

Digitized by Google

terque hos *Octavius Ferrarius*, affatim teſtantur. Munia deinceps ſacra adminiſtravit, uſque dum A. 1667, apoplexia correptus, debitum naturæ exſolveret. Præter *Vitam Pythagoræ*, in Latinum ſermonem converſam, & Mediolani primum excuſam, variasque Orationes atque Epiſtolas, quarum nonnullæ in Ambroſiana Bibliotheca manuſcriptæ ſervantur, Cl. Autor varia ejus opuſcula, Mediolani A. 1660 junctim edita, commemorat. *Ferrariorum* vero nomen pariter, at- Pag. 607.
que Mediolanum, nobilitavit *Octavius Ferrarius*, vir de antiquitate atque elegantioribus literis immortaliter promeritus. Eum quippe & Mediolani natum, & bonis artibus in Ambroſiano Collegio imbutum eſſe, Cl. Autor declarat. Mira is diligentia ineunte ætate omnis generis diſciplinas 612.
tractavit, tamque felices in eruditionis campo fecit progreſſus, ut, ubi viceſimum vix ætatis annum tranſegiſſet, ipſi a Cardinale *Friderico Borromæo*, qui communem eo tempore literatorum Mæcenatem agebat, munus Profeſſoris eloquentiæ in Collegio Ambroſiano crederetur. Non tamen diu officio præfuit, ſexennio poſt ad Rhetoricam, Politicam, Græcamque linguam docendam, a Veneta republica Patavium evocatus. Ibi collapſam fere Academiam priſtino ſplendori reſtituit, & adeo præclare ſe geſſit, ut ſingulis ſexenniis ejus mercedem adaugeret respublica. E vivis erepto *Ripamontio*, urbis Mediolanenſis Chronologo, munus Hiſtoriæ patriæ conſcribendæ, annua mercede præſtituta, noſtro demandatum eſt. Quamvis autem manus operi jam admoviſſet vir doctus, jamque Libros octo conſcripſiſſet; eorum tamen, qui tabulario urbis præerant, & neceſſaria operi documenta ſuppeditare renuebant, negligentiam indignatus, ſcribere plura ſuperſedit, ſeque munere abdicavit. Apud *Chriſtinam* Sueciæ Reginam pariter, atque *Ludovicum XIV*, Galliarum Regem, ob inſignem, qua pollebat, eruditionem, ſumma gratia floruit, ſplendidisque donis a Principibus hiſce ornatus eſt. *Octavio* noſtro, A. 1682, ætatis ſeptuageſimo quinto, mortalitatem exuenti, *Julius Ferrarius* epitaphium in templo S. *Antonii* elegantiſſimum poſuit, quod integrum a Cl. Autore hic editum deprehen-

prehenditur. Scripta *Ferrarii* idem accurate recenſet, varias eorum editiones enumerat, judicia doctorum hominum de iis apponit, deque nonnullis notulas quasdam adſpergit. Ita, in Tractatu *de Lucernis ſepulcralibus* contra eos noſtrum ſcripſiſſe, docet, qui arbitrati ſunt, veteres oleum inconſumtibile habuiſſe, vel lampades eo modo diſpoſuiſſe, quo fumus earum, ſenſim ſe condenſans, in oleum rurſus converteretur, atque ita illæ æterno igne lucerent. Quamvis enim *Fortunius Licetus* in Diſſertatione Latina, hoc de argumento ſcripta, eam opinionem defenderit; *Ferrarius* tamen, meras nugas & anilia commenta hæc eſſe, demonſtravit. *Analecta Ferrarii de re veſtiaria Rubenio* oppoſita a noſtro eſſe, Cl. Autor obſervat, cum *Rubenius* in Commentario ſimilis argumenti ab eo diſſenſiſſet. *Hiſtoriam Mediolanenſem*, quam ſcribere cœperat *Ferrarius*, hæredi ſuo, ea conditione, ut nunquam typis exſcriberetur, reliquit. Hunc ipſum ejus hæredem, *Julium Ferrarium*, noſtri filium fuiſſe, ridiculo errore affirmarunt Autores Diarii eruditorum Gallici, quod inſcribitur *Journal des Scavans*. Cum vero noſter admodum juvenis clericalem vitam delegerit, ideoque nullum unquam matrimonium contraxerit, *Julium* illum ejus cognatum, & neutiquam filium,
Pag. 615. fuiſſe, recte Cl. Autor monuit. Inter Jureconſultos, quos Mediolanum tulit, *Homodeorum* potiſſimum nomen celebratur. Memorat Cl. Autor quendam *Joannem Homodeum*, qui Ticinenſis Gymnaſii Profeſſor fuit, tandemque inter patriæ optimates, qui *Reipublicæ Mediolanenſis Capitanei*, ac *defenſores*, dicebantur, cooptatus eſt, atque inter *Jurisperitos collegiatos*, ab A. 1385 uſque ad annum 1450, ſedem habuit. Exſtat de eo volumen ingens, quod *Repertorium Juris* inſcribitur. Nunquam illud typis exſcriptum eſt, verum, Cl. *Sa-*
721. *xium* manuſcriptum ejus Codicem poſſidere, Autor refert. Adjunxit illi *Signorolum Homodeum*, virum, ob quamplurima, quæ compoſuit ad Jus civile, ſcripta, nominis immortalitatem adeptum. Cumque *Guido Pancirollus* in libro *de claris LL. interpretibus* copioſe ſatis de eo commemorarit, verba ejus integra hic appoſuit. Diſcimus exinde, *Homodeum*

Mediola-

Digitized by Google

Mediolanenſem fuiſſe Bononiæ, Patavii, & Parmæ, Jus civile ſummo cum applauſu interpretatum eſſe, uſque dum a *Galeacio* Vicecomite peramplo ſtipendio conductus, Ticini Jurisprudentiam profiteretur. Poſtea, a *Ludovico*, Principe Achajæ, una cum *Petro Peſutio* Taurinum vocatus, idem eruditionis genus ibi tradidit, donec iſte Princeps e vivis excederet. Cumque ejus ſucceſſores, ad ſtipendium hiſce duumviris ſolvendum ſe teneri, negarent, *Chriſtophorus Caſtillioneus*, ut debitam pecuniam perſolverent, ipſis perſuaſit. Poſtremo Vercellas, docendi Juris cauſa, A. 1345 conceſſit, ubi, cum per plures annos eam provinciam tenuiſſet, mortuus eſt. Compoſuit quamplurimos in Digeſtorum Codicisque textus Commentarios, quorum nonnulli in *Oceano juris* habentur. Conſcripſit *Conſilia*, & *Quæſtiones*, Lugduni A. 1540 in folio editas, nec non *Conſilium ſuper juramento facto ſuper deſcendentibus ſtante Statuto Mediolani*, quod manu ſcriptum in Bibliotheca *Archintea* deprehendi, Cl. Autor teſtatur. Leges denique municipales Mediolanenſes in ordinem redegit, atque Diſſertationem, *utrum ſit præferendus Doctor, an miles*, conſcripſit, quæ, a *Ludovico de Bologninis* aucta, *Oceano juris* inſerta eſt. Floruit autem & alius quidam *Signorolus Homodeus*, a priori diverſus, & a quibusdam *Signorinus* appellatus, qui & publicus Juris civilis interpres in Ticinenſi, Placentina, & Parmenſi, Academia fuit, & in Collegio *nobilium Juriſperitorum Mediolanenſium* ab A. 1385 uſque ad A. 1412 ſediſſe dicitur. Scripſiſſe fertur *Signorolus* noſter *Lecturas in omne Jus civile*, nec non Tractatum *de acquirenda hæreditate*, qui libri in Bibliotheca Ambroſiana manuſcripti habentur. Conſiliorum ejus volumen, calamo itidem ſcriptum, Bibliotheca Vaticana aſſervat, quamvis, cum, iſtas lucubrationes a noſtro confectas eſſe, certis teſtimoniis comprobari non poſſit, Cl. Autor eas noſtro indubitanter aſſerere vix audeat. Ceterum exſtat de eo epiſtola ad *Philippum Mariam, Vicecomitem*, Mediolani Ducem, cujus exemplar manuſcriptum in Bibliotheca Ricardiana Florentiæ habetur, ex qua uberiorem & accuratam de noſtro notitiam hauriri

Pag. 722.

 poſſe,

Pag. 723. poſſe, Cl. Autor affirmat. Integram quoque eam hic appoſuiſſet, niſi jam a *Caſpare Barzizio* publici juris facta fuiſſet. Tandem vero, Comitem *Octavium Archintum* in ampliſſima, quam compoſuit, familiarum Mediolanenſium Bibliotheca undecim *Homodeos*, collegii Juriſperitorum Mediolenſis aſſeſſores, recenſere, Cl. Autor monet, & alios præterea ſcriptores, de noſto differentes, adducit. *Obertum ab Horto*, Conſulem Mediolanenſem, Jus feudale, Corpori Juris civilis adjungi ſolitum, compilaſſe, recepta apud pleroſque eſt
724. ſententia, eamque Cl. Autor adoptavit. Quamvis autem, hoc verum eſſe, textus *2 F. 1* comprobare videatur, non tamen præter rem alii hoc caput pro fragmento epiſtolæ, ab *Oberto* ad filium ſcriptæ, quod operi inſeruerit compilator incertus, venditant. Quid? quod, cum *1 F. 13* conſuetudines Mediolanenſes *irrationabiles* vocentur, in textu *2 F. 25* vero *Obertus* noſter *vir ſapiens* dicatur, & tanquam teſtis citetur, vix probabile eſt, eum hujus compilationis autorem eſſe, conſuetudines urbis, cui præerat, vituperaſſe, ſeque ipſum hiſce encomiis exornaſſe. Ut taceamus, compilationem illam adeo eſſe ineptam, ut famæ *Oberti* melius conſultum ſit, ſi ei talis labor abjudicetur. Quicquid interea horum ſit, ea nunc, quæ Cl. Autor de vita *Oberti* narrat, percenſebimus. Memorat is, *Obertum* tempore *Friderici I*, Imperatoris, Mediolani floruiſſe, ac Juris ſcientiæ laude, patriæ Conſulatu, ac rerum gerendarum peritia, inter cives enituiſſe. In Roncalienſibus comitiis, a *Friderico* celebratis, una cum collega ſuo, *Gerhardo de Nigris*, aureo ſcypho, pecunia referto, ut Imperatoris animum leniret, a civibus donatus eſt. Cauſarum patronum ſumma cum laude Mediolani egit. Poſt everſionem urbis patriæ, a *Friderico Barbaroſſa* factam, noſtrum A. 1171 Mediolanum ampliori muro cingi curaſſe, ex monumento, quod in ſuperiore limine portæ Mediolanenſis, quæ *Romana* dicitur, poſitum eſt, liquere, Cl. Autor obſervat. Cum aliquando controverſia de Caſtro Oſtiliæ inter Abbatem *Zenonis Veronenſis* & *Commune Ferrariæ* exiſteret, conſilio *Theobaldi* Epiſcopi

partes

partes litigantes convenerunt, ut *Oberti* judicio cauſa componeretur. Diremit igitur eam, ſententia lata, vir præſtantiſſimus, quam *Ughellus Tomo IV Italiæ ſacræ* inſeruit, atque *Alexander III*, Pontifex, *Conrado*, Archiepiſcopo Moguntino, in mandatis dedit, ut eam Pontificia autoritate confirmaret. *Marcum Antonium Majoragium*, ob inſignem, qua pollebat, eloquentiæ vim, nominis celebritatem adeptum, vero prænomine *Mariam Antonium* dictum eſſe, Cl. Autor monet. Cum autem in verborum delectu adeo diligens, & fere ſuperſtitioſus, eſſet, ut nullam dicendi formulam probaret, quæ apud antiquos ſcriptores Latinos non legeretur, ea quidem res effecit, ut, ne fœmininum maſculino nomini jungendum eſſet, repudiato *Mariæ* prænomine, illud *Marci* adoptaret. Plurimorum hoc facto invidiam atque reprehenſionem incurrit, imo coram Mediolanenſi ſenatu accuſatus eſt violatæ religionis, & contemptus *Mariæ*, quamvis ibidem, poſtquam rationibus adductis ſumma cum eloquentia cauſam ſuam peroraſſet, abſolveretur. *Majoragii* nomen a vico *Majoraggio* hauſiſſe videtur, ubi A. 1514 in lucem datus eſt. Cognomen autem gentis ejus commune *de Comitibus* fuit. Noviocomi primo, ſub conſanguinei cujusdam ductu & auſpiciis, literis operam dedit, tantamque diligentiam illis impendit, ut brevi ſcriptores tam Latinos, quam Græcos, & intellexerit, & explicarit. Ubi Mediolanum poſtea venit, ibique ab optimis præceptoribus in Matheſi atque eloquentia inſtitutus fuit, anno ætatis ſexto & viceſimo eloquentiæ docendæ munus obtinuit. Biennium vix eo in munere exegerat, cum Gallorum copiæ Alpes tranſcenderent, maximumque belli metum Mediolani excitarent. Cum reliquis ergo Profeſſoribus noſter dimiſſus, Ferrariam petiit, ibique ductu *Vincentii Maddii* & *Andreæ Alciati* Philoſophiæ ac Jurisprudentiæ placita percepit. Mox tamen, quia belli terror evanuerat, Mediolanum redux, munere ſibi demandato usque ad mortem, quæ A. 1555 contigit, incredibili ſtudio perfunctus eſt Quanti ipſum fecerint cives, ex elogio, quod ſub porticu baſilicæ S. *Ambroſii*, ubi noſter quieſcit, marmori inciſum legitur, & quod Cl. Pag. 839.

Pag. 723. poſſe, Cl. Autor affirmat. Integram quoque eam hic appoſuiſſet, niſi jam a *Caſpare Barzizio* publici juris facta fuiſſet. Tandem vero, Comitem *Octavium Archintum* in ampliſſima, quam compoſuit, familiarum Mediolanenſium Bibliotheca undecim *Homodeos*, collegii Juriſperitorum Mediolenſis aſſeſſores, recenſere, Cl. Autor monet, & alios præterea ſcriptores, de noſto differentes, adducit. *Obertum ab Horto*, Conſulem Mediolanenſem, Jus feudale, Corpori Juris civilis adjungi ſolitum, compilaſſe, recepta apud pleroſque eſt
724. ſententia, eamque Cl. Autor adoptavit. Quamvis autem, hoc verum eſſe, textus *2 F. 1* comprobare videatur, non tamen præter rem alii hoc caput pro fragmento epiſtolæ, ab *Oberto* ad filium ſcriptæ, quod operi inſeruerit compilator incertus, venditant. Quid? quod, cum *1 F. 13* conſuetudines Mediolanenſes *irrationabiles* vocentur, in textu *2 F. 25* vero *Obertus* noſter *vir ſapiens* dicatur, & tanquam teſtis citetur, vix probabile eſt, eum hujus compilationis autorem eſſe, conſuetudines urbis, cui præerat, vituperaſſe, ſeque ipſum hiſce encomiis exornaſſe. Ut taceamus, compilationem illam adeo eſſe ineptam, ut famæ *Oberti* melius conſultum ſit, ſi ei talis labor abjudicetur. Quicquid interea horum ſit, ea nunc, quæ Cl. Autor de vita *Oberti* narrat, percenſebimus. Memorat is, *Obertum* tempore *Friderici I*, Imperatoris, Mediolani floruiſſe, ac Juris ſcientiæ laude, patriæ Conſulatu, ac rerum gerendarum peritia, inter cives enituiſſe. In Roncalienſibus comitiis, a *Friderico* celebratis, una cum collega ſuo, *Gerbardo de Nigris*, aureo ſcypho, pecunia referto, ut Imperatoris animum leniret, a civibus donatus eſt. Cauſarum patronum ſumma cum laude Mediolani egit. Poſt everſionem urbis patriæ, a *Friderico Barbaroſſa* factam, noſtrum A. 1171 Mediolanum ampliori muro cingi curaſſe, ex monumento, quod in ſuperiore limine portæ Mediolanenſis, quæ *Romana* dicitur, poſitum eſt, liquere, Cl. Autor obſervat. Cum aliquando controverſia de Caſtro Oſtiliæ inter Abbatem *Zenonis Veronenſis* & *Commune Ferrariæ* exiſteret, conſilio *Theobaldi* Epiſcopi

partes

Digitized by Google

partes litigantes convenerunt, ut *Oberti* judicio cauſa componeretur. Diremit igitur eam, ſententia lata, vir præſtantiſſimus, quam *Ughellus Tomo IV Italiæ ſacræ* inſeruit, atque *Alexander III*, Pontifex, *Conrado*, Archiepiſcopo Moguntino, in mandatis dedit, ut eam Pontificia autoritate confirmaret. *Marcum Antonium Majoragium*, ob inſignem, qua pollebat, eloquentiæ vim, nominis celebritatem adeptum, vero prænomine *Mariam Antonium* dictum eſſe, Cl. Autor monet. Cum autem in verborum delectu adeo diligens, & fere ſuperſtitioſus, eſſet, ut nullam dicendi formulam probaret, quæ apud antiquos ſcriptores Latinos non legeretur, ea quidem res effecit, ut, ne fœmininum maſculino nomini jungendum eſſet, repudiato *Mariæ* prænomine, illud *Marci* adoptaret. Plurimorum hoc facto invidiam atque reprehenſionem incurrit, imo coram Mediolanenſi ſenatu accuſatus eſt violatæ religionis, & contemtus *Mariæ*, quamvis ibidem, poſtquam rationibus adductis ſumma cum eloquentia cauſam ſuam peroraſſet, abſolveretur. *Majoragii* nomen a vico *Majoraggio* hauſiſſe videtur, ubi A. 1514 in lucem datus eſt. Cognomen autem gentis ejus commune *de Comitibus* fuit. Noviocomi primo, ſub conſanguinei cujusdam ductu & auſpiciis, literis operam dedit, tantamque diligentiam illis impendit, ut brevi ſcriptores tam Latinos, quam Græcos, & intellexerit, & explicarit. Ubi Mediolanum poſtea venit, ibique ab optimis præceptoribus in Matheſi atque eloquentia inſtitutus fuit, anno ætatis ſexto & viceſimo eloquentiæ docendæ munus obtinuit. Biennium vix eo in munere exegerat, cum Gallorum copiæ Alpes tranſcenderent, maximumque belli metum Mediolani excitarent. Cum reliquis ergo Profeſſoribus noſter dimiſſus, Ferrariam petiit, ibique ductu *Vincentii Maddii* & *Andreæ Alciati* Philoſophiæ ac Jurisprudentiæ placita percepit. Mox tamen, quia belli terror evanuerat, Mediolanum redux, munere ſibi demandato usque ad mortem, quæ A. 1555 contigit, incredibili ſtudio perfunctus eſt Quanti ipſum fecerint cives, ex elogio, quod ſub porticu baſilicæ S. *Ambroſii*, ubi noſter quieſcit, marmori inciſum legitur, & quod Cl.

Pag. 839.

 Autor

Autor integrum appoſuit, poteſt intelligi. Orationes *Majoragii*, nec non variæ ejusdem Præfationes, una cum *Dialogo de eloquentia*, junctim ſæpius prodierunt. Præter Orationes autem, in iſta collectione exſtantes, quamplurimas adhuc alias *Majoragius* confecit, quarum indicem ſatis longum atque accuratum Cl. Autor ſuppeditat. Deprehendimus inter illas aliquam, quæ inſcribitur *Encomium luti*, quæ apud *Dornavium* in *Amphitheatro T. II pag. 273* comparet. Oratio judicialis *de mutatione nominis* Mediolani coram ſenatu a noſtro eſt habita, prout jam ſupra obſervavimus, atque eadem in urbe apud *Molchenium* A. 1541 in 4 edita. In Oratione *de laudibus auri*, Clericis illius ævi acrem dicam ſcripſiſſe noſtrum, Cl. Autor monet, eamque ob cauſam e collectione Orationum *Majoragii* exulare illam, dictitat. Edidit vero eam primo *Marquardus Gudius* Ultrajecti, poſteaque eadem Lubecæ, cura *Morhoſii*, A. 1690 typis repetita eſt. *Deciſiones pro M. Tullio Cicerone* contra *Cælium Calcagninum* editioni operum *Ciceronis*, & quidem *libris de Officiis*, adjunxit *Grævius*. Librum ejus *de Senatu Romano* Cl. *Polenus Supplementis Theſauri antiquitatum Romanarum* inſeruit. De quamplurimis aliis *Majoragii* lucubrationibus, a Cl. Autore recenſitis, ne juſto longiores ſimus, hic dicere non vacat. Levioris notæ, & obſcurioris famæ, ſcriptores, in ipſa Bibliotheca omiſſos, in *alteram Tomi ſecundi Partem*
Pag. Cl. Autor relegavit. Addenda deinceps & corrigenda Operi
1711 ſeq. attexuit. Exteros tandem ſcriptores, qui, quamvis Mediola-
1931. num patriam non habuerint, laribus tamen eo translatis eam urbem eruditione ſua illuſtrarunt, ibique vita denique functi ſunt, ordine alphabetico ibidem recenſet. Et, quamvis neutiquam ſe *Picinelli* rationem hoc in labore ſecutum eſſe dicat, qui quamplurimos, nec Mediolani natos, nec ibi vita functos, in Mediolanenſium ſcriptorum ſeriem retulit, negari tamen non poteſt, Cl. Autorem nonnullos etiam hic attuliſſe ſcriptores, qui, quamvis nunquam Mediolani vixerint, ibi tamen ſepulti ſunt. Cum *Bartholomæus Curtius* in opere *de claris Medicis Mediolanenſibus* non ſuos tantum-

modo

Digitized by Google

modo cives, ſed pleroſque etiam aliarum Italiæ urbium eximios Phyſicos, laudarit, immo etiam non paucos extra Italiam degentes commemorarit, nonnullos ex ejusdem libro Cl. Autor ſelegit, qui Mediolani verſati, ibidemque defuncti ſunt. Ne autem juſto major eorum numerus fieret, eos, de quibus a Cl. *Saxio* in libris, huic Bibliothecæ præmiſſis, jam dictum eſt, data opera omiſit, illis tantum, de quibus tacuit *Saxius*, prolatis. Ut igitur ex harum etiam deſcriptionum ſerie paucula quædam ſpecimina demus, de *Julio Claro* Cl. Autor hic loci agit, non aliam ob cauſam, quam quia ejusdem corpus poſt mortem Mediolanum translatum eſt. Narrat autem, eum Alexandriæ Stætiellorum A. 1525 natum eſſe, Jurisprudentiæ operam indefeſſam dediſſe, in Ticinenſi Archigymnaſio Doctoris honore ornatum eſſe, in ſupremum Inſubriæ magiſtratum fuiſſe allectum, prætorios Cremonenſium faſces poſtea geſſiſſe, & a *Philippo II*, Hiſpaniarum Rege, tandem Conſiliarii munere decoratum. Cum vero tunc temporis inter Genuenſes, ob novarum veterumque familiarum diſcordias, plurimæ agitarentur lites, ab ipſo Rege *Philippo* unus omnium aptiſſimus judicatus eſt noſter, qui ad civium animos pacandos mitteretur. In Italiam igitur eo conſilio profecturus, Cæſarauguſtæ, uti *Pancirollus* exiſtimat, A. 1575 obiit, corpus autem ejus Mediolani in templo *Pacis* apud Minores reconditum eſt. Inter ſcripta *Julii* noſtri, quæ una cum variis eorum editionibus fuſe Cl. Autor ediſſerit, notari potiſſimum meretur *receptarum ſententiarum opus*, in quo præcipua Juris civilis ac criminalis capita pertractantur, Francofurti anno ſeculi præteriti decimo tertio recentiſſime excuſum, nec non *Tractatus de feudis*, qui Venetiis A. 1566 publici juris factus eſt. *Franciſcus Mediobarbus*, vir rei nummariæ peritiſſimus, Ticini quidem ab illuſtriſſimis parentibus eſt progenitus, Mediolani tamen annos complures tranſegit, ibidemque mortuus eſt, in hanc claſſem ideo a Cl. Autore relatus. Juris ſcientiæ quidem is ſe addixit, atque decurionum collegio in urbe patria adſcriptus eſt; verum, inter cauſarum & fori ſtrepitus, ele-

Pag. 2093. 2127.

Digitized by Google

gantiores diſciplinas diligentiſſime tractavit, nummorum veterum inveſtigatione potiſſimum delectatus. Fama eruditionis ejus tanta fuit, ut non ſolum apud Regem Poloniæ *Joannem III* eſſet gratioſiſſimus, cujus quippe laudes Oratione, typis poſtea exſcripta, celebrarat, & *Numiſma triumphale & pacificum*, in memoriam pacis, cum Moſchis a Rege initæ, eidem obtulerat; verum & ab Inuictiſſimo Imperatore *Leopoldo* ſummis honoribus exornaretur. Doctiſſimis iſtius ætatis hominibus, ſigillatim *Redruſio* & *Magliabeccio*, commercium literarium cum noſtro interceſſit. Quanta autem fuerit noſtri doctrina, omnium optime teſtantur *Adolphi Occonis Imperatorum Romanorum Numiſmata a Pompejo M. ad Heraclium*, cum notis & additionibus noſtri A. 1683 excuſa. Operis iſtius præſtantiſſimi novam editionem Cl. Autor paravit, quæ Mediolani A. 1730 typis excuſa eſt. Paraverat inſuper *Mediobarbus* Tractatum peculiarem *de Nummis Imperatoris Commodi*, quem utinam ad umbilicum perduxiſſet! Verum, ultra mediam partem vix perductum, intercedente morte, imperfectum relinquere coactus eſt, ejusque manuſcriptum exemplar filius *Mediobarbi* cuſtodit. *Joſephus Maria Stampa*, in oppido Grabedonæ prope Larium lacum A. 1666 natus eſt. In Comenſi Collegio bonis literis operam dedit, poſteaque in congregationem Clericorum regularium Schomaſchenſium relatus eſt. Solennibus votis emiſſis, literas nihilo ſecius diligentiſſime coluit, Collegio autem Mediolanenſi S. *Petri in Monteforti* bis præfuit. Mediolani eam ob cauſam diu commoratus eſt, ibidemque vitam
Pag. cum morte commutavit, in hanc claſſem a Cl. Autore ideo
2175. relatus. Ceterum, artem rhetoricam atque humaniores literas eum Viglevani, Ticini, & Romæ, in *Collegio Clementino* auditoribus propinaſſe, idem commemorat. Quanta fuerit *Stampa* eruditio, ſcripta ejusdem quamplurima, a Cl. Autore recenſita, affatim loquuntur, & optandum utique eſſet, ut quamplurimi ejus libri, mathematica potiſſimum argumenta pertractantes, qui, prout Cl. Autor indicat, manuſcripti adhuc in monaſteriorum ſcriniis deliteſcunt, publici juris fierent.

Digitized by Google

rent. Gratulamur interim nobis, quod ejusdem *in faſtos & triumphos, id eſt, in univerſam Romanam hiſtoriam, Commentarium*, nec non *Diſſertationem de Comitiis Romanorum*, & *Faſtorum triumphorumque Romanorum poſt Sigonium continuationem*, recentiſſimæ Operum *Sigonii* editioni inſeruerit Cl. Autor. Indicem Scriptorum omnium, quorum vitæ hac in Bibliotheca enarrantur, ſecundum dignitates, quibus conſpicui fuerunt, digeſtum, ad calcem libri deprehendimus. Agmen ibi ducunt Scriptores, Sanctorum ac Beatorum elogio inſigniti. Eos eccleſiaſtici ordinis viri ſequantur, quos Conſules Romani, Principes, Senatores, Quæſtores utriusque magiſtratus, Oratores ad Principes, Jureconſulti, atque Profeſſores Academici, excipiunt. Adjectus eſt huic Indici ſyllabus eorundem Scriptorum ampliſſimus, per diſciplinarum claſſes digeſtus. Index denique rerum, locorum, atque librorum, de quibus in hac Bibliotheca fit mentio, univerſum opus claudit. Coronidis tamen loco biga epiſtolarum a Cl. Autore adjecta eſt, quarum altera ab Eminentiſſimo *Angelo Maria Quirino* ad Cl. *Saxium* data eſt, & ab hoc ad illum altera. Cum nimirum Eminentiſſimus Purpuratus, *Saxium* in libro ſupra deſcripto nimium Mediolano ſuo dediſſe, exiſtimaret, &, ne ea res Brixiæ luminibus nonnihil officeret, metueret, ea, quæ in contrarium dici poſſe videbantur, in hac ipſa epiſtola cum Cl. *Saxio* communicavit, &, Brixiæ eundem, immo majorem, præ Mediolano laudem ob impreſſos antiquiſſimis jam temporibus Orientales, Græcos, atque Latinos Codices deberi, probatum ivit. Objectiones autem iſtas in literis, viciſſim ad Eminentiſſimum *Quirinum* datis, Cl. *Saxius* diſcuſſit, & ſententiam, quam in opere ſuo attulerat, ulterius communivit. Bina interim hæc ſcripta adeo feſtive, eleganter, & miti ſtilo, compoſita ſunt, ut optandum ſit, ut omnes literati, ab aliis diſſentientes, talem rationem inirent, neque invidiæ furiis ſtimulati, virorum præclare de re literaria promeritorum famam inſulſis contumeliis laceſſerent. Expertus eſt male feriati ejusmodi hominis injurias Cl. Autor, quando plagii crimen a neſcio quo tenebrione

præter

præter omnem rationem ipſi intentatum eſt. In epiſtola autem, anno præterito ad V. C. *Horatium Blancium* data, criminationem illam graviter, erudite, modeſte, & ita, uti virum ſapientem decet, is diluit. Ante aliquot menſes epiſtolæ iſtius notitiam in hiſce *Actis* noſtris dedimus, Cl. Autoris famam pro virili noſtra vindicantes, & vel hac iterum vice, nos maximi eum facere, ejusque eruditioni multum tribuere, profitemur. Hanc enim Scriptorum Mediolanenſium Bibliothecam nominis immortalitatem ipſi allaturam eſſe, certiſſime auguramur.

CAJI VELLEJI PATERCULI HISTORIÆ Romanæ Libri duo, accurante STEPH. AND. PHILIPPE.

Lotetiæ Pariſiorum, ſumtibus Mich. Steph. David, 1746, 12. Plag. 13.

Si Scriptores claſſicos, huc uſque a Cl. *Philippio* publicatos, noverimus, nihil fere de iſto ſingulatim erit dicendum. Ovum ovo non ſimilius, ſive nitorem ſpectes, ſive accurationem. *Velleji* vita initium facit, prout eam *Beatus Rhenanus* deſignavit, atque etiam Cel. *Petrus Burmannus* editioni ſuæ majori ſubjunxit. Succedunt de *Velleji Paterculi* vita & ſcriptis ex *Ger. Jo. Voſſii* opere *de Hiſtoricis Latinis* notitia, variorum de eodem judicia, atque ex *Annalibus Vellejanis Henr. Dodwelli* per *Chriſtophorum Cellarium* facta excerpta. Inter elogia quatuor invenimus, quæ in illa *Burmanni* editione legere non meminimus. Unum eſt *Beati Rhenani* ex prolegomenis ad *Vellejum*: *Meo ſane judicio nulli ſecundus eſt Vellejus inter Latinos: tam eſt caſtus ac nitidus in dicendo, mira ſtili jucunditate & clariſſimo candore præditus.* — Alterum eſt *Voſſii de Arte hiſtorica Cap. 32*: *Velleji, elegantiſſimi ſcriptoris, pauca admodum ſuperſunt; atque eorum honorem fœda adulatione in ſui ævi rebus non leviter obfuſcavit.* Tertium eſt *Mothæi le Vayer*, Galli: *Unum adhuc notatu digniſſimum in ejus ſtilo reperio: quod ſcilicet in omnibus, quibus utitur, orationis*

tionis figuris Epiphonema cum tanta venuſtate adhibeat, ut ipſi nemo fortaſſis hac in parte fuerit unquam æqualis. - - Miſſo Criticorum ancipiti judicio, conſtanter tenendum eſt, circa genuinum Autoris hujus textum, quod, exceptis erroribus iis, qui potius a ſcribis, quam ab ipſo - - fluxerunt, nihil in tota Latinitate purius nobis ſuppetat, nec dignius Auguſti Tiberiique temporibus. Ultimum eſt *Aldi Manutii* in Scholiis, *Gruteri* editioni adjectis: *C. Vell. Paterculus, explicatur veteris hiſtoriæ luculentus, & preſſus, & efficax.* Hæc ante contextum notari merentur. Eundem excipiunt index rerum geographicarum, itemque editionum *Caji Velleji Paterculi.* Ille, per ſe quidem lectoribus Geographiæ ignaris perquam utilis, ſingulare habet nihil; hic præter id, quod *Fabricii Bibliotheca Latina* legendum prabet, nihil nobis ſingulare ac notatu dignum ſuppeditat.

IDE'E DU GOUVERNEMENT ANCIEN ET MODERne de l' Egypte, &c.

hoc eſt,

IDEA REGIMINIS ÆGYPTI ANTIQUIORIS ac recentioris, cum deſcriptione novæ cujusdam Pyramidis, ac recentibus obſervationibus de moribus & ritibus terræ iſtius incolarum, per

M. L. L. M.

Partes II.

Pariſiis, apud viduam Geneau, 1743, 12 maj.

P. I plag. 15, P. II plag. 13.

Diſſertatio, procemii loco poſita, laudat inprimis *Rollini* Hiſtoriam antiquam, vituperat autem Abbatem *Guyonum*, qui ſcripſit *l'Hiſtoire des Empires & des Republiques, depuis le Deluge juſqu' à Jeſus Chriſt*, qua occaſione in res varias, antiquam hiſtoriam circumſtantes, altius inquiritur. Ad incertitudinem, quæ paſſim hic obſervatur, confirmandam, pugna ſcriptorum allegatur, e. g. *Herodoti* & *Xenophontis* de Pag. 13.

 Cyri

Cyri M. obitu, quæ, cum ſit facti, vix ac ne vix quidem dirimi poteſt. Enarrat quidem nonnulla, quæ, ad opem ferendam, uſurpari ſoleant; ſed & minus hæc ſufficere agnoſcit.
Pag. 16. Inter eadem nominat ἐτυμολογίας, quas ſemper incertas eſſe atque audaces, minimo quidem jure, arbitratur; hoc autem loco tanto magis ſuſpectas habet, quoniam analogiam in linguis fundamenti loco ponant, quam re vera dari, probatione ſemper indigeat, unde in arena ædificent tales ædificium, quod temere ſibi ſolidum ac durabile fingant. Eadem occaſione
19. juſtitiam exhibet, ut ipſe profitetur, civibus ſuis: dum, Gallus, ait, quaſi natura ſua vanus, & ſui ipſius veneratione captus eſt, ſuique amore; magis forſitan, quam ceteræ nationes conjunctim. Nihilo minus tamen nulla Hiſtoricos dederit, quam Gallica, potiores, atque amantiores veritatis. *Thuanus* atque *Mezeray* hujus nominatim aſſerti documenta proponuntur. Camparat porro doctiſſimus Autor hiſtoriam antiquam ac recentiorem, atque inſignem huic prærogativam tribuit. In vanum, ipſo legitimo arbitro, de reformandis
25. hominum moribus laborant, deque emendandis, ſatira & comœdia, niſi temporis illius mores repræſentant. Nihilo mi-
46. nus antiqua ipſe cum recentioribus conjunxit; quod quidem tanto magis ipſi competere credidit, poſtquam in libri, *Deſcription de l'Egypte* inſcripti, inprimis *Epiſtola XII* nonnihil jam eo pertinens admiſcuit, adeoque ſitim excitavit
64 ſeq. lectori. Cui plurimum fidere potuit, habuit diviniſſimum vatem *Danielem*: cujus eo quæ trahit vaticinia, ſimul affert atque exponit, *Guyonium* confutare membratim pergens.
1-2. In ipſa deinceps priore Commentatione regionem ante omnia Ægyptiacam laudat, ubi artes ac ſcientiæ ſint inventæ, & unde ceteris ſint cum gentibus communicatæ.
3. Advolarunt nimirum ad Ægypti ſapientes audiendos undecunque homines. *Orpheus*, *Muſeus*, *Dædalus*, *Homerus*, *Lycurgus*, *Solon*, *Socrates*, *Plato*, *Pythagoras*, ibi didicerunt. Inventores erant Ægyptii Mythologiæ, Geometriæ, Aſtrono-
4. miæ, quam ipſis Chaldæis tradiderunt. Zodiaci, ſive orbis ſtelliferi, ſignis nomina primi impoſuerunt, quæ hodieque habent:

habent: hebdomadis dies a ſeptem planetis nominarunt, id-
que ordine nominum perquam naturali. Quodſi enim pri-
mam cujuſcunque diei horam a *Saturno* denominemus, a
Jove alteram, tertiam a *Marte*, ſequentem a *Sole*, proximam
a *Venere*, ſextam a *Mercurio*, a *Luna* poſtremam, atque ita
repetitis vicibus pergamus per omnes 24 horas, prima ſe- Pag. 5.
quentis diei hora *Solis* erit, proximi *Lunæ*, tertia *Martis*, atque
ita porro. Præterea fuerunt Ægyptii, ut *Macrobius Saturn.*
Cap. 19 vocat, *omnium Philoſophiæ diſciplinarum parentes*, ut alia
ſileamus. Nihilo minus hujus populi hiſtoria omnium forſi-
tan eſt obſcuriſſima. Plurima ſunt fabuloſa, cui ſe oceano 6.
committere Noſter dubitavit. Figere is potius pedem labo- 8.
rat, idque ad paulo certiores temporum notabilium ambitus.
Menethon, Pontifex maximus Heliopolitanus, *Ptolemai Phi-
ladelphi* tempore celebris, primos fuit illius populi inter Hi-
ſtoricos. Triginta is dynaſtias facit, quæ, ſi calculum ſub- 14.
ducas, inde a primo rege *Menete* uſque ad *Alexandrum M.*
5355 annos efficiunt. Quod cum nimis longum ſit tempus,
Julius Africanus credidit, tres primas dynaſtias eſſe reſcinden-
das, quæ 3317 annos habent. Eandem ſententiam ſequitur
Euſebius. Alii aliter ſenſerunt. Quod quidem ideo factum
eſt, quoniam diverſum annorum apud Ægyptios ambitum
confuderunt. Parum de illo Noſter, etſi forſitan opus fuiſſet
fuſius commemorare, qua ratione non ſolum tertias & quar-
tas annorum partes, ſed & menſes, immo dies, Ægyptii ſin-
gulos nonnunquam annos reputarint. Attamen habet non-
nihil de anno Ægyptio: dum ibi 12 fuiſſe menſium dicit, 21.
cum aliæ gentes vel trimeſtrem haberent, ut Arcades, aliæ ſe-
meſtrem, ut Acarnani, aliæ decimeſtrem, ut primi Romanorum.
Fuiſſe autem lunares potius, quam ſolares, exiſtimat, unde 22.
conjicit, initio forſitan ſingulos menſes ſingulos annos ha-
buiſſe. Sed æque inclinat ad id, non tam ſeſe excepiſſe, 23.
quam potius una fuiſſe, iſtius modi imperia, ſaltem non-
nulla. Secundum omnes Hiſtoricos imperium Ægyptiacum 26.
fundavit *Menes*, qui *Mizraim Chami* filius dicitur. Altera 117.
Saitarum dynaſtia anno ante Chriſtum natum 670 cœpit.

Digitized by Google

Sub ſeptem Regibus annos 145 ſtetit, ac celeberrimum inter
P. II. Reges habuit *Pſammetichum*. Sed, cum ipſe Noſter noluerit
iſtiusmodi momentis diutius inhærere, nos multo magis cum
Pag. 2. ipſo ad recentius ævum properamus. Incepit illud, ab oc-
cupatione regni, per Saracenos facta, ſeu poſt C. N. 620. Per-
cenſentur hic tam vera, quam fabuloſa. Legimus profecto
nonnulla, amoribus Mileſiis ac Romanenſibus libellis haudqua-
quam indigna, eademque ſtilo ſcripta vividiore. Quæ maxime
148 ſeq. notabilia reperimus, ad ſtatum regni hodiernum pertinent. Ha-
bet omnino præfectus Ægyptiacus inſignem ſplendorem, ne-
que reditus minores, licet arctioribus, quam alii quidam, ſit
cancellis circumſcriptus. Quod omne, cum fuſius exponatur,
160 ſeq. tur, in ipſo libro legi meretur. Nobis præterea comme-
moratu digna videtur Ægyptiacæ gentis religioſitas. Inveni-
untur ibi, qui *Santones* appellantur, & quorum virtutem omnis
populus colit. Ipſe Autor præſens ibi vidit ſtupendæ quæ-
dam auſteræ iſtorum vitæ exempla. Unus ejusmodi homi-
161 ſeq. num nudus fere inter rudera templi Turcici vixit, nunquam
ante ſolis occaſum comedit, & perpauxillum quidem viliſſimi
cibi, quem ipſe tunc petiit a civibus, lætiſſime præben-
tibus. Nunquam locutus, licet omnia intelligeret, & quæ
ſunt alia hujusmodi exempla, quæ magnam ſanctitatis ſpe-
ciem iſtiusmodi viris compararunt, & æternam ſæpe, cum
cultu & monumentis, poſt fata, memoriam.

LA VIE DE PROPERCE, CHEVALIER ROMAIN, &c.

hoc eſt,

VITA PROPERTII, EQUITIS ROMANI, CUM interpretatione Gallica, tam libera, quam ligata, elegantiſſimarum ipſius Carminum particularum, & obſervationibus, hiſtoriaque præcipuorum ejusdem ſeculi aſſerum, quæ ad opera illius nonnihil contulerunt, per GILLETUM DE MOIVRE.

Pariſiis,

Pariſiis, apud Andream Cailleau, 1746, 12 maj.
Plag. 9½.

In *Libros VIII* diſpeſcitur opuſculum, quorum in primo continentur *Propertii* ac *Cynthiæ* natales, imagines animorum, illius amores, hujus frigore magis atque magis inflammati, donec tandem, amantis explorata conſtantia, manus ipſa daret, mutuumque declararet amorem. Unde conceptum gaudium verſibus is paſſim declarat. Eo tempore *Julius Cæſar* necabatur, atque inter turbas triumviratus *Propertii* bona publicabantur ab *Auguſto*. Licet enim ille Mevaniæ, quæ hodie *Bevagna* dicitur Umbriæ civitas, natus eſſet, educabatur tamen Romæ, & in patria publicis muneribus præerat parens. Hinc civilibus turbis implicabatur uterque, ac poſterior nominatim, *Antonii* partes ſecutus, Peruſa capta, necabatur ab *Auguſto*. Tam periculoſa caſtra ſecutus eſſet cum patre filius, ni Romæ *Cynthia* detinuiſſet, quæ nihilo minus, oppugnata Peruſa, ad abeundum Roma concitavit; quem ipſius propinqua *Cornelia* comitabatur, cujus frater erat *Cornelius Gallus*, qui tunc infelix Peruſæ verſabatur, a Poeta quidem diſtinguendus. *Propertius*, facultatum jacturam perpeſſus, quæritur ideo protegiturque a *Mæcenate*, adeoque communibus cum amico *Marone* utitur fatis. Ambo pariter ſecum invicem opera poetica, priusquam publicarentur, communicarunt. Ceteroqui ſorte ſua contentus *Propertius*, dum *Cynthia* gaudebat, rivalem accipit *Horatium Flaccum*, cujus *Lib. I Od. 38*: *Perſicos odi puer*, & *Lib. III Od. 9 Donec gratus eram*, a Noſtro excerptæ, & verſibus Gallicis redditæ, huc pertinent. Sed repellebatur *Horatius*, cui tamen alii ſuccedebant, quos inter maxime timendus erat *Panthus*, calumniatus *Propertium*, alias invidiæ ſatis expoſitum. Invidi nimirum ſatiras, in *Auguſtum* ſcriptas, *Propertio* tribuebant: qui tamen ſatis ſeſe purgavit. Novum minabatur periculum, dum, *Citheride* relicta, *Cynthiæ* ſe applicabat *Cornelius Gallus*; ſed & iſtum rivalem feliciter ſuperabat *Propertius*; qui porro, cum, de patria redux, apud *Statilium Taurum* amicam inveniſſet,

Lib. I.

II.

III.

IV.

ζηλοτυπίαν ſenſit prorſus extraordinariam; quam & epiſtola illi miſſa & carminibus demonſtravit, e. g. *Lib. II Eleg. 13*, & *23*, *III, 11.* Et ſane habebat, cur omne timeret, Poeta. Erat enim rivalis dux *Auguſti* fortiſſimus æque ac liberaliſſimus & magnificentiſſimus. Parum etiam abfuit, quin cum ipſo in provin-
Lib. V. ciam diſceſſiſſet amica. Sed incidebat in morbum, quo dum vexabatur, vota illius ergo fecit *Propertius*, in gratiam cum ipſa rediens. At idem rurſus ægre tulit, quod ipſa *Iſidi* vota ſolvens, candido veſtitu ad templum, a conſuetudine ſejuncta, decem dies ac noctes Deæ laudes ſiſtro canens, ſegregata maneret. Nova ſucceſſit indignationis cauſa, cum Bacanas ſeſe in thermas conferret *Cynthia*, de quo loco quæ *Ep. LI Seneca* commemorat, legi mereantur. Cum reconciliarentur, conjugium *Propertius Lib. III Eleg. 18* declaravit; ſed nuptiæ diu demum poſt celebratæ fuerunt. Hac occaſione quæ de Romana hiſtoria, quod ad *Antonium*, *Octavium*, & *Cleopatram*, attinet, referuntur, ſicco pede tranſimus; licet eadem
VI. totum *Librum ſextum* ſimul impleant. Id ſaltem tacere non poſſumus, *Propertium* pariter acta iſthæc & fata velut
VII. publica decantaſſe, idque præſertim *Lib. III Eleg. 9.* Penultimo Noſter *Auguſti* triumphos & dolores propter mortuam *Cleopatram*; *Propertii* cum *Cynthia* conjugium; felicitatem, qua tunc gaviſus eſt; ut & itinera; templum *Apollinis*; *Auguſti* gloriam; accuſationes contra *C. Gallum*, Ægypti gubernatorem;
VIII. *Marcelli* mortem, atque alia, deſignat. *Ultimo* demum Libro diſputat de *Mæcenate*, atque illius genio, cum *Propertii* tantum non eodem; de bello Armenio & Parthico; de militia *Propertii*, *Ovidio* comite ac ſocio; de pace reſtituta; de *Naſonis* exilio; deque *Propertii* de bello reditu: qua occaſione gaudio exultans *Cynthia*, mariti arma in templum fert *Martis*, carmine quidem ſubſculpto. Agmen denique claudunt ad obſervationes quædam ſupplementa. Rem ipſam ſi conſideremus, continet omnino liber iſte *Propertii* præſertim *Cynthiæ*que *amores*, neque adeo novimus, cur iſta tituli pars, prius adjecta, prætermiſſa deinceps fuerit. Haud enim idcirco ſtatim ſcriptis ille liber Romanenſibus inſeretur, ita omnino

com-

compoſitus, ut facile offendat neminem. Nec male fecit Autor, quod publicam illius temporis, cum *Propertii* privata, hiſtoriam miſcuit: ut tanto magis publicæ fieret utilitatis. Illa nimirum notior quidem eſt; at non niſi pauciſſimis carior iſthæc.

NUMISMA HIERONYMI EQUITIS ODAM, ex Muſeo Victorio prolatum.

Romæ, ex officina typographica Jo. Zempel, 1742, 4. Plag. 3.

Eſt illud ancitiæ monumentum, poſt obitum Generoſ. Equitis poſitum ab Autore, qui jam aliis ſcriptis, ſingulatim hiſtoria ſeptem dormientium, innotuit, atque illud hic non deſcribit ſolum, ſed variis maxime obſervationibus, locis communibus, teſtimoniorum antiquitatis collectionibus, illuſtrat. Id dum ſcribimus, varia iſthic reperiri, quæ non temere arbitrati eſſemus, memoramus. Pertinent huc varia loca de conditione virtutis ac generibus, de amicitiæ ratione & raritate, tractatio de vetuſtate numos effingendi conſuetudinis; nomina hujusmodi artificum, quos jam habet Roma; indicium diverſarum apud *Atticos* & *Lacones* legum; item proverbiorum nonnullorum expoſitorum, & quæ hujus generis ſunt alia. Miſſis enim his, ad ipſum numum accedimus. In parte anteriore imago de more oblique expreſſa eſt, his literis apte diſpoſitis: *Hieron. Odam. Rom. Eq. Ord. Conſtantin.* Ad ima colli legitur *Mem. reſtit.* F. EQ. V. In poſtica lemma legitur, ex *Ovidio* depromtum: *mille. dea. eſt. operum,* & quidem circa *Minervæ* ſignum. Denum in exergo: A. *Sart.* F. *Fena* MDCCXLII. Angelus Sarti faciebat &c. Ut vero character viri literarum amantis demonſtraretur eo magis, de multis, quæ *Minervæ* tribuuntur ab antiquis ſcriptoribus, nativitatem ſelegit Autor, quam, nulli adhuc in mentem veniſſe arbitratur, ut erudito viro aptaret. *Jovi*, partum edenti, obſtetricem ſe gerit *Venus*, monili gemmata, inauribus, ac diademate, ornata, poſt quam arbos collocata eſt mali punici, cui inſiſtit columba *Veneri*

Digitized by Google

neri ſacra. Adſtat *Juno*, duplici armilla, manuum ſuarum ornamento, inſignis, inauribus quoque & diademate, cum gemma pretioſa, protenſis manibus, ut *Minervam* jam prodeuntem de cerebro *Jovis* exciperet. Clypeum vero geſtat *Minerva*, haſtam, galeam criſtatam. Adſtat pariter *Vulcanus*, partum prodigioſum miratus, poſtquam biſida ſecuri *Jovis* caput aperuit. Myſtica hæc hiſtoria ex antiqua patera Etruſci operis delineata eſt, atque elegantior hic reddita. Pateram vero ipſam ex Muſeo *Coſpiano*, ubi adhuc Bononiæ ſervatur, *Laurentius Legati*, Cremonenſis, primus edidit, paulo poſt illuſtravit *Michael Angelus Cauſſeus de la Chauſſe*, a quo ſumſit *Jo. Ge. Grævius*, tranſtulitque in *Theſaurum Antiquitatum Rom.* Diminuto vetuſtæ pateræ modulo, nitidiſſime vulgata eſt a *Gorio* in Muſeo. Et hæc ſunt, quæ velut ad eſſentiam hujus deſcriptionis, vel Commentationis, pertinent, omnia. Cetera vel in rationibus factæ ſymbolorum accommodationis, neglective elogii literarii ipſius herois, vel in rebus minus neceſſariis, conſiſtunt.

Neue und vollſtändigere Sammlung der Reichs-Abſchiede, ꝛc.
hoc eſt,

NOVA ET AUCTA COLLECTIO RECESSUUM Imperii, qui inde a Conrado II uſque ad noſtra tempora in comitiis Germaniæ confecti ſunt. Accedunt præcipua imperii concluſa, in hodiernis comitiis publicata.

Tomi IV.

Francofurti ad Mœnum, apud Erneſtum Auguſtum Kochium, 1747, fol.

T. I Alph. 3 plag. 4, T. II Alph. 7, T. III Alph. 7 plag. 12, T. IV Alph. 7.

Cum decreta, communi ordinum conſenſu in comitiis facta, præcipuum inter leges imperii Romano-Germanici locum occupent, ſtatumque publicum pariter, ac privatorum interdum cauſas, ordinent, digniſſimaque ideo ſint, quæ in omnium

omnium notitiam perveniunt, gratiſſimam profecto legum patriarum ſtudioſis operam navaſſe dicendus eſt *Erneſtus Auguſtus Kochius*, Vir honeſtiſſimus, quando novam Receſſuum imperii editionem, prioribus, quotquot exſtabant, multo accuratiorem, doctiſſimisque prolegomenis, annotationibus, nec non Indicibus accuratiſſimis, locupletatam, opera & conſilio doctiſſimorum hominum uſus, adornavit. Nuncupata eſt præſtantiſſima hæc Collectio ſummo Germaniæ Moderatori, *Franciſco I*, Imperatori Auguſto, felici, a Deo dato, cujus incomparabilis juſtitiæ amor, legumque patriarum cuſtodia, debitis hic extollitur laudibus, nec non Reverendiſſimo Principi, *Joanni Friderico Carolo*, Archi-Epiſcopo Moguntino, S. R. I. Archicancellario per Germaniam & Electori, cujus egregia itidem Germanicæ libertatis cura, & inſignis favor, quo novam hanc Receſſuum editionem adjuvit, quando illos cum exemplaribus, in ſcrinio imperii publico reconditis, conferri clementiſſime permiſit, hoc pietatis monumentum jure ſuo poſtulabat. Ut igitur, quid in hac editione præſtitum ſit, eruditus Lector cognoſcat, ejus jam contenta more noſtro exponimus. Prooemii loco introductio ad hiſtoriam Receſſuum imperii præmiſſa eſt, cujus Autorem, quamvis nomen ipſi reticere placuerit, Ill. *Olenſchlagerum*, Potentiſſimi Regis noſtri Conſiliarium aulicum, Virum egregium, & in doctrina Jurium imperii excellenter verſatum, atque adeo in praecipuis Francofurtanæ urbis ornamentis numerandum, eſſe, conjicimus. In Germania nunquam monarchicam imperii formam plene obtinuiſſe, ſed diverſas res publicas, nullo imperii nexu inter ſe conjunctas, a ſenioribus populi antiquitus fuiſſe adminiſtratas, fundamenti loco is ponit. Neceſſum ideo erat, ut de negotiis publicis, totus populus, in comitiis congregatus, in commune conſuleret, quorum comitiorum formam & rationem ample Ill. Autor ediſſerit. Decreta horum comitiorum, propter Germanorum veterum ſimplicitatem, & artis ſcribendi ignorantiam, literis non fuiſſe mandata, ſed, uti reliqua eorum inſtituta, cantilenis quibusdam comprehenſa, dictitat. Francorum Reges, quamvis Germaniæ populos in unum ſyſtema redegerint, & tanquam monarchæ im-

peritarint, neutiquam tamen abſoluta potentia gaviſos eſſe, ſed more majorum res ad imperium ſpectantes cum Ordinibus imperii communicaſſe, obſervat. Hoc vero in comitiis factum eſſe, quæ antiquitus ſub dio & in quodam campo menſe Martio habebantur, eumque ideo locum *campum Martium* dici ſueviſſe, monet. Eo autem tempore, quo majores domus ſupremam affectabant potentiam, hoc immutatum eſſe, & in locum comitiorum *placita generalia*, a proceribus duntaxat confecta, ſucceſſiſſe, dictitat, quæ placita perperam cum *mal-*
Pag. 2. *lis publicis* a quibusdam confundi, urget. Tempore Carolingorum Regum eandem comitiorum rationem fuiſſe retentam, obſervat, atque, comitia, quoniam in palatiis regiis menſe Majo habebantur ad imitationem campi Martii, *Campum Majum* fuiſſe dicta, monet. Decreta horum comitiorum Latino ſermone antiquitus fuiſſe compoſita, in capita quædam diviſa, & cum ſingulis Statibus volumen eorum fuiſſe communicatum, nos docet, indeque vocabula *pactus* & *capitulare* deri-
3. vat. In iisdem comitiis leges Salicas atque Ripuarias confectas fuiſſe, concedit, quas tamen vim legis univerſalis habuiſſe, negat, Ripuarios Salicis, & Salios Ripuaricis, legibus neutiquam obtemperaſſe, contendens. Ubi Germania, poſt diviſionem imperii inter *Ludovici Pii* filios factam, peculiare regnum evaſit, peculiaria quoque ibi comitia congregari ſueviſſe, quamvis a Francorum moribus haud diverſa, demonſtrat, eandemque rationem ſub Imperatoribus Saxonicis adhuc obtinuiſſe, urget, quanquam Duces & Comites, hæreditario jure ditiones ſuas poſſidere, tunc temporis jam cœperint.
5. Sub imperio *Ottonum*, civitates quasdam, in quibus palatia Imperatorum erant, a juriſdictione ordinum imperii fuiſſe exemtas, & exinde urbes imperii liberas, quibus jus in comitiis comparendi competebat, tempore magni interregni exſtitiſſe, obſervat. In unaquaque etiam illo ævo provincia prædeliberationes inſtituebantur, ut deinceps in comitiis imperii omnes res eo commodius expediri poſſent. Originem Receſſuum imperii temporibus *Ottonum* III. Autor aſſignat, atque tunc vota ordinum, quæ antea deliberativa erant, deciſiva evaſiſſe, Statusque in partem adminiſtrationis imperii venire

cœpiſſe,

cepiſſe, contendit. *Henricus Sanctus* ſingulas provincias una cum Principibus imperii peragravit, ibique comitia particularia indixit. Comitia, ab Imperatoribus Salicis habita, Ill. Autor exponit, & varias doctorum hominum opiniones de celebratiſſima conſtitutione de expeditione Romana affert, *Conrado Salico* eam adſcribi ſatis certo poſſe, negans. Turbulenta tempora, quæ ſub *Henrici IV* imperio extiterunt, ducibus occaſionem præbuiſſe, ut ſuperioritatem territorialem in ditionibus ſuis magis magisque confirmarent, contendit. Tandem, ſub *Lothario* Saxone, Principes imperii plane non amplius officiales Imperatoris fuiſſe, ſed dominos territoriorum factos eſſe, conſtituit. Sub *Friderico II*, Principes, archiofficia Palatina tenentes, peculiare jam collegium conſtituiſſe, concedit, in comitiis tamen a reliquis ordinibus nondum fuiſſe ſeparatos, urget. Potentiam ordinum imperii tempore interregni inprimis fuiſſe ſtabilitam, equites fundamenta ſuorum jurium jeciſſe, imo Electores ſolos *Richardum* & *Alphonſum* elegiſſe, nos docet. *Rudolphi* Habspurgici res geſtas dein exponit, quem edicta & acta judicialia Germanico idiomate concipi juſſiſſe, negat. Electorum jus eligendi Imperatorem excluſis reliquis imperii ordinibus a *Ludovico Bavaro* in Comitiis, A. 1339 Francofurti celebratis, confirmatum eſſe, nos docet, de aurea Bulla etiam egregie diſputat. Judicia *Weſtphalica*, ſeu *Vehmica*, de criminibus Clericorum & laicorum judicaſſe, quamvis certo definiri nequeat, quo tempore fuerint inſtituta, Ill. Autor aſſeverat, atque *Rupertum*, Imperatorem, in ordinatione judiciorum, A. 1408 evulgata, abuſus eorum coercuiſſe, monet. Concordata inter *Martinum V* & nationem Germanicam, Seculo decimo quinto confecta, affert. Primam imperii matriculam A. 1422 in comitiis Norimbergenſibus occaſione belli Huſſitici fuiſſe emiſſam, nos docet, aliosque ſimul confutat, qui matriculam, A. 1431 publicatam, & a *Dattio* editam, pro antiquiſſima venditant. Ex comitiis tamen illis, A. 1431 Norimbergæ habitis, apparere, ordines imperii in tria diverſa collegia ſenſim fuiſſe deſcriptos, obſervat, *Albertum II*, jus auſtregarum introduxiſſe,

Pag. 6. 9. 10. 1[illegible] 18. 19.

duxiſſe, monſtrat, eundem quoque imperium in circulos dividere tentaſſe, ſed morte præventum eſſe, contendit. *Fri-*
Pag. 20. *derici III* Concordata, cum Pontifice Romano inita, delineat. Ordines imperii Concordata hæc admodum indigne tuliſſe, urget. In comitiis Norimbergenſibus, A. 1467 ha-
22. bitis, de conſtituendo imperii judicio actum eſſe, eamque rem fundamenta judicii cameralis jeciſſe, nos docet. In comitiis tandem Auguſtanis, A. 1474 habitis, judicium illud camerale fuiſſe conſtitutum, quod de controverſiis inter ordines imperii exiſtentibus judicaret. III. Autor ſuggerit, quamvis illud a judicio Palatino, in curiis Imperatorum antiquitus jam uſitato, non videatur diverſum. A. 1487 militiam mercenariam fuiſſe in Germania introductam, cum vaſallorum ſervitia militaria non ſufficere viderentur, monet. Tempore etiam *Friderici III* collegium Electorale a reliquis imperii ordinibus fuiſſe ſeparatum, atque Electores & Principes de omnibus rebus prius deliberaſſe, quam ad reliquos ordines res devolverentur, Moguntino directorium obtinente, obſervat. Acta comitiorum Wormatienſium anni 1495, in quibus pax publica ſancita, & judicium camerale novum, a priori
23. diverſum, inſtitutum eſt, fuſe enarrat. *Regimentum imperii*, A. 1500 fundatum, ample deſcribit, ejus negotium duntaxat in executione ſententiarum judicii cameralis conſtitiſſe, aſſeverans. Diviſionem quoque imperii in decem circulos accurate exponit. Judicium camerale A. 1530 Spiram eſſe tranſlatum, inſequente vero anno regimentum imperii ſub-
27. latum, nos docet. Interpretes tranſactionis Paſſavienſis &
29. pacis religioſæ bene multos adducit. Potentiam & jura ordinum imperii, moribus duntaxat hucdum innixa, per Capitulationes Imperatorum, inde a *Caroli V* temporibus fieri cœptas, confirmata eſſe, urget. Capitulationi *Ferdinandi I* pa-
31. cem religioſam fuiſſe incluſam, obſervat. A. 1568 in comitiis Auguſtanis Reformatos ſub pace religioſa primum comprehenſos fuiſſe, monet. Res geſtas Imperatorum *Rudolphi* & *Matthiæ* fuſe enarrat, & diſſidia ordinum imperii circa religionem potiſſimum exorta, nec non ſemina belli tri-

cennalis,

cennalis, hac ratione ſparſa, accurate & erudite exponit. De ipſo etiam bello tricennali, & ſubſecuta pace Weſtphalica, quantum ad inſtitutum pertinet, diſputat. Poſt pacem illam confectam, in Receſſu imperii, A. 1654 publicato, formam lites componendi præſcriptam eſſe, adeoque pro lege Germanorum præcipua eum eſſe habendum, Ill. Autor judicat. Hodierna comitia, A. 1662 cœpta, diutiſſime adhuc duratura, & vix unquam finem habitura eſſe, contendit, cum & materiæ, de quibus ibi deliberatur, difficulter componi poſſe videantur, & perpetuis hodie comitiis opus ſit, ex quo per inſtrumentum pacis Weſtphalicæ ordinibus imperii jus ſuffragiorum confirmatum eſt. Concluſa hodiernorum comitiorum, quotquot videlicet non immutata poſtmodum ſunt, in modum Receſſus imperii, ab invictiſſimo Imperatore ad inſtantiam Collegii Electoralis jamjam colligi, aliquando junctim evulganda, Ill. Autor lectoribus nuntiat. Differentiam hodiernorum comitiorum a prioribus, luculenter exponit. Recurſus ad comitia, frequentiſſime hucdum inſtitui ſolita, comitia hæc fere in judicium imperii ſupremum commutaſſe, monet, ſimul tamen ſperans, Auguſtiſſimum *Franciſcum I*, vi Capitulationis a ſe initæ, ejusque Articuli decimi ſeptimi, fines & terminos hiſce Recurſibus conſtituturum eſſe. Hiſtoriam denique omnium comitiorum, in qua occaſio, geſta, & decreta eorum, exponantur, conſcribi optat, quamvis, eam rem innumeris difficultatibus eſſe involutam, non diffiteatur. Merita etiam Ill. *Senckenbergii*, Conſiliarii hodie imperii aulici, in novam hanc Receſſuum editionem, debitis extollit laudibus, &, optandum eſſe, dicit, ut tam diu in Francofurti potuiſſet commorari, uſque dum hæc editio ad umbilicum fuiſſet perducta. Ille ipſe interim Ill. *Senckenbergius*, ad graviora quamvis negotia vocatus, & abſens, inter concatenatos labores de nova hac Receſſuum imperii editione, quam præſtantiſſimis jam obſervationibus adauxerat, adhuc cogitavit, eidemque Diſſertationem epiſtolarem, ad Ill. *Oleyſchlægerum* directam, præmiſit, in qua de conceptione Receſſuum imperii, conſtitutionibus Imperatorum, nec non de variis Receſſuum imperii collectionibus, denique de nonnullis ſubſidiis, ad interpretationem eorum facientibus, erudite & ample diſputat. Germaniam adeo antiquiſſimis temporibus pro diverſis civitatibus, in quas deſcripta erat, diverſa prorſus inſtituta habuiſſe, monet, idque ex Capitularibus Regum Francorum liquere, contendit. Hodiernam Franciam mox ab imperio divulſam eſſe, ſtatuit. Partes vero Galliæ, ſeu Franciæ occidentalis, quæ cum im-

Pag. 38.

39.

Digitized by Google

perio connexæ manſerunt, cum eodem coaluiſſe, idemque cum integro regno Burgundico ſub *Henrico III* & *Friderico I* factum eſſe, cenſet, eamque rationem eſſe, cur ordines imperii, eo pertinentes, adhuc hodie ſeſſionem & votum in comitiis habeant, obſervat. Italia peculia-
Pag. 42. res imperii Receſſus habuit, quamvis Principes Germaniæ illis conficiendis interfuerint. Eo pertinent v. c. Concordata Imperatorum cum Pontificibus, leges in campis Roncaliis latæ, ſocietas cum urbibus Longobardicis inita, & inprimis pax Conſtantiæ, a *Muratorio Antiquit. Ital. Tomo IV* edita, in quam commentarium a Germano conſcribi, Ill. Editor optat. Italiæ ſubjectionem majorem, quam Germaniæ, fuiſſe, is contendit, cauſasque Italorum in judicio palatii Lateranenſis fuiſſe dijudicatas, nos docet. Ex hoc judicio hodiernum judicium imperii aulicum enatum eſſe, urget, & valde optat, ut uberior ejus notitia ſuppeditetur. Diviſionem comitiorum Germaniæ, eorumque receſſuum, accurate exponit, &, ante annum 1495 nullos imperii receſſus proprie dictos occurrere, ſibi perſuadet. Aureæ Bullæ nullum deprehendi exemplar avthenticum, ſed omnia, quotquot exſtant, exemplaria deſcripta eſſe, contendit. De aliis denique comitiis, eorumque receſſibus, veluti
43. *Churfürſten-Tags-Abſchieden, Reichs-Deputations-Abſchieden*, nec non *Viſitations-Abſchieden*, quantum ſatis eſt, diſputat, ſeque quamplurimos comitiorum Electoralium receſſus, nondum typis exſcriptos, poſſidere, nos docet. Receſſus imperii in primarios, ſecundarios, & no-
45. tas, ſeu appendices, diſpeſci, obſervat, conſtitutionum quoque Imperialium, circa res, de quibus *Caroli V* adhuc tempore libere diſponebat Imperator, confectarum, & receſſibus imperii inſertarum, notitiam ſuppeditans. Editiones nonnullorum imperii receſſuum pariter, ac
46. eorundem collectiones, ſecundum ordinem chronologicum enarrat, ea potiſſimum afferens, quæ in *Hofmanni Bibliotheca Juris publici* deſiderantur. Innumeris vero has editiones vitiis ſcatere, adeoque jam dudum eruditos optaſſe, ut curatius evulgarentur imperii receſſus, monet. In *Lunigii Archivo imperii* itidem illos Receſſus admodum vitioſe exſcriptos eſſe, contendit. Novam igitur hanc editionem, quam ipſemet Vir illuſtris maximam partem paravit, luculenter deſcribit. Receſſus nimirum imperii, & conſtitutiones, in comitiis evulgatæ, ex antiquis omnes, quotquot reperiri potuerunt, huic editioni inſertæ ſunt, eorumque inde a Seculo XIII uſque ad XV evulgatorum manuſcripta ſe poſſidere, Ill. Editor affirmat. Iſti Receſſus multo curatius, quam olim, a *Mullero* & aliis ſunt editi. Imo

Digitized by Google

mo nonnulli eorum ex manuſcriptis primum publici juris facti ſunt. In *priori Tomo* Concordata nationis Germanicæ, in Concilio Conſtantienſi facta, etiam occurrunt, quæ, etſi poſtea ſublata ſint, hic tamen ideo apponi debebant, quia a tota natione Germanica cum Pontifice *Martino V* ſunt inita. Idem dicendum de Concordatis, cum *Nicolao* celebratis. Quamvis enim minime per totam Germaniam valeant, valent tamen in maxima ejus parte, quatenus curia Romana in poſſeſſione juris iſtius conſtituta eſt, unde huic collectioni ubique inſeri merebantur. Declarationes quidem Pontificum plane non valent; cum tamen nonnunquam evolvi & conſuli debeant, quando lis inde movetur, etiam hic ſunt appoſitæ. Curavit autem Ill. *Senckenbergius* hanc editionem uſque ad *Tomum quartum*. Reliqua aliis permiſit, quibus ampliſſimas pro labore hoc ſuſcepto perſolvit grates. Ill. *Schmauſium* primum de hac editione cogitaſſe, nos docet. Merita etiam aliorum in præſens Opus celebrat. Libros denique plurimos, ad interpretationem Receſſuum imperii, vel omnium, vel nonnullorum, facientes, commemorat. *Primus* novæ hujus editionis Pag. 51.
Tomus Receſſus imperii, ab A. 990 ad A. 1494 uſque evulgatos, continet. Agmen ibi ducit conſtitutio de expeditione Romana, quæ 52.
vulgo *Carolo Craſſo* adſcribitur, eaque cum exemplari manuſcripto, quod olim Vir illuſtris, *Joannes Wilhelmus Hofmannus*, Juris & Hiſtoriarum in Academia Vitebergenſi Profeſſor celeberrimus, poſſedit, collata eſt. *Friderici I* Pax profana ſecunda ex *Radevico* accuratior & auctior eſt edita. Receſſus imperii, ſub *Friderico II* in comitiis Moguntinis A. 1235 confectus, ex editione *Schilteriana* deſcriptus, hic comparet. Eidem vero alia editio, a priori nonnihil diſcrepans, 10.
ex Codice Ill. *Senckenbergii* eſt adjuncta, variorumque capitum appendices, quæ & in editione *Schilteri*, & in Codice *Senckenbergiano*, deſiderantur, ex *Goldaſto* ſunt addita. Aurea Bulla cum plurimis Codicibus manuſcriptis collata eſt, & variantes lectiones in notis ſunt additæ. Paragraphus ſextus Capituli undecimi iſtius Bullæ in quamplurimis Codicibus exulat, unde eum pro ſuppoſititio Ill. *Ludewigius* quondam habuit. Cum vero in Codice *Wenceslai*, nec non in edi- 45.
tione Germanica, A. 1527 autoritate *Caroli V* evulgata, compareat, eum *Wenceslai* tempore illuſtrationis ergo fuiſſe additum, Ill. Editor conjicit. *Alter Tomus* Receſſus imperii ab A. 1495 uſque 66.
ad A. 1551 continet, ubi inprimis Receſſus imperii Auguſtanus, A. 1500 publicatus, cum præſtantiſſimis editionibus collatus, & accuratiſſime

Digitized by Google

T. II pag. 63. ratiſſime eſt editus, cum prius tot vitiis ſcateret, ut plane non intelligi poſſet, & priores viginti tres paragraphi pro ſpecialibus duntaxat diſpoſitionibus a receſſu diverſis ob falſam epigraphen perperam haberentur. Rubricam Ordinationis cameralis, A. 1507 confectæ, ex Corpore Juris cameralis Ill. Editor conſtituit, ejuſdem etiam ope a vitiis nonullis eam repurgavit. Conſtitutionem quoque de termino litigantibus præfigendo, anno demum inſequente evulgatam, quæ pro appendice prioris perperam eſt habita, tanquam peculiarem appoſuit, multosque ex ea nævos ſuſtulit, ſextum etiam ejus articulum, quem aliæ editiones omittunt, ex *Goldaſti* Conſtitutionibus imperialibus, nec non Corpore Juris cameralis, ſupplevit, *Maximiliani I* conſtitutionem de notariis, ab incerto Autore in Latinum converſam, textui Germanico adjecit, quam, ab interprete ipſi conſtitutioni coævo confectam eſſe, conjicit, de aliis etiam iſtius conſtitutionis verſionibus Latinis diſſerens. In *tertio Tomo* habentur Receſſus imperii, inde ab A. 1552 uſque ad annum 1654 confecti. Transactioni Paſſavienſi Concordatum, inter Imperatorem *Carolum V* & Electorem *Mauritium* Lintiæ initum, adjectum eſt. Inſtrumenta pacis Oſnabrugenſis & Monaſterienſis Latino ſermone evulgata ſunt, & differentiæ verſionis Germanicæ a textu Latino in notis ſunt indicatæ. Monaſterienſe pacis inſtrumentum in antiquis exemplaribus nullis articulis diſtingui, Ill. Editor obſervat, unde eorundem deſignationem parentheſibus includi curavit. *Ultimum* hujus Operis *Tomum* decreta Imperatorum, hodiernis comitiis transmiſſa, & ſecundum temporis ordinem diſpoſita, conſtituunt, inter quæ etiam tabulas pacis Ryswicenſis, cum imperio quippe communicatas, deprehendimus. Itidem etiam literæ Imperatoris *Leopoldi*, ad Electorem Bavarum A. 1702 datæ, cum aliis literis, eo tempore & ab Electore Bavaro, & a ducibus Gallorum, ſcriptis, nec non concluſa imperii de copiis contra Gallum conſcribendis, concluſum itidem imperii de Duce Brunſuicenſi in Electorum collegium introducendo, delineatio Capitulationis Imperatorum perpetuæ, concluſum poſt viſitationem judicii cameralis confectum, inſtrumenta pacis Raſtadienſis & Badenſis, una cum decretis, ad imperium ea de cauſa a Cæſare datis, nec non inſtrumentum pacis, cum Rege Hiſpaniæ *Philippo* V A. 1725 initæ, cum multis aliis, hoc ſeculo & uſque ad A. 1736 in imperio actis, & notatu digniſſimis, comparent. Coronidis loco Capitulatio invictiſſimi Imperatoris *Franciſci I*, extractus ex matriculis imperii, ordinatio judicii imperialis aulici, A. 1654 evulgata, decreta variorum Imperatorum, ad hocce collegium data, taxa cancellariæ imperialis, ordinatio judicii cameralis, nec non decretum hodierni Imperatoris de libris prohibitis, ſunt addita. Singuli tandem Receſſus, hac in collectione contenti, cum exemplaribus avthenticis, Moguntiæ aſſervatis, collati ſunt, varianteſque ex iis lectiones, una cum vitiis typographicis, ad calcem Operis ſunt annotatæ. Index etiam materiarum locupletiſſimus adjectus eſt. Ad marginem ſingulorum Receſſuum, argumenta, quæ pertractant, notata ſunt, nonnullis vero textibus argumenta eorum præfixa, id quod in ultimo præſertim *Tomo* factum eſt. Notis inſuper perpetuis totum Opus inſtructum eſt, quæ & ad veram lectionem, & ad textus interpretationem, quamplurimum conferunt. Gratulamur itaque juris patrii ſtudioſis præclaram hanc Receſſuum imperii editionem, ex qua uberrimos in rem literariam fructus eſſe redundaturos, certiſſime auguramur.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Junii Anno MDCCXLVIII.
Pars I.

HISTORIA BOTANICA PRACTICA, SEU PLANTARUM, quæ ad uſum Medicinæ pertinent, nomenclatura, deſcriptio, & virtutes, cum ab antiquis, tum a recentibus, celebrium Autorum ſcriptis deſumtæ, ac æneis tabulis delineatæ, atque ad vivum ex prototypo expreſſæ, nec non in Claſſes XXXV diſtributæ, ut facilius cujusque ſimplicis genus ac ſpecies dignoſcantur. Opus Equitis JOANNIS BAPTISTÆ MORANDI, Mediolanenſis Botanici, Galenici pictoris.

Mediolani, 1744, fol.
Alph. 1, Tabb. 65.

Totum ampliſſimæ plantarum hiſtoriæ campum emetiri Autor noluit, ſed medicarum ſaltem herbarum ſtudio delectatus, utilitati plus, quam ſubtili characterum explicationi, tribuendum eſſe putavit. Nec tamen ſimplici, quoad virtutes, enumeratione argumentum ſuum executus eſt, ſed concinna methodo uſus fuit. Digeſſit enim familias ſtirpium ac herbarum juxta characteres perpetuos, faciles, & diſtinctos, quos vel locus, vegetationi à natura deſtinatus, vel foliorum herbaceorum abſentia, aut præſentia, vel fructuum ratio, vel floris denique abſentia, & ſic dicta plantarum imperfectio, illi ſuggeſſerunt; in quo negotio *Bauhinum*, *Rajum*, ac *Moriſonum*, methodi ſuæ autores, aſſequi tentavit. Proinde nec petala florum ad genus conſtituendum enumerata, nec florum formas pro genere ſtabiliendo, nec, quæ

Digitized by Google

recentior eſt, ſtaminum ac piſtillorum ſexualem deſcriptionem, invenies. Quo autem ſimplicior iſta eſt, quam propoſuit, methodus, eo naturæ etiam æſtimanda eſt convenientior, quæ ſeſe per regnum vegetabile, ultimo ſuo fine, qui eſt fructificatio, evidentius declaravit. Quare primum Autoris genus eſt earum plantarum, quæ ſub aquis vegetant, maxime marinis, e quibus ad uſum medicum commodiores ſaltem exponit, Coralia, Coralinam, Alcyonium, quæ, ſale marino graves, determinatos in corpore humano effectus producere valent. Alterum genus iſtas terreſtres ſiſtit herbas, quæ ob foliorum abſentiam ſimpliciſſimæ ipſi viſæ dictæque fuerunt, Fungos puta, Agaricos, Lycoperda, quorum vis plerumque vel purgans eſt, ſi edules demas, vel adſtrictoria. Tertia Claſſis ſiſtit ſimpliciores terreſtres herbulas, inde dictas, quod foliola ſine nervulis gerant, iisdem ſæpe, uti Lichenibus eſt, deſtituantur. Hoc ordine ſiſtit Muſcos, ex quibus utiliores ſunt Muſcus terreſtris, lycopodii pulverem fundens, Lichen arboreus æque ac petræus, hinc Lenticula. Diſtributione quarta continentur Capillares dictæ plantulæ, quæ ſemen, nullo flore prægreſſo, in averſa foliorum parte gerunt. Ex hac claſſe militant *Lingua cervina*, *Polypodium*, *Aſplenium*, *Trichomanes*, *Adianthum nigrum*, *Ruta muraria*, *Osmunda*, *Ophioglosſum cum Filice*, quarum officium eſt, poſt polypodium, quod alvum laxat, aperire obſtructa viſcera. Digreditur ſtatim Autor ad plantas fructu, quem moliuntur, dignoſcendas, hinc ab illo, quod in fructificatione plus eſt, exorſus, herbas Diſtributione quinta ſiſtit, quæ plurimo nudoque ſemine prolem gerunt, quas polygymnoſpermas appellari mos eſt. Ex his ſane quamplurimis ſelegit acri ſapore præditas, hinc rodentes, *Ranunculos clematitides*, adſtringendi facultate præditas, *Argentinam*, *Tormentillam*, *Quinquefolium*, *Caryophillatam*, *Pulſatillam*, aperitivas, *Chelidonium minus*, *Hepaticam*. Hinc ad id, quod in fructificatione minus eſt, digreſſus, exponit, Diſtributione ſexta, herbas gemello ſemine fertiles, gymnodiſpermas ſcilicet, quæ a florendi modo umbelliferæ *Moriſono* dictæ fuerunt. Hæ, vel ſemine, vel radice, vel foliis, utiles

Digitized by Google

les, ita ſeſe gerunt, ut vel ſemina officinis mittant aromatica, veluti ſunt *Cuminum*, *Ammi*, *Angelica*, *Fœniculum*, *Aniſum*, *Carvum*, *Coriandrum*, *Daucus*, *Anethum*; vel radices edules culinis ſuggerant, veluti *Siſarum*, *Bulbocaſtanum*, *Apium paluſtre*, cultura penes nos pinguius, quam in Italia, & *Seleri* dictum, *Daucus*, *Paſtinaca*, vel radicibus medicamentoſis acribus diaphoreticis, hinc diureticis, polleant, uti *Meum*, *Liguſticum*, *Siler montanum*. Foliis plus valent *Chærefolium*, quæ urinas ciet, *perfoliata cum ſanicula*, quæ ſtringunt. Venena etiam alit hæc familia, Cicutas puta. Quamvis fructum pro methodi fulcro ubique agnoſcat; a floribus tamen prorſus haud abeſt. Claſſem ſeptimam inſcribit Autor de plantis, florem ſingularem unico ſemine fœtum ferentibus, cui ineſt *Jalappa* purgans & *Valeriana*. Poſtea flores planipetalos, ex floſculis minutis collectos, Claſſe octava ita capit, ut floſculus ex multis communi perianthio adunatis ſingulus ſeorſim ſtatuatur, qua conſideratione flores planipetali dicti non male dici poſſunt unico ad ſingulum floſculum ſemine præditi, ſeu Monoſpermi. Hæc familia nutrit ſucco plerumque lacteſcente & amaricante præditas herbas, quarum vel folia, vel radices, a Medicis poſtulantur. Radice ſudorem movent, & ſanguinem emungunt, *Scorzonera*, *Tragopogon*, *Cichorium*. Foliis aliæ ſunt culinares, *Lactuca*, *Intybus*, aliæ medicæ, *Piloſella*, *Sonchus*. Similiter flores haud deſerit in exponenda gente diſcifloraruṁ, plantarum ſcilicet, quarum flores & diſco & radio gaudent, dum ſingulus ex multis floſculis ſemen unicum nudum gerit, exinde naſcitur conceptus de Gymnomonoſpermis diſcifloris, Claſſe IX. Ex his herbis aliæ ſunt odoræ fragrantes, & diſcutiendi vim habent, *Chamæmelum*, *Matricaria*, adſtringunt *Virga aurea*, *Solidago*, *Bellis*, *Milleſolium*, *Eupatorium*, *Filago*, *Elichryſum*, aperiunt obſtructa viſcera *Helenium*, *Doronicum*, *Senecio*, *Carlina*, *Petaſites*, ſalivam ducit *Pyrethrum*. Quidam flores ex illis, qui aggregatis floſculis conſtant, confertim in ſummitate naſcuntur, quod corymbum gerere dicitur; quare Autori Claſſe X viſum eſt peculiare genus plantarum corymbiferarum, unicum ſemen ſingulo floſculo ge-

 rentium,

Digitized by Google

rentium, ſeu Gymnomonoſpermarum, conſtitui poſſe. Pauciores hoc ordine plantæ militant, amaræ, *Abſinthia*, amaræ & fragrantes, *Tanacetum*, eſculenta, *Draco*, odoræ, *Balſamita*, & *Santolina*, omnes aperientes ac diſcutientes. Quandoquidem ex aggregatis in unum florem floſculis fit, ut calyx anguſto collo lata baſi ſurgens capitis ſpeciem ferat, hinc capitatæ plantæ dicuntur, quæ eiusmodi florem gerunt, proinde de floribus capitatis, unicum ex ſingulo floſculo ſemen molientibus, ſeu gymnomonoſpermis, ſermo eſt, quo titulo Diſtributio XI inſcripta fuit. Pauciores & iſtæ ſunt, diuretica, *Dipſacus* & *Eryngium*, ſudorificæ, *Scabioſa, Succiſa*. Sed iſta florum capita ex ſquamis conſita ſæpe ſunt, proinde plantas, quibus eiusmodi florendi modus a natura inditus fuit, Autor ſub nomine gymnoſpermarum flore compoſito capitato Diſtributione XII ſiſtit; poſt *Carthamum*, qui alvum movet, & *Cinaram*, cujus ſquamæ calycinæ, pulpa ſapida inſtructæ, edules ſunt, omnes diapnoicas, *Carduum benedictum, Jaceas, Lappam. Cyano* oculorum aciem evehi putant. Anteaquam Autor plantas ſemine gemello inſtructas deſerit, eas tangit, quæ ob foliorum herbaceorum circa caulem poſitum & ordinem ſtellatæ dicuntur. His bina nuda ſemina data ſunt. Inſtruit ergo Diſtributionem XIII plantarum ſtellatarum gymnodiſpermarum, qua continentur *Rubia, Gallium, Cruciata, Aſperula, Aparine*, quibus ob acorem ſucci ſubadſtringendi facultas ineſt. Latius patent plantarum genera, quarum flores ordinatis circa caulem circulis exeunt, quas propterea verticillatas appellari mos eſt. His quatuor conſtanter ſemina nuda inſunt; hinc titulus de Gymnotetraſpermis verticillatis ſubnatus eſt. Quæ hac Claſſe XIV ſiſtuntur plantæ, ita inter ſe conveniunt, ut pleræque odore gravi aromatico & ſapore fervido conſtent, hinc oleo volatili turgeant; quare viribus vitalibus augendis pares ſunt, exemplo *Stæchadis, Lavendulæ, Hyſſopi, Origani, Ocymi*, & aliarum quamplurium. Sunt tamen & inodoræ quædam hoc charactere deſignatæ, proinde etiam inertes, *Lamium, Sideritis, Brunella*, quamvis & illæ ſua

virtute

Digitized by Google

virtute penitus haud deſtituantur. Aliæ quaterno ſemine nudo gaudentes plantæ, a foliorum herbaceorum aſperitate aſperifoliæ dictæ, ordinem XV plantarum gymnotetraſpermarum aſperifoliarum conſtituunt, quo continentur *Borrago*, cordialibus annumerata, *Pulmonaria*, a pulmonum præſidio dicta, & ſubadſtringentes aliæ, *Anchuſa*, *Cynogloſſum*, *Echium*, *Symphitum*. Breve genus eſt XVI gymnotetraſpermarum tetrapetalarum, quo *Potamogetones*, aquarum paluſtrium incolæ, deſignantur. Reliquarum plantarum fructus capſula tenentur, eaque vel membranacea, vel carnoſa, cumque capſulæ frugiferæ non eodem modo ſeſe gerant, ut aliæ uno, aliæ per ſepta diſtinctis, & ad certum numerum compoſitis, vaſculis conſtent, moris eſt, quo a diverſa hac fructificandi ratione diverſa ſimiliter genera conſtituantur. Proinde Diſtributio XVII enumerat plantas, quarum ſemina indiviſo vaſculo continentur, monangioſpermas. Ex his aliæ odoratis floribus reſtaurandi vim habent, *Primula*, *Auricula*, *Caryophillus*. Præſtantior ex omnibus *Gentiana* radice amara febres debellat, & viſcerum nodos ſolvit, quo titulo & *Trifolium* laudem meretur, aſt reliquæ, *Anagallis*, *Alſine*, *Lychnis*, vix memoria dignæ, levis ſunt armaturæ milites, quarum tamen facultates haud reticentur. Duplici vaſculo continentur ſemina plantarum diangiarum polyſpermarum, ex quibus ſecundum Ordinem XVIII continentur herbæ aliæ doloribus conſopiendis deſtinatæ, & ob ſtupefactivam vim virulentæ, *Hyoſcyamus*, *Nicotiana*; his mitiores ſunt *Verbaſcum*, *Linaria*. Eminet virtute aperitiva ob amaritudinis præſtantiam *Centaurium*, diureticæ ſunt *Saxifraga*, *Veronica*, *Beccabunga*. Trifariam diviſo vaſculo ſemina plura ſecundum Diſtributionem XIX tenent plantæ triangiæ polyſpermæ, ex quibus odoro flore hinc analeptica vi prævalent *Viola*, *Naſturtium Indicum*. Tota Convolvulorum gens ſucco lacteo purgandi vim habet, ex qua familia ſunt *Scammonea* & *Mechoacanha* peregrinorum convolvulorum radices. *Luteola* tinctoria diuretica eſt. *Campanularum* haud paucarum radices eſculentæ. Singulare illud eſt & obſervatu

 dignum,

dignum, plantas, quibus tria in tribus loculis grana diſtincta continentur, Triangia, ſcilicet tricocca, *Ricini*, *Tithymalorum*, & *Euphorbiorum*, exemplo, ſecundum Ordinem XX purgatrices eſſe. Quadrifida capſula ſemina plura gerentes plantæ ſecundum Diſtributionem XXI, Tetrangiæ ſcilicet polyſpermæ, pauciores ſunt, uſui medico deſtinatæ, una virulenta, *Datura* ſcilicet, altera alexipharmaca, *Ruta*. Claſſe XXII plantarum, quinquifida capſula totidem grana vehentium, ſeu pentangiarum pentacoccarum, non niſi unica gens *Geraniorum* continetur, quorum odores variant, ſunt enim fœtidæ aliæ, aliæ ſuaveolentes ſpecies, prædicantur omnes aliqua vulneraria vi pollere. Aſt latius patet familia XXIII plantarum, quæ plurimis vaſculis plurima maturant ſemina, quibus propterea polyangiis polyſpermis nomen eſt. Ut intelligas, naturam characteribus datis ad facultates plantarum reſpexiſſe, vide ſis, quam concinne plantæ, hoc ordine ſtantes, erga unum finem conſpirent, ut *Malvæ*, *Althea*, *Ariſtolochia*, *Papavera*, *Nigellæ*, *Lina*, ſint anodynæ, quo argumento intelligimus, illos, qui fructum pro fundamento methodi inſtruendæ adſciſcunt, ad ſcopum, quem natura ſignaturis iſtis voluit, propius ferire. Non tam capſulis multifidis, quam ſiliquis aggregatis, ſua ſemina tenent, plantæ multiſiliquæ corniculatæ univalves, polyſpermæ. Siliqua enim rei herbariæ doctoribus capſulam ad longitudinem fiſſam indicat, quæ una mox duplici valva conſtat; quare, ſiliquæ univalves a multivalvibus uti ipſa natura diſcrepant, ita univalves ſiliquæ aut gregariæ ſunt, aut ſolitariæ. De gregariis titulus agit XXIV, quo continentur ſucculentæ & refrigerantes plantæ, *Sedum*, *Telephium*, *Rhodia radix*, *Cotyledones*, *Umbilici*, hinc purgatrices, *Hellebori*, odoratiſſimo flore *Fraxinella*, cuius radix eſt dictamnus officinarum, & quædam inertes, *Delphinium*. Inſunt etiam virulentæ *Napellus*, *Thora*, quorum ſpecialius diſcrimen conſpecto flore elucet. Siliquam univalvem, ſepto tamen diſtinctam, habent, quæ ordine XXV militant, *plantæ ſiliquoſæ* Noſtro ſpecialius dictæ, ex quibus aliæ amaro ſapore ſingularem evacuandi vim præſtant, *Chelidonium majus*, *Fumaria*,

Digitized by Google

Fumaria, aliæ acido ſapore ſeſe commendant, & bilem abſtergunt, *Acetoſella*, quædam ſtringunt, *Vinca*, aliæ diapnoen procurant, *Vincetoxica*, parva promittunt *Melochia*, *Balſamina*. Ex his, quæ ſiliquam ſepto diviſam gerunt, quædam fructum ex flore tetrapetalo habent, quas Claſſe XXVI plantarum tetrapetalarum cruciformium ſiliculoſarum & ſiliquoſarum, complectitur. Silicula enim vaſculum brevius, ſiliqua longius, deſignat. Quæ hoc ordine ſiſtuntur plantæ, acri plerumque, maxime in ſeminibus, ſucco ſunt præditæ, iterumque ſeminis character facultatem plantæ indicat. Habemus enim ex hac Claſſe ſic dicta antiſcorbutica, & diuretica, herbas, *Naſturtii*, *Raphani*, *Sinapeos*, *Erucæ*, *Siſymbrii*, & *Alliariæ*. Aliæ ſiliquiferæ ſiliquam bivalvem ſiſtunt, quarum cum prolixa ſit ſeries, cumque ſtudium Autoris in eo poſitum fuerit, ut pauciſſimas plantas uni generi ſubderet, proinde ad ſubdividendas familias aſſumta fuerunt momenta varia, ex florendi modo foliisque herbaceis depromta. Generalis omnium eſt titulus, Leguminum, quorum flores papilionis facie formantur, hinc papilionaceorum nomen adſciſcunt, ex quibus ſunt aliæ trifoliatæ, & quidem, quantum ad uſum, anodynæ, *Melilotus*, *Fœnum græcum*, nutritivæ, *Phaſeoli*, nunc diureticæ, *Anonides*. Hæ Diſtributionem XXVII implent. Verum ordinis XXVIII cives ſunt plantæ papilionaceæ polyphyllæ, quibus ad coſtam conjugatim folio oppoſita naſcuntur, nunc pari extremo, nunc impari. Si *Glycyrrhizam* radice dulci bechicam plantam demas, reliquæ, *Lens*, *Piſum*, *Lathyrus*, *Ervum*, *Lupinus*, *Faba*, cerealia ſunt grana, farinis gravida. Nunc in eo eſt natura, ut ſemina plantarum capſulis ſuccidis abſcondat, quas baccas dicimus. Proinde Ordo quidam ſeparatus eſt XXIX plantarum bacciferarum, quarum aliæ ſunt purgatrices, *Bryonia*, *Ipecacuanha*, *Ebulus*. aliæ anodynam ſæpe ſtupefactivam vim habent, *Alkekengi*, *Solanum*, *Paris*, *Mandragora*, urunt *Laureola*, *Capſicum*, *Arum*, *Dracunculus*, aliis aliæ virtutes inſunt. Quodſi grandior bacca fuerit, pomum dicitur; hinc Diſtributio XXX ſpectat ad plantas pomiferas, quarum quædam ſunt anodynæ refrigerantes, *Momor-*

Digitized by Google

Momordica, *Melo*, *Cucumis*, *Citrullus*, *Cucurbita*, aliæ purgant alvum, *Elaterium*, *Colocynthis*. Senſim autem natura deficit circa florem, &, quem hactenus petalis inſtructum plantis dedit, hunc circa extremos regni vegetabilis limites petalis carere juſſit, ita tamen, ut alios flores vellet fructui ſupereſſe, alios autem aliquo a fructu ſpatio diſtare. Adeoque genus quodpiam eſt XXXI plantarum apetalarum fructu flori contiguo, ſemine nudo plerumque unico, ſeu gymnoſpermarum. Harum aliæ acido, aut auſtero, ſucco pollent, ſtringuntque, *Acetoſa*, *Lapatha*, *Biſtorta*, *Alchimilla*, alia purgat, *Rheum*, quædam nutriunt, *Fagopyrum*, *Atriplices*, fœtent & virulentæ proinde ſunt *Ambroſioides*, urit *Hydropiper*. Similiter ſecundum genus XXXII florem fructui contiguum habent plantæ flore apetalo, aſt ſemen tamen vaſculo incluſum gerunt, ſuntque enangioſpermæ, & quoad facultates vel nutriunt, *Beta*, vel purgant, *Aſarum*, vel ſtringunt, *Plantago*, vel glutinant, *Pſyllium*, reliquarum virtutes non multum luculentæ ſunt. Singulare eſt, dari plantas, quarum flores a fructu remotius diſtant, ut fructus equidem piſtillo ſuo haud deſtituatur, ſtamineus autem flos aliquo ſpatio abſit. Accidit id duplici modo. Aut enim in eodem individuo uterque flos eſt, aut diverſa individua ita ſeſe gerunt, ut in altero ſit flos ſterilis, in altero ſit fructus cum piſtillo fructibus inſidente. Ex hac conſideratione fluit, ut genus quoddam Noſtro XXXIII conſtituendum ſit plantarum apetalarum fructu a flore remoto, fructu tamen & flore unam plantam incolente. Paucæ ex his ſunt utiles, *Ambroſia* diſcutiendi, *Xanthium*, ſeu *Lappa minor*, aperitivam, vim habet. Aſt diverſam plantam, veluti diverſi ſexus perſonas, incolunt, flos maſculus in una planta, qui polline ſuo fertilitatem vicinæ fœmellæ excitat, flos fertilis, ſeu uterus vegetabilis, in alia, qui pollinem maris excipit. Hoc genus, Autori XXXIV, eſt plantarum apetalarum, flore in una planta ſterili, alia fructum ferente, nec florifera, quæ ſexu diſtinctæ vocantur. Ex his ſtringit *Equiſetum*, urit *Urtica*, lubricat *Mercurialis*, nutrit *Spinachia*, cerevijias condit *Lupulus*, diſcutit *Cannabis*. Has famili-

Digitized by Google

familias omnes hoc vinculum ſocietatis univit, ut omnes ex ſemine, duplex acetabulum habente, mediante foliolo ſeminali, naſcerentur. Aſt ſupereſt, ut plantarum ultima totius gentis vegetabilis familia condatur, qua illæ ſiſtuntur plantæ, quibus a natura datum eſt ſine foliolo ſeminali naſci, dum ſemina vegetando non dehiſcunt, ſed radicum & bulbulorum inſtar turiones agunt. Proinde Genus ultimum & XXXV de plantis Monocotyledonibus, folio ſeminali carentibus, bracteatis, inſcribitur. Hac Claſſe ſiſtuntur uno verbo Bulbiferæ & radice tuberoſa præditæ, ex quibus ſunt, quæ purgandi vim habent, *Scilla, Iris, Aloe, Colchium*, aliæ; volatili odore & ſapore præditæ, urinas movent, *Allia, Cepæ, Moly*, quædam odore reficiunt, *Hyacinthi, Narciſſi*, aliæ. Quotusquisque ergo eſt, quin intelligat, Autorem, ſagacem naturæ ſcrutatorem, & felicem virtutum vegetabilium interpretem, ita ſe geſſiſſe, ut utraque ex parte laudem meritus ſit uberrimam.

MAGNI HIPPOCRATIS COI OPUSCULA Aphoriſtica Semeiotico-Therapevtica VIII, una cum Jurejurando, Græce & Latine, ex interpretatione ANUTII FOESII, aliorumque, in uſum ſacræ gentis Aſclepiadeæ exarata.

Baſileæ, ſumtibus Jo. Jac. Epiſcopii, Bibliopolæ, 1747, 8. Alph. 1 plag. 9½.

Multas habemus Cl. *Zwingero* gratias, quod laudabile ſecutus majorum ſuorum exemplum, *Hippocraticæ* medicinæ medullam brevi compendio, divinique ſenis præſtantiſſima & utiliſſima ſcripta, dare nobis voluit, in quibus ille medicinæ pater & fons maxime momentoſam, in qua ipſe excellebat, artem, Semeioticam puta, eleganter & nervoſe pro more ſuo tradidit. Utut aliis in partibus patiatur ille ſuos manes, ut etiam noſtris diebus multo, quam ille norat, meliora in Anatomia, Phyſiologia, Pathologia, ceteris Medicinæ partibus, diligenti ſcrutinio indagaverimus; hac tamen in parte,

quæ certe nobiliſſima & ſplendidiſſima eſt totius Iatrices, qua nempe Medicus varias morborum ſpecies, ancipites haud raro, deprehendit, ſuisque deſignat nominibus, eorum indolem aperit, & vices ſuis quaſi terminis adſtringit, fatalemque vitæ pariter ac mortis ſeu ſpem, ſeu neceſſitatem, mirabundæ circumſtantium turbæ venerabilis, tanquam Deus e tripode, præſagit; in ea arte, cui Medicorum innititur exiſtimatio, in qua, quantum humana valeat ſagacitas, tanquam illuſtri theatro, monſtrare licet; in ea, nemo fuit, qui *Hippocratem* ſuperaverit. At nihilo tamen minus his diebus noſtris, in aliis ſeduli & occupati, utilibus quidem illis & neceſſariis, *Hippocratem*, ſapientiæ medicæ fontem, ex quo, quotquot unquam fuerunt magni nominis Medici, hauſerunt, & hauſiſſe ſe gloriati ſunt, adeo negligimus & contemtui habemus, ut juveni, medicinam factuo, quod poſteri vix credent, haud leve ſit obſtaculum & famæ macula, *Hippocratem* aliosve Græcos triviſſe. Putant nempe, ſiniſtrum eum & rudem artis ſuæ eſſe, qui liberalium artium eruditarumque linguarum cognitione pectus imbuerit, & plus ſciat, quam pilulas, aut mixturas, conſarcinare. Fœdum hunc errorem animis ſtudioſorum hujus artis eximere, Cl. *Zwingerus* in Præfatione ſtuduit, qui præclare ſummorum cujusvis ætatis hominum de *Hippocrate* judicia recenſet, & utilitatem, ex ejus operibus in omnes medicinæ partes redundantem, clara in luce collocat, tandem, quid ipſe hac ſua in editione præſtiterit, exponens. Parum in ea præſtitit, &, præterquam quod *Hippocraticum* ſpeculum addiderit, fere nihil. Nam neque ea, qua par erat, cura Græco textui excutiendo invigilavit, qui nunc etiam multis gravibusque ſcatet mendis, quæ tirones in arte non poſſunt ſæpe non implicare; neque Criticum egit, aut laborantibus locis opem ferre ſtuduit, ſed omnia, ut veteres editiones habent, exhibuit. Verum, ut editorum cuique certa ſuo in inſtituto conſtat ratio, cui ſi ſatisfecerit, lectori quoque ſatisfeciſſe videndus eſt, ſic Noſtrum eo quidem nomine nolumus accuſare. In eo certe laudem

laudem meretur, quod optima *Hippocratis* opuſcula in unum, facile parabilem, compingere faſciculum, & ſtudioſæ juventutis inopiæ voluit ſuccurrere, qui cara & rara *Lindenii* editione, aliisve majoris molis & pretii, carent. Sunt autem, quæ in hoc opuſculo dedit, hæc: Jusiurandum, Aphoriſmi, ac deinceps omnia, quæ *Foeſius* ſecunda claſſe Operum *Hippocratis*, a ſeſe editorum, comprehendit, Prænotiones, Prædicta, Coacæ, de Humoribus, de Indicationibus, & de diebus criticis. Jurisjurandi Latina interpretatio eſt *Theodori Zwingeri*, qui Noſtri fuit atavus; Aphoriſmorum *Almeloveeniana*; libri de Humoribus Cl. *Güntzii*. Reliqua ex *Foeſio* Latina leguntur. De cetero *Lindenianam* expreſſit Noſter in ſectionibus & numeris. Cum itaque nihil in his reperiamus, quod longum ſermonem poſtulet; ad alteram hujus operis partem, quæ *Speculum Hippocraticum* inſcribitur, & ſeorſim etiam haberi poteſt, tranſimus.

Inſcriptio ejus hæc eſt: *Speculum Hippocraticum, notas & præſagia morborum, nec non varia medendi præcepta, ex magni Hippocratis Coi monumentis, præſertim aphoriſticis, ordine alphabetico, ſimulque ad praxin commodo, digeſta, ob oculos ponens, in uſum ſacræ gentis Aſclepiadeæ concinnatum.* Implet plagulas 18 & dimidiam. Promtuarium eſt præcipuorum *Hippocratis* dogmatum, ſub uno quaſi conſpectu ſiſtens, quæ alioquin in vaſtis ejus operibus non ſine labore requiruntur; & index ſimul eſt, ſi quis ipſos conſulere fontes cupiat. Patet hinc, quam utile, quam præſtans, hoc ſit opuſculum, quod, alienæ non egens commendationis, ipſum ſuas laudes & merita clamat. Ait Autor in Præfatione, exemplum *Honorati Bicaiſii* ſibi placuiſſe, qui in Manuali Medicorum, ſeu Synopſi Aphoriſmorum *Hippocratis*, ad ſingulos morborum titulos, alphabetice digeſtos, omnia *Hippocratis* effata, eo ſpectantia, ex ejus Aphoriſmis, Prænotionibus, Prædictis, & Coacis, retulerit. Placuiſſe itidem indicem *Verhoofdianum*, eodem conſilio digeſtum, & alium recentem, editioni Aphoriſmorum Tubingenſi additum. Unde ſibi viſum fuiſſe, in Semeiologia & Therapeia

morborum adhuc majori futurum uſui, ſi tam multæ ac variæ ſententiæ, in monumentis *Hippocratis*, præſertim aphoriſticis, longe lateque diſperſæ, ſervata utcunque alphabeti ſerie, in ordinem, praxi medicæ commodum, redigerentur. „ Eo conſilio, ait, concinnatum hoc ſpeculum; quæ ad dia- „ gnoſin, prognoſin, & therapiam, morborum faciunt, ſeor- „ ſim & diſtincte tradit; & quoad diagnoſin quidem, cauſas „ evidentes prægreſſas, tum notas antecedentes, vel comi- „ tantes; quoad prognoſin autem, notas, & præſagia ſalutis, „ vel periculi, vel mortis, vel etiam novi morbi futuri, diſ- „ cretis articulis ob oculos ponit; demum quoad therapiam, „ regulas medendi, ubi forte plures occurrunt, ad ſuum „ quasque fontem relatas, exponit.“ Satis jam conſtat de inſtituto & forma utiliſſimi operis, quod ſatis commendari nequit. Quod ulterius de illo dicamus, cum non ſit; volupe eſt, unum aliquod excerptum inde ſpecimen ſubjungere. Sit illud de Dyſenteria articulus, qui primus nobis occurrit *pag.* 81: DYSENTERIA. AD DIAGNOSIN. CAUSAE ANTECEDENTES. Ætas virilis. (Omittemus additas ubique citationes fontium, niſi ubi nimium longas rheſes, quas Noſter integras exhibet, chartæ parcentes, compendifaciemus.) Tempus autumnale. Tempus æſtivum poſt hyemem ſiccam & aquiloniam, ver autem pluvioſum & auſtrinum. Ver ſiccum & aquilonium poſt hyemem auſtrinam & pluvioſam. Siccitates. Alvi profluvium. NOTÆ ANTECEDENTES. Num quæ caput concutiunt, & aurium ſonitus excitant? Tumores rubicundi in ulceribus, quæ in antica parte fuerint, derepente diſparentes. AD PROGNOSIN. MELIORIS NOTÆ. Lienteroſis diſenteria ſuperveniens, bonum. Ab inſania dyſenteria, bonum. Dyſenterico plurimum ineſt ſpei, cui pravorum ſymptomatum adſint pauciſſima. Ubi ſanguis & ſtrigmenta per alvum reddita fuerint, --- *Prædict. II,* 121. DETERIORIS NOTÆ. A meraca dejectione dyſenteria, malum. Inteſtinorum difficultate laborantibus, vomitioillioſa circa initia, malum. Tormina omnia malo ſunt, quæ cum febre invadunt --- *Prædict. II,* 148. In gravi inteſtinorum difficultate --- *Coac.*

464.

Digitized by Google

464. Prægnantes ipſæ etiam *Prædict. II, 122.* Si aliquid ex malis ſignis adeſſe viſum fuerit --- *Prædict. II, 123.* In longis dyſenteriis cibi faſtidia, mala, tum alias, tum ſi inſuper febriêrint. Dyſenteria ſi ab atra bile inceperit, lethale. Si a dyſenteria detento velut carunculæ deceſſerint, lethale. Qui lienoſi a dyſenteria corripiuntur, --- *Aphor. VI, 43.* Celerrime is perit, quem maxima pars malorum ſymptomatum occupat. Is morbus præcipue pueros a quinto anno ad decimum perimit. Ætates ceteræ tutiores. ALIUM MORBUM PRÆTENDENTES. A dyſenteria lævitas inteſtinorum. Intempeſtive ſuppreſſa inteſtinorum difficultas abſceſſum in coſtis --- *Coac. 462.* Rubræ limoſæ & copioſæ dejectiones cum flammeo colore inſaniam ſuſpectam faciunt. AD THERAPIAM. Ubi purgaveris caput, pharmaco in potu exhibito, quod ſurſum pituitam purgat, & alvum lacte cocto elueris, reliquum corpus curato. Et, ſi quidem febre caruerit, pinguibus & dulcibus & liquidis ſemper ea, quæ inſunt, ex alvo educito, & multa calida partes ſub umbilico lavato, ſi dolor affuerit. Potus autem ac cibos & ſorbitiones convenientes exhibeto. *De Affect. XXIV, 4 ad 8.*

VIRGILIUS COLLATIONE SCRIPTORUM Græcorum illuſtratus opera & induſtria FULVII URSINI. Editioni, ad exemplar Plantini renovatæ, acceſſerunt LUDOV. CASP. VALCKENARI 1) Epiſtola ad MATTHIAM ROEVERUM, JCtum; 2) Iliadis Homeri Liber XXII, cum Scholiis PORPHYRII et aliorum, nunc primum editis; 3) Diſſertatio de præſtantiſſimo Codice Leidenſi, & de Scholiis in Homerum ineditis.

Leovardiæ, ex officina Guil. Coulon, 1747, 8 maj.

Alph. 3 plag. 4.

Vel ſola libri huius inſcriptio, & celebre *Valkenarii* nomen, Græcarum literarum ſtudioſis magnam copiam

Digitized by Google

excellentium rerum, & nondum delibatas opes, promittit. Quicquid certe a præclari & aſſidui huius Viri calamo proficiſcitur, tam limatum eſt, tam gratia novitatis amabile, tam admirabile ſolidioris doctrinæ quaſi prodiga ubertate, ut æmulatorem maximorum hominum, *Bentleji* & *Hemſterhuſii*, hujus quoque genuinum diſcipulum & dignum ſucceſſorem, facile prodat, heroum iſtorum veſtigia magnis & acceleratis paſſibus æquantem. Ut vero pauci ſunt, (pauci certe ad noſtram pervenere notitiam,) qui ea in juventute tantos in ſublimiore illa & exquiſita Critice, quantos *Valckenarius*, progreſſus fecerint, ejusque rei dederint ſpecimina tam præclara; ſic facile judicatu eſt, libellos, quibus eruditum orbem nunc beat, mole quidem exiguos, at argumenti ſui ponderibus graves, ad captum & vota paucorum fore, neque placituros niſi illis, qui in Poetis Græcis noctu dieque terendis, in diligenter comparandis & emendandis eorum vetuſtis interpretibus, Grammaticis & Lexicographis, inſtaurandis, quæ paſſim obſcuratæ latent, dialectorum formis, deſignandis & obelo configendis ſpuriis, & reliquis talibus, ad exemplum Noſtri occupantur. Quod ſtudium qui leve dicent & ludicrum, viroque gravi parum dignum, illi, quam ſe longe aliter res habeat, neque docti, neque experti ſunt. Neque nos eorum morabitur judicium, quin ad ipſum, quod præ manibus habemus, cedro dignum Muſeum opus recenſendum & delibandum accingamur: quod ea cum libertate faciemus, quæ ſtudium criticum profeſſos decet. Id quod eo minus ægre laturum Virum Cl. confidimus, quod impoſitum nobis recenſendi munus, & Lectorum noſtrorum exſpectatio, id requirant.

Guil. itaque *Coulon*, JCtus, Ordinum Friſiæ Acad. typographus, conſilium ceperat, ſuadente, ut videtur, *Valckenario*, ſupra dictum *Fulvii Urſini* librum, & utiliſſimum, & inventu rariſſimum, ut cetera ejus viri ſunt omnia, recudendi. Quod & ita perfecit, ut primam, a *Plantino* curatam, editionem exacte rurſus exhibuerit, neque niſi in paucis mutatam, & ab erroribus operarum tantummodo purgatam. Cujus rei cauſam,

ſam, & inſtitutum typographi, Cl. Vir latius exponit peculiari præfatiuncula, quæ *Roveriana* epiſtolæ ſubjecta eſt. Poſt abſolutam libri *Urſiniani* impreſſionem, adibat typographus Clariſſimum Profeſſorem Franequeranum, rogans eum, vellet de ſuo aliquid addere, quod librum ſuum & ſpectabiliorem & gratiorem faceret eruditis, & Academicæ juventuti, cui formandæ Vir Cl. cum laude præeſt, tanto magis commendaret. Conceſſit tandem Noſter precibus typographi poſt multas tergiverſationes, & non fronti tantum *Virgilii* Græci elegantem corollam, ex Muſarum hortis delectam, impoſuit, ſed & pallæ ejus ſplendidum attexuit ſyrma, non id incongruum, aut temere violenterque aſſutum, ſed aptiſſimum, & quale vel ipſe *Urſinus* ſibi optaſſet. Ut enim is in *Virgilii* ſui Muſa cum *Homerica* & *Theocritea* comparanda totus eſt; & in principio quidem, id eſt, in Bucolicis, magis hanc, opere autem procedente, in *Æneide* nimirum, illam ſæpius, advocat; ſic etiam eruditus noſter Friſo in epiſtola ad *M. Rœverum*, quæ titulum protinus excipit, *Theocritum* maxime pertractat, in iſtis autem, quæ agmen claudunt, duobus opuſculis *Homerum*.

De ipſo *Urſini* opere, non eſt, quod multis agamus. Per ſe jam dudum notum & carum fuit eruditis, neque niſi ægre caperet hic locus noſtrum, ſi vel maxime id vellemus, excerpendi ſtudium, &, quod rei caput eſt, a luſtrandis lectiſſimis rebus nos detineret, quas Cl. Vir. tanta copia primus e divite ſua penu in lucem profert, & tam liberali manu ſpargit pro more ſuo, ut, unde ordiamur, quid primo loco, quid deinceps, decerpamus, quid omittamus, cum omnia ejus de præſtantia ſecum fere certent, & lectores æqualiter invitent, maxime ſimus in ancipiti.

Epiſtola, ad *Matth. Rœverum*, JCtum Hagenſem, ſcripta, imitatio, ut videtur, illius *Bentlejanæ* ad *Millium*, *paginas 80*, ſive quinque plagulas, implet. Occaſionem ei ſcribendæ non tantum dedit antiqua cum *Rœvero* in Academia Leidenſi, cum ſtudiis ambo darent operam, inſtituta, & deinceps continuata, familiaritas, ſed etiam, idque maxime, exemplar

plar *Urſiniani Virgilii Plantinianum*, quod *Reverus* amico ſuo, renovandæ editionis gratia, e Bibliotheca, quam ipſe inſtructiſſimam poſſidet, conceſſerat, vir juvenis, ut ab opum abundantia & natalium ſplendore, ſic ab eruditione, & ejus promovendæ ſtudio, commendabilis. Certe, ſi quid credimus Friſoni, Batavum laudanti paſſim, neque amicitiæ quidquam in his tributum eſt, quod tamen ſuſpicari vetant candidi mores *Valckenari*; efficitur, *Reverum* in hoc, de quo ſermo eſt, ſtudiorum genere totum eſſe, & tantum profeciſſe poſt editum *Muſæum*, ut ipſi Noſtro tantum non præferendus ſit. Quod huc uſque nos latebat. Ipſa epiſtola ſine ordine & ſerie decurrit. Sparſæ, quod ajunt, margaritæ. Præcipue tamen *Theocritum*, arrepta vero occaſione, alios quoque tractat Noſter, ut *Heſychium*, ſuas delicias, & *Sophoclem*, de quo ſub epiſtolæ ipſum exordium ait agere ſe voluiſſe. Ab aliquot nempe annis hunc diligenter trivit, & edere olim paravit, priusquam comperiſſet, *virum, literarum & humanitatis cultu ornatiſſimum, alibi terrarum* (Hamburgi puta) *in Sophocle vulgando occupatum eſſe*. Verum abjecit deinceps illud conſilium, hoc quidem in loco *Sophoclem* attingendi, ne videretur captaſſe occaſionem hanc, emendatiunculas depromendi, quod iis ſolenne eſt pauperioribus Criticis, qui metuunt, *ne alterius labore præripiatur ſibi ſuus, & ipſi tum ſcilicet fraudentur inventionis gloria*. Propterea maluiſſe ſe, ait, *Theocritum* ad incudem vocare. Atqui potuerat hæc eadem ipſa ratio eum ab hoc inſtituto absterrere. Pulchre tamen fecit, & gratias ei habemus, quod longæ ſpei tædium ſolari ſua hac promulſide voluerit. Nollemus autem, quam primam exponit in *Theocritum* conjecturam, ominoſam certe ſecuturis reliquis, in fronte collocatam fuiſſe. Ea nempe tentat *Eidyllii octavi v. 57:*

> Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακὸν, ὕδασι δ' αὐχμὸς
> ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ ---- ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

In his verbis, in quibus nunquam nos certe offendiſſemus, & quæ planiſſima potius & elegantiſſima putaſſemus, vitium tamen invenit Noſter, & pro extremis primi ver-

verſus reponit Φοβερὸν, κακὸν ἔθασιν αὐχμός. Mutandi ratio ipſi gemina fuit. Prima, eaque graviſſima, quod *Virgilius*, hunc locum imitatus, *Triſte lupus Stabulis*, dixit, *maturis frugibus imber*, *Arboribus venti* &c. Debebat itaque pro voce ὕδασι reponi, vel potius erui, alia, quæ *maturas fruges* notaret, aut ſaltem ſolum frugum ferax. Atqui debuerat etiam pro voce αὐχμὸς alia & prorſus contrariæ ſignificationis inveniri, quæ *imbri* reſponderet, id eſt ὄμβρος, ſi credendus eſt *Virgilius* ſervus imitator fuiſſe, & pro ὄρνυσιν δ' ὕσπλαγξ fuerat reponendum τῆς μάνδρης δὲ λύκος. Altera ratio, quæ ſimul mutandi modum ſuggeſſit, (non enim audemus emendandi dicere,) ea eſt, quod Cl. Vir in *Stobæo*, ubi locus hic citatur, pro ὕδασι ſcriptum reperit ἔδασι, quod prono calamo refingebatur in ἔθασι. *Homerus* enim pro pingui ſolo οὖθαρ ἀρούρης dixit, & perinde ſcilicet eſt, ſive ſimplice dictione, ſive compoſita, ſeu periphraſi, utaris. Permittimus lectori judicium, num partus hic vitalis futurus ſit, & num indigna *Theocrito* ſint, ullove colore egeant, hæc: *Quemadmodum arboribus gelu* (vel *procella*) *terribilis eſt calamitas*, *& aquis* (fluviis, fontibus,) *æſtus exſiccans*, &c. Sed pæne fueramus obliti hoc notare, quod pentameter ὄρνυσιν δ' ὕσπλαγξ a Critico noſtro cum aliis bene multis frontem uſtus e civitate *Theocritea* exigatur. Et hac de re, ut æquum & fas erit, ſtatuent intelligentes judices. Sane, qui talia audet, nobis videtur Ἡρακλέους τινὸς ὀργὰς ἔχων τοῖς μεγίστοις ἐπιχειρεῖν, ut *Ariſtophanes* ait. Sed pergamus. *Pag.* 15 multa damnat ideo, quod bucolici generis non ſint, docetque, qui verſus ſint bucolici, &, quot hujus generis verſus in *Theocrito* & *Virgilio* exſtent, enumerat patientia vere critica, & illi haud abſimile, qua Maſoretæ ſacri Codicis, Muhammedani Karræi Alcorani, & veteres Grammatici *Homeri*, literas numerarunt. *Pag.* 20 de *Theocriteis*, ab *Euſtathio* allegatis, quæ in Codicibus noſtris hodie non amplius proſtant, diſputat, &, Epiſcopum illum pleniores noſtris Codices habuiſſe, negat, exemplis demonſtrans, eum e ſuis Grammaticis & *Athenæo* præcipue exſcripſiſſe vetuſta illa & ſplendida Autorum no-

Digitized by Google

mina, quorum ingens catalogus, *Hudſono* præteritorum, exhibetur; ſimulque *pag.* 22 fontes duarum talium ἐγέσεων, quæ pro fragmentis haberi poſſent, acutum cernens, deſignat, nimirum illud *Euſtathii* ἀμφορεὺς νεοτευχὴς depravatum eſſe ex ἀμφῶες νεοτευχὲς *Eidyll. I.* 28; alterum autem ποιηταὶ δὲ λόγων χλωρῶν ex iſto *Eidyll. XIV:* ποιεῦν τι δεῖ ὧν γόνυ χλωρόν. Ejusdem *Eidyll. III v.* 14 pro vulgata ἐ 'μ' αὐτὸν τὸν Πᾶνα corrigit ἐ μὰν ἐ τὸν Πᾶνα, eleganter, ut & *v.* 109, ἔντι παρ' ἄβᾳ, pro vulgato ἔντι γὰρ ἄβᾳ. *Pag.* 33 tentat *Eidyll. XXIII*, 13, 14, & pro vulgato φεῦγε δ' ἀπὸ χρωὸς ὕβριν τᾶς ὀργᾶς περικείμενος olim ait ſe conjeciſſe Φεῦγε δ' ἀπὸ πρὸ ὑβριστὰς ὀργὰν περιειμένος, *Hemſterhuſium* etiam id eatenus approbaſſe, ut ſaltem ſcriberet φεῦγε δ' ἀπὸ χρωὸς ὑβριστᾶ ὀργὰν περιειμένῳ, *ipſum illum vocalium concurſum virtutis aliquid habere, veriſſime judicans.* Nobis tamen, etſi illud περιειμένος valde placet, neutra tamen conjectura ſatisfacit. Pro ſola voce ὕβριν aliam requirimus, quæ veſtem, aut ſimile quid, notet. Ductum literarum aſſectati, conjecimus, pro ἀμείβεται, ἀνείβεται, & pro ὕβριν, τύριν, legendum. Sane, τ & υ in antiquis libris ſimillima ſibi eſſe, apparet vel ex ſolo *Heſychio* Hagenoenſi, &, υ atque β ſæpe inter ſe permutari, Clariſſ. *Valckenarius* ipſe monet *pag.* 78. *Heſychius* τύρις interpretatur ὁ περσικὸς χιτών, & ſenſus ita foret: *Bile facies ſuffunditur, & aufugit ejus color* (nitidus, roſeus, vividus,) *ſtolam iræ indutus* (croceam, tetricam, icteritiam,) ſeu ſub colore & veſte iræ. Excogitent alii meliora, quibus noſtra non ſatisfaciunt. Eodem *Eidyll. XXIII, v.* 16, in iſtis: λοίσθιον ἐκ ἤνεικε τὰ σύμφορα τᾶς Κυθερείας, pro τὰ σύμφορα conjicit τὰ πυρφόρα, nempe βέλη. Nobis videtur τὰ σύμφορα ex Scholio in textum irrepſiſſe, in quo vox olim alia exſtiterit ejusdem ſignificationis cum τὰς συμφοράς. Iſto autem deperdito per caſum fortuitum, Scholion in textum fuiſſe tractum. Cum autem τὰς συμφορὰς metro adverſaretur, mutatum id fuiſſe in τὰ σύμφορα. Concipimus, in antiquo tali Codice, ſcholiis inſtructo, in textu fuiſſe τὰς ἄτας: cui ſuperſcriptum fuerit ſcholion τὰς συμφοράς. Λοίσθιον ἐκ ἤνεικε τὰς ἄτας τᾶς Κυθερείας.

ῥείας. *Poſtremo non ferens omnes Veneris vexationes.* Viderint, quibus Codices MSti meliores præſto ſunt. *Pag.* 35 proponit emendationem capitalem, & *Theocrito*, etiamſi forte ſecus evincatur ſcripſiſſe, non tamen indecoram. Nempe pro ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις, ut vulgatæ exhibent *Eidyll. XIII*, 64, reponit Noſter ἐν ἀτρύτοισι Κιάνοις. Minus placent ſequentia, ut neque illud *pag.* 40, κῆρας repoſitum pro γῆρας in *XIV*, 21, absque ulla neceſſitate. Certe non videmus, quidni γῆρας ἐξελέσθαι μελέων commode dici queat, ſenectutem, vel ſeneſcentiam, diſpoſitionem ad marcorem, maraſmum, phthiſin, membris eximere, & ſic ἀγήρως facere, quod eſt Deorum epitheton. Pulchrum eſt ἄνακτες, *pag.* 40 repoſitum *carm. XXII*, *v.* 165. pro vulgato ἄπαντες. Sed ægre viciſſim ferimus, turbatum *pag.* 41 elegantiſſimum locum *Eidyll. XXIII*, 15, ubi pauperum piſcatorum pulchra imago exhibetur:

Οὐδεὶς οὐ χύτραν εἶχ᾽, οὐ κύνα. πάντα περισσὰ
Πάντ᾽ ἐδόκει τήναις ἄγρας. πενία σφιν ἑταίρα.

Secundum verſum, pravo *Scaligeri* exemplo inductus, Noſter ſic refingit: τἄλλ᾽ ἐδόκει τήνοις. ἄγραν πενίας φαν ἑταίραν. *Omnia reliqua iſtis videbantur ſupervacua. Piſcaturam paupertatis eſſe comitem, dicebant*, vel *reputabant*. Mera hæc eſt ſtribiligo præ vulgatis *Theocriteis*, quæ tantum non optime ſe habent. Quid enim? *Omnia reliqua* quænam iſta ſunt? Et quam nervis reſolutum illud: *Putabant paupertatis ſociam piſcaturam*, præ his: *Paupertas erat ipſis aſſidua ſodalis.* Miramur certe, ſagaciſſimo *Valckenario* non ſuboluiſſe, vocem ἄγρας ad terreſtrem venaturam habere occultam aliquam relationem, quacum nempe marina hæc comparatur. Terreſtris venaturæ neceſſarium inſtrumentum ſunt canes, non item τήνας ἄγρας iſtius, vel hujus, venaturæ marinæ, quam piſcatores exercebant. Non habebant hi canem, quia illo non indigebant ad ſuam venaturam. Neque habebant ollam, ait Poeta, quia egeſtas ipſis cohabitabat, ἡ ᾽αυχμηρά, cui cum nidore carnium aſſatarum & ollarum pinguedine rei nihil eſt. Hæc omnia, canes & ollæ, & alia hæc talia, πλούτου σύμβολα καὶ δεῖγμα βίου, ut *Ariſtophanes* loquitur, ſuperflua ipſis

Digitized by Google

& oneroſa ſibi videbantur. Πάντα περισσὰ ταῦτ' ἐδόκει τήνας ἄγρας. Sic legendum, & hæc ſola mutatio in iſto loco neceſſaria eſt, quo quid illuſtrius & venuſtius dici queat, fatemur, nos ignorare. Si quid videmus, nihil aliud Noſtrum implicuit in errorem, quam nimia ejus magnorum virorum, *Scaligeri* præſertim & *Hemſterbuſii*, veneratio, quos haud ſecus atque ſuum *Homerum*, tam religioſe colit, ut vel eorum errores tanquam oracula excipiat. *Pag.* 42 in eodem carmine *v.* 80 ſibi diſplicere ait τὰ φυκιόεντα τε λῆδα. Utinam addidiſſet, quare. Ideoque mutat in φυκιόεντ' ἄγρηνα. Ut nempe ſedes hæc aſſignari poſſet *Heſychii* gloſſæ Ἀγρηνὰ, δίκτυα, qui multas habeat dictiones *Theocriti*, quas alibi fruſtra quæras, nonnullas etiam aliter, atque in editis circumferuntur, ſcriptas. Faciliores foremus in his probandis, ſi *Heſychius*, eam gloſſam e *Theocrito* deſumtam eſſe, notaſſet. Quod cum non fecerit, æque probabile eſt, illum iſtud vocis ex alio quovis Poeta deſumſiſſe, atque ex *Theocrito*. Neque videmus, quare piſcatoribus negari debeant *veſtes algoſæ*, φυκιόεντα λῆδα, qui ſæpe ſe alga, cœno, aliisque, ſordidant, quæ una cum piſcibus & retibus e profundo attrahunt. Quod autem λῆδος (in plurali λήδεα, contracte λῆδα,) idem ſit atque λήδιον, (forſan enim offendit hominem γραμματικώτατον, quod hoc in frequentiore uſu ſit, quam illud,) docebit *Heſychius* in voce λαῖδος. Hunc ipſum Lexicographum poſt hæc emendat paſſim, &, quam inire viam Criticus in eo tractando debeat, & quam ipſe fuerit ingreſſus, monſtrat exemplo. Formas ſcilicet aliquas *Heſychium* diligenter annotaſſe, quibus qui, tanquam certis veſtigiis, inhæreat, poſſe illum plurima nova detegere, & obſcuriſſimis quoque locis facem accendere. Evincit hoc copioſa & luculenta exemplorum farragine, in quibus forma in θμὸς & θμὴ, valde Poetis & *Heſychio* frequens, obſcurata fuerit. Operæ pretium eſt, ipſum Muſeum libellum de his adire, & ex ipſo fonte uberrimo haurire. Ab illa deviatione redit Noſter ad *Theocritum pag.* 48, ſed ad ſolum ejus ſecundum Carmen, magicum illud, quod *Virgilius* in *Pharmaceutria* expreſſit, cujus

cujus *V.* 145 ipſi peccat:

--- ἦνθέ μοι ἅ τε Φιλίςας

Μάτηρ τᾶς γε ἐμᾶς αὐλητρίδος, ἅτε Μελιξῶς.

Negat, hic duas memorari fœminas. Negat, Φιλίςας eſſe nomen proprium. De una tantum matre *Melixus* aſſerit ſermonem eſſe, & Φιλίςας minore litera exarandum; ideoque ἅγε & τᾶς γε reſcribit. Teretes & judicioſæ aures viderint, num venuſtatem toties repetitæ particulæ γε ſentiant, quam ſenſurum eſſe ſuum *Ræverum* confidit. *Verſu* 155 proſcribit ἦ γάρ μοι in iſtis:

ἦ γάρ μοι καὶ τετράκις ἄλλοκ' ἐφοίτη,

et mutat in ἦ ῥ' ἀρμοῖ, putans ἀρμοῖ eſſe *nuper*. Nos vero, ſi quid intelligimus, aliam non novimus, neque cenſemus, notionem ejus eſſe particulæ, quam *modo, vix modo, paulo ante*, neque videntur ἀρμοῖ & ἄλλοκα, vel ἄλλοτε, (quod pro ἄλλως poſitum exiſtimat,) conſiſtere ſecum poſſe. In iſtis & ſequentibus a pruritu, quem appellant, critico vix poterit immunis declarari. Ejusdem nempe *Eidyllii II, v.* 13, mutat, ubi de *Hecate* ſermo eſt:

— τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι,

Ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία καὶ μέλαν αἷμα.

Sic vulgares habent omnes editiones. Noſter pro ultima voce εἷμα malit. Niſi hoc eſt δύσκολός τις καὶ περίεργος νεωτεροποιΐα, neſcimus, quid aliud hoc nomen mereatur. Fueratne credibile, fore, ut aliquem lubido invadat, αἷμα in εἷμα mutandi, qui cogitet & norit, ſanguinem a morte ſtatim nigreſcere, & gangræneſcere, terramque & Deos inferos a Poetis dici fingique, tanquam τένθας τινὰς καὶ λίχνους, avidarum ſanguinis muſcarum, aut felium canumve, inſtar, ad extergendas ſcutellas accurrentium, ad iſtum nigrum ſanguinem lambendum, qui certe maxime opima & unctuoſa pars eſt hominis, e Styge, nidore illectos, ad buſta convolare. Quid clarius in hanc rem iſto *Euripidis* in *Hecuba v.* 393:

Καὶ δὶς τόσον πέμ' αἵματος γενήσεται

Γαίᾳ, νεκρῷ τε τῷ τάδ' ἐξαιτουμένῳ,

& iſto ejusdem altero ibidem *v.* 535 adhuc luculentiore:

 Δέξαι

Δέξαι χοὰς μȣ τάςδε κηλητηρίȣς,
Νεκρῶν ἀγωγὰς, ἐλθὲ δ᾽ ὡς πίῃς μέλαν
Κόρης ἀκραιφνὲς αἷμ᾽, ὅ σοι δωρούμεθα.
Accipe hos ſanguinis rivos, iræ tuæ placatores,
Deorum inferûm ſurſum allectores, & veni nigrum potatum
Puellæ intemeratum ſanguinem, quem tibi donamus.

At quid tandem rei erat, ob quam εἷμα repoſitum ibat Noſter? Putat, μέλαν εἷμα νεκύων, *nigrum velamen mortuorum*, terram eſſe vel glebam, aut arenam, cadaveribus circumfuſam. Induxit eum in hanc opinionem *Hemſterhuſius*, qui ad *Heſychium* docuit, ἐπιέσσασθαι γῆν, *terra ſe amicire*, vel *amiciri*, eſſe idem atque *ſepeliri*. Ferremus εἷμα, ſi ſcriptum ſic in Codicibus & editionibus inveniremus, & Scholiaſtæ in eundem cum Noſtro modum exponerent. Sed certi ſumus, Cl. Virum, ſi εἷμα hic loci reperiſſet, ipſum ſtatim αἷμα reſcriptum iviſſe. *Hemſterhuſius* igitur, forte neſcius & nolens, Noſtrum, ut ſupra *Scaliger*, in errorem traxit. *Pag.* 54 elegantem proponit emendationem *Antonini Philoſophi VIII*, 27 (in noſtro exemplari eſt *I*, 23): τὸ ἀγγεῖον τὸ περικείμενον, pro vulgato τὸ αἴτιον τὸ π. Ejusdem *Eidyllii II*, *verſu* 24, mutat λακέει, μέγα καππυρίσασα, vulgarem lectionem, in λακέει μέγα, κάππυρος εὖσα, id eſt, ſecundum ipſum, κατὰ πυρὸς ἐοῦσα. Admittemus hoc tentamen, poſtquam Cl. Vir demonſtraverit, verbum καππυρίζειν Græcum non eſſe, neque ſignificare *crepitare*, neque poſſe. Nobis certe videtur apte derivatum a καπυρὸς, *crepitans*, & poetica licentia, producendæ ſyllabæ brevis cauſa, καππυρὸς, quod eſt a καπύω, *flo*, *ſpiro*. Ligna, rarefactum ignis vi, quem poris ſuis continent, aerem aquoſum dum excutiunt cum impetu & efflant, crepitant, & tanquam folles αὐτομήχανοι ipſa ſe *ſufflant* & inflammant. Quod idem de ſale verum eſt. Lignum ergo *ſpirans* idem erit atque *crepitans*, ut Latini loqui amant, quod ex adductis ibi Poetarum ejus gentis apparet locis. Ipſum quoque καππυρὸς εὖσα, *in igne exiſtens*, ſi vel maxime vellemus, admittere illud vetat, quod, niſi tavtologum ſit, ſit tamen procul dubio ſupervacuum & languidum, quandoquidem, qui præcedentia legit,

δάφνην

δάφνην αἴθω, *laurum uro*, & ſequentia ἄφθη, & σποδὸν, & ἐν φλογὶ, vel non monitus novit, laurum *ardentem* in igne eſſe, quando λακέει, *fragorem edit & ſtrepitum.* Impoſuit hic loci Cl. Viro Scholiaſtes, qui controverſum verbum per πυρακτωθεῖσα reddit. Quem ſi religioſe voluerat ſequi Noſter, debuerat καππυραχθεῖσα dediſſe. Atqui Scholiaſtæ, haud raro ridiculi & inepti homines, & ἄμουσοι, tantum in nos valere non debent, ut ſanis attrectandis manum eorum in gratiam admoveamus. Et quis tandem ignorat, eos tam ſollicite verborum rationem non habere, ut non Autorum ſuorum ſenſus utcunque expreſſiſſe ſatis habeant? Peperit tamen nobis hæc Noſtri hoc in loco molitio elegantes & e profundo egeſtas obſervationes de Dorica verborum in άζω, ίζω, &c. formatione, quas cum excuti non patiatur inſtitutum noſtrum, cupidos harum rerum ad ipſum libellum ablegamus, in quo non hæc ſolum, ſed & inſperſas multas emendationes *Heſychii*, *Jamblichi*, *Stobæi*, veterum marmorum, quibus obliteratæ formæ Doricæ redduntur, non ſine voluptate & admiratione legent. Sed, unum pulchrum & memorabilem locum ut prætereamus, impetrare a nobis non poſſumus, in quo faculam nobis accendit Noſter *Valckenarius*, quam ſecuti (abſque illa enim nihil hic vidiſſemus,) locum porro clara ſua in luce collocare ſtudebimus. Eſt ille *Thucydidis V*, 77, ubi in fœdere Lacedæmoniorum, cum Argivis icto, vulgo ſic legitur: περὶ δὲ τῶ σιῶ συμβατοσαίμεν λῆν τοῖς Ἐπιδαυρίοις ὅρκον. δῶμεν δὲ αὐτὰς ὁμόσαι. Unice verum eſſe σύμαλος, quod optimus Codex Caſſellanus habet, & ſenſum *Thucydidis* ex parte, vidit Noſter. Sed in verbis conſtituendis ab eo deſciſcimus. Ille ſic vult emendari: περὶ δὲ τῶ τῶ σιῶ σύμαλος λῆν τὼς Ἐπιδαυρίως ὀρκιδδέμεν &c. Exoſculamur iſta priora ſex verba. In ceteris autem ut longius a ductu literarum abit, ita quoque a ſenſu aberraſſe videtur. Nos unius & alterius literulae motu locum, niſi fallimur, reſtituemus; qui ſic erat e noſtra mente legendus: περὶ δὲ τῶ τῶ σιῶ σύμαλος, αἴ κεν λῆν, τοῖς Ἐπιδαυρίοις ὅρκον. δόμεν δὲ αὐτὼς ὁμόσαι. Id eſt, Græca commune dialecto, περὶ δὲ τοῦ τοῦ

θεοῦ

θεῦ θύματος τοῖς Ἐπ. ὅρκον (ſcilicet ἀποδιδόναι ἔδοξε, quod ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ex præcedentibus hic tacite repetendum eſt,) αἴγε θέλωσι. διδόναι δὲ αὐτοὺς ὀμόσαι. *Placuit jusjurandum de victima Dei Epidauriis, modo jurare non nolint, offerre; jurabunt autem, ſi jurent, quod victimam præſtare velint.* Memorabile quoque & felix commentum eſt, ſuoque dignum inventore, *pag.* 78 in *Heſychio* ἐπεβαλλομένη refingens in ἐπευαδδομένη, in quo adſtruendo ſuam ad *Ræverum* epiſtolam claudit doctiſſimus *Valckenarius*.

Longi fuimus, forte etiam ἀμυήτοις aliquibus tædioſi. Neque tamen minus plurima, eaque optimæ notæ, præteriimus, anguſtia noſtri ſpatii coerciti. Parvum vaſculum, ſed o quot bonæ res inſunt! Eſt enim Noſter unus ex illis paucis, quibus datum eſt, non numerare, non admetiri, ſuas divitias, ſed pleno quaſi horreo effundere. Neque, ut ſperamus, hujus opellæ pretio quidquam detrahent, quas paſſim inſpergere nobis viſum eſt, ſtricturæ. Convenit in Criticos, quod *Hippocrates* olim de Medicis: Ἐγὼ δὲ κἂν τοῦτον τὸν ἰητρὸν ἰσχυρῶς ἐπαινέσαιμι τὸν σμικρὰ ἁμαρτάνοντα. Sufficit in hoc literarum genere σμικρὰ ἁμαρτάνοντα πολλὰ καὶ μεγάλα κατορθοῦν. Alii alia vident. Ignoſcet nobis Cl. Vir, quod, ſepoſitis privatis rationibus, non nudos enarratores agere, ſed judices, voluimus, quod ex horum *Actorum* inſtituto noſtrum erat officium.

Jam devenimus ad mantiſſam, quam Cl. Vir *Urſiniano* libro ſubjecit, ubi ſequentia, nova fere omnia, deprehendimus, e ſcriniis depromta, ad quæ paucis aditus patet. Primum opuſculum eſt *Hectoris* interitus, carmen *Homeri*, ſeu *Iliadis Liber XXII*, cum ſcholiis vetuſtis *Porphyrii* & aliorum, quæ, huc usque inedita, nunc primum e Codice Bibliothecæ Leidenſis vulgantur. Latina verſio abeſt. Implet hoc opuſculum paginas 50, quarum primas 14 occupat præfatio. Sequuntur variæ lectiones *Homeri* & Scholiorum usque ad *pag.* 75. Excipit hæc *Moſchi* epitaphium *Bionis*, inſertum ob rationes, quæ ibi declarantur. In eo Doriſmum paſſim reſtituit Noſter, & melius haud pauca exhibuit, quam vulgo legun-

Digitized by Google

leguntur, ſolius ingenii, non item Codicum, ſubſidiis. Quæ inter eſt ſpecioſum illud & venuſtum βάμβαλε pro λάμβανε in iſtis *v. 6:*

> Νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα, καὶ πλέον αἴ αἴ
> Λάμβανε σοῖς πετάλοισι &c.

Certiſſima quoque illa eſt emendatio σιωπῆς, pro vulgato σιωπῇ, in iſtis *v. 30:*

> Ἀχὼ δ' ἐν πέτρῃσιν ὀδύρεται, ὅττι σιωπῆς.

Pag. 89 initium capit Diſſertatio de præſtantiſſimo Codice Leidenſi, *Homeri* nempe, & ſcholiis in eum ineditis. Memorat Autor, Codicem hunc olim *Iſaaci Voſſii*, & ante eum *Fabricii Peireſcii*, fuiſſe. De compilatore, & ejus ætate, hæc habet *pag.* 92: „ Præter *Michaelem Pſellum*, quem amicum habuit *Euſtathius*, fuerunt, ipſius non tantum ſeculo, ſed & ſequentibus " ad medium usque XV, quo cum Muſis ſeceſſerunt in Italiam homines in Græcia eruditi, quique & *Homero* delectarentur, & veterum Grammaticorum, quibus uſus fuerat " *Euſtathius*, cuſtodirent obſervata. Horum quempiam, credibile eſt, ſive invidia ductum, ſeu nimia operis *Euſtathiani* mole, ſive alia cauſa magis probabili, commotum, ſub " finem Seculi XII, dum Epiſcopus noſter ἐν τῇ θείᾳ αὐλῇ " Theſſalonicæ melioribus curis vacabat, *Iliada* deſcripſiſſe " *Homeri*, & in margines exemplaris ſui præ ceteris ſtudioſe retuliſſe obſervata *Porphyrii*; ſed & aliorum Scholia " veterrima, quæ e variis Codicibus hauſerit; his autem ſua " etiam, & nonnulla *Euſtathii*, ut is videretur tam pauca " priorum inventis adjeciſſe, paſſim inſeruiſſe. Hujus Codicis, ſive collectionis, ἀπόγραφον librum ſuſpicor eſſe Leidenſem, ante 400 circiter annos demum ſcriptum. Videaturne hæc mea conjectura veriſimilis, docti judicabunt. " Aliam de Scholiorum collectore conjecturam loco magis " oportuno deponam. „ Videtur nobis præter hæc vaga certiora quædam & magis ἴδια de ſuo compilatore promittere. *Pag.* 93 confutat famam, e *Colomeſio* hauſtam, quod nempe *Voſſius* hunc ſuum *Homeri* Codicem vulgare voluerit. Ex hoc ipſo Codice prodita paſſim a *Spanhemio* loca

 exhi-

Digitized by Google

exhibet, ſed integriora. *Pag. 102*, qui differat hic Leidenſis Scholiaſtes a Scholiis vulgaribus, *Didymo* male tributis, inquirit; ut & qui a Codice Florentino, Lipſienſi, excerptis *Aloyſii Alamani*, vulgo Cantabrigienſibus dictis. Plures *Homeri* Codices diverſos paſſim exſtare, ſibi perſuadet, optatque, „ ut hac ſua opella excitatus quiſpiam e membranis vetuſtis „ proferendo pervincat, Codicem Leidenſem *Homeri* non eſſe „ omnibus anteponendum. Hoc cum vix videatur ſperan„ dum, pergit, id tamen pervelim, ut eruditus quiſpiam de „ *Actorum*, quæ Lipſiæ, prodeunt, conditoribus Specimina „ quædam in ceteros Iliadis libros e Codice Lipſienſi Biblio„ thecæ Paulinæ deponeret, & inexſpectato hoc munuſculo „ utiliſſimi operis volumen exornaret." Lubentiſſime optimi Viri honeſto & æquo deſiderio ſatisfacere ſtuderemus, ſi anguſti limites, quibus coercemur, id permitterent, &, quod rei caput eſt, illius Codicis tractandi jam quidem nobis facultas eſſet. Spondemus tamen, quam primum ad illum theſaurum nos admiſerint egregii viri, (penes quos arbitrium ejus rei eſt, nos tam honorifico nobis deſiderio pro virili noſtra reſponſuros, & peculiari opuſculo, gratiſſima, quæ nobis demandata eſt, ſparta defuncturos eſſe. Poſt hæc accuratius Codicem Leidenſem delineat, & ejus quidem Scholiorum primum interlinearium, ſeu minorum ſpecimina, dat, ubi occaſio ipſi naſcitur, de paraphraſi proſaica *Odyſſea*, quam *Dionyſius* Thrax olim edidit, diſſerendi. Deinde marginalium quoque, ſeu majorum Scholiorum, exempla profert, & partim jam edita ſub *Didymi* nomine ſupplet, partim inedita producit, quæ inter quædam, ſed ea deterioris notæ, ſunt alicujus *Senacherib*, Σεναχηρεὶμ, quem ſibi Grammaticum prorſus ignotum eſſe fatetur. Neque id mirum, in monſtroſo Græci hominis nomine, & forte nunquam Græciæ audito. Quid ſi ſuſpicemur, illum obſcurum, forte monachum, hujus Codicis compilatorem eſſe? Plurima, eaque præſtantiſſima, ſunt *Porphyrii*, cujus in *Homerum* docti Commentarii dudum perierunt. In his decurrit usque ad *pag. 150*, qua initium fit Schediaſmatis de Autore epiſtolæ ad *Eulogium*,

Lexico

Digitized by Google

Lexico *Heſychiano* præfixæ, quod ad *pag*: 169, ſeu finem libri, extenditur. Quæ de illo ſit Cl. Viri ſententia, quando quidem ipſe in clauſula in compendium quaſi contraxit, & uno ſub conſpectu exhibuit, malumus ejus verbis, quam noſtris, exponere. „ Omnibus autem expenſis, ait, ſic cenſeo. " Luculentam Gloſſariorum Lexicorumque veterum, quam " ſub *Heſychii* nomine legimus, non eſſe vaſti operis epitomen, poſtquam epiſtola ad *Eulogium* ſcripto fuerat mandata, concinnatam; ſæpenumero quidem Autorum & populorum nomina male prætermiſſa; non pauca etiam, " quæ in libris vetuſtis legerentur plenius, fuiſſe contracta, " ſed ab illo, qui non peritiſſime hanc collectionem primus " adornavit, epiſtolam ad *Eulogium* a Græculo recentiore " præfixam, ut librum momenti nullius, augmentis a ſe " ditatum, ſplendidis mendaciis commendaret; atque adeo " exiſtimo, *Heſychium*, ſive vetus illud & ad adipiſcendam " eruditionem ingeniumque exercendum utiliſſimum inſtrumentum, iſta ad *Eulogium* epiſtola contaminari.„

D. SALOMONIS DEYLINGII, P. P. ECCLES. Cathedr. Miſnenſis Canonici, & Superint. Lipſ. Obſervationum ſacrarum Pars quinta, in quibus oracula utriusque Fœderis difficiliora, & loci veterum doctorum obſcuriores, illuſtrantur, omniaque a diſſentientium, inprimis recentiorum, depravatione ſolide vindicantur. Appendicis vice acceſſit Diſſertatio de Æliæ Capitolinæ hiſtoria & origine, Auctore CHRISTIANO ERDMANNO DEYLINGIO, Phil. & J. U. D. Cum Indicibus neceſſariis.

Lipſiæ, ſumtibus hæredum Lanckiſianorum, 1748, 4. Alph. 2 pl. 20.

Coronidem nunc imponit Summe Venerabilis Autor laboribus ſuis ſanctioribus, in tabulas publice relatis, atque per omne ævum duraturis, *quintam* hanc, eandemque

 ultimam,

ultimam, *Obſervationum Partem*, bonæ frugis pleniſſimam, omnique ſolidioris doctrinæ apparatu inſtructiſſimam, cum orbe literato communicando. Exhibet hoc ſpicilegium *XL* varii argumenti recenſiones, ex acroamatica Theologorum diſciplina repetitas, quarum *prior θεοφανείαν in rubo ardente, Exod. III, 6, Moſi*, ovium antea paſtori, mox vero
Pag. 4. populi Iſraelitici ductori ex Ægypto, mirifica ſub ſpecie factam, exponit. Portentum ſcilicet erat maximum, & admiratione dignum, montem Sinaiticum ardentem, ſed non incendio confectum, conſpicere, ubi tamen verus, quod textus monet, ignis aderat, majeſtatem divinam manifeſtans. Rei novitate impulſus *Moſes*, propiusque accedens, vocem cœlitus emiſſam audit, rationem hujus rei, angelo loquente, dilucide declarantem. Facile patet, angelum iſtum, cum
7. *Moſe* colloquium inſtituentem, fuiſſe Deum, quod nominis ſignificatio יהוה ſecundum Scripturæ ſacræ analogiam docet. Accedit *καρδιογνωσία*, precum exauditio, gratioſa providentia, præſcientia rerum futurarum, & quidem contingentium, cum immenſa potentia conjuncta, huic angelo tributa, quæ
9. omnia de Deo nos cogitare volunt. Nec dubitatio eſt, quin angelus ille, Iſraelitarum liberator dictus, ſit Filius Dei, carne aliquando induendus, generis humani redemtor, veluti præludio in rubo ardente repræſentandus, ſuique præſentiam, ut angelus Jehova, fidelibus V. T. ſæpius exhibens, quibus de Numine trinuno probe conſtabat doctrina religioſa, ad fideles N. T. poſtea integre transmiſſa. Eadem
11. hujus apparitionis ſententia erat in eccleſia primitiva, teſtibus locupletiſſimis *Tertulliano, Ambroſio*, utroque *Cyrillo*, & *Gregorio*, aliisque, conſtanter recepta. Hinc nihili pen-
13. demus, quæ *Clericus*, *Grotius*, & *Sociniani*, ex receptis ſuis præjudicatis opinionibus obſtrepere moliuntur. Quin potius certiſſimum eſt, inhabitationem Jehovæ in rubo præ-
15. figuraſſe inhabitationem τȣ λόγȣ τȣ Θεȣ ἐν σαρκὶ *Jo. I, 14*, non ſub umbra & typo, ſed vere atque realiter, factam, &
17. in nativitate Chriſti in tempore impletam fuiſſe. Succedit *ſecunda* Commentatio *de adſperſione ſanguinis agni paſchalis*, typo

Digitized by Google

typo paſſionis Chriſti in cruce, ad *Exod. XII*, 18, & *Hebr. XI*, 28. Ante omnia hic Cel. Autor firmatum reddit, ſcopum *Pauli*, ad *Ebræos*, Chriſtianos ſcilicet ex Judæis, ſcribentis, fuiſſe Pag. 20.
hortatorium, ut in agnita veritatis luce permanerent, ſibique perſuaderent, rituum Moſaicorum ſignificationem eſſe typicam, nec diutius durare ex intentione Dei debuiſſe, quam ad 22.
tempora Meſſiæ, in carne jamjam manifeſtati. Huc referenda eſt ſolennitas paſchalis, quæ ſacrificiis oblatis, & agni paſchalis comeſtione, celebrabatur, & ſuccincte a *Paulo* per τὸ πάσχα ποιεῖν eſt deſcripta. Nihil vero aliud hæc loquendi ratio declarat, quam agnum paſchalem a grege rite ſeparare, mactare, ejusque ſanguinem ſolenni ritu fundere, carnem ad ignem aſſare, & cum pio ſodalitio comedere, eum in finem, ut Meſſias ſub hac umbra repræſentaretur, & fideliter ab Iſraelitis acciperetur. Habemus hac in re conſentientes 23.
veterum Judæorum doctores, ex *Philonis* & *Joſephi* teſtimonio, qui uterque cum *Moſe* agnum paſchalem θυσίαν vocat, quia ſanguinis adſperſio actus ſacerdotalis ac ſacrificalis habetur. Agni paſchalis ſeparatio, & illius inter horam nonam atque undecimam diei Judaici mactatio, item Meſſiam re- 25.
præſentabat, quarto ante paſſionem die templum ſolenni pompa intrantem, & ſub reſpectivo tempore in cruce exſpirantem. Myſticam hujus feſtivitatis ſignificationem depre- 28.
hendimus in felici fidelium ex hac vita tranſitu ad alteras beataſque ſedes, ubi liberatio plenaria eſt ab omni calamitate terrena: itemque in perpurgatione animi ab omni 29.
doctrinæ corruptela, profanis moribus, ſeculique hujus vaniſſimo inquinamento, quod *Paulus* accurate monet. Ami- 31.
ce cum hac Obſervatione conjungitur *tertia, trajectionem maris Idumai, paſcha J. C. ἀναστάσιμον, repræſentantem*, perluſtrans, atque erudite demonſtrans, Hebræos, poſt trajectionem maris *Idumai*, in libertatem aſſertos, & in littore 33.
Arabico caſtra metatos, vera fide celebraſſe paſcha ἀναστάσιμον, dum in dejectione atque atrociſſima ſtrage hoſtium liberationem ſuam contemplabantur, magnamque illam Meſſiæ morte &glorioſa reſurrectione perficiendam redemtionem,

Digitized by Google

eminus ſub hoc latentem, deprehendebant. Valere hic jube-
Pag. 35. mus opinionem *Hardtianam*, quam *Matth. Haſius* ſuam
fecit, opinans, non de ſinu *Arabico*, ſed de lacu *Sirbonidis*,
hanc trajectionem eſſe intelligendam, cum tamen Codex ſacer
mare *algoſum*, quod LXX τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν vertunt,
non *finem* maris, expreſſe innuat. Rectius tamen *viride*,
39. quam *rubrum*, dicendum eſſe videtur, niſi ab *Erythio*, anti-
quo adjacentis Idumaeæ Rege, hoc eſt, ab *Eſavo*, Græce *Ery-
thio* dicto, ab Hebræo vocabulo אדום universamque regio-
nem, juxta ſinum *Arabicum* ſitam, antiquitus occupante,
denominationis hujus rationem, & veri quidem ſimillimam,
40. derivare velimus. In hoc ſinu ſtrages Ægyptiorum accidit
miraculoſa, per Angelum Jehovam perpetrata, quem hac de
cauſa Iſraelitæ ut *redemtorem* & *ſalvatorem* feſto hoc die
celebrabant, & quidem, quod commemoratu eſt digniſſimum,
ea ipſa die dominica, qua Chriſtiani Servatoris ex morte re-
43. ſuſcitati memoriam grate celebrant; reque probe ponde-
rata, in aprico erit, per ſpolia, ab Iſraelitis hoſtibus detracta,
& feſtivam cantionem triumphalem, ab Hebræis recitatam,
triumphum Chriſti in V. T. ſub hac umbratili ſpecie eſſe
47. declaratum, & ante triumphum myſterioſe decantatum.

Quarta Commentatio *ignem ſacrum in ara templi exteriore
perpetuo alendum, ejusque rationem typicam*, ad *Lev. VI, 13*,
& *1 Theſſ. V, 19*, exponit. Monitum *Pauli*, quod ſcite ex-
plicatur, Theſſalonicenſes docebat, ne dona Spiritus S. tum
ordinaria, tum extraordinaria, pro nihilo haberent atque
adſpernarentur, multo minus exſtinguerent, aut delerent,
49. tanquam res nullius momenti. Reſpexiſſe hic videtur Apo-
ſtolus ad ignem ſacrum in ora templi Hieroſolymitani ex-
teriore perpetuo alendum, quem nefas erat negligere, &
non fovere, aut, quod pejus & funeſtum erat, data opera
51. exſtinguere. Symbolum ignis tam ad Numinis divini præ-
ſentiam majeſtaticam declarandam, quam ad divina judicia,
& pœnas, a Deo immiſſas, indicandas, olim adhibebatur.
In templo tamen Hieroſolymitano ignis, perpetuo & ſine
52. intermiſſione arſurus, notabat gratioſam Dei præſentiam
æque

æque ac ignis ille miraculoſus, tempore Patriarcharum, *Moſis*, ac Prophetarum, uſitatus, de cœlo delapſus, & in prodigioſis ſacrificiorum incendiis conſpicuus, quem ἐμπυρισμὸν etiam gentiles falſo gloriabantur. Ignem vero per- Pag. 54.
petuo in ara arſurum, origines ſuas debere flammæ, ſub *tabernaculi*, a *Bezaleele* conſtructi, dedicatione, & *Aaronis* 56.
ad ſummum Pontificatum initiatione, cœlitus in terram concidenti, certiſſime conſtat ex *Lev. IX*, 14. Perpetuitas ta- 58.
men illius curæ ſacerdotum erat commiſſa, cum Deus quotidiana miracula patrare nollet. Confirmat, ſeu illuſtrat potius, hanc ſententiam ignis ſacri apud gentiles aſſervatio, cujus conſuetudo ſine dubio ab Hebræis ſumta fuit. Ceterum hæc ignis ardentis viſibilis ſpecies typum exhibebat rerum futurarum, ubi Spiritus S. in primo Pentecoſtes Feſto Chriſtiano ſub viſibili ignis ſpecie cum magna donorum 60.
copia & varietate effundebatur, quod docte hic enucleatur. 63.
Subſequitur diſquiſitio *quinta de Sacerdote Hebræo de ſanctitatibus ſanctitatum comedere prohibito*, ad *Lev. XXI*, 22. Ex 65.
veterum conſtat monumentis, ſacerdotes Hebræos integro, ſano, atque venuſto, corpore eſſe debuiſſe, tum etiam mente pura atque incontaminata, panem Domino oblaturos. Idem 67.
requirebatur perfectionis genus in Sacerdote Max. typo Meſſiæ omnino habendo, quod contra *Spencerum* & *Clericum* ſolide demonſtratur. Hac de cauſa Judæorum atque Sa- 69.
cerdotum ſenatus antea accuratum inſtituebant examen, quam candidatos ad aram, & publicum in templo miniſterium obeundum, admitterent. Impuri hinc atque mutili ab ara arcebantur, illi vero, in quibus nihil vitii ineſſe deprehendebatur, veſtibus albis induti atrium ſacerdotum ingrediebantur, & cum aliis ſacerdotibus publice miniſtrabant, eum denique diem יום טוב *ut feſtum & lætum* ce- 70.
lebrabant. Anceps vero hic decidenda eſt quæſtio, inter *Jo. ab Ham* & *Jo. Henr. Hottingerum* quondam agitata, num ſacerdotes, a muneribus publicis remoti ob vitium corporis, a ſanctitatibus ſanctitatum comedere debuerint. Plurima interpretum turba eo inclinat, ut cum *Hottingero* hæc 72.
affir-

Digitized by Google

affirmet, quod adverſæ quidem partis primipilus negat. Erudite hanc controverſiam S. Venerabilis Autor ex legis Moſaicæ verbis dirimit, diſcrimine modo obſervato,
Pag. 74. quod inter לחם, *panem*, כדשי כשים, *ſanctitates ſanctitatum*, & קרשים, *ſanctitates* nudas atque viles, conſtitui de-
77. bet. Ex quo & reliquis textum circumſtantibus argumentis patet, ſacerdotem, nævis in lege indicatis laborantem, & ab ara ſemotum, ex *ſanctis ſanctorum* nequaquam comedere
79. debuiſſe, ſed ex levioribus modo *ſanctitatibus*, quarum non exiguus numerus ac proventus erat, & quæ cum aliis reditibus ad alimenta ſacerdotalis ſobolis abunde ſufficiebant. *Sexta* Commentatio, ad rem eccleſiaſticam potiſſimum ſpectans, ſolidiſſime ex antiquitatis monumentis profligat *ſanctorum cultum*, a Pontificiis receptum, & ſingulari quadam occaſione ante aliquot annos ab ignavo monachorum Juvavienſium ſodalitio refocillatum, atque ex verbo divino, uti ipſis videbatur, aſſertum; contendentibus illis ſatis frivole
82. atque imperite, neglectum B. *Mariæ* & reliquorum Sanctorum cultum, ac religioſam adorationem, ſempiterna ſalutis jactura mulctari debere. Cel. Autor noſter monſtrat, nec Patres Tridentinos, nec antiquiores & recentiores eccleſiæ Romanæ doctores, monſtroſam hanc aluiſſe doctrinam, quam illi Juvavienſes prædicabant monachi. Contra Eminentiſſimum *Lambertinum* deinde, itemque *Trombellum*,
90. ſuccincte, ſed ſtrenue, diſputatur, ita ut, ſacra Scriptura & antiquitate eccleſiaſtica ſuffragante, fœdus atque improbandus cultus ille Sanctorum doceatur, ex gentilium lacunis hauſtus, et fabulis ſanctorum auctus atque
96. inſigniter nutritus. Quare omnia doctiſſime ex locupletiſſimis Autoribus referuntur, adjecta ſub finem clauſula, Pontificem canoniſationis, quem dicunt, morem ſibi ſucceſſu temporis reſervaſſe, cuilibet Epiſcopo antea communem. In *ſeptima* Diſſertatione *lapis auxilii Sam. VIII,*
97 *22*, אבן העזר docte ex hiſtoria ſacra & profana illuſtratur, ubi ſimul ex hauſta atque effuſa aqua coram Jehova *1 Sam. VII, 6*, docetur, optimam eorum

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſententiam, qui nos doceant, hac aquæ effuſione
jejunium exquiſitiſſimum, ſolenni iſto pœnitentiali die
inſtitutum, declarari, ubi vel potu aquæ Iſraelitæ abſti-
nuerint. *Lapis* vero *auxilii*, poſt ſuperatam calamita- Pag. 103.
tem, ab Hebræis ſub *Samuelis* auſpiciis erectus, mo-
numentum indicat μνημονευτικὸν, quale vel ex majori ſaxo
rudiore factum erat, vel columna conſtabat, ex lapide ex-
ciſa formataque, cujus moris inſigne exemplum in hiſtoria
Jacobi occurrit, a gentilibus in ſuas partes ſtolide tra- 105.
ctum, quod βαιτύλια, *ſeu lapides animati*, a Phœnicibus ficti,
probant. Nec dubitari poteſt, quin monumenti hujus 106.
erectio Jehovæ fuerit gratiſſima, licet in lege Moſaica de
erigendis titulis, cippis, & ſtatuis, multa curate caverentur.
Hæc enim cautio ad monumenta ſuperſtitionis cauſa erecta 107.
pertinebat, non excluſis inde aliis monumentis, quæ me-
moriæ & grati erga Deum animi declarandi cauſa, vel alio 115.
fine bono, erigebantur. Excipit hanc diſquiſitionem *octava*
oraculum *Mich. V, 1*, coll. *Matth. II, 6*, de *dominatore*
Iſraelis ex Bethlehemo prodituro, explicans, & ab *Artemo-* 119.
nii aliorumque interpretandi calumniis ſolide vindicans,
addita locorum utrorumque facillima conciliatione, & de-
monſtrata contra *Iſaacum Newtonum* impletione quam- 126.
plurimorum V. F. teſtimoniorum divinorum, de decem
tribuum Iſraelis reditu in patriam, & de collectione exu-
lum Hebræorum ad eccleſiam Apoſtolicam conficienda,
multa præclare enarrantium. Doctrinam de impertiendo ho- 128.
minibus, in Chriſtum credentibus, Spiritu S. *nona* dilucidio-
rem reddit Diſſertatio, plene perfecteque exponens oracula, 130.
a *Joele II, 28*, & in *Act. II, 17*, deſcripta. Implementum
vaticinii illa temporum ſerie continetur, qua heroes *Mac-*
cabaici, poſt deletas Syrorum & Macedonum copias, Dei po- 133.
pulo præfuerunt, & reſpublica Judaica uſque ad Meſſiæ ad-
ventum floruit. Memorabile autem hoc eſt vaticinium, quo 136.
Filius Dei Spiritum S. miſſurus dicitur, & copia atque uber-
tas, ex more loquendi veterum Hebræorum, donorum *ſancti-*
ficantium & *miniſtrantium* Spiritus S. promittitur, omnesque 139.

 homi-

homines ejuſdem felicitatis participes fore, declaratur, dummodo in Chriſtum credant. *Pacem in terra* ductu teſtimonii *Luc. II, 14,* ſubſequens *decima* exponit Obſervatio, vaticinio *Jeſ. IX, 14,* in limine hujus argumenti, breviter nervoſeque explanato. Indicatur tamen ibi, quod certiſſimum videtur, non externa quidem & civilis pax, ſed interna animi quies per Spiritum S. parta, deficiente vel unico probabili argumento, quod pro extera pacis conciliatione validiſſime pugnet. *Oroſii* enim fides, qui demum Seculo V poſt C. N. vixit, ut in univerſum, ita in noſtra inprimis cauſa, ſubleſta eſt. Nec triplici vice ſub *Auguſto* clauſus *Janus* ulla ratione in tempora nati Servatoris incidit. Ultima angelicæ ſalutationis verba fundamentum pacis in terra, in benevola & gratioſa Dei voluntate conſiſtens, deſcribunt, & ſic ad autorem pacis, Deum ſcilicet, omnem pacis hujus cauſam referendam eſſe, docent. De *ſatisfactione* & *indulgentia* Obſervatio *undecima* eccleſiæ veteris præceptiones luculenter tractat, &, quam turpiter a moribus antiquis Pontificii hac in cauſa deflectant, ex luculentis veterum teſtimoniis demonſtrat. Eam enim, quam ſub δικαιώματος notione *Rom. V, 18, VIII, 4,* deprehendimus ſignificationem, plane non quadrare ad doctrinam de ſatisfactione, in eccleſia primæva traditam, inde apparet, quia ſatisfactio iſta ad externam modo eccleſiæ diſciplinam, a lapſis, ex ſanctiore fratrum ſocietate ejectis, obſervandam, pertinebat, ubi, facta ſolenni deprecatione, quæ *exomologeſis* dicitur, cœtui ſanctorum, ex more loquendi veterum Romanorum, ſatisfieri dicebatur. Quod ulterius patet ex *laica* & *peregrina communione*, in eccleſiam introducta tunc, qua lapſi Clerici, et, acta pœnitentia canonica, in eccleſiam recepti, ordinis tamen ſacri dejecti gradu, inter laicos communicare adigebantur. *Peregrina* vero dicebatur, cum Clerici delinquentes, a muneris ſui officio aliquandiu ſuſpenſi, ad conditionem Clericorum peregrinorum, in eccleſia commorantium, redigebantur. Succeſſu temporis veteris diſciplinæ ſeveritas, habita ſexus, ætatis, dignitatis, aliarumque rerum, ratione, mitigabatur, & inde nomen *indulgentiæ* enatum,

teſte

Marginal references: Pag. 142 (at "nii *Luc. II, 14*"), 147 (at "videtur"), 152 (at "pugnet"), 153 (at "eſt. Nec"), 155 (at "in tempora"), 157 (at "eſſe, docent"), 160 (at "decima"), 162 (at "Eam enim"), 165 (at "exomologeſis"), 167 (at "laica"), 171 (at "rantium").

teſte *Vigilio*, Sec. VI præſulatum Romanum tenente. Al- Pag. 175.
tius deinde radices agente hac conſuetudine eccleſiaſtica, & in
deterrimos abuſus converſa, *Clemens V*, Pont. Max. A. C. *1311*,
in Concilio *Viennenſi* hanc libidinem quæſtus faciendi ſacros
ſeveriſſime coercebat, quam tamen nundinationem, Epiſcopis
ereptam, poſtea curia Romana ſibi vindicabat, &, quo lu-
croſior erat, eo vehementius eam urgebat, confirma- 176.
bat, atque augebat. Excipit hanc Exercitationem doctiſſi-
mam *duodecima*, *Chriſtum*, *ἀπαρχὴν τῶν κεκοιμημένων 1 Cor.
XV, 20*, coll. *Lev. XXIII, 10-14*, ſiſtens. Textus inprimis 179.
Moſaicus hic enarratur, atque ex varia antiquitatis Judaicæ
doctrina luculenter explanatur ritus manipulum paſcha-
lem demetendi, atque in templo offerendi. Aſſeritur ex 181.
firmiſſimis rerum argumentis, ſegetes circa tempus pa-
ſchale maturas eſſe potuiſſe, quod *Maldonatus* & *Grotius*
negant, itemque diem demetendi manipuli poſtridie pa-
ſchatos fuiſſe, quod *Guſſetius* minus recte in dubitationem 183
vocat. Divina tamen omnium iſtarum rerum erat inſtitu-
tio, quæ contra *Clericum* & *Spencerum* vindicatur, ratione 191.
inprimis habita ferti, ex manipulo paſchali confecti, Chri-
ſtum cum ſuis beneficiis præfigurantis, eodem die, quo mani-
pulus ſpicarum, *ſexto decimo* ſcilicet menſis *Niſan*, a ſacerdote 194.
in templo levabatur, poſt exantlatas diriſſimas perpeſſiones
ex morte in vitam revocatum. Poſt hæc ordine ſe-
quitur *Obſervationum exegeticarum*, diverſis temporibus a 199.
S. Venerabili Autore editarum, *repetita & aucta* col-
lectio, a nobis recenſenda, ſeu delibanda potius, ut Lectori-
bus ſatisfaciamus, hujus doctrinæ cupidiſſimis. De *empha-* 205.
ſibus fictitiis, *veris*, & *realibus*, priores *tres* multa ſaluberrima
præcipiunt Exercitationes. Emphaſis eſt ſcribendi loquen-
dive modus, altiorem præbens intellectum, quam quem
verba per ſe ipſa declarant. Eruenda eſt illa ex rebus, quin
& verbis, ſingulis Scripturæ ſacræ, Hebraice Græceque con-
ſcriptæ, nec temere fingenda. In quam ſcyllam incidit *Coc-* 207.
cejus, præſtantiſſimus alias Theologus, *πάρεσιν* peccatorum
diſſimulationem, aut *prætermiſſionem*, ſtatuens, quæ potius vi

Digitized by Google

Pag. 212. originis *remiſſionem, ſolutionem* & *relaxationem* denotat. Ea-
dem ratione κατακυριεύειν, a *Petro* adhibitum, non tyranni-
cum ſignificat dominatum, ſed omnem, qualiscunque ſit,
exercere; quod de vocabulo ἐρευνᾷν ſimiliter patet, non la-
borioſam quidem, ſed in univerſum inveſtigationem quam-
cunque, ſuſcipere ſignificante. Rectius admittenda eſt em-
224. phaſis in vocabulis העביר & כפר, quæ *ablationem, trans-
lationem*, & expiationem peccatorum, intendunt, pro eo, quod
ad plenariam & conſummatam delictorum remiſſionem per-
tinet. Realem emphaſin notabilem occurrere *Eſ. XI, 1*, Cel.
Autor ex re matrimoniali Judæorum erudite monſtrat, ver-
bis ſimpliciſſimis calamitatem graviſſimam belli, & inopiam
virorum deplorandam, Propheta deſcribente. Oracula di-
vina non detorquenda, amplum ſenſum non reſtringen-
dum, reſtrictum non extendendum, ex nominibus propriis
230. non appellativa, nec vice verſa, eſſe formanda, *quatuor*
ſequentes dilucide demonſtrant Obſervationes. Fallitur hinc
Grotius, vaticinium de *Tyriis Jeſ. XXIII, 28*, exhibitum, ad
felicitatem humanam, invita oratione, & rerum natura,
233. plenius ibi expoſita, nefarie trahens. Nec majorem meren-
tur laudem Duumviri celeberrimi, *Jo. Clericus* & *C. Vitringa*,
hyperbolicas in Scriptura locutiones fingentes, cum tamen
nefas ſit, in iſtis ſermonibus, qui Dei voluntatem expo-
nunt, aliquid intelligere, cum veritatis limitibus plane non
conveniens. Univerſalem invitationem peccatorum ad Chri-
ſtum *Matth. XI, 28*, quin & univerſalem comminationem
241. divinam, ad omnes omnino homines *Deut. XXVII, 26*, fa-
ctam, nota univerſalitatis in priori loco, & enuntiatio in-
definita, quæ vim habet univerſalem, in poſteriori oraculo,
probat. Deum nomine ſuo *Jehovam* Iſraelitis non innotuiſſe
249. *ſecundum quid*, ſeu reſtrictionem quandam, de cognitione
clariori ſcilicet, interpretari nos oportet, quod male *Cle-
ricus* ad *Exod. VI, 3*, de omnimoda nominis Jehovæ inſcitia
256. inter Iſraelitas commentatur. Vocabulum תרשיש minus re-
cte pro *appellativo nomine* ſumitur, cum clariſſime in Scriptura
258. S. locum denotet, unde aurum advehebatur. Confirmatur hic &
docte

Digitized by Google

docte adſtruitur, *Tarſiſum* eſſe *Tarteſſum*, nobiliſſimam in Pag. 260.
Hiſpania Bætica urbem. Veritati etiam conſentaneum
videtur, *Tarſiſum*, quo ex ſinu Idumæo navigabatur,
aliquam Aſiæ interioris inſulam, & partem illius regionis,
fuiſſe, quæ hodie vocatur *India orientalis*, ubi etiam *Ophir*,
in quam claſſis *Salomonæa*, Tyriis nautis inſtructa, mitte- 261.
batur, quæri debet. Senſus videtur commodus oraculi, ab
Ezech. XXXVIII, 2, prolati, vocabulis ראש נשיא conversis:
Dux Roſch, ſeu *Ruſſorum*, non *appellative*, *magnus princeps*, ſeu
princeps principum. E contrario vocabulum כרמל *appellative* 266.
ſumitur ex teſtimonio luculento *Eſaiæ XXXII, 15*, aliisque,
ubi *arvum frugiferum* hoc denotari intelligimus. In ſequen- 268.
tibus *quatuor* Exercitationibus dilucide ex ſelecta exemplo-
rum copia oſtenditur, ſenſum, a Spiritu S. intentum, ſolum
eſſe inveſtigandum; præjudicia interpretis ſacrarum litera- 276.
rum quam maxime eſſe nociva; ſenſum e Scriptura S. effe- 292.
rendum, non malo omine in eam inferendum eſſe;
denique non diſcedi debere a vocabulorum phraſiumque
proprietate, ſi interpretis genuini officia recte tueri veli-
mus. Quæ excipiunt hos canones exegeticos, diligentiſſime 299.
illuſtratos, Obſervationes *tres*, Chriſtum, σκοπὸν Scripturæ 308.
S. σκοπιμώτατον, adſpectant, & probe docent, via regia 313.
hic eundum eſſe, ne interpres Meſſiam negligat, in ſalutis 326.
doctrina manifeſtatum, nec ad eum oracula applicet, alior-
ſum plane ſpectantia. Pertinet huc inter reliqua dictio
Eſaiæ II, 22, de homine, in cujus naribus eſt anima, ubi
plurima interpretum pars eo inclinat, ut Chriſtum inibi 330.
quærat, cum tamen *Jeſaias* de hominum, in eminente
dignitate poſitorum, faſtu deprimendo, & de cultu idolo-
rum deſtruendo, uti ex verbis præcedentibus clariſſime pa-
tet, agat. Nec probanda eſt ſententia *Rambachii*, vocabulum
האדם *Geneſ. VIII, 21*, ad Meſſiam rapientis, ubi quidem
commodus eſt ſenſus, ſi vertas, Deum non amplius orbi
novum diluvium eſſe illaturum, etſi hominum vita vitioſa
ſit, & pœnas promereatur. Sequens diſquiſitio, quæ ordine 331.
viceſima octava eſt, ſcitu neceſſarium inculcat monitum,

 textus

Titus victor *Hieroſolymis* deletis aratrum induxerit, de
quo inter eruditos, plurimis rem affirmantibus, duce
Joſepho Scaligero, multum diſputatum fuit, haud ſatis
Pag. 451. conſtat. Inde tamen recte negari nequit, *Hadriani* tem-
poribus, areæ, cui *Hieroſolyma* ſuperſtructæ fuerant,
aratrum inductum, & ita impletum eſſe, quod *Micha*
III, 12, de *Tſione*, ut agro arando, diu ante prædixe-
452. rat. Fabuloſis inde refertur rumoribus, partem urbis,
ut produnt antiquæ eccleſiæ doctores nonnulli, inte-
454. gram atque intactam permanſiſſe. Cujus aſſerti vanitatem
Joſephus, & arcus *Titi* triumphalis, docent. Diſquiſitione
vero indiget alia quorundam doctorum virorum narratio,
455. quæ, *Hadrianum* Auguſtum, *tertium*, Hieroſolymas ſub-
vertiſſe, & in proximo ſolo novam ædificaſſe urbem, *Æliam*
dictam, perhibet. Plurimi recentiorum hanc enarrationem
458. Judaicis fabulis annumerant. Sed facile, relicta *Harduini*
conjectura, aliorumque errore, *Æliam Capitolinam* cum
Capitoliade temere confundentium, Noſter demonſtrat,
460. ex turribus & ruderibus Hieroſolymitanis, a *Tito* ad
alenda præſidia militaria relictis, itemque ex plebecula
Judaica, eo advolante, oppiduli, ſeu vici, formam ſur-
rexiſſe, temporis exigui intervallo intercedente. Con-
firmatur hoc aſſertum ex Judæorum in patriam amore,
rerumque novarum ſtudio, quin etiam ex ſcriptorum quo-
462. rundam antiquis monumentis. Tributa, ab Imperato-
ribus Romanis, pro libero religionis exercitio *Judæis*
ſubinde atrocius imperata, quæ fiſci Judaici eſt calumnia,
467. occaſionem varios tumultus excitandi præbebant, qui *Ha-*
drianum incitabant, ut anno imperii ſecundo omnes everſæ
Hieroſolymæ reliquias exſcinderet, & novam urbem, de-
ducta Romanorum eo colonia, *Æliam* a gente ſua appella-
468. tam, conderet. His ſuccenſi Judæi profanis novæ urbis
civibus, arma, abſente *Hadriano*, recipiebant, & munita urbe
Bittera, magnam Romanis inferebant calamitatem, usque
dum, *Bittera* expugnata, incredibilis Judæorum ſtrages
ederetur. Diriſſimum hocce erat bellum, Romanis non
minus,

Digitized by Google

minus, quam Judæis, funeſtum, ſub finem imperii *Hadriani* Pag. 472.
denique confectum. Anno hujus Imperatoris XIX Vicennalibus Romæ celebratis, *Ælia* nomen ſolenni ritu novæ Palæſtinæ urbi imponebatur, de quo *Euſebius* multa minus recte tradit. *Commodiana* eadem urbs in vetuſtis numis ſubinde dicitur, ob magnum aliquod beneficium a *Commodo* 475.
Imperatore ipſi præſtitum. *Capitolina* audit a templo *Jovi Capitolino* in eadem exſtructo. Ceterum novum nomen 476.
urbis ſucceſſu temporis per aliquot ſecula ita delevit *Hieroſolymæ* nomen, ut plane abolitum videretur. Initio urbis conditæ Romani ſoli erant habitatores, ſucceſſu tamen temporis ex vicinis etiam populis *Ælienſes* multos incolas 478.
cum ſacris & idolis ſuis videntur admiſiſſe. Judæi, plane a conſpectu patriæ ſub *Hadriano* remoti, circa medium Seculi 483.
IV tempus veniam, circumjacentes regiones obeundi, impetrabant, poſtea ſemel per annum ingredi *Hieroſolymæ* ſedem derelictam, collachrymandi cauſa, illis licitum fuiſſe, ex argumentis non ſpernendis colligitur. Veri quoque eſt ſimile, *Hadrianum*, devicta gente, ſuibus inimica, ſuper urbis abs ſe exſtructæ portam, tanquam victoriæ monumentum, 487.
ſuis faciem collocaſſe, quin etiam in numis eam repeti voluiſſe. Reliqua hujus urbis fata ſub finem hujus Diſſertationis, 488.
eleganter & polite conſcriptæ, ut & in Præfatione hujus Voluminis, uberrime recenſentur.

DE EPOCHIS CONCILIORUM, SARDICENſIS, & Sirmienſium, ceterorumque, in cauſa Arianorum. Qua occaſione rerum potiſſimarum S. Athanaſii Chronologia reſtituitur. Autore JOANNE DOMINICO MANSI, e Congr. Matris Dei Lucenſi.

Lucæ, typis Philippi Mariæ Benedini, 1746, 8.
Plag. 5½.

Eminentiſſimo Principi *Joachimo* Cardinali *Beſutio* Autor opuſculum, quod lucernam olet, conſecravit. Scripſit

 aliquid,

aliquid, quemadmodum plures audent; novi aliquid tentavit, quod pauci. Anſam nactus eſt ex eo, quod tunc formis publicis deſcribi cœperat, *Supplemento ad Conciliorum Collectionem Veneto-Labbeanam.* Ut Concilia illa accuratiori Chronologia determinare ac figere potuerit, adjutus & adductus eſt opuſculo illo rerum *Athanaſii*, quod, ex Græco Autoris fere coævi in Latinum ab antiquo interprete converſum, ex pluteis Bibliothecæ Capituli Veronenſis erutum, edidit V. C. *Scipio Maffejus* in erudito opere *Oſſerv. Letterarie. Tom. III pag. 60.* Stabilitam de anno reditus *Athanaſii* in Epiſcopatum Alexandrinum poſt *Gregorii* epocham vetus ille ſcriptor e loco vulgato ac Chronographis probato, anno ſcilicet 349, dimovit, ac retraxit ad annum 346. Qua remotione admiſſa & approbata, ſedes chronologica Sardicenſi Concilio alia eſt aſſignanda. Id ſi factum fuerit, æque ad annos alios locandæ ſunt Synodi, quæ ex hoc cardine chronologico dependent. Hæc Diſſertationis hujus pars eſt prior. Poſterior in ea difficultate verſatur expedienda, quæ *Baronium, Petavium, Sirmondum, Pagium, Tillemontium, Baſnagium,* tenuit occupatos; quem ſcilicet in annum collocanda ſint tria Sirmienſia Concilia, ac illud inprimis, quod in cauſa *Photini* hæretici eſt habitum. Plerique a *Baronio* recedunt. Autor ad illum propius accedit. Dum vero ipſe hæc perſequitur, rerum *Athanaſianarum*, quæ ſubinde ſeſe offerunt, chronotaxin dirigit. Hoc pacto totam fere annorum triginta hiſtoriam eccleſiaſticam in aliam effigiem refingit. Ut lectori diverſitas pateſcat, tabulam duplicem in fine opuſculi repræſentat. Prior chronotaxin exhibet, huc usque a Chronologis exhibitam; poſterior reformatam complectitur chronotaxin. Hæc generatim indicantur in Præfatione. Nunc ad Diſſertationem ipſam nos accingemus. Sardicenſe Concilium *Socrates* & *Sozomenus* in Conſulatum *Rufini* & *Euſebii*, qui in annum æræ vulgaris 347 incidit, locarunt, Scriptores ætate propemodum ſuppares facto. Interpres hiſtoriæ, ab Autore circa annum 385 Alexandriæ Græco ſcriptæ,

Pag. 1.

ſcriptæ, Latinus, a *Maffejo* editus, ex profeſſo res *Athanaſii* Pag. 3.
compoſuit, Chronologiam exquiſitius ob oculos habuit, definiitque annum, quo *Athanaſius* Alexandriam revertit. Ex hoc momento pendet annus Concilii Sardicenſis. Cum enim *Athanaſii* innocentia in Sardicenſi Synodo apparuiſſet liquida, viſum fuit *Conſtanti* Imperatori ac Patribus, legationem ad *Conſtantium*, fratrem *Conſtantis*, Orientis Imperatorem, decernere, qui reditum *Athanaſii* apud hunc nomine *Conſtantis* urgeret. Delectus fuit eam ad rem *Euphrates*, Epiſcopus Colonienſis, cum ſocio, *Vincentio* Capuano, qui, itineris incommoda emenſi, venerunt Antiochiam. Cathedram hic occupaverat *Stephanus* quidam Arianus, qui legatis per meretricem, in domum ipſorum de nocte immiſſam, inſidias ſtruxit. Acciderunt hæc tempore paſchali, teſte *Athanaſio* in 4.
Epiſtola ad Solitarios. Decimo abhinc menſe, eodem teſte, defunctus fuit *Gregorius* Cappadox, qui *Athanaſio*, Alexandria ejecto, ſucceſſerat. Statim *Conſtantius* iteratis literis *Athanaſium* ad Eccleſiam ſuam revocavit. Rediit *Athanaſius*. At quo anno? *Athanaſianus* ſcriptor *Maffeji*: *Ingreſſus eſt* 5.
Alexandriam Phaophi XXIV, *Conſulibus Conſtantio IV & Conſtante II*, *hoc eſt*, *poſt annos VI*, *& remanſit ſtabilis ibi annis XVI & menſes VI*. Hæc ille. Dies ille eſt 21 Octobr. annus vero congruit anno 346 æræ vulgaris. Menſes Alexandrinorum ſinguli ſingulis 30 diebus conſtabant. *Hieronymus* conſonat, qui ita in *Supplemento Chronici Euſebiani* ſecundum editionem *Pontaci* ad annum 346, ſeu 10 *Conſtantis*: *Athanaſius ad Conſtantis literas Alexandriam ingreditur*.
Annus *Conſtantis* decimus ab Auguſto menſe cœpit. *Grego-* 6.
rius annis ſex ſedem Alexandriæ tenuit, teſte *Theodoreto H. E. II*, 4. Iniit itaque ſedem anno 340, ac obiit 346. Hactenus omnia ſunt in expedito. Damnatio *Euphratis* in Concilio Agrippinenſi A. 346 pronunciata eſt. Redierat itaque jam tum in patriam ex Oriente, Arianiſmo contracto inſignis, ac ob eum A. 346 depoſitus. Hoc momentum hoc loco non eſt de nihilo. Cum porro Concilium Sardicenſe biennio admodum reditionem *Athanaſii* Alexandrinam

Digitized by Google

anteceſſit, illud in annum 344 inciderit, neceſſum eſt
Quadrant ad hunc annum Conſules *Leontius* ac *Salluſtius*
quorum nomina leguntur Synodo Sardicenſi præfixa in edi-
Pag. 7. tione Conciliorum *Suriana*, nec non in vetuſto manu-
ſcripto collectionis *Iſidori Mercatoris* in Bibliotheca Col-
legii PP. Societatis Jeſu Pariſienſis, teſte *Harduino*. *Socra-
tes* ipſe & *Sozomenus* ſtatuunt biennium inter Synodum
Sardicenſem ac *Athanaſii* reditionem. Quandonam vero
8. *Athanaſius* excedere juſſus eſt, cathedra *Gregorio* relicta?
Venit ille Romam A. 340 menſe Junio. Nam ſex annis
abfuit, uti paulo ante monuimus. Negat Noſter, ob *Atha-
naſium* admittendum Romæ Concilium fuiſſe coactum,
quod æque, veteribus quippe ignotum, *Valeſius* ac *Pagius*
9. rejecerunt. *Athanaſius*, Concilium poſt annum & ſex
menſes, quam Romam venerat, celebratum fuiſſe, ait. Noſter
id ponit in exitum anni 341. Paulo ante illud coactum
fuerat Antiochenum, Coſſ. *Marcellino* & *Probino*, Indict.
10. XIV, id eſt, anno 341. Simul templum Antiochiæ fuit
dedicatum. Paulo poſt id Concilium Antiochenum, anno
11. 341 nondum elapſo, *Narciſus* & *Mares* Ariani cum ſociis
novam fidei Confeſſionem, velut ab illo Concilio approba-
tam, ſatis tamen diverſam, ad *Conſtantem* attulerunt.
Conciliabulum Ariani celebrarunt Antiochiæ A. 344, for-
12. mulam fidei copioſiorem procudentes. Eam miſerunt occi-
dentalibus Patribus probandam. Hi eam ob cauſam coie-
runt Mediolani, ubi exhibuerunt formulam illam legati
Arianorum. Rejecta eſt hic illa fidei confeſſio. Interfuit
Concilio Mediolanenſi *Athanaſius* anno poſt quarto, quam
Romam venerat. Sic ipſe teſtatus fuit. Eo facto *Conſtans*
ſcriptis ad *Conſtantium* literis conſenſu amborum Conci-
lium Sardicam indixit. Quadrat igitur denuo ad annum
344 Concilium Sardicenſe. Hoc autem ad certum tempo-
ris terminum affixo, plures alii nodi chronologici faciles
ſunt extricatu. Philippopolitanum Arianorum Concilium, ex
13. Arianis Patribus, qui Sardicam venerant, coactum eodem
tempore, vel ſtatim poſt Sardicenſe, incidit eam ob cauſam
vel in exitum anni 344, vel anni 345 exordia. Anno 348
Romæ habitum fuit Concilium. Exacto enim poſt Syno-
dum

Digitized by Google

dum Mediolanenſem *biennio ex plurimis provinciis congre-* Pag 16.
gati ſacerdotes ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum: quam occaſionem nacti Urſacius & Valens Epiſcopum Romanæ plebis adeunt, recipi in eccleſiam deprecantes. Verba hæc ſunt *Hilarii* in. fragmento II. Præceſſit hæc omnia Synodus Antiochena Arianorum, deponendo *Stephano* Antiocheno deſtinata, cujus ſcelera, occaſione legationis, ab *Euphrate*, Epiſcopo Colonienſi, ſuſceptæ, in notitiam venerunt. Quare ipſa ex anno 348, quorſum vulgo rejecta eſt, in annum 345 transferenda eſt. Hieroſolymitanum porro Concilium, quod ob *Athanaſium* tunc reductum celebratum fuiſſe conſtat, non ultra annum 346, quo rediit *Athanaſius*, excurrit. Hiero-
ſolymitanam orthodoxam Synodum conſecuta eſt Synodus 17.
Ariana A. 347, quam vulgo in annum 350, vel 351, viri docti conferunt. Recepto inter ſuos *Athanaſio*, Ariani Conſtantinopoli *Paulum* Epiſcopum per factionem dejecerunt. Factum hoc eſſe *Coſſ. Hypatio & Catulino*, indicat interpres rerum *Athanaſii Maffejanus*. Mendum hic irrepſit. Subeſt nævus. Videtur interpres Latinus in Græco legiſſe ὑπ' Ακω Κατιλινω, ac inde duos Conſules fabricatus. Ver-
tere hæc in Latinum ita decebat: *Sub Aco Catilino. Catuli-* 18.
nus vero A. 349 evaſit Conſul. Compegit Interpres cauſam a loco ſuo remotiorem, eamque geminam, in unam. Expulſus fuit *Paulus* Epiſcopus A. 342, ac deportatus in exilium Caucaſum, Armeniæ ſecundæ pagum, A. 349. Ad chronotaxin Concilii Sirmienſis eſt deveniendum. *Socra-*
tes & *Sozomenus* hic aliquid humani fuerunt paſſi. *Geor-* 19.
gius, Epiſcopus Alexandriæ, Cappadox, anno demum 356 *Athanaſii* dejecti ſucceſſor, ante annum 356 ei intereſſe haud valuit, qua Epiſcopus Alexandrinus. Interfuiſſe tamen ei *Georgium*, dictitant *Socrates* ac *Sozomenus*. *Hoſi-*
um ibi per integrum annum detinuit *Conſtantius* Sirmii, 21.
reluctantem ſubſcriptioni, qua *Athanaſius* erat damnandus. Id patet ex epiſtola *Athanaſii*, addentis, *Liberium* tunc exilio fuiſſe damnatum. At hoc exilium in annum 355 incidit.
Reſtitutus fuit *Liberius* anno 358, ſeu exeunte 357, per 22.
biennium exul. *Conſtantius* a Decembri 357 usque ad to-

Digitized by Google

tum fere annum ſequentem Sirmii protraxit moram. *Philoſtorgius*, qui iſthæc memoriæ prodidit, eo tempore, quo *Conſtantius* Sirmii hæſit, Synodum ibi agitatam fuiſſe, adjunxit. Incidit itaque Synodus Sirmienſis in annum 358 inclinantem. Accedit, quod *Georgius* Alexandrinus ei Synodo aſſedit, qui Alexandriam ante anni 358 exeuntem menſem Auguſtum non deſeruit. *Photinus* èa Synodo, hæreſios convictus damnatusque, criminis ſui pœnam luit. *Socrates* & *Sozomenus* eam Synodum anno 351 affigunt, dictitantes nihilo minus, *Georgium* Alexandrinum ei interfuiſſe. Ancyranum A. 359 habuit *Baſilius* menſe Aprili, ſemiarianorum patronus, ac formulam fidei Sirmienſem ſecundam damnavit. Sirmienſem formulam tertiam Epiſcopi, qui reſtiterant Sirmii, ſignatam dederunt Coſſ. *Euſebio* & *Hypatio*, id eſt, anno 359. *Tillemontius* ac *Pagius* rationes ſuas chronologicas ſecus duxerunt. Diſcutit & examinat illas Noſter. Synodum Hieroſolymitanam revocat ad annum 347, quam alii in anno 350 ponunt. Concilium Romanum ſpectat ad exordium Pontificatus *Liberii*, adeoque ad annum 352. Arelatenſe coactum fuit A. 354, eo quod, *Hilario* teſte in *Libello ad Conſtantium n. 8*, Mediolanenſe, A. 355 agitatum ex ſuffragio omnium, præceſſit, quo tempore edicta *Conſtantii* de ſubſcribendo damnationi *Athanaſii* ſunt promulgata, teſte *Sulpicio Severo*. Synodus Antiochena Ariana in annum 356 collocanda eſt. *Pagius* præfert annum 354. Biterrenſis in Gallia Synodus in annum 355 a *Noſtro* rejicitur. Anno 356 *Athanaſius* Alexandria pulſus, ac *Georgius* reſtitutus eſt, Alexandriam demum A. 357, 24 Febr. veniens. Hic celebravit A. 358 Concilium primum Sirmienſe *Photinianum* & alterum, in quo *Oſius* in hæreſin lapſus. Romanam orthodoxam Synodum, quæ ex *Baluzio* in collectionem Conciliorum tranſlata eſt, diciturque a *Felice*, qui exulante *Liberio* cathedram tenuit Romanam, Noſter in fabulis habet, rejici dignam. *Conſtantius* edixit, ut duo ſimul Pontifices eccleſiam Romanam adminiſtrarent. *Felix* itaque orthodoxiam tunc haud urſit Concilii publici celebratione. Concilium *Acacii*, Epiſcopi Cæſareenſis, Cæſareæ collectum, quo S. Cy-

Pag. 23. 26. 29. 31. 36. 37. 38.

Digitized by Google

S. *Cyrillus* fuit depoſitus, Noſter in annum 358 collocat. Eidem anno per conjecturam Concilium Arianorum Melitinenſe, in Armenia agitatum, affigit. Antiochenum unicum ſtatuit, in cauſa *Meletii* A. 361 collectum. Addit: *Alterius Antiocheni Concilii, in quo Meletius exauctoratus, cum nemo veterum meminerit, locus in collectione Conciliorum nullus eſſe debet.* Anonymus *Maffejanus* annum, quo *Georgius*, Alexandrini Epiſcopatus invaſor, ſubito Alexandrinorum tumultu neci datus eſt, determinavit, necemque illam in anni 361 d. 30 Nov. poſuit. *Athanaſius* ad Epiſcopatum rediit A. 362, 22 Febr. Juſſus vero fuit edicto *Juliani* 23 Oct. recedere ab Epiſcopatu. Diſceſſit itaque *Athanaſius* in ſuperiorem Ægyptum. Rediit ad eccleſiam ſuam A. 364, 16 Nov. mortuo jam *Joviniano* Febr. menſe. Concilium Pariſienſe, in quo Epiſcopi Galliarum formulam fidei Ariminenſem damnarunt, ac ὁμοούσιον admiſerunt, ante A. 364 haberi non potuit, licet vulgo in annum 360, vel 362, collocetur. Figit Noſter id in anno 365. Determinat Concilium aliud ad A. 372. De hoc enim ſermo eſt in literis *Valentis, Valentiniani*, & *Gratiani*, de Concilio Illiberitano anni 372, quas exhibet *Theodoretus IV, 6.* Verba Imperatorum ſunt hæc: *Nos non aliter ſentimus atque duo Concilia, quorum alterum nunc Romæ, alterum habetur in Gallia.* In hoc Concilio Gallicano definitum eſt, *unam eandemque eſſentiam*, οὐσίαν, *eſſe Patris & Filii & Spiritus Sancti in tribus perſonis*, προσώποις. Subjungit hiſce *Expoſitionem Patricii & Aetii, Eunomii aſſectatorum, ad Heliodorum & Stephanum.* In ea negat par nobile fratrum, ſempiternam filii ex Patre generationem, ac veram illius divinitatem, ſciſcens: *Similem filium Patri qui non dicit, extra Eccleſiam fiat, & ſit anathema.* Noluerunt tamen illi agnoſcere ſimilitudinem Filii reſpectu Deitatis ac naturæ Patris. Lampſacenum Concilium Noſter collocat in annum 364, ab eis procuratum Epiſcopis, qui, *Sozomeno* teſte, *filium patri conſubſtantialem* aſſerebant. Ea ætate *Ariani* dimidii, ſeu ſemiariani, quo validius in Eunomianos multitudine ſuorum ſeſe tuerentur, orthodoxos parti ſuæ adjungendos ſuſceperunt. Quare & Nicænam ſe fidem admittere profeſſi

Pag. 39. 42. 42. 44. 47. 48. 49. 51. 53.

ſunt,

ſunt, & Ariminenſem formulam damnarunt, nec vocem ὁμοούσιος rejecerunt, quam tamen interpretati ſunt non per *ejusdem naturæ*, ſed *ſimilis naturæ*. Hac fraude ac obtentu admiſſæ hujus vocis
Pag. 54. ſemiariani a *Liberio*, fraudis neſcio, in communionem ſunt admiſſi. Hanc fraudem accuſant ac detegunt Imperatores, *Valens*, *Valentinianus*, ac *Gratianus*, in literis ſuis, datis pro Concilio Illyrico anni 372, quas *Labbeus* affert *T. II pag.* 974. Ad Synodum Lampſacenam ſpectat *Confeſſio fidei*, protracta a *Sozomeno IV*, 12. Copioſius ſummam ſcripti ediſſeruimus, eo quod palmarii id eſt argumenti, ac novis veritatibus detegendis eſt conſecratum.

PHILOSOPHIÆ NATURALIS PRINCIPIA MATHEmatica, Autore ISAACO NEWTONO, Equite Aurato; perpetuis Commentariis illuſtrata, communi ſtudio P. P. THOMÆ LE SEUR & FRANCISCI JACQUIER, ex Gallicana Minimorum familia, Matheſeos Profeſſorum.

Tomus II.

Genevæ, typis Barillot & filii, 1740, 4.
Alph. 2. plag. 8.

De integra inſtituti hujus ratione, fine, quem ſibi propoſuerunt Autores doctiſſimi, methodoque, qua in eodem obtinendo verſati ſunt, jam tunc verba fecimus, cum *primi* Operis præſentis *Tomi* notitiam Lectoribus noſtris exhiberemus. (Vid. *Nov. Act. Er. A. 1742. Mart. P. I. pag. 142.*) Ulterius jam proceſſerunt, qua cœperunt, via, *ſecundum Principiorum Newtoni Librum* pari diligentia Commentariis illuſtrando. *Librum* hunc de reſiſtentia mediorum, motibusque corporum in iis, agere, ſatis conſtat. Qua de re inprimis in ſuum converterunt uſum Autores, quæ memoriæ prodiderunt Viri Clariſſ. *Eulerus* in *Mechanica*, *Jo.* & *Dan. Bernoullii* in his *Actis*, *Polenus de Logarithmica* & *de Motu aquarum*. Initio ſtatim Libri varia, ad generales reſiſtentiæ notiones, legesque motus rectilinei & curvilinei in medio reſiſtente, pertinentia, nec non præcipuas Logarithmicæ proprietates, exponunt. Ad trajectoriam, quam deſcribit corpus in medio reſiſtente, illuſtrandam plurima afferunt, methodo analytica, formulisque algebraicis, ubique uſi. Quæ de reſiſtentia, quam experiuntur corpora varia, in fluido mota, affert *Newtonus*, perſpicue explicant; analyſin quoque ſolidi minimæ reſiſtentiæ tradunt. De motu fluidorum varia notant. Occaſione *Capitis* de motu undarum, methodum determinandi motus chordarum vibrantium oſtendunt. Expoſita *Newtoni* de motu ſoni theoria, exhibent, quæ hac de re cum Cl. *Cramero* communicavit *Eulerus*. Oſtendit ibi Vir Cel. *Newtonianam* demonſtrationem vitio ſubreptionis laborare, id quod eo palam facit, quod diverſa prorſus concluſio eodem ratiocinio poſſit elici. Ipſi vero Autores, etſi *Newtoniana* demonſtratio falſa ſit, propoſitionis tamen ipſius veritatem aliis argumentis prolixe corroborare nituntur.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCXLVIII.

Pars II.

OPERA OMNIA PAULI COMITIS IN *Aureo Potok, Pilavitæ* POTOCKI, (*Palatinidæ Braclavienſis,*) *Caſtellani Camenecenſis in Podolia, Senatoris Regni Poloniæ* (*Theodori Primatis Regni Progenitoris*), *ſcilicet* I) *Seculum Bellatorum & Togatorum, vel Centuria Elogiorum Clariſſimorum Virorum Polonorum & Lithuanorum; Opus ineditum;* II) *Moſcovia, vel Narratio de moribus Monarchiæ Ruſſorum, cum animadverſionibus civilibus, & politicis documentis;* III) *Exercitationes oratoriæ, lucubratæ in ſeceſſu Patavino;* IV) *Hiſtorico-Politicus, ſive Quæſtiones hiſtoricæ & civiles, ex tribus Libris primæ Decadis Titi Livii. Quibus adiectæ ſunt* I) *ejusdem, ſeu forte cujuspiam, Falliſſowski nomine, Colloquium, ſeu Diſſertatio, patrisfamilias cum ſacro curione, de cauſis incrementi Romani imperii, Polonis ad cautelam & exemplum;* II) PETRI POTOCKI *Oratio gratulatoria ad* LADISLAUM SIGISMUNDUM, *Regem Poloniæ;* III) JOANNIS POTOCKI *Oratio, aſſerens, eum eſſe Deum, qui per verbum in Spiritu S. condidit omnia. Hæc ſingula ſcripta anecdota, ex ſua Bibliotheca, jam nunc publica &*

cuivis patente, edidit; quædam ex Polonico idiomate Latina metaphraſi interpretatus eſt, Notulis & Indicibus illuſtravit, ſextuplici Genealogia Potockiana, tum & Epitaphiis ſepulchralibus Potockiorum, ac denique teſtimoniis Hiſtoricorum de Pilavitis & Potockiis, locupletavit, aliquantiſper Potockiis in ſanguine junctus JOSEPHUS ANDREAS Comes in ZALUSKIE ZALUSKI, ſupremus Regni Poloniæ Referendarius, Abbas Commendatarius Villariæ Betnaci & Fontaneti in Gallia, Conſiliarius Prælatus bonoris Parliamenti Nancejani, Præpoſitus inſignis Eccleſiæ Regiæ Varſavienſis.

Varſaviæ, in typographia Collegii Regii Soc. Jeſu, 1747, fol. Alph. 4 pl. 14.

Initium ornat Illuſtriſſ. Editoris imago, circa quam verſus legitur: *Joſeph. Zaluski quicquid mortale, tabella, ingentemque animum Bibliotheca, refert.* Notior ille factus eſt huc usque Mæcenas, notiores laudes, omnis in poſteritatis exemplum euntes, quam quibus hic facem accendere, & aliquid addere ornamenti noſtro præconio, debeamus. Inde potius ad rem ſtatim ipſam accedamus. Agmen ducit Elogiorum centuria, quam primo loco repetiit Noſter, a librario quodam Cracovienſi circa annum 1702, in forma 4, jam publicatam, ferali autem incendio ad exemplorum paucitatem redactam, ut vix duo, vel tria, viderit ipſe, atque eadem rubro ac procemio deſtituta. Laudantur hic ſexaginta priores in ſago, quadraginta poſteriores in toga, heroes. Sunt illi *Adamus Hieronymus a Granow Sieniawski*, Notarius Exercituum Regni, *Adamus Kazanovius*, ſupremus Caſtrorum metandorum Præfectus, *Adamus Kazanovius*, Caſtellanus Halicienſis, *Adamus a Tenczyn Oſſolinski*, Lublinenſis Præfectus, *Alexander Koniecpolius*, Palatinus Sendomirienſis, *Alexander Zborovius*, Tribunus militiæ Polonæ, *Alexander Gaſievius*, Palatinus Schmolencenſis, *Alexander Piaſeczynius*, Caſtel-

Caſtellanus Kijovienſis, Novogrodenſis in Severia Præfectus, *Andreas Firleius*, Palatinus Sendomirienſis, *Andreas Potoccius*, Palatinus Braclavienſis, *Andreas Koniecpolius*, Notarius Exercituum Regni, *Balduinus Oſſolinius*, Stobnicenſis Præfectus, *Boguslaus*, Dux in *Slucko Radivilius*, ſupremus Stabuli M. D. Lithuaniæ Præfectus, *Caſimirus Piaſeczynius*, Tribunus Oſtrolecenſis Præfectus, *Chriſtophorus* Dux in *Birze Radivilius*, Palatinus Vilnenſis, ſupremus per Lithuaniam armorum Præfectus, *Chriſtophorus Grodzicius*, Caſtellanus Camenecenſis, *Dominicus Kazanovius*, Palatinus Braclavienſis, *Georgius Lubomirſcius*, ſupremus Mareſchalcus Regni, Magiſter militiæ Polonæ, *Georgius* Dux Zaslavienſis, *Georgius Rzeczycius*, Urzendovienſis Præfectus, *Hieremias Michael Korybutus* Dux *Wiſniowieccius*, Palatinus Ruſſiæ, *Hyacinthus Schœnbergius*, Caſtellanus Camenecenſis, *Jacobus Potoccius*, Notarius Exercituum Regni campeſtris, *Januesſius Korybuthus*, in *Zbaraz*, Dux *Wiesniowieccius*, ſupremus Stabuli Regni Præfectus, *Januſius*, Dux in *Birze Radziwill*, Palatinus Vilnenſis, ſupremus armorum per Lithuaniam Præfectus, *Januſius Skuminus Tyſzkiewicius*, Palatinus Vilnenſis, *Januſius Tyſzkiewicius*, Palatinus Kijovienſis, *Joannes Zamoyſcius*, Palatinus Sendomirienſis, *Joannes Sapieha*, Notarius exercituum regni campeſtris, *Joannes Odrzywolſcius*, Caſtellanus Czerniechovienſis, *Leo Sapieha*, Palatinus Vilnenſis, ſupremus armorum per Lithuaniam Præfectus, *Lucas Zolkievius*, Palatinus Braslavienſis, *Lucas Hulevicius*, Zuinogradenſis Præfectus, *Marcus Sobieskius*, Vexillifer Curiæ Regni, *Martianus Radziminius Fronchievicius*, Notarius exercituum M. D. Lithuaniæ, *Martinus Kazanovius*, Palatinus Podoliæ, militiæ Polon. Magiſter, *Martinus Kalinovius*, Palatinus Czerniechovienſis, *Nicolaus Potoccius*, Caſtellanus Cracovienſis, ſupremus armorum per Regnum Poloniæ Præfectus, *Nicolaus a Fulſtin Herburtus*, Caſtellanus Camenecenſis, *Nicolaus Kiſſelius*, Vexillifer Novogrodenſis, Circaſſienſis Præfectus, *Paulus Sapieha*, Palatinus Vilnenſis, ſupremus armorum per Lithuaniam Præfectus, *Paulus*

Grodzicius, primus Oeconomiæ bellicæ in meliorem redactæ ordinem, & armamentariorum Reg. Polon. præfectus, *Petrus Potoccius*, Sniatinenſis Præfectus, *Petrus*, Palatinus Braslavienſis, Podoliæ Præfectus, *Rogatianus*, ſive *Spytek a Zakliczyn Jordanus*, Centurio Equitum Polonorum, *Samuel Laſzcius*, ſupremus Excubiarum Regni Præfectus, *Samuel*, Dux *Koreccius*, junior, *Samuel Kalinovius*, ſupremus Caſtrorum metandorum Præfectus, *Sigismundus Przyiemſcius*, Notarius Regni Poloniæ campeſtris, *Stanislaus Koniecpolius*, Caſtellanus Cracovienſis, ſupremus armorum per Regnum Poloniæ Præfectus, *Stanislaus Lubomirskius*, Palatinus Cracovienſis, *Stanislaus Potoccius*, Palatinus Cracovienſis, ſupremus armorum per Regnum Poloniæ Præfectus, *Stanislaus Janckoronius*, Palatinus terrarum Ruſſiæ, milit. Polon. Magiſter, *Stanislaus a Zurowo Danilovicius*, Palatinides, Ruſſiæ Corſunenſis Præfectus, *Stanislaus Potoccius*, Palatinides Braslavienſis, militiæ Zaporovienſis in meliorem tunc redactæ ordinem (ut vocant) Commiſſarius, *Stephanus Szarneccius*, Palatinus Kijovienſis, Magiſter militiæ Polonæ, *Stephanus Potoccius*, Caſtellanides Cracovienſis, patria ad oſtia Boryſthenis, ad reprimendas primas ſerviles ſeditiones Legatus, *Thomas Zamoſcius*, ſupremus Regni Cancellarius, *Vincentius Corvinus Gaſievius*, ſupremus Ærarii Lithuani Præfectus, & militiæ ejusdem Magiſter. Inter Heroas togatos reperiuntur *Adalbertus Stanislaus*, Dux in *Olyka* & *Nieſwiez Radivillius*, ſupremus M. D. Lithuaniæ Cancellarius, *Adamus Kiſielius*, Palatinus Kijovienſis, *Adamus in Wyſzyna Grodziceus*, Caſtellanus Medzyrecenſis, *Alexander Trzebinius*, Epiſc. Præmiſl. Procancell. Reg. Pol. *Andreas a Leſzno Leſzczynius*, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, *Andreas Przyiemſcius*, Caſtellanus Culmenſis, *Boguslaus* in *Leſzno Leſzczynius*, Procancellarius Regni, Epiſcopus Culmenſis, *Caſimirus Leo Sapieha*, Procancellarius M. D. Lithuaniæ, *Christophorus a Bnino Opalinius*, Palatinus Poſnanienſis, *Franciſcus Dubravius*, Succamerarius Præmiſlienſis, *Georgius Tyſzkiewicius*, Epiſcopus Vilnenſis, *Georgius a Tenczyn Oſſolinius*, ſupremus Regni

Digitized by Google

Regni Poloniæ Cancellarius, *Henricus Firleius*, Epiſcopus Poſnanienſis, *Jacobus Zadzicius*, Epiſcopus, Cracovienſis, Dux Severiæ, *Jacobus Sobieſcius*, Caſtellanus Cracavienſis, *Maximilianus Fredro*, Referendarius Regni, *Joannes Wezyk*, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, *Joannes Lipſcius*, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, *Joannes Zamoſcius*, Epiſcopus Luccorienſis, *Joannes Wielopolſcius*, Palatinus Cracovienſis, *Nicolaus a Zurowo Danilovicius*, Supr. Ærarii Reg. Pol. Præf. *Nicolaus Zebrzydovius*, Enſifer Regni, *Nicolaus Jablonovius*, Enſifer Regni, *Lucas Opalinius*, ex ſupremo Regni Mareſchalco Palatinus Raven. *Lucas Opalinius*, Mareſchalcus Curiæ Regni, *Martianus Chelmſcius*, Succamerarius Cracovienſis, *Matthias Lubinſcius*, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, *Maximilianus Frzerembſcius*, Palatinus Lancicienſis, *Michael Zebrzydovius*, Palatinus Cracovienſis, *Nicolaus Firleius*, Palatinus Sendomirienſis, *Nicolaus Oſtrorogius*, Pocillator Regni, *Paulus Piaſeccius*, Epiſcopus Præmislienſis, *Petrus Gembicius*, Epiſcopus Cracovienſis, Dux Severiæ, *Raphael Leſzczynius*, Palatinus Belzenſis, *Stanislaus Lubinſcius*, Epiſcopus Plocenſis, *Stanislaus Sarbievius*, Palatinus Maſoviæ, *Stanislaus Kobierzycius*, Palatinus Pomeraniæ, *Stephanus Korycinius*, ſupremus Regni Poloniæ Cancellarius, *Stephanus Pacius*, Procancellarius M. D. Lithuaniæ, *Zbigneus Gorayſcius*, Caſtellanus Kijovienſis, *Cheimski Martianus*, Succamerarius Cracovienſis, *Czarnecki Stephanus*, Palatinus Kijovienſis, &c. *Danilowicz Nicolaus*, Theſaurarius Regni, *Danilowicz Stanislaus*, Corſunenſis Præfectus, *Dubrawski Franciſcus*, Succamerarius Præmislienſis, *Firley Andreas*, Palatinus Sendomirienſis, *Firley Henricus*, Epiſcopus Poſnanienſis, *Firley Nicolaus*, Palatinus Sendomirienſis.

Deſcriptio Moſchoviæ continet primas nominis ac generis origines, religionem & cultum, ſervitutem & affectum, opes & juſtitiam diſtribuentem, leges, conſilia, diſciplinam militarem, apparatum bellicum, provincias coercendi rationem, imperatoris aulam, proceres ſubſellii majoris, quæque ſunt alia.

Quæſtiones hiſtoricæ & civiles exponunt *Libro I T. Livii* Præfationem in compendio, quare poſt paupertatem

& parſimoniam luxuries & avaritia immigrarint in urbem Romanam; muliebrem ambitionem; quare, poſt raptas Sabinas, plerique Romani, uxorum imperiis obnoxii fuerint; religionem civitatum; quare in populo, quantumvis efferato, ſacrorum habeatur ratio; de ſucceſſione doctrinam; utrum melius ſit in republica, quam in domo, ſucceſſorem quærere; crudelitatem in principe domo; utrum liceat Principum vitiis iraſci; *Libro II*, mutationem civitatum; quare in republica imperia legum potentiora ſint, quam hominum, ſecus in regno; de principatu & rebus publicis; quare liberas res publicas Reges oderint, & quanta vi liberæ civitates libertatem expetant, tanta regna defendant; quare excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qua civem regant, quam qua hoſtem ſuperent; quare id unum venenum opulentis civitatibus repertum, ut magna imperia mortalia eſſent: *Libro III*, quare non expediat, principem civitatis elargiendo de alienis popularem fieri; quare Romani magis bellantes, quam pacati, proſpera fuerint uſi fortuna; quare antiquo ſeculo non interpretando ſibi quisquam leges & jusjurandum fecerit, ſed potius mores ſuos ad eadem accommodarit; quare respublica Romana mutationibus obnoxia fuerit, nimirum ob certamina potentium & ob magiſtratuum avaritiam, & quare plerumque homines omnia præ divitiis humana ſpernant, neque honori magno locum, neque virtuti, eſſe putent, niſi effuſe affluant opes.

Sequuntur Colloquia, quæ quidem inter eſt primum diſſertatio patrisfamilias cum ſacro curione de cauſis incrementi Romani imperii, Polonis ad cautelam & exemplum. Invenimus hic compendium πραγματικὸν hiſtoriæ Romanorum antiquioris, quo artes eorum civiles quam prudentiſſime deteguntur atque accommodantur. Alterum occupat locum *Petri Potocii ad Vladislaum Sigiſmundum*, Poloniæ & Sueciæ Regem, Oratio gratulatoria & laudatoria. Excipiunt iſtam Exercitationes oratoriæ, quas inter habemus *Vladislai IV*, Pol. R. item Imperatoris *Ferdinandi*

III,

III, nec minus illuſtriſſimæ nationis Patavii inſtitutæ, elogia, actioque gratiarum ad ædem Divi *Antonii* Patavini habita, die S. *Stanislai*. Locum poſt invenit elegantiſſima Orationis *Ciceroniana* pro *Archia* Poeta accommodatio, qua quidem aſſeritur, eum eſſe Deum, qui per verbum in Spiritu ſancto condidit omnia, quæque in illuſtri Pædagogio Steinenſi A. 1624 à *Joanne de Potok* habita fuit. Subjungitur *Sam. Varadi*, Moravi, Paſtoris olim Schaliczenſis, epiſtola de liberatione miraculi plena ex captivitate Turcica *Jo. Potocki* ad *Joach. Morſium*, Patricium Hamburgenſem. Denique agmen claudunt genealogiæ Pilavitarum & *Potockianæ* fuſiores atque elegantiores, una cum documentis, eo ſpectantibus, atque indice virorum hujus illuſtriſſimæ ſtirpis, qui literarum monumentis inclaruerunt.

INSTITUTIO THEOLOGICA JUXTA OMNIA fidei dogmata & doctoris ſubtilis, Scholaſtico nervo inſtructa, Autore Fr. BERNARDO A BONONIA, Capucino, ibidem Sacræ Theologiæ Lectore.

Ferrariæ, proſtat Venetiis apud Sebaſtianum Coleti, 1746, 4. Alph. 8 plag. 10.

Viſum fuit Pl. Rev. Autori judiciis & precibus amicorum dare id, ut, Prælectiones haſce theologicas evulgare, ex uſu publico duxerit. Methodum Scholaſticorum veterem methodo ſuæ poſtpoſuit. Doctrinam *Jo. Duns Scoti* inprimis, quam ſequeretur, dignam exiſtimavit. Præfatione præmiſſa lectoribus indicavit rationes ſui inſtituti. Cur nec veteribus, nec recentioribus, addictus ſit Autoribus, rationem promit *Lib. I Quæſt. 2 Tractat. 1.* Philoſophis novis nondum accedit, nec ſcholis Peripateticis valedicit penitus, cauſatus, novos æque ac veteres Philoſophos adhuc inter ſe certare & digladiari. Summi facit recentiorum merita

rita in parte ea Philoſophiæ, quæ ad corporum conſtructionem, indolem, motum, ac dimenſionem, geometriam, & reliquam matheſin, ſpectat. Theologiam a recentioribus vel deſpectam, vel confuſam & deturpatam, eſſe, opinatur. *Carteſium* fuiſſe Logices expertem paſſim, perſuaſit Autori *Huetius*. Reſtituit Logicam integro libro *Chriſtianus Wolfius, ſed forte non omnibus, etiamſi amicis, perſuaſit.* Sic Noſter judicat, Logices neceſſitatem propugnans. Phyſicos recentiores totos eſſe in evolvendis rebus adſpectabilibus, ſenſuique ſubjectis, exiſtimat. Adverſum ei tenent, qui* *Phyſicam dogmaticam* addiderunt *experimentali.* Fatetur & dat libens, Metaphyſices fundamenta abeſſe haud poſſe a Theologia, ac ſine illa nihil ſcientia dignum, ſeu ſcientificum, effici. Addit *Scoto* congruenter: *Abſtractum a re, & quatenus præciſe abſtractum conſideratur, id dices metaphyſicum; abſtractum vero a re, quatenus in re invenitur & conſideratur, id appellabis phyſicum.* P. *Gabriel Daniel* in *Itinere ad mundum Carteſianum P. II p. 118 Scotum* pinxit minuſculis atomis quaſi circumdatum, qui formabilitates *Scoti* metaphyſicas deſignent. Reliquit Noſter *Danieli* imagines fabriles. Methodum mathematicam nauſeat, ſubtilitatibus haud renuntians, ratus, hæreſes omnes ab obtuſa ingenii ſubtilitate proceſſiſſe. Scripturæ ſuæ genus haud ubique comtum ita excuſat: *Scientiæ eloquenti oratione implicantur, non ornantur. Viator ornamenta non quærit, ſed deponit, ut expedite procedat.* Vocabula metaphyſica & horrida a ſua tractatione negat eſſe aliena, ſcientiæ quippe artique, quam profitetur, propria. Orthographiam *Aldi Manutii*, non recentiorum, probat & ſequitur. Adverſariis non parcit. Addit vero, cur ita egerit, hanc rationem: *Is mihi eſt ardor in conquirenda veritate, ut more bellatorum exardeſcam in congreſſu.* Theologiam ſuam cum *Davidis* turri comparat, *ex qua pendebant mille clypei, omnis armatura fortium. Liber primus* complectitur tractationes *ſeptem. Prima* continet prolegomena. *Secunda* exponit de Dei exiſtentia & eſſentia. *Tertia* de unitate Dei, ejusque attri-

attributis inſcripta eſt. *Quarta* de ſcientia Dei exponit. *Quinta* propria eſt commentatio de voluntate Dei, & præcipue de prædeſtinatione. *Sexta* verſatur in ediſſerendo ineffabili S. S. Trinitatis myſterio. *Septima* agitur de viſione Dei, & de beatis in ipſo. Prolegomena ſpectant ad naturam, nomen, ſcientiam, diviſionem, neceſſitatemque Theologiæ, ad locos theologicos, ad ſacrum Codicem divinitus inſpiratum, ad ejus partitionem & canonem, ad verba avthentica illius, ad metaphraſes & LXX, ad Vulgatam, ad ſenſum Scripturæ, ad Exegeticen, ad traditiones, ad Concilia & Pontificum deciſiones, ad Congregationes Romanas, ad Patrum autoritatem, ad Critices uſum & abuſum, ad argumenta e rationis penu deprompta, ad doctrinam catholicam & erroneam, ad ea, quæ ſint de fide, ad naturam articuli fidei. Juvat ex prolegomenis hiſce pauca ſpeciminis loco delibare. Theologiam exiſtimat eſſe *ſcientiam, quæ ex ratiocinio in revelatis fundato diſcurrit, & verſatur circa Deum & res divinas.* Negat, theologiam viatorum eſſe evidentem. Θεοπνευςία poteſt conſiderari in modum Pag. 2. diſcipuli, 1) dictante magiſtro ſcribentis, 2) ſcribentis magiſtro non dictante, ſed ſolum aſſiſtente, ne erret, 3) 13. ſcribentis proprio judicio ea, quæ cœtus verax poſtmodum approbat. Inſpiratio hæc vocatur 1) antecedens, 2) concomitans, 3) ſubſequens. De prima ſpecie ſic Noſter: *Plerumque tribuitur* ſacro Codici *prima inſpiratio, ut non ſolum ſententias, ſed & ſingula verba & apices, velint a Deo dictante eſſe inſpirata. Sed ex iſto nimio rigore, ſeu potius exaggeratione, in eas difficultates deveniunt, quas certe non penitus ſolvunt. Leſſius & Armenius, ex Societate Jeſu, ſicut & plures alii de eadem Societate, voluerunt non ſolum in verbis, ſed etiam in ſententiis, ſecundam & tertiam inſpirationem ſufficere. Verum reprobati ſunt ab Univerſitate Lovanii 1588. Grotius tandem, Spinoza, & aliqui alii, tertiam inſpirationem ſufficere, perperam dictitarunt* Verba contextus, materiam, & facta hiſtorica, ſcriptori comperta, primo modo inſpirata eſſe autoribus, ipſe inficiatur, ſecus 14.

 pronun-

pronuntians de eis, quæ ſcriptor per ſe haud novit vel ex toto, vel ex ordine partium, quæ a leges a Deo latas ſpectant, &c. Provocat ad *Melchiorem-Canum II, 16. 17.* Credit Noſter, canonem librorum V. T. Pontificium eſſe majorem catalogo Ebræorum, quia eccleſia ſuperaddiderit libros vel Hebræis expunctos, e. g. libros *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, *Baruch*, vel nondum ſcriptos, cum canon a *Nehemia* eſt confectus, e. g. *libros duos Maccabæorum.* Superadditos tamen vocat devterocanonicos, eo quod hi olim erant modo eccleſiaſtici, quatenus in eccleſia quidem ut pie ſancteque conſcripti legebantur, ſed non ita, ut infallibilem autoritatem verbi divini apud omnes obtinerent. Addit idem: *Eccleſia librum non canonicum, non inſpiratum divinitus, non poteſt re vera facere canonicum.* Et poſt pauca: *Eccleſia librum, qui non agnoſcebatur ut divinitus inſpiratus, ſeu canonicus, ex Spiritus ſancti dictamine, ut vere canonicum, declaravit.* Nos rejicere Epiſtolam *Jacobi* & *Apocalypſin* e canone N. T. negamus. Recipimus libros illos canonicos, quos eccleſia, editioni illorum conſcia & proxima, pro talibus habuit & agnovit. Nec refragamur illis *Auguſtini* in *Lib. Cont. ep. fundam. Cap. 5: Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret autoritas.* Canonem eccleſiæ Romanæ it Noſter combrobatum ex *Concilio Carthagin. III Can. 47*, ex *Innocentii I Ep. ad Exuper. Gelaſio* in *Concilio Romano*, *Auguſtino Lib. II de Doct. Chriſt. II, 8*, ex *Eugenii IV* decreto Armenorum, & Concilio Tridentino *Seſſ. IV in decr. de Script. can.* Autori viſum, primam verſionem V.

Pag. 15. T. eſſe Hebraicam, quæ videlicet facta ſit ab *Esdra*, cum poſt captivitatem Babylonis vel Scripturam deperditam ex integro reddidit, vel, ut ſanius aliis placet, mendoſam priſtinæ fidei reſtituit. Samaritanam V. T. verſionem non niſi characteribus diſcrepare ab Hebraica, ſibi perſuadet, non recordatus, verſionem Samaritanam differre ab exemplari Hebræo, literis Samaritanis exarato. Verſiones olim innumeræ fuerunt Latinæ, judice *Auguſtino l. c. II, 11.* Una earum ſemper fuit incerti Autoris, quam *Auguſtinus Italam* voca-

Digitized by Google

vocavit. Eam eſſe *Vulgatam*, Noſter ſibi perſuadet. Metaphraſin LXX juſſu *Ptolemai Philadelphi* in inſula Pharo fuiſſe confectam, putat cum aliis. *Sixtus V* hanc A. 1586, 6 Oct. decreto declaravit a ſe eſſe correctam. Vulgatam ex varia correctione in ſtatum recentiorem veniſſe, Noſter docet, ratus, eam ad ulteriorem, accidentalem, perfectionem deduci poſſe. Tradit ſane *Clementis VIII* juſſu facta Præfatio, ſupereſſe nonnulla intra eam mutanda, ac difficile affirmatu eſſe, eam omnibus numeris eſſe abſolutam. Addit Noſter, textum & Vulgatæ & avthenticum eſſe vitiatum, ac *Originalibus* Vulgatam eſſe præferendam, licet det, avthentica ad ſenſum literalem facere quamplurimum. In eo eſt, ut multiplicem Scripturæ S. propugnet ſenſum, provocans ad collationem locorum *Ex. XII, 46*, & *Jo. XIX, 36*, nec non *Rom. XV, 4*, item *1 Cor. X, 11*. Exponit poſt hæc ſenſum literalem & ſpiritualem, ſeu myſticum, quem credimus eſſe vel conſequentiæ legibus erutum, vel ex typis exhibitum Spiritum ſanctum. Decet Theologum argumentari ex ſacro Codice, nec tamen ex ſenſu accommodativo, quem quippe Spiritus S. haud intendit. *Lutherum* vocat Noſter *omnium dogmatum everſorem & ſummum hæreſiarcham.* Tradit paulo poſt, ſacras literas interpretatione indigere, ac eſſe regulam equidem, nec tamen indicem controverſiarum fidei, etiamſi hujus & alterius interpretis privatum judicium accedat. Nec noſtri putant, omnia in ſacris literis æque eſſe perſpicua & clara, ſiquidem interpretes & exegetæ id re ipſa fatentur. Addit Autor quinque regulas exegeticas, nempe has: 1) urgente neceſſitate contradictionis apparentis, vel morum violandorum, ſenſus figuratus eſt amplectendus, 2) attende ad loca, cauſas, tempora, exquire loca, quibus ineſt potiſſima doctrinæ ſedes, 4) expone Scripturam ad Patrum unanimem conſenſum, ac 5) ad Eccleſiæ univerſalis conſtans & perpetuum judicium in qualibet ſacri Codicis expoſitione reſpice. Lectionem Bibliorum vulgarem, ſeu lingua vulgari, permittendam eſſe promiſcue, negat. *Traditionem* Noſter *alteram fidei regulam* appellat.

Pag 16. 17. 18. 19. 23.

 Deſigna-

Deſignatur per eam doctrina, ad poſteros ſucceſſu temporis propagata, quæ ſacro Codice nusquam exhibita fuit. Dividit eam Noſter in divinam, Apoſtolicam, & eccleſiaſticam. De traditionibus perpetuis, univerſalibus, & ne-
Pag. 25. ceſſariis, ipſe exponit, non de particularibus, temporariis, liberis, addens, eas nunc a ſola eccleſia Romana eſſe exquirendas, tum quod hæc Eccleſia ab omni hæreſi ſemper fuerit immunis, tum quod ad hanc perpetuo præ ceteris refugere ſolitum fuerit. Traditionum neceſſitatem it pro-
26. batum ex *Deut. XXXII*, 7, *Pſ. LXXVII*, 5, & ex primorum Chriſtianorum ante ſcripta Evangelia conſuetudine. Vivebant vero illis ætatibus viri θεόπνευςοι, quibus nunc, immediate talibus, caremus. Confugit præterea ad *2 Theſſ. II*, 14, *2 Cor. XI*, 2, *2 Tim. IV*, 1, ubi de traditionibus virorum θεοπνεύςων, quas ipſi coram, vel per epiſtolas, cum Chriſtianis communicaverant, eſt ſermo. Credit, in verbo Dei ſcripto haud contineri ea omnia, quæ ad ſalutem æternam conſequendam ſint neceſſaria, addens, de canone nos non eſſe certos, niſi ex eccleſiæ teſtimonio. Putat, ſacras literas præciſe & primario non fuiſſe a Deo inſpiratas, ut
27. ipſæ eſſent tota fidei morumque regula. Provocat ad eccleſiam, ſemper traditionibus innixam, & ad Concilium Nicænum II, ac ad Conſtantinopolitanum IV *act. ult. Can.* 1, nec non ad *Euſebium H. E. III*, 36, *IV*, 8, *Irenæum III*, 4, *Tertullianum de Corona militis Cap.* 4, *Origenem Cap.* 6 *ad Rom.*
28. *Baſilium de Spiritu ſancto Cap.* 27, *Ambroſium Serm.* 38, *Chryſoſtomum Hom. IV in 2 Theſſ. Vincentium Lirinenſem* in *Commonitorio Cap.* 1. Laudat eos, qui notam hæreſeos inuſſerint eis,
29. qui traditiones repudiaverint. Laudat *Irenæum* & *Tertullianum*, eo quod haud receperint traditiones, conjicientes in hæreticorum claſſem Valentinianos & Marcionitas. Laudat *Hilarium*, in Arianos invehentem, admittere non niſi ſcripta conatos. Laudat *Auguſtinum*, eapropter Donatiſtis moleſtum. Laudat *Baſilium* Ancyranum, eam ob cauſam Neſtorianos & Eutychianos carpentem, *Bernhardum*, *Apoſtolicos Hom. LXVI in Cant.* notantem. Reſpondere deinde

Digitized by Google

inde parat ad loca *Deut. IV, 2, Apoc. XXII, 18, Gal. I, 9, 2 Tim. III, 16, Matth. XV, 6.* Sibi perſuadet, ſacras literas in quibusdam explicatione traditionis egere. Concilium definit per *Congregationem eccleſiæ prælatorum, ad componendas controverſias fidei & morum definitive, a legitimo capite convocata & confirmata.* Conciliorum exemplum ac normam in Concilio ab Apoſtolis habito locat. Adjicit, Jeſum ſtatuiſſe eccleſiam in monarchiæ formam. Decreta Conciliorum eſſe veras judicum definitiones, comprobatum it ex verbis Chriſti *Matth. XVIII, 17: Si non audierit, dic eccleſiæ.* Epheſinum II a Pontifice ſecundo fuit convocatum, non confirmatum, ideoque erravit, hoc judice. Laudat illa *Auguſtini contra Pelagium Serm. 131 Cap. 10: Jam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam. Inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt. Utinam aliquando finiatur error.* Enumerat deinde Concilia potiora. Correxit & approbavit *Gregorius XIII* Decretum *Gratiani*, cui Noſter tribuit autoritatem, quam habeant dicta vel Pontificum, vel Conciliorum, vel Patrum, inibi producta. In reliquis, addit, *multis peccat,* ubi exponit ſententias doctoris privati, quas *Gregorius* haud approbaverit. De Congregationum Romanarum autoritate ſic ſentit. Habet eas pro Conciliis nationalibus, quas, ſi Pontifex approbaverit, pro infallibilibus reſpectu deciſionum habere oporteat, licet ipſæ ex ſe conſideratæ vim eam haud habeant. Monet, decreta Congregationum, quæ circumferantur, non ſemper mereri fidem, niſi authentice exſtent decreta. De Sanctorum Patrum autoritate diſſerens, monet, diſcernendos Patres eſſe, qui a fide deſciverint, & errores quosdam, nondum diſcuſſos ac definitos, docuerint, ab eis, qui genuina docuerint. Addit, doctrinam Patrum magno cum examine eſſe accipiendam. Nam de argumentis nondum diſcuſſis ſæpius expoſuerunt imprudenter ac minus curate. Conſiderandum, an Patres obiter, an ex profeſſo, an ſemel, an ſemper, an diverſum, vel oppoſitum, agendo, de doctrinis expoſuerint. Expendendum, quanam ætate & occaſione Patres hoc, vel illud,

Pag. 31. 33. 34. 36. 41. 42.

Pag. 43. pronuntiaverint. Largitur Noſter, *non in omnibus, neque ſemper inviolabiliter, a Patrum ſententiis, veluti nunquam defectibilibus oraculis, fidelibus eſſe pendendum.* Nota ſunt illa *Joannis Mabillonii de ſtudiis Monachorum Tom. I P. II Cap. 3: Non ita adhærendum eſt iis omnibus, quæ aliquoties a nonnullis Patribus fervore ſcribendi amplificata fuerunt, ut indiſcriminatim & inconſiderate ſingula eorundem effata velut axiomata putentur.* In rebus hiſtoricis eſſe Patrum teſtimoniis ſtandum, Noſter monet, ſi ex temporibus ipſorum acciderint. *Torniellus* ad A. 4018 §. 9 plurima adduxit exempla hiſtoriæ ſacræ, in quibus recentes Doctores & Analiſtæ a veterum Patrum ſententia diſceſſerunt. Addit Noſter tandem: *Sed forte communiter non conſentiunt Patres niſi in fidei & morum materiis.* Si tamen contradixerit unus eorum alteri, tunc argumenta ex doctrinis eorum probabilia tantum enaſci, idem ſignificat. Solis libris canonicis infallibilitatem tribuit *Auguſtinus Ep. 82,* alias 19, ad *Hieron. Cap. 1.* Tribuit Noſter Patribus, ſi invicem comparati inveniantur

44. concordes, infallibilitatem *externam,* non internam ac literis canonicis propriam. Inde colligit, unanimem ſanctorum Patrum conſenſum in Scripturæ interpretatione, vel in rebus fidei ac morum, eſſe autoritatis infallibilis, ne reclamet Synodo Tridentinæ *Seſſ. IV* in *decr. de edit. libror.* Sententiam it comprobatum ex *Eph. IV, 11, Matth. V, 13, XXIII, 3, Luc. X, 16,* ubi de Patribus tamen haud videtur exponi. Addit, per doctores publicos propugnatam eſſe

45. doctrinam Chriſtianam, & traditionem tam divinam, quam Apoſtolicam, ac in Conciliis, quantum ad traditiones attinet, ſemper ad fidem Patrum fuiſſe provocatum. Provocat ad *Auguſtinum,* qui conſenſione Patrum contra Pelagianos fuerit uſus, contra *Julianum I, 2. Auguſtinus* eos, qui Patres ſecum ſtare jactitabant, docere voluit, ipſos mentiri. At Proteſtantes fundamenta fidei ſuæ e ſacris literis depromunt. Nihilo minus ſubdit Autor hæc: *Pervicaciores ergo illis priſcis ſunt moderni hæretici, Lutherus & Calvinus, qui Patres vel ſolum Scriptorum veterum nomine comminiſcuntur, quaſi*

nullius

Digitized by Google

nullius ſint ſuperioris autoritatis, vel eorum dicta & unanimas ſententias libere taxant & ſugillant. Patribus honorem habent noſtrates, eis utuntur ac delectantur, verum infra ſacri Codicis oracula, & debita expoſitione ubique adhibita. Diſtinguimus præterea Patres ſerioris ætatis ab eis, qui a fonte abſuerunt propius. Objectionibus deinde occurrit Pag. 46.
Noſter, tradens, teſtimonium Patrum ſimul ſumtorum eſſe quidem humanum, quatenus ab hominibus originem trahat, nec tamen includat ſingularem Dei providentiam. Dat ipſe, errores Patrum attinere ad res parvi momenti & ad ea, quæ directe haud attingant fidem, conſentiente *Vincentio Lirinenſi Commonit. Cap. 3.* At ſic ſemper redit quæſtio, quid ſinguli Patrum pro fundamentis fidei reputaverint, & quid de eo, quousque res minoris momenti pertingant, iidem ſint arbitrati. Multa Patrum ſcripta perierunt. *Auguſtini Lib. II contra Fauſtum Cap. 5* eſt hoc pronuntiatum: *Liberum ibi habet lector auditorve judicium, quo vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit.* Autor ſibi perſuadet, hanc libertatem ſingulorum Patrum libris eſſe applicandam, non vero ad id, quod illi communiter docent. Subjungit alia. Tum vero progreditur ad hiſtoriam, e profanis ſcriptoribus decerptam, qua Theologus vel in ſacris 47.
literis interpretandis, vel in adventu Meſſiæ corroborando, vel ad controverſias rite tractandas, uti debet. *Melchior Canus* utilitatem ejus prædicavit *XI, 2.* Ad hiſtoriam certe eccleſiaſticam peritia hiſtoriæ congruit, ne quid de oratoria ſacra moneamus. Jubet Noſter, in hiſtoria reſpiciendum 48.
eſſe ad autoris gravitatem & ingenuitatem, amorem, vel odium, temporum locorumque conſiderationem. Argumento negativo tribuit nullum locum. *Tertulliani* tamen eſt hoc: *Quod Scriptura tacet, negat.* Et cur illa credamus vera, quæ illi, qui hiſtoriam aliquam ex profeſſo ſcripſerunt, 49.
tacuere? Si de eisdem rebus omnes eadem teſtentur, præcipue ſuppares ætate, tunc vera eſt commemoratio. Ad hiſtoriam recte conformandam adhibenda eſt ars critica, quæ ſeculo proxime elapſo inprimis excoli cœpit. *Joannes Mabil-*

Digitized by Google

Mabillonius Tom. II Cap. 13 abuſum ac uſum illius inculcat. Hæreticis Noſter criticum æſtum tribuit, ægre ferens inge-
Pag. 50. nium *Calvini* nimis criticum. *Clavignius* ſibi perſuaſit, in Italia ante Conſtantinopolin captam, & in Galliis ante *Franciſci I* ætatem, nec criticos, nec atheos, exſtitiſſe. Nobis videtur utrumque minus probabiliter dici. *Almaricus* certe Seculo XIII Pariſiis cum *Piſo*, ſeu libro ſuo, fuit Spinoziſmi cauſa combuſtus. Addit itaque Noſter; *Uſus Criticæ rectus multos & optimos fructus quibuslibet ſtudiis attulit. - - Sed majora profecto detrimenta inde accepta ſunt. Nam quis diſcernat rectum uſum & abuſum Criticæ?* Reſpondemus merito, diſcernendi facultatem pendere a judicio logico. Cauſatur Autor, artem criticam eſſe incertiſſimam, ſiquidem regulis principiisque careat. Confugit, ut hoc oſtendat, ad *P. Honoratum a S. Maria, Animadverſionum in regulas*
51. *criticas* Autorem. Noſter tandem fatetur, dari Criticam, quæ ſit ars judiciaria ad diſcernendum, ſeu deducendum, in rebus, quæ ſunt de facto, verum a falſo. Eam per omnes vagari ac ire ſcientias, concedit. Fulcra ejus conſtituit *teſtimonium* & *conjecturas*. Regulas conſtituit haſce; 1) ut
52. peritus de re ſibi cognita judicet, 2) ut bene ſit digeſta ma-
53. teria, nec vitiis obreptionum relinquatur locus, 3) ut ſit
54. vacuitas partium in Critico, 4) ut ex evincenti ratione feratur ſententia, nec credulitati ſit locus, 5) ut ad ſigna & circumſtantias debite attendatur, 6) ut argumento negativo nullum ponatur pretium, ſiquidem alias *Dionyſio Areopagitæ* libri ſatis noti haud poſſent tribui, nec translatio ſanctæ domus
55. Lauretanæ foret ſalva, 7) ut antiquitati, quantum fieri poſſit, veneratio ſervetur, ut traditionum honos ac conſuetudo perſtent, e. g. in hiſtoriis Breviarii, Martyrologii, Calen-
57. darii. *Natalis Alexander Sec. III Diſſert.* 20 ita: *Autoritas Breviarii Romani efficere non poteſt, ut fabulæ in hiſtorias evadant, nec cenſeri debent exploratæ & inconcuſſæ veritatis, quæcunque Breviario ſunt inſerta.* Oſtendit & fatetur Noſter, argumentum deductum ex una præmiſſa, quæ eſt *de fide*, & ab altera naturaliter vera, firmitatem ineluctabilem

lem obtinere. Non diſſentimus. Quænam vero ſunt de fide? Pag. 58.
Reſpondet Noſter, illa omnia eſſe de fide, quæ in verbo Dei ſcripto, vel tradito expreſſe, vel implicite, ſunt revelata, immo, quæ ab eccleſia ulterius proponuntur credenda, de fide eſſe tenenda. Ut ita teneatur, ac ut homines ad id, quod eſt de fide, obligentur, eſt, hoc judice, neceſſarium, ut proponantur ea, quæ de fide ſunt, ab aliquo ad id jurisdictionem habente. Hic vero, eodem indicante, eſt Pontifex, ſeu Eccleſia in ſuo capite, cujus ſit aperire ſenſum Dei, & cui circa hoc infallibilitas a Deo ſit data, ſiquidem Deus haud amplius nobiſcum coram loquatur. *Dogma* tradit eſſe omnem veritatem, a Deo 59.
revelatam, & ab eccleſia propoſitam; *fidei* autem *articulos* 60.
eſſe illas priores veritates, a quibus aliæ dependent. *Doctrinam theologicam* putat eſſe veritates per ratiocinium. *Pro-* 61.
poſitio hæretica eſt omnis propoſitio, contradicens cuique dogmati, quod in verbo Dei continetur, & ab Eccleſia eſt definitum. *Propoſitio erronea* adverſatur propoſitioni eductæ 62.
non immediate, ſed remote ab altera, in Dei verbo expreſſa. Omittimus alia. Tractatio ſecunda quæſtiones de exiſtentia & eſſentia Dei exponit. Dari gentes prorſus atheas, negat, 65.
confeſſus, exiſtere homines, qui lumen deperdant, quo, exiſtere Deum, convincimur, eo quod vitiis ſint oppreſſi. Laudat illa nuperi ſcriptoris Galli: *Magna mundi hæreſis* 68.
non eſt amplius Calviniſmus, aut Lutheraniſmus, ſed Atheiſmus. Promit poſthæc argumenta, quibus, Deum exiſtere, comprobatur. *Libro II* diſputat de creatione & conſervatione Tom. II
mundi divina, de angelis, de homine creato & lapſo. Præ- pag. 87.
adamitas refellit. Paradiſum terreſtrem inveſtigat. Exponit de actibus humanis, de libero arbitrio, moralitate, bonitate & malitia, de conſcientia probabili & probabiliſmo, de legibus, de lege veteri & nova, ac de legibus humanis. Diſſerit de peccato. Negat, dari peccatum philoſophicum. 182.
Agit de peccato originali, eoque univerſali, ac ad omnes propagato. Eſt in eo multus, ut modum, quo peccatum ad 218.
poſteros *Adami* traducatur, exquirat. Exiſtimat, omnes homines moraliter contineri in *Adamo*, tanquam primo ſuo capite, a quo poſteri dependebant. Eo autem ipſo, dum

Yy homi-

Digitized by Google

homines incipiunt exiſtere, actu ipſo traducitur peccatum, Pag. 219. quod antea virtualiter fuit in *Adamo*, in quo omnes conti- 222. nebantur, contractum. Sic ſentit Noſter cum S. *Anſelmo*, S. *Thoma*, *Durando*, *Scoto*, *Bellarmino*. Quærit, an virgo *Maria* fuerit a peccato originali immunis. Sacris literis ea ab hoc non pronuntiatur libera, id quod ambabus concedit Noſter. Confugit tamen ipſe ad illud *Gen. III*, 15: *Ipſa conteret caput tuum*, laudans *Auguſtini* conſenſum, amplectentis voculam *Ipſa*. Laudat Patres quarti & quinti Seculi, quorum teſtimonia ſunt apud *Fraſſenium*. Laudat *Epiphanium contra hæreſin* 59. Evolvimus eum. Invenimus ibi hæc §. 4 p. 1061: *Sanctum erat Mariæ corpus, fateor, non tamen Deus illa fuit. Eadem & virgo fuit; minime tamen nobis ad adorandum propoſita, licet honorata, ſed adorans eum, qui e ſua carne genitus*, παρθένος ἦν καὶ τετιμημένη, ἀλλ' οὐκ εἰς προσκύνησιν ἡμῖν δοθεῖσα, ἀλλὰ προσκυνοῦσα τὸν ἐξ αὐτῆς σαρκὶ γεγεννημένον. Addit *Epiphanius: Chriſtus Mariam* Jo. II *appellavit mulierem, ne quis beatam virginem excellentioris alicujus naturæ crederet*. Negat *Epiphanius*, angelis, vel hominibus, licet vel maxime ſanctiſſimis, προσκύνησιν eſſe exhibendam, §. 5 p. 1062. Negat idem, *Mariam* eſſe adorandam, §. 7 p. 1064, Subjicit idem p. 1065: *Quamvis optima* (καλλίστη) fuerit & ſit *Maria & ſancta & honorata* (τετιμημένη), [illegible]λ' οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι, *non idcirco tamen adoratione proſequenda*. Subdit *Epiphanius* §. 11 p. 1066: ἡ Μαρία ἐν τιμῇ, ὁ Κύριος προσκυνείσθω, *Maria in honore ſit, Dominus adoretur*. *Epiphanius Hær.* 50 §. 19 p. 1051 illud *conterendi* officium ad Jeſum adſtringit. Vocat ipſe §. 21 p. 1053 Mariam *virginem ſanctam, vas ſanctum*. Vocat eam §. 23 p. 1054 *beatam & ſanctam ſemper-virginem*. Docet §. 23 p. 1055 ſeq. *eam non ex cælo corpus accepiſſe*, ἀλλ' ἐκ συλλήψεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός. Ad quæſtionem, an *Maria* fuerit concepta, vel nata, in labe inſita, vel peccato originali, nullas *Epiphanius* fert ſuppetias, tradens potius, ipſam naturaliter fuiſſe conceptam. *Scotum* ſequitur Noſter, cujus hæc ſunt: *Virgo Maria non liberata, ſed præſervata eſt immaculata, a*

peccato

Digitized by Google

peccato originali. Auguſtinus de Baptiſmo II, 24, ita: *Non eſt* Pag. 223.
in filiis hominum, nec fuit, nec erit, qui nulli unquam peccato
fuerit obſtrictus, aut ad juſtitiam non ex peccato pervenerit,
excepto uno mediatore - - Solus ergo ille etiam homo factus, 224.
manens Deus, peccatum nullum unquam habuit, nec ſumſit
carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Quod
enim inde ſuſcepit, illud profecto ſuſcipiendo mundavit. Idem
in *Pſ. XXXIV Cap. 2: Maria ex Adam mortua eſt propter*
peccatum Adæ. Adam mortuus eſt propter ſuum peccatum,
& caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata.
Feſtum conceptionis *Mariæ* Pariſiis Seculo XII ab Epiſcopo
Mauritio publice interdictum eſt ob epiſtolam *Bernardi*
174 ad Canonicos Lugdunenſes. Quid ad hæc Noſter?
Reſpondet, carnem *Mariæ* vocari carnem peccati, quatenus
ſeminata fuerit per regenerationem, quæ ſit via ad peccatum.
Feſtum, conceptionis activæ, non paſſivæ, index, fuiſſe pro-
hibitum, contendit. Sunt, qui malunt, *Bernhardum* illius
epiſtolæ haud fuiſſe autorem. Damnata fuit hæc 73 *Baji*
propoſitio: *Nemo præter Chriſtum eſt absque peccato origi-*
nali; hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum, ex Adam
contractum: omnesque ejus afflictiones in hac vita, ſicut &
aliorum juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel origi-
nalis. Hiſce allatis, ad alia Autor procedit. Exponit deinde
de gratia & libero arbitrio, de gratia & merito, de merito,
ejusque tum *de congruo*, tum *de condigno*, requiſito, non in- 262.
ſicians, hominem re vera cum Deo habere meritum poſſe.
Tum differit de juſtificatione, quæ fiat per veram peccato- 286.
rum deletionem, & internam gratiæ infuſionem. Tandem
de pœnis peccatorum, de inferno, ac de purgatorio, agit.
Pœnam peccati originalis ponit in damno etiam ſine triſti- 503.
tia. *Libro III* exponit de incarnationis myſterio, de cauſis Tom. III.
incarnationis, de Chriſto, & ejus matre *Maria*, de affectioni-
bus Chriſti, de merito & ſatisfactione Chriſti, de indulgen-
tiis, de Chriſti præcellentiis, de Chriſti eccleſia. *Caput* vero
ultimum inſcriptum fuit de Chriſti vicario, ſeu Romano Pag. 215.
Pontifice. Tribuit ibi S. *Petro* in totam eccleſiam primatum,

 eum-

Digitized by Google

eumque ſupra Apoſtolum *Paulum*. Pontifices eſſe S. *Petri*
ſucceſſores, addit, ratus, *Petrum* re vera Romam veniſſe,
ejusque ſucceſſores eſſe eccleſiæ totius caput viſibile. Af-
firmat, Epiſcopos a Romano Pontifice immediate omnem
jurisdictionem recipere. Pontificem eſſe ſupra Concilium
generale, contendit. Quæritur, an Pontifex gaudeat pote-
Pag. 251. ſtate in Principum temporalia. Reſpondet Noſter affir-
mando, ſi de poteſtate indirecta ſit ſermo. De infallibilitate
Romani Pontificis copioſe agit. Pontificem vix credi hære-
261. ticum, monet. Exponit de infallibilitate Pontificis ſententias
variantes, ac diverſas enodandas proponit quæſtiones, de
quibus doctores eccleſiæ Romanæ ipſi invicem diſſident.
Noſter eorum propugnat opinionem, qui Pontificem, ex
cathedra extra Concilium loquentem, extra errandi pericu-
lum docent eſſe conſtitutum. Pontifices, in quos cenſura
incurrit, ab errore ivit vindicatum. Quæſtionem, an infal-
libilitas ad res facti omnes pertineat, haud plene extricat,
276. exponens potiſſimum de infallibilitate, in facto dogmatico
& in canonizatione Sanctorum obvia. Accedit huic *Libro*
tertio ſub finem *Calculus chronologicus ſacræ Scripturæ de*
annis a mundi exordio ad Chriſti ortum, atque *Diſſertatio de*
Chriſti Æra communi. Dabimus inde nonnihil ſpeciminis
305. cauſa. Exitum Iſraelidarum collocat Autor in annum mundi
2698, ac inde ad templi a *Salomone* ſtructi ætatem computat
annos 520. LXX *Danielis* hebdomadas haud dimittit in-
323. tactas. A *Salomonis* templo inchoato ad initium exilii Baby-
lonici computat annos 479, a *Cyri* Perſarum regno, ejusque
325. initio, ad natalem Chriſti numerat annos 452, atque natalem
Jeſu ponit in annum mundi 4149. *Dionyſium Exiguum*
exiſtimat æram inchoaſſe ab incarnatione Jeſu ac 25 Martii,
334. menſibus novem ante Jeſu natalem. Expendit annos, ab
Urbe condita elapſos, & ipſas Olympiades. Natalem Jeſu
336. in annum 42 imperantis *Auguſti* confert, ratus, Jeſum bapti-
zatum eſſe anno 29 ætatis completo, 15 anno imperantis
Tiberii. At hic annus deſignatur initium prædicantis *Joan-*
nis, quod anno uno prius exſtitiſſe baptiſmo Jeſu, docet

Grave-

Digitized by Google

Graveſonius ob *Act. XIII, 25.* Pauca Noſter reſpondet, a Pag. 338.
propoſito haud dimotus. Si quis diligentiam in figendo
vero æræ Chriſtianæ initio conſumſit, is certe fuit B. *Cornelius Dietericus Kochius.* *Libro IV* Autor diſſerit de Sacramentis tum generatim, tum ſpeciatim. Juſtificationem aliquando haberi ante Sacramentum, ſed non niſi cum Sacramenti voto, tradit. 190.
Contritionis doctrinam comitatur expoſitio de attritione. 199.
Polygamiam ſimultaneam rejicit. Impedimenta matrimonii, omnemque ſic dictam *diſpenſationem*, exequitur. Clericis matrimonium denegat *jure antiquo.* De virtutibus theologicis copioſe exponit, ubi 293.
de fidei ſymbolo, de neceſſitate fidei in Chriſtum Servatorem, de articulis explicite credendis, de externa 317.
fidei confeſſione, de infidelitate, de hæreſi, de ſchiſmate, inter alia agit. De ſpe & charitate diligenter tractationem expedit. De virtute religionis commentans, exponit 349.
de adoratione, devotione, oratione & adjuratione, de ſacrificio, oblatione, primitiis, decimis, de horis canonicis, de jurejurando, de feſtorum obſervantia & voto, de idololatria, divinatione, vana obſervantia, magia, & maleficio, acidia, tentatione Dei, de ſacrilegio, de blasphemia, & ſimonia. Progreditur tandem ad virtutes cardinales quatuor. Ad juſtitiam illuſtrandam partem juris
pertractat. De injuria & reſtitutione ſevere pronun- 411.
tiat. De fortitudine exponens, diſſerit & de bello, & de
certamine ſingulari. Addit nonnihil de temperantia, vitiis- 457.
que, ei obſtantibus. Inſtruit Appendicem de cenſuris eccleſiaſticis, de excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, pœnis canonicis, ac de irregularitate. Hæc eſt *Librorum IV* ſumma, in hiſce momentis eorum verſantur argumenta.

STIRPIS ESTENSIS ORIGINES, PROgenitores Sereniſſimorum Ducum Brunſuico-Luneburgicorum vetuſtiſſimos ſeptem, expoſuit JO. CHRISTOPH. HARENBERGIUS.

Brunſuici, 1748, 4.

Plag. 7.

Capitibus quatuor* ediſſerendis ſeſe Cel. Autor accinxit. Diſ-
ſerit primo loco de urbe & caſtello Eſte ad illud uſ-
que tempus, quo Patavini tractum Eſtenſem ſui fecerunt
juris, ac ipſi Venetis morem gerere didicerunt. Tum vero
oſtendit, Azones, e quibus *Welfonum* progenies maſcula
procrevit, originis Langebardicæ exſtitiſſe. Tandem ve-
tuſtiſſimis Principum Eſtenſium progenitoribus operam
ſuam addicit, in notitiam Germanorum propius deducen-
dis. *Cunegunda*, prima *Azonis Alberti II* uxor, indubie
tractum Eſtenſem ad maritum filiumque *Welfonem IV* de-
volvit, a *Welfonibus* inde ab *Henrici Sancti* ætate poſſeſ-
ſum. *Azo* autem ille exſtitit Marchio Genuæ ac Mediola-
ni. Denominatio *Marchionum Eſtenſium* vergente Seculo
XII videtur exorta. Originem *Azonum* ad Langebardos eſſe
referendam, Autor exinde it comprobatum, quod *Azonum*
progenitores nunquam non legibus Langebardicis ſeſe cen-
ſeri ac æſtimari voluerunt. Removet idem objectiones
nonnullas, ſeriemque expoſitionis a *Bonifacio*, Duce Tuſco-
rum, & Luccenſium Comite, pertexit ad *Obertum II* uſque,
Italicorum præcipue Scriptorum ope ſeſe ſuſtentans. *Bo-
nifacio* tribuit poſt Ven. *Muratorium* liberos *Bonifacium II*,
Pag. 19. *Berengarium*, ac *Richildem*, Abbatiſſam. *Ludovici Pii* dona-
tionem fictam, S. *Petro* factam, cum *Antonio Pagi* rejicit.
Bonifacio II adjungit filium *Adelbertum*, Hetruriæ Marchio-
nem ac Ducem, hujusque ediſſerit geſta. *Adelberti* ac
Bonifacii fratris fata, ab *Arnolfo*, Germaniæ Rege ac Impe-
23. ratore, deducenda, ex *Gentilotti* particula Annalium *Lam-
becianorum* intexit. Imperatorum, quos Italia ad *Ottonem
M.* uſque vidit, geſta haud obiter attingit. *Adelberto* tri-
26. buit uxores, *Anonſuaram* & *Rotildem*, *Lamberti* ac *Guidonis*,
Ducum Spoleti, ſororem. Ex *Rotilda Adelbertus* procrea-
vit *Adelbertum Divitem*, Marchionem Hetruriæ, opibus ac
autoritate pollentem, a *Lamberto* captum, ac A. 901 dimiſ-
ſum, defunctum A. 917, relicta vidua *Berta*, liberisque *Gui-
30. done*, *Lamberto*, & *Ermengarda*, commemorabilem. *Ber-
ta* genus Noſter percenſet. *Guidonis* & *Lamberti*, filiorum

Bertæ

Digitized by Google

Bertæ ex marito altero, geſta copioſe exequitur. *Maroziæ* tres maritos indicat, quorum ſecundas tenuit *Guido*, defuncta priori conjuge viduus. Pontificum Romanorum illius ætatis addit origines ac momenta nonnulla. Epitaphia *Adelberti*, *Bertæ*, & *Ermengardæ*, Luccæ in Epiſcopali æde adhuc conſpicua, ex *Florentinio* adjicit. *Guidonis* Marchionis obitum ad annum 929 refert. *Lambertum* fratris uterini *Hugonis* vi & ſævitia cecidiſſe, oſtendit. *Guidoni* fuiſſe filios, monet, licet eos nominatim haud valeat recenſere. *Adelbertum III* exſtitiſſe *Guidonis* filium, veriſimillimis conficit argumentis. *Adelbertus* hic tertius ſolet alias *Obertus I* appellari. *Obertum II* filium ei addit Noſter. Genealogiæ rationes ac geſta ſingulorum, ex Diplomatibus, actis, atque ſcriptorum teſtimoniis, decerpta, fontibus ſignificatis, ubique exhibet diligenter. Ut idem telam ad *Henricum* usque *Leonem* pertexat deinceps reliquam, noſtrum eſt optare.

Pag. 33. 34. 39. 41.

Vernünfftige Gedancken von den Pflichten gegen uns ſelbſt, ꝛc.

COGITATA RATIONI CONSENTANEA *de officiis hominis erga ſe ipſum reſpectu ſtatus interni, ac de eorum exercitio, ſecundum leges ſapientiæ, expoſita ab* HENRICO FRIDERICO EGGERS, *Melldorpienſi*.

Wolferbuttelæ, impenſis Jo. Chriſtoph. Meiſneri, 1748, 8. Plag. 8.

Incrementa vitiorum oriuntur ex neglectu doctrinæ, quæ in officiis erga ſe ipſum propius crebriusque expendendis verſatur, quibus ſubſtituunt homines educationem, ſenſuum illecebris ac naturæ haud emendatis appetitibus conformatam. Qui vim ac metum vitiis opponunt, ne ea erumpant, prohibitur, illi ad fundamenta virtutum ſolide eliciendarum haud reſpiciunt. Eam ob cauſam Autori viſum fuit præcepta Ethices repetere, multa in acceptis referens Conſiliario aulico *Darjes*, a quo quondam præceptis Philoſophiæ pra-

ćticæ

cticæ fuit inſtitutus. Tractatio omnis *duabus* abſolvitur *Sectio-*
nibus. Prior eſt perbrevis, tradens ea, quæ de Philoſophia pra-
ctica generatim erant præmonenda. Poſterior complectitur
Capita quinque. *Primum* de offitiis erga intellectum expo-
nit. *Secundum* officia voluntati debita ediſſerit. *Tertio*
continentur officia, quæ corpori noſtro nobis ſunt præ-
ſtanda. *Quartum* exhibet cognitionem de perfectionibus
& imperfectionibus moralibus. *Quintum* exhibet ea, quæ
de colliſione ac pugna officiorum noſſe omnium intereſt.
Reſtat, ut Autor explicet officia, quæ ſtatus noſtri externi
conſiderationem attingunt. Ea enim, quæ ad ſtatum noſtrum in-
ternum perficiendum ſpectant, duntaxat in præſens tradi-
dit. Vires animæ ſuperiores ab inferioribus diſtinguit,
Pag. 5. prout ſenſiones noſtræ repræſentationes vel minus, vel ma-
gis, afficiunt, ſpeciesque intellectui impreſſæ vel præſen-
tes, vel alienæ. Organa ſenſoria ut ſint ſalva, noſtrum eſt
curare & providere. Phantaſmata Autor a fictionibus di-
gnoſcit. De imaginatione & memoria exponit. Utriusque
notas, unde perfectio dijudicatur, indicat. In vi cognoſcendi
diſcernit *materiale* a *formali*. *Spontaneitatem* eſſe infinitam
9. ratione *gradus objectivi* & *ſubjectivi*, ſignificat. *Attentio-*
nem, *judicium*, *rationem*, *ingenium*, *ſoliditatem*, *ſapienti-*
am, *artem*, *ſcientiam*, *inveniendi facultatem*, *experientiæ*
15. *ſtudium*, *opificia*, *philologiam*, *acumen*, *converſationem*, *a-*
micitiam, *prudentiam*, & *calliditatem*, expendit, ac officiis er-
ga intellectum annumerat. An converſatio citra officia, ra-
tione voluntatis præſtanda, expediri poſſit, liceat dubita-
re. Officia, quæ reſpectu voluntatis ſunt definienda, con-
ſiſtunt in propenſionum ac averſationum directione, affectu-
27. um moderatione. Appetitum omnem profluere ex conſi-
deratione rerum, negant, qui *inſtinctum naturalem* nomine
appetitus impertiunt. Quomodo boni cogniti, quod á no-
bis impetrari percipique poteſt, deſiderium ſit excitandum,
34. Autor docet. Libertatem Autor ita ſtabilitum ivit, ut voli-
38. tiónibus noſtris deneget ineſſe neceſſitatem. In emendanda
anima initium fieri ab intellectu, monet. Nam ignoti nulla
cupido.

Digitized by Google

cupido. *Sinceritatem voluntatis*, intelligentia & religione caſſam, repudiat. Facultatem appetendi ac averſandi in Pag. 42.
actum haud deduci citra invitamenta, ſeu motiva, fuſe oſtendit. Qui ex pluribus adminiculis, quibus finis obtineri poteſt, convenientiſſimum approbat, ac dat effectui, is *eligit*, & expedit *optionem*. Si unica patet via, qua finis obtineri poteſt, delectu opus non eſt. Si via illa eſt convenientiſſima, eam ſapientiſſimus quisque ſequitur. Qui fingunt, dari plura prorſus & usquequaque æqualia, inficiari debent, adminiculum dari unquam unicum. At experientia eis refragatur. Fruſtra idcirco ſtatuunt nonnulli, ſibique perſuadent, haud dari *principium indiſcernibilium*. Corollarium hoc eſt noſtrum, Philoſophiæ everſoribus opponendum. Status per- 44.
fecti æquilibrii moralis eſt fictio, quam rerum ipſarum conſideratio, & confeſſio ignorantiæ noſtræ, jugulant. Error abuſum libertatis gignit, ac illum procreat inſcientia, defectus attentionis, ac conſiderationis. Ne igitur libertate abutamur, intellectus luce induendus eſt. Animas differre 51.
modis, ſiquidem eæ ſunt finitæ, Autor ita tradit, ut, corpora, quibuſcum animæ ſunt junctæ, compoſitione partium ac commixtione fluidorum diſcrepare, doceat. At qua ratione different animæ, corporibus ſolutæ? Dantur gradus poſitivorum in ſubſtantiis finitis, niſi fallimur, diverſi. Fluidi in corporibus commixtionem variam Noſter *temperamentum* appellat, &, hoc eſſe quadruplex, cum Temperamentiſtis docet. Ut externam & obviam temperamenti notam conſtituat, colorem *capillorum* in medium adſciſcit, nec prorſus 58.
infeliciter, an ſatis prudenter, ignoramus. Dantur nonnulla, quæ ſcimus nobis, non aliis. Duros capillos aſperosque Noſter pro audaciæ nota habet. At multi eſſent audaces, niſi eſſent bene morati, ac Chriſtiana luce imbuti. Diſtinguenda idcirco videtur propenſio naturalis a ſtatu, quem homo re ipſa indutus eſt. Conſciſcit ac conſentit Noſter, ſiquidem ipſe inſtitutionem ingreditur, qua *Sanguineus*, 60.
Cholericus, *Melancholicus*, & *Phlegmaticus*, poſſit mutari. Num vero capillos mutabunt univerſi? Vulpes pilum, non

Z 2 animum,

animum, mutat. At pergendum. De imperio ſui, conſuetudine, affectibusque, Noſter ſic exponit, ut fit vulgo. Avtocheiriæ opponit argumenta, dilemmatum naturam præſe-
Pag. 94. ferentia. Omittimus reliqua, ſiquidem in eis nihil deprehendimus, ab aliis intentatum.

Kleine geographiſch-hiſtoriſche Abhandlungen zur Erläuterung einiger Stellen Moſis, und vornemlich des ganzen Buchs Hiobs, ꝛc.

hoc eſt,

BREVES GEOGRAPHICÆ AC HISTORICÆ Tractationes ad illuſtrandum loca Moſis & libri Hiobici nonnulla, editæ Autore JACOBO KOCHIO, Eccleſiaſte ad S. Nicolai Lemgoviæ.

Lemgoviæ, apud Jo. Henr. Meyerum, 1747, 4.
Plag. 20, cum Mappa geographica.

Celebrat Pl. Rev. Autor in Præfatione ſcripta Angli doctiſſimi, *Samuelis Wesley*, in *Jobum*, a nobis in compendium miſſa *A. 1745 Menſ. Sept. P. II pag. 529.* *Kochio* perſuaſum eſt, *Wesleyum* conſentire ſecum reſpectu temporis ac loci, quo vixit *Jobus*, nec ſpe deſtituitur, fore, ut *Wesleyi* opus propediem in vernaculam noſtram transfundatur. Tabula geographica exhibet partem Ægypti orientalem, Arabiam Petræam, terram XII tribuum, ac Syriam maritimam ad Gabalam usque. Regiunculum Raemſes Autor poſuit ad Heroonpolin, ac ſiniſtrum cornu incipientis ſinus Heroopolitici, qui eſt pars ſinus Arabici. Complectitur hoc opus, præter tabulam illam, varia, nominatim 1) geographicum meletema in *Devt. X, 6, 7,* & *I, 1;* 2) Specimina ſingularia conſenſus Chronologiæ veteris Ægyptiacæ ac Ebrææ, libris Vet. Teſt. comprehenſæ; 3) Chronologiam monarchiæ Aſſyriacæ concordantem cum Ægyptiaca ac Biblica Chronologia, 4) tabulam harmonicam, eamque chronologicam, ex præcedentibus tractationibus coagmentatam; 5) ſuccin-

5) ſuccinctam *Hiobi* hiſtoriam, ex exegeticis partibus Autoris in *Jobum* editis collectam. Nunc ſigillatim delibare opuſcula placet. Loca *Devt. X, 6, 7,* & *Num. XXXIII, 30, 31,* videntur invicem contrarium tenere. Locus ille recenſet expeditiones Iſraelidarum, tempore legislationis Sinaiticæ factas. Locus hic exhibet itinera, 38 vel 39 annis poſt expedita. Locum *Devt. X, 6, 7 ſeq.* Noſter ita παραφράζει: *Iſraclidæ profecti fuerunt* tunc, cum legem ſuſcipiebant, *ex Beerothbnejaekan in Moſer, ubi Aaron nuper obiit, ubi ipſe ſepultus eſt, &* ubi *Eleaſar, filius ejus, loco ipſius Pontifex factus.* *Inciſo* proxime priori de diſceſſu *Moſis* ultimo ex Sinai monte exponitur. *Inde fuerant profecti verſus Gudegoda, & ex Gudegoda in Jothbatham, in terram, ubi ſunt rivi. Dominus etiam circa id temporis ſeparabat tribum Levi* 17.
ad portandum arcam fœderis Domini, ac ad conſiſtendum coram Domino ad eum colendum, nomenque ejus collaudandum uſque ad hanc diem. Quapropter nihilo minus Levitæ carent parte ac hæreditate cum fratribus ſuis - - Nihilo ſecius, laboribus haud unis defunctus, *ſteti coram Domino 40 dies ac 40 noctes, uti antea - -.* Pertinent hæc itinera ad caſtrorum mutationem prope Sinaiticum tractum, & tempus legislationis Sinaiticæ. Locum *Devt. I, 1, 2,* Noſter ita exponit: *Id,* 19.
quod præcedit, *ſunt quoque verba, quæ Moſes loquebatur trans Jordanem*: ut proſpiciamus in tempora anteriora longius, *in tractu juxta Suph,* id eſt, juxta Elath & Ezeongaber (*II, 6,*) prope mare algoſum, immo olim ante hoc tempus *inter Paran & Tophel, inter Laban & Hhazeroth ac Diſahab. Erat* initio orationum retrorſus rejectarum *dies undecimus, poſtquam profecti erant noſtri ex Horeb per viam tractus montani Seir uſque ad Kades Barnea. Nunc vero* 21.
factum eſt anno 40, primo die menſis undecimi, ut loqueretur Moſes cum Iſraelidis cuncta, hoc libro ſequentia, *quemadmodum Dominus eum juſſerat.* Venit id in quæſtionem, quorſum verba illa ſint referenda: *Erat dies undecimus, quo iter factum erat ex Horeb - - in Kadesbarnea.* Nobis videntur ea ad tempus orationis, a *Moſe* trans Jordanem prope Abila

Pag. 3.

Sitim habitæ, reſpicere. Ingreſſus enim Iſraelidarum in Kades ex Horeb præbuerat epocham chronologicam, Iſraelidis tritam ac notiſſimam. Primus dies menſis undecimi incidebat in diem undecimum illius itineris. Epocham illam memorat *Moſes Devt. I, 19.* Menſe decimo Iſraelidæ circa Horeb caſtra ſecundum moverant, hac illac circuituri. Prima caſtrorum mutatio incidit in 20 diem menſis ſecundi anni ſecundi, *Num.* X, *12.* At iter, Horebico ex tractu ſuſceptum, ac in Kades finitum, quatenus finitum, incidit in 19 diem menſis decimi. Varia ſunt, quæ Noſter ad tabulas geographicas *Haaſii*, *Shawii*, & *Pocockii*, quantum ad Ægyptum & Arabiam Petræam attinet, notat. Sinum Elaniticum ducit verſus ſeptentriones ita, ut eum ad occidentem paulisper convertat. Appulit idem attentionem ſuam ad enodandum locum difficiliorem *Num. XXI, 14-20*, quem ita

Pag. 24. convertendum eſſe docet: *Verſ. 14, Eam ob cauſam*, quod Iſraelidæ in confinio Amoræorum ac Moabitarum ſubſiſtebant, *determinatum eſt in ſerie deſignati gerendi belli Jehova, tum reſpectu Vahebi in Suphah, tum intuitu amnium.* Primo *Arnon* determinatus eſt in ea, ne Moabitis noceretur. *Verſ. 15, Porro* determinatus eſt *tractus fluviorum, pertinens ad caput* Moabitidis *Ar, ac ſpectans ad fines Moabitidis.* Eo usque exercitus belligerans erat extendendus. *V. 16, Ac inde* determinatum eſt pro deſignatione belli gerendi, *quicquid jacet verſus fontem, nempe fontem in Kades, de quo Dominus Num.* XX, *8, ad Moſen dixerat: Collige populum, dabo ei aquam.* Sequitur hæc parentheſis. *V. 17, Tunc Iſrael* in legatis ſuis contra Midianitas, eisque 12000, *cantet hanc cantilenam: Sali* demuo & ſcaturi, *o fons! Vos, qui ibi* ad Arnona *eſtis, reſpondete tunc* certatim. *V. 18, Hic eſt fons, quem Principes foderunt, nobiles populi foderunt eum, per conſtitutionis autorem,* Moſen, *ſuosque baculos.* Comitati fuerant ſeniores, baculis inſtructi, *Moſen*, petræ percutiendæ intentum. *At inde a deſertis* determinata eſt *Mathana. V. 19, Et inde ex Mathana verſus Nabaliel, & inde ex Nabaliel Bamoth* verſus Esbunta. *V.*

26. *20, Ac ex Bamoth* retrocedendo *vallis, quæ in arvis Moabitidis viſitur.*

Digitized by Google

viſitur. *Summum cacumen* hujus tractus *eſt Piſga, proſpiciens ad planitiem* omnem *vaſtationis* efficiendæ. Series & deſignatio bellorum Domini hac ratione ſummatim hic exhibetur. *Vabeb* Noſtro probabiliter eſt ipſe *Jobus*, ad ſinum Arabi- Pag. 27.
cum commoratus. Noſter in Faſciculo ſecundo annos ab orbe 30.
condito ad Jeſum natum computat 3960. Chronologiam Chaldæorum, Ægyptiorum, Chinenſium, Tyriorum, ab hac ſupputatione haud abludere, addit Noſter. Cyclus Ægyptiorum comprehendit quadrimeſtre tempus, ſeu 120 dies. Cyclus 12 annorum Ægyptius comprehendit $\frac{12}{100}$, ſeu duodecim partes ſeculi. Adjicit Noſter teſtimonia veterum & exempla, partim ſingularia, & contractiorem durationem temporis complexa, partim epochis longioribus gaviſa. *Oſirin* ab 41.
Ægyptiis pro Meſſia fuiſſe habitum, ſibi Noſter perſuadet, optans, ut eruditi *veſtigia ſperati & interpolati Meſſiæ inter gentes* conquirant. Idem *Newtoni* Chronologiam ſubinde 46.
corrigit. Chaldæorum anni deſignant ſingulos dies. *Soſſus* comprehendit 60 dies, ſeu duos menſes, *Nerus* 600 dies, ſeu 20 menſes, *Sarus* 3600 dies, ſeu 10 Chaldaicos annos, quorum ſinguli 360 dies æquabant. Anni 71 Chaldaici æquales ſunt annis noſtris 70. Nec dubitandum eſt, annos Ebræorum ad *Cyrum* usque fuiſſe Chaldaicos. Ut igitur 71 ſe habent ad 70, ſic 3400 ſe habent ad 3352$\frac{1}{71}$. Unde pateſcit, ex annis 3400 ſubducendos eſſe annos 48, ut annos noſtræ menſuræ ab orbe condito ad *Cyrum* usque ſupputemus. *Schuckfordius* id jam monuit. Chronologi vero ad hoc momentum nondum attendunt. Perperam quidem. Menſes enim Ebræorum æquarunt 30 dies, ut ex hiſtoria diluvii Noachici liquet. De *Epigenis* calculo apud *Plinium VII*, 57.
56, ſolide Noſter diſſerit, eumque ponit aſtronomicam periodum 720000 annorum fuiſſe, cujus initium inciderit in annum mundi 2000, quo Chaldæi aſtronomicis obſervationibus cœperint operari. Epocham antiquiſſimam Babyloniorum figit in anno mundi 1750, quam variis computationibus magnorum intervallorum confirmat.

Pag 73. Terram *Caſchdim* ante *Cheſedum* a benignis dominis,
חסד, *gratia*, ita denominatam fuiſſe, credit. *Abrahamus*
ipſe jam vocatur *Chaldæus*. *Act. VII*, 4. Reges Chaldæos
antiquiſſimos Noſter diſtincte & chronologice perſequitur.
Tum vero ad Aſſyrios deflectit, exorſus a *Belocho I*, cui
77. ſucceſſit *Belus II*. Omittimus reliquos. *Cteſiæ* Chronologiam
89. Medicam cum *Herodotea* conſentire, oſtendit Noſter. *Cte-*
ſiæ calculos non obſtare Chronologiæ Biblicæ, idem it
94. comprobatum. *Laboaſavaſcum* pro *Belſazare* habet. *Na-*
bonadius, ſeu *Naboandel*, ei eſt *Darius Medus*, qui *Belſazaris*
103. tutorem egerit. Canonem *Ptolemæi* pronuntiat eſſe certum.
Tum vero Chronologiæ Ægyptiacæ, Aſſyriaco-Chaldaicæ,
106. & Ebraicæ, harmoniam ſiſtit, in exponendis ſacris literis
longe utiliſſimam. Addit ei ad ſiniſtram varias majores
temporum periodos. A morte *Joſephi* ad natalem *Moſis*
120. 100 fluxiſſe annos, negat. *Jobi* vitam Autor Pl. Rev. ex
expoſitione ſua, qua librum *Jobi* illuſtravit, in ſummam
123. contraxit, paſſim probabilibus adjutus conjecturis. *Jobum*
credit vixiſſe ævo *Moſis* in regione Uz Edomitica, ſeu *Au-*
taorum Plinii, haud procul loco Theman. *Jobus* fuit gen-
tilis *Eliphaſi* ac Idumæus, in fœdere *Abrahamitico* moratus,
filius Seræ ex Bazra, *Moſi* dictus *Iobab*. Eandem ætatem
Jobo tribuit *Sulpicius Severus*. Scholiaſtes apud *Heſychium*
125. quidam ei ſedem ad Paran asſignat. Mater *Jobi*, ex Ho-
ritis orta, nuptiis alteris adſcivit maritum Reguelem Mi-
dianitam, ſocerum *Moſis*. Probabile eſt, *Chobabum*, Keni-
tica prædia matris per hæreditatem nactum, exſtitiſſe ipſum
Jobum. Uxor *Jobi* fuit ſoror *Elihu*, filia *Baracheelis*, in Pa-
rapotamia cis Euphraten commorantis, ejusque Abrahami-
dæ, veræ religioni addicta. Ipſa peperit ſeptem filios, fi-
liasque tres. Filius pater tradidit mature prædia longius
ſita. *Jobus* a Rege Ægypti *Apappo*, ac ejus regni ſocio, filio,
ſeu nepote, *Setho*, ſeu *Seſoſtri*, multa perpeſſus eſt damna.
127. Idumæi ſe ſubjecerunt *Seſoſtri*, ejusque Proregi. Domi de-
ſederat inter hæc *Jobus*. Veritus graviora, in auſtrum re-
ceſſit verſus Petram intra montium juga, regulum inter cir-
cum-

Digitized by Google

cumvicinos agens. Exſtruxit, judice Noſtro, oppidum Ezeongeber prope Elath. *Seſoſtri* ſe tandem ſubmiſit. *Satan* Noſtro eſt vel *Sethus*, ſeu *Seſoſtris*, vel ſpiritus, per hunc operatus. Liberos *Jobi* aufugiſſe ac rediiſſe, credit Noſter. *Jobum*, calamitatibus preſſum, exiſtimat, ſeceſſiſſe in exiguam inſulam ſinus Arabici prope Phœnicon. Natalem *Jobi* credit fuiſſe conſtellatione Saturni inſignem, Mercurii, ac Veneris. Contumeliæ paſſim eapropter adverſus *Jobum* Sparſæ. Convenerunt amici ac cognati ad eum, rati, ipſum ſimulata niti pietate, ac cum *Moſe* intentum eſſe rebus haud prorſus laudandis. Retudit impetus oratorum *Jobus*, vaticinatus de *Moſis* tranſitu per mare, pudicitiamque uxoris, tentatus morborum tædiis, ſuſpectans. *Elibu* convictus fuit de innocentia *Moſis* per tempeſtatem fulminibus moleſtam, ac per miracula columnæ nubis de divinitate miſſi *Moſis*. Deus tandem *Jobo* aperuit, docens, mulierem eſſe innocentem, liberosque ſupereſſe, tyrannum periiſſe, cujus imago erat Behemot bellua devicta, ſatanamque non amplius nociturum, qui ſub ſymbolo Liviathani, ſeu draconis, repræſentabatur. Deus ſignificavit, ſermones *Jobi* eſſe dextros, ac veritati conformes. Liberatus morbo *Jobus*, ac divitiis ornatus, filiisque reducibus gaudens, preces emiſit pro amicis. Calamitates ejus ſeſquiannum haud exceſſerunt. Videtur *Jobus* fuiſſe fœderatus *Moſis* ac *Joſuæ*. Vixit annos 140. Sepulcrum, cui epitaphium voluerat poſitum, reſurrectionis ſperatæ monumentum, nobis eſt incompertum. Hæc eſt vitæ *Jobi* ſumma ex opinione Pl. Rev. Autoris, in quo & diligentiam & ſtudium ſine cortice natandi merito laudamus.

Pag. 131. 134. 136.

JACOBI WILHELMI FEUERLINI, D. & Prof. Theol. primar. Obſervationes variæ in Auguſtanæ Confeſſionis ſingulos Articulos, cum Præfamine de Wilhelmi Lindani Concordia diſcorde, ejusdemque teſtimonio de originali exemplo Latinæ Confeſſionis Auguſtanæ in Archivo Bruxellenſi.

Got-

Gottingæ, typis Joannis Frid. Hageri, 1742, 4. Alph. 1 plag. 7½.

Diſputationes ſingulis hebdomadibus inſtituit Summe Rev. Autor, easque obſervationibus variis & ſelectis in Auguſtanæ Confeſſionis capita ſingula voluit dicatas. Exinde id enatum fuit volumen, quod tandem ad umbilicos eſt adductum. In prooemio, vicem Programmatis ſuſtinente, ipſe de *Wilhelmi Lindani Concordia diſcorde* ex Bibliotheca ſua inſtructiſſima diſſerit. Singula fere *Lindani* ſcripta hodie ſunt rariora. *Hoſpinianus* a *Lindano* mutuatus fuit inſcriptionem libri ſui *de Concordia concorde*, quam noſtratium Formulæ Concordiæ oppoſuit, ſiquidem *Lindani* librum *Cap. 46* paucis recenſuit. *Leonhardus Hutterus* id videtur ignoraſſe. Egit de eiusdem *Lindani* libello *C. A. Salig.* in *Hiſtoria Auguſtanæ Confeſſionis P. I pag. 730 ſeq* tribuens ei formam, quam vocamus *duodecimam*, licet ea ſit minor ea, quam *octavam* appellamus. Editus eſt *Lindani* libellus A. 1583, 8, Coloniæ apud *Birkmannum*, qui eum annum ei ad finem ſubjecit. *Lindani* vitam ſcripſere *Poſſevinus*, *Looſius*, *Knippenbergius*, & *Valerius Andreæ* in *Bibliotheca Belgica.* Succincte Noſter eam repetit, addens ea, quæ indicio ſunt, *Lindanum* inſpexiſſe Bruxellis authenticum exemplar Confeſſionis Auguſtanæ Latinæ, in tabularium eo translatum juſſu *Caroli V* Imperatoris, *Lindanum* ſolitum fuiſſe φιλαληθῆ, Noſter exinde comprobat, quod *Lindanus* docuit, errorem Vulgatæ in verbis *Gen. III, 15, Ipſa conteret*, e textu Ebraico eſſe corrigendum, teſte *Richardo Simonio Hiſt crit. du V. T. III, 17, p. 146.* Obſervationes ſingulæ ad ſingulos Auguſtanæ Confeſſionis Articulos ſpectant, ac numerum XXVIII æquant. Diſtinguit Autor in illis Articulis characterem eccleſiæ, in capitibus articulisque fidei cardinalibus ſitum, a partibus ſecundarias, minusque principales. Ad has refert argumenta explicantia, illuſtrantia, & ex parte horum hiſtorica, modos probandi, ac cummaxime allegationes extrinſecus adſcitas. Secernit hæreſin ac errorem a quæſtione hiſtorica, an hi, vel illi, re vera hos, vel illos, fo-

verint

verint errores. Samoſatenianiſmus enim damnatur, quamvis forte *Paulus Samoſatenus* eum errorem haud erraverit, qui a plerisque ipſi verti ſolet vitio. Noſter locum *Gen. III, 22,* ita exponit: *Adam factus eſt ſicut unus* (Satanas) *ex illa* (arbore) *ratione cognitionis boni ac mali* (in ſe experimentalis). Trinitatem evincit ex *Jeſ. XLVIII, 16, Matth. XXVIII, 19; 1 Jo. V, 7.* Addit paulo poſt: *Locum hunc Joanneum, quamvis nullius Codicis manuſcripti Græci melioris autoritate ſine exceptionibus nitatur, authenticum tamen eſſe, probant vetus translatio Latina & citationes Patrum Tertulliani, Cypriani, ac aliorum.* Monet, notionem ontologicam de perſona ex ſubſtantia Deo non poſſe integram attribui. Monet, hæreſes ortas eſſe ex ſtudio intempeſtivo explicandi myſterium Trinitatis plus quam preſſe. Sabellianiſmum *Paulo Samoſateno* perperam tribui, contendit, repudiato *Epiphanii* teſtimonio. Per Samoſatenos neotericos, articulo Confeſſionis Auguſtanæ primo memoratos, deſignari putat *Michaelem Servetum.* In regenitis reſtare peccatum innatum, non imputari, docet ex *Rom. VII, 7 ſeq.* & ex *Auguſtino de Nuptiis & concupiſc. Cap. 25.* Addit capitula 6, 7, 8, Concilii Milevitani contra *Pelagium* & *Celeſtium. Pelagium* erraſſe, inficiatumque eſſe peccati innati labem, monet. Originem animarum ita exponit, ut nec Traducianis, nec Creatianis, accedat, ſed, tertium dari, tradat, ratus nempe, parentes eſſe cauſas efficientes minus principales liberorum ſuorum ratione & animæ & corporis. Nam ortus Jeſu κατὰ σάρκα repetitur ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, *Rom. I, 3, Jo. III, 6.* Qui vero ex una anima ſimplici, vel ex corpore, poſſit anima nova produci, haud ſignificat. *Regnum cœlorum Jo. III, 6,* ipſi eſt regnum gratiæ, in quod ordinarius per baptiſmum datur introitus. Locum *Jo. I, 1,* a *Sam. Crellio* vindicat. Humanam Jeſu naturam collocat extra dubitationem. Unitatem Chriſti oſtendit, repudiato Neſtorianiſmo & Eurychianiſmo. Variantem de deſcenſu Jeſu ad inferos ſententiam exprimit. De juſtificatione exponit ſolide, ſuisque muniis congruenter. Eruit originem titulorum, articulis Aug.

Pag. 2. 3. 4. 5. 7. 11. 13. 16. 19. 23.

Confeſſionis præfixorum. *Thomæ Muntzeri* errores ſtrictim attingit. Opera bona eſſe conciliatores vitæ fidei, inficiatur, locumque *Jac. II, 17*, de charactere fidei negativo exponit. Obedientiam Chriſti activam imputari juſtificatis, monſtrat
Pag. 45. ex *Rom. V, 19, Phil. II, 8 ſeq.* Notat *Joannem Piſcatorem*, ei doctrinæ refragatum, ac *Kargium* reſipiſcentem. *Ambroſio*
48. tributum eſſe tempore compoſitæ Auguſtanæ Confeſſionis Commentarium in *Epiſtolas Paulinas*, oſtendit ex *Bellarmino de Script. Eccleſ.*, *Riveto* in *Critico ſacro III, 18*, ac *Tillemontio*. Eccleſiam Chriſti in ſacris literis eſſe cœtum ſolorum ſancto-
54. rum, contendit. Gnomen, *extra eccleſiam nulla eſt ſalus*, non niſi de Eccleſia interna accipi poſſe, docet. Utramque, in-
61. ternam & externam, operoſe dignoſcit. Socinianos nomen Chriſtianæ eccleſiæ haud mereri, eoque eſſe indignos, docet.
66. *Godofr. Arnoldum* Donatiſmi reum peragit. Baptiſmum proſelytorum apud Judæos ante tempora Jeſu in uſu fuiſſe, negat. Baptiſmum *Thomiſticum*, qui in unico Jeſu Chriſti fit
68. nomine, repudiat cum *Hyacintho Serry*. Pædobaptiſmum
81. accurate vindicat. De ſacra cœna modeſte ſolideque diſſerit. De confeſſione peccatorum eccleſiaſtica, ſacram cœnam præcedente, diſtincte exponit ex praxi & ecclaſiaſtica hiſtoria. Novatianorum errorem detegit, lapſis pœnitentiam
102. denegantium. De *opere operato* diſputat. Fructus hiſtoriæ ſacræ utramque faciunt paginam. Controverſiæ enodantur parce & ſuccincte. Stilus eſt planus & theologicus. Nec deeſt quidquam, quod ad compagem Theologiæ dogmaticæ poſſit referri.

TRE LETTERE DEL SIGNOR ABATE DOMENICO LAZARINI &c.

id eſt,

TRES EPISTOLÆ ABBATIS DOMINICI LAZARINI DI MORRO, in quibus oſtenditur, Veronam ditioni Cenomanorum fuiſſe ſubjectam.

Brixiæ, apud Joannem Mariam Rizzardum, 1745, 4.

Plag. 10½.

Scripſit Anonymus clariſſimus diſquiſitionem hiſtoricam de

de antiquo Veronæ ſtatu, cui titulus eſt: *Ricerca iſtorica dell' antica condizion di Verona.* Dubitationes ſuas ac diſſenſum adverſus eam ſingulari ſcripto declaravit Canonicus *Paulus Gagliardi*, negans, Cenomanos haud tenuiſſe Veronam. Iſte *Gagliardi* liber hanc præfert inſcriptionem: *Parere d' intorno all' antico ſtato de' Cenomani.* Anonymus ditionem Veronæ Cenomanis ſubduxerat. Abbas *Lazarini*, veritati amiciſſimus, difficultates opinionis Anonymianæ Anonymo expoſuit coram civitate erudita. Dolendum eſt, literas has non ſimul cum Commentariis Cel. *Scipionis Maffeji* in *Verona illuſtrata Libro primo* evulgari potuiſſe. Compoſuit *Lazarinius* præterea delicias poeticas, ſalibus *Plautinis* refertas, nondum publicatas, at Romæ a *Franciſco Benaglio* edendas. Literas haſce edidit *Julius Baitelli*, ac Eminentiſſimo Principi Cardinali *Angelo Mariæ Quirinio* conſecravit. *Lazarinius* eis comprobatum ivit, Veronam ditioni Cenomanorum ſubjectam fuiſſe. Ad duos præcipue verſus *Catulli* confugit, quos contendit *Catullo* & dignos & tribuendos, licet Ill. *Scipio Maffejus* eos proſcribere aggreſſus fuerit in *Verona illuſtrata.* Edidit Emin. *Quirinius Specimen Brixianæ literaturæ*, eique præfixit Brixiæ imaginem, addito *Catulli* hexametro: *Flavus quam molli percurrit flumine Mela.* Adde pentametrum: *Brixia Veronæ mater amata meæ.* Utrumque verſum Purpuratus Emin. loco laudato *pag. 324* autoritate *Mureti*, *Statii*, & *Octavii Pantagathi*, Brixienſis, vindicavit. *Lazarinius* Epiſtola prima diſtichon illud, de quo diximus, *Catulli* pro genuino & reputat & defendit. Contextui id favere, demonſtrat. Ecquid conſilii, vel uſus, profluere potuit, vel Pag. 4. accedere, ex verſiculis illis duobus intruſis? *Callimachus*, quem *Catullus* fuit imitatus, eadem fere ratione patriam ſuam celebravit. *Percurrere* dicitur fluvius locum, quem 6. ex parte alluit, *Cicero* & *Horatius* ſe ea dixere percucurriſſe, quæ præterierant pæne. *Molles* dicuntur fluminum undæ apud *Lucretium*, *Ovidium*, *Virgilium*. *Anacreontis Oda XXXVI* habet ἁπαλὸν πόμα. *Flavum* dixit Tiberim *Horatius* 11. *Carm. I Od. 2 & 8.* *Lymphas flavas* dixit *Pacuvius* apud *A.* 12. *Gellium*

Gellium II, 26. Mela adhuc vocatur *Mello, Mella*, quæ vox in
MSta recentiora irrepſit. *Melam* flumen novit *Virgilius*
Pag. 15. *Georg. IV v. 278.* In duobus Codicibus MStis *Catulli* deſi-
derari dicitur diſtichon controverſum. Quid inde? *Epiſtola*
ſecunda in eo occupatur, ut, Cenomanis Brixiam ſubfuiſſe,
pelluceat. Ad Adriam habitaſſe Venetos, de reliquo ad Oc-
cidentem incoluiſſe ultra Inſubras, *Polybius* autor eſt *Lib. II.*
20. Falſæ interpretationes hunc locum perverterunt. *Livii* hæc
ſunt clara *V, 9, Dec. I: Alia ſubinde manus Cenomanorum,*
Elitovio duce, veſtigia priorum ſecuta eodem ſaltu, favente
21. *Belloveſo, cum tranſcendiſſet Alpes, ubi nunc Brixia ac*
Verona urbes ſunt, (locos tenuere Libui) conſidunt. Non licet
22. hoc loco Cremonam ſubſtituere Veronæ. Nam Galli Pla-
centiam & Cremonam habuere, teſte *Livii Epitomatore Lib.*
XX. Galli fuerunt Patavii accolæ, teſte *Livio Lib. X.* Veneti
angulum circa ſinum maris circumcoluere, teſte *Livio Lib. V.*
28. Romani trajecto flumine Cluſio venerunt in Cenomanorum
regionem, teſte *Polybio Lib. II.* Cenomanorum terminos
auſtrales Ven. *Lazarinius* tabella geographica expreſſit *pag.*
33. *29*, Mantuam extra eos ponens. Brixiam *caput gentis Ceno-*
manorum appellavit *Livius XXXII, 30.* Alibi Cenomanos
vocavit *Gallos Breſcianos Lib. XXI.* Brixiam Galli condiderunt,
43. teſte *Juſtino Lib. XX. Ptolemæus* de Cenomanis: Κενομανῶν,
οἱ εἰσιν ὑπὸ τὴν Ουενετίαν, πόλεις, Βέργομον, Φόρος Διουγούν-
των, Βριξία, Κρεμώνα, Μάντουα, Τριδέντε, Βέτριον. Verona
hic non poteſt ſubſtitui. Tertia Epiſtola ad illa *Plinii III, 19,*
45. ſpectat: *Rhætorum & Euganeorum Verona.* At codex Spiris
forma publica expreſſus, ac *Landini*, apud Gallos exſcriptus,
ille A. 1469, hic A. 1476, habet hæc: *Fetrini, Tridentini,*
46. *Bervenſes, Rhætica oppida. Rhætorum & Euganeorum. Verona.*
Julienſes Carnorum. Batavica editio punctum non habet
ante *Verona.* Id noſtra nil refert. *Plinius* ſolet conciſe
punctis omnia in ſerie urbium præcidere ac interſecare.
Hactenus *Lazarinius.*

ESSAIS SUR L'HISTOIRE DE BELLES LETTRES &c.

id

id eſt,

PERICULUM HISTORIÆ LITERARUM elegantiorum, ſcientiarum & artium, per JUVENEL DE CARLENCAS.

Tomi II.

Lugduni Gallorum, apud Fratres du Plain, 1744, 12 maj.
Tom. I plag. 19, Tom. II plag. 15½.

Primum occupat locum hiſtoria linguarum & Gramma-
tica. Occurrunt ibi lingua Ebræa, Syriaca & Chaldæa,
Phœnicia, Æthiopica, Græca cum dialectis, Latina, Gallica,
Italica, Hiſpanica, Germanica, Turcica, Sinica. Ebrææ Pag. 5.
linguæ vocales, circiter mille annis poſt, quam viva eſſe
deſiit, Judæorum criticos de ſchola Tyberiadenſi, quos
Maſoretas appellarint, inveniſſe, arbitratur Cl. Autor, eos-
demque fuiſſe homines admodum mediocres. Ita vero fiat, 7.
ut Ebræa lingua difficilior, non niſi pauciſſimis pervia fiat,
tot quippe ſpinis obſita, punctis nimirum vocalibus & accen-
tibus, vel ſpiritibus inutilibus, dum jam non loqui Ebræam
linguam, ſed intelligere, velimus. Pater *Guarinus*, Ordinis 8.
Benedictini, puncta quidem vocalia defendit, ſed, non ob-
ſtantibus ipſius curis, plures Ebrææ linguæ amatores ex-
cutiunt hodie jugum perquam moleſtum, quo in ſacrorum
librorum ſtudiis non niſi retardantur. Enarramus iſthæc
bona fide, id quod eſt confutaſſe apud illos, qui deprimere
nolunt contextum ſacrum atque divinum, ut evehant huma-
num. Tanto autem id magis mirabile videtur, quoniam in 12.
lingua Græca intelligenda judicat eſſe utiliſſimos accentus.
Latina lingua *Scipionis* ac *Lælii* tempore perfecta fuit. In 16.
primis *Terentius*, *Menandrum* ſedulo ſecutus, auſus eſt
primum omnes gratias Græcorum in linguam Latinam re-
cipere. Numerum atque harmoniam augebat *Cicero*. At
Poetæ, ſub *Auguſto* florentes, ſedulo æmulabantur atque ex-
primebant *Pindarum* & *Homerum*. Atque hoc eſt illud
temporis ſpatium, quo Romanam urbanitatem comprehen-
dere debemus, ac florem illum elocutionis atque elegantiæ,

 tam

Digitized by Google

Pag. 17. tam proprium Romæ, quam Athenis, Atticiſmum, cives ac
peregrinos diſtinguentem. Floruit hoc genere *Cicero*, *Titus*
Livius caruit, cui provincialis ideo modus exprobratur.
28. Inter recentiores linguas ſingularis urbanitas Gallicæ tribuitur; Italicæ ac Hiſpanicæ abrogatur. Harum altera in eo
peccat, quod nimis eſt lepida & velut jocoſa, (*d'enjoué*, *de*
badin & de folâtre,) altera in contrario inflata, atque ad
29. pompam & oſtentationem compoſita. Laudat tamen inter
Italos, tanquam puritatem adhuc linguæ ſervantes, *Bocacium*
& *Petrarcham*, quos infirmius imitati fuerint *Bembus* &
Taſſo, rudera vero ultima oſtendere ait *Bentivoglium*, Purpuratum, *Guarinum* & *Marinum*, equitem. Germanicam diſci
linguam ad utilitatem peregrinantium, ob ſcripta limatiora
Britannicam: quod quidem digno partim eſt noſtris dedecori, dum imitari, quam ſcribere, malunt, partim omnino
falſum, dum noſtra lingua æque bonos libros habemus,
30. atque ulla in alia, compoſitos. Ad linguam Turcicam quod
attinet, *Guil. Megiſerus*, Hiſtoriographus Saxonicus, A. 1612
32. primam Grammaticam Turcicam publici juris fecit. Poeſin,
de qua deinceps agitur, cum *Rollino* in *Maniere d'enſeigner les*
33, 34. *belles lettres* ejusdem cum mundo ætatis facit. Primo laudibus
& celebrationi Numinis divini, mox profanorum Numinum,
dedicabatur, unde ad homines veluti deſcendit. Manſit
35. tamen ἐνθουσιασμὸς aliquid, quodque pauci attingunt. Floruit
ita Poeſis apud Græcos a pugna Marathonia usque ad bellum ſociale, Latina ſub *Auguſto*, Italica *Taſſi* tempore, *Corneilliano* ſeculo Gallica. Hiſpani neſcio quid inflatum, falſæque granditatis, habent. Anglorum Poeſis pompa verborum tecta, neque harmonia raro, nullas tamen habet imagines, nec niſi trivialem ſenſum animis inſtillat, aut nudum
verborum luſum. Iſtis generatim monitis, de præcipuis car-
37. minum ſpeciebus ſingulatim agitur. Lyrici, jure ſuo, pri-
47. mum conſtituunt ordinem. Sequuntur heroici carminis
Autores, tam antiqui, quam recentiores, quos inter nonnullos
ad dogmaticum potius carmen referemus, e. g. *Heſiodum*,
51. *Lucretium*, *Ovidium*; ut & excluſam mallemus *Probam Falconiam*,

coniam, centonem quæ verſibus *Virgilianis* ſacrum confecit. Ad Poetas dramaticos dum tranſitur, optime differentia Pag. 56. iſtorum generum in eo conſtituitur, quod epos narret, agat autem drama. Actio prout illuſtris eſt, ſive vulgaris, tragœdiam, vel comœdiam, ſiſtit, utramque jambico genere gaviſam. Hiſpani, Autor inter alia ſcribit, in ſcenam producunt 62. non niſi nobiles amantes, & tales etiam antiquitatis heroas ſiſtere ſolent. Angli ex ipſorum indole res eligunt atrociores, ac ſanguine theatrum conſpurcant, qualibus & argumentis ipſorum lingua accommodatiſſima videtur. Belgarum ſermo pinguior eſt, quam qui nobili poematum generi inſerviat. Multitudo regulas ignorat; ſapientes Latinam præferunt orationem. Conſideratius judicare videtur Cl. Autor, ubi Eclogas, Satyras, Fabulas, Elegias, Epigrammata, perſequitur. Attamen & hic, ait, e. g. ſolam novi 77 ſeq. 83. *Thomæ Mori* adverſus Germanos ſatiram, quæ præter Gallicas, inter recentiores, attentionem mereatur. Sed ad liberam eloquentiam a ligata progredimur, quæ & generatim 96. & ſeorſim, ad ſacram, vel forenſem, quod attinet, ſedulo tractatur. Ut cum Poeſi Poetica conjungebatur; ita etiam 92. Rhetorica cum arte dicendi; utraque vel antiquior Græ- 115. corum, ac Latinorum, vel recentior Gallorum inprimis atque Italorum, ſociatur. Hiſtoria ſuccedit, cum omnibus, 119. unde hauritur, monumentis: ſive ſint aræ, templa, dies feſti, tropæa, nomina, & cognomina; ſive hiſtorica documenta, literis veluti κατ' ἐξοχὴν conſignata. A Phœnicibus & 126. Ægyptiis literarum elegantiorum atque inprimis hiſtoriarum ſtudium acceperunt Græci. Romanos inter *Fabius* 130. *Pictor* primus eſt, qui libero ſermone hiſtoriam, ſingulatim ſui temporis, fuit complexus. De arte hiſtorica, deque in- 134. ſcriptionibus, epigrammatibus, inſignis parum eſt, quod hic reperitur. Ampliores ſibi partes Philoſophia vindicat, 139. cujus conditio tam ante generalem orbis inundationem, quam poſt eam, idque apud Ebræos, Ægyptios, Phœnices, Græcos, Romanos, priores Chriſtianos, Arabes, Mauros, Gallos, atque alios, proponitur. Eundem ordinem habent 154. princi-

principes Philoſophiæ partes, Logica, doctrina morum,
Pag. 173. Metaphyſica, & Phyſica. Cum iſthac proxime conjungitur
175. Hiſtoria naturalis. Inde fit ad rem medicam tranſitus, cujus
Ægyptiis tribuitur inventio; cultura vero deſcribitur
Ebræorum, Græcorum, Romanorum, Arabum, Sinenſium,
185. Perſarum, Gallorum, Italorum, ac Germanorum. Inter illius
194. partes prima eſt corporum ſectio, quam ἀνατομίαν Græci
vocant; altera herbarum notitia, florum, & plantarum, cujus
200. incunabula quæruntur apud Iſraelitas; tertia Chimia inter
195 ſeq. Ægyptios orta. Botanices inprimis renovatio Germanis,
nominatim *Leonardo Fuchſio*, vindicatur, a quo Itali pariter
& Galli herbarum exquirendarum ſtudiis accenſi fuerint.
204. Scientiæ etiam mathematicæ, quæ ſequuntur, per partes eun-
205. do enarrantur. Agitur itaque de Arithmetica, rurſus ab
208. Ægyptiis derivata, de Geometria, iisdem autoribus orta; a
217. quibus & Coſmographia originem repetit, ſive tam Aſtro-
233. nomia, quam Geographia. Mappas geographicas *Seſoſtris*
inveniſſe dicitur, ut imperium novis acceſſionibus auctum
234 ſeq. dimetiretur. Hac occaſione antiqua Geographia diſtinctius
240. a recentiore ſeparatur. Geographiam juvat ars nautica.
247. Succedunt Optica, Catoptrica, Dioptrica, Gnomonica, Mecha-
nica, Hydroſtatica, Muſica, atque Architectura, tam mili-
288. taris, quam civilis. Hinc evehitur Autor ad Jurisprudentiam-
298. tiam, tam civilem, quam ſacram, neque minus ad diſcipli-
305. nam ſanctiorem, de quibus nil adeo ſingulare offendimus.
312. Poſtea recedit ad ſculpturam, cujus a coloſſis prima repetit
326. oſtenta, quibus & in partibus picturæ incunabula quærun-
344. tur. Proxima eſt de arte inſculpendi tractatio, ſive ſint
lapides, ſive numi, ſive ligna, ſive alia ſignanda. Sequun-
353. tur Autores Hiſtoriæ literariæ, & quidem de Grammaticis,
Poëtis, Oratoribus, Rhetoribus, Hiſtoricis, Philoſophis,
Autoribus ſacris, Scholis celebrioribus, Theologis, Jure-
conſultis, Artibus, Hiſtoria literaria generatim, deque
364. Academiarum hiſtoria. Inde exſpatiatur ad agriculturam &
393. hortos Clariſſ. Autor; ac deinceps ad venationem ac piſca-
turam,

Digitized by Google

turam, primis a temporibus ſolennem; nec minus ad Pag. 407.
artem equitandi, tandemque gymnaſticam. 412.

Alter Tomus eadem varietate rerum commendatur. Tom. II.
Damnat hic Autor inprimis Aſtrologiam, Geomantiam, Chiromantiam, quas artium curioſarum nomine profanæ gentes appellarint, damnatas jam *Act. XIX, 21. Uno & viginti Capitibus* illud ſupplementum conſtat. Iſtis tres ſunt Autoris Diſſertationes adjunctæ de origine Academiarum, de *manufacturis*, deque artibus mechanicis, jam ante A. 1738 publici juris factæ, hic autem auctæ & amplificatæ. Ceterum id ſemper tenendum eſt, periculum facere Autorem, neque adeo rem omnem ab eo exhauriri; porro juvenibus elegantioribus, non omnino
eruditis, ſcribere Noſtrum. Altius tamen inprimis repetit Pag. 1.
Gallicæ Poeſios originem, ad Bardos præcipue derivandæ. Eandem deinceps membratim conſiderat, ubi, ut in argumento peculiari, peculiares paſſim obſervationes de-
prehendimus. Sequentem obtinet locum Poema hiſto- 26.
ricum, quod ordine, diverſitate rationis proponendi, 38.
graduque perfectionis, ab heroo ſejungit. Succedit Mythologia, tres in ætates diviſa, & cujus ſimul autores ἐπικρίσει
accuratiore percenſentur. Proximæ ſunt hiſtoriæ itine- 40.
rariæ, de quibus, ad antiquos quod attinet, exceptis *Xenophonte & Strabone*, non adeo multum habemus: ſed
tanto plura ſuppeditant recentiores. Chronologia ſuc- 61.
cedit, quam Critica comitatur, non ſine arte diplo- 68. 76.
matica. Hanc, licet antecedere debere videatur, hiſtoria 84.
genealogica, forte quod non raro ex Diplomatibus haurit,
preſſo pede ſequitur. Atque illam demum hiſtoria in- 101.
ſcriptionum excipit. Allegatur hic inprimis inſcriptio 104.
Phœnicum, de duabus columnis in Mauritania Cæſarienſi petita, deque Phœnicia lingua ſic translata: Nos ſumus
illi, qui rapinæ effugimus Jeſu filii Naue. Eodem referun- 113.
tur Romanorum votiva, quibus inprimis vita damnatorum nomina inſcribebantur, quod illuſtratur exemplo *Camilli*;

 ſimul-

Digitized by Google

Pag. 127. ſimulque inſcriptionum de ſtilo monetur, non illum eſſe
debere nimis fortem, nervoſum, emphaticum. Proxima eſt
134. Iconographia, ſeu cognitio de ſtatuis & buſtis antiquis, de pena-
tibus, de *Moſaicis*, quæ dicuntur, atque aliis figuris. Ab ea
136. diſtinguitur Iconologia, ſive notitia Deos, elementa, vitia,
138. virtutes, atque hujus generis alia, pingendi: unde & em-
143. blematum originem Autor deducit. Conjunguntur cum illis
149. ſymbola & ſententiæ (*deviſes*). Inde fit tranſitus ad artem mi-
litarem. Sequitur Pyrotechnica, tam antiquiorum, quam re-
157. centiorum, nonnullis notatu dignioribus inventis conſpicua.
161. Succedunt ars per compendia & notas ſcribendi; arcana
164. ſcriptura, quæ, neſcimus quare, πολυγραφία dicitur; atque
ars zifras ejuſmodi, ſive arcana cogitationum indicia, dete-
167. gendi; quæ quidem non niſi a recentioribus inculcata fuit.
168. Inde progreditur Autor ad Politicam, cujus doctrina hiſto-
riarum ſemper anima credita fuit. Eum hiſtoriarum finem
ac tramitem elegerunt, apud Græcos *Herodotus* ac *Thucydi-*
169. *des*, *Salluſtius* ac *Titus Livius* apud Romanos, tectius,
170. apertius autem *Xenophon*, *Polybius*, *Tacitus*. Hiſtoricorum
etiam Orationes huc ſpectant. Ita *Memmius* in *Salluſtio* po-
pulum adverſus *Jugurthæ* fautores excitat; *Valerius* in
Dionyſio Halicarnaſſenſi formam reipublicæ convenientiſſi-
mam deſignat; *Agrippa* & *Mæcenas*, apud *Dionem* alter diſ-
171. ſuadet imperium *Auguſto*, ſuadet alter; *Tiberius* apud *Taci-*
tum coram ſenatu de luxu abrogando diſputabat. Inde &
antiqui cum Hiſtoria Philoſophiam conjungebant. Doctores
habuit *Alexander Ariſtotelem*, omnium Philoſophorum cele-
berrimum, ac *Homerum*, Hiſtoricorum Græciæ antiquiſſi-
mum; *Scipio Africanus* ſemper ſecum habuit *Panætium*
Philoſophum, Hiſtoricum *Polybium*; *Lucullus Xenophontem*
191. Philoſophum æque ac Hiſtoricum lectitavit. Sed ad Biblio-
thecas properamus, *Boſſueto* judice ab Ægyptiis primo
curatas. Attamen, cum, jam eſſe antea editam iſta tractatio-
nem, recordemur, neque nobis jam conſtet, quid ſit recens
adjectum, prior dum editio non ad manus eſt, ſicco illam

pede

Digitized by Google

pede non immerito tranſimus. Sequitur res numaria, recen- Pag. 208.
tiora modo tempora conſiderans, ac primarios antiquorum nu-
morum theſauros percenſens. Hanc excipit hiſtoria epheme- 221.
ridum & commentationum, per partes editarum. Laudantur 228.
hic etiam, quod grati agnoſcimus, *Acta* noſtra, nec de horum
hiſtoria prorſus nihil commemoratur. Societates literariæ
ſequuntur, a Græcorum ludis derivatæ, & ab iisdem jam
Academiarum titulum adeptæ. Porro deſcribuntur χειρουρ- 231.
γικαὶ Medicorum ſectiones, antiquis etiam notæ, a recen-
tioribus autem audacius ac felicius adhibitæ. His additur 254.
ars metallica, ferri, auri, aliorum metallorum, præparan-
dorum & cudendorum, ubi ſimul de Chemia, & de Al- 259.
chemia, ſingulari *Capite* nonnihil diſputatur. Sequitur 280.
ars urinatorum, qua felicius, quam illic aurum, margaritæ
quæruntur. Succedunt opificum artes, manufacturæ, quæ 284.
dicuntur, & mechanicæ, quibus de diverſis ædificandi modis 286.
denuo aliquid admiſcetur. Sed de iſtis, ut ceteris, ipſum 306.
Autorem conſuluiſſe juvabit.

DE CONSILIO DE EMENDANDA ECCLESIA, auſpiciis PAULI III, P. R. a quatuor Cardinalibus & quinque aliis Præſulibus conſcripto, ac a PAULO IV damnato, ad Cardin. QUIRINUM Epiſtola JOAN. GEORGII SCHELHORNII. Acceſſit JO. STURMII de eodem Conſilio Epiſtola.

Tiguri, ſumtibus Heideggeri & Sociorum, 1748, 4.

Plag. 9.

Tandem iteratis, ſed amicis illis, & humanis, & ira odioque vacuis, provocationibus Eminentiſſimi *Quirini* locum relinquens Celeberrimus *Schelhornius*, ſilentium, intra pectus ſibi quidem firmiter conſtitutum, rumpit, & ad ſuperiorem Patris Purpurati Epiſtolam, de *Paulo* III per-

Pag. 4. ſcriptam, erudite reſpondet. Satis graves interſerit Noſter cauſas, quare manum de tabula iſta tollere decreverit, inter quas ea primaria videbatur ipſi, ne diſceptationis mutuæ progreſſus tandem animum *Quirini* a ſe abalienaret, cum videret, ipſius ſententiam quam maxime a ſua diſcrepare. Plurimæ tamen Patris Purpurati obteſtationes illuſtre ad bene de ipſo ſperandum ſignum edebant, & Autorem, ne moroſior juſto haberetur, ad ſcribendum compellebant. De vita *Pauli III* inter utrumque docta intercedit conten-
6. tio. In præſentia vero diverſis ex cauſis de conſilio de emendanda eccleſia, *Pauli III* juſſu inito, & literis conſignato, & Emin. Cardinali magnopere laudato, quæſtio ulterior inſtituitur, relictis reliquis, quæ de geſtis *Pauli III* dicenda reſtant, iisque in aliud tempus reſervatis. Duo ſunt potiſſimum, ad novemvirale illud conſilium ſpectantia, hic memoranda. Alterum eſt, ut ſolidiſſimis evincatur rationibus, ipſum illud a *Paulo IV*, qui tamen ejus conſultationis pars ipſemet inſignis fuerat, in Romanum librorum hæreticorum & damnatorum Indicem eſſe relatum, atque ex eo deinceps in reliquos, hunc inſecutos, ad noſtra usque tempora fideliter tranſiiſſe. Alterum, circa hoc conſilium expediendum, in eo poſitum videtur, ut luculenter demonſtretur, nullum fere locum iſti a *Paulo III* fuiſſe datum, adeoque parum, vel nihil plane, ex eo in Pontificem redundare poſſe. Sed, ne epiſtolæ modum hæc ſcriptiuncula excedat, de priore tantum agere nunc conſtituit Autor doctiſſimus, poſterius propediem ex aſſe confecturus. Ne
7. vero dubia & anceps ineatur pugna, recitanda ſibi Noſter ſumit verba Emin. *Quirini*, de præſenti cauſa teſtificantia, ut facile lector de veritate rei erudiri queat. Qua in re præclare ſimul meritus eſt de lectore Germano Autor, cui *Poli* collectionem Epiſtolarum, a Cardinale noſtro laudabili opera ſuſceptam, nondum videre contigit. Ex iis omnibus, fideliter ampleque huc translatis, apparet, Emin. Cardinali eam eſſe mentem, ut ſtatuat, non ipſum Conſilium,

Digitized by Google

ſilium, *Pauli III* juſſu conſcriptum, a *Paulo IV* Indici prohibitorum librorum fuiſſe inditum, ſed *Sturmii* aliorumque de eo libros animadverſionesque peti. Veriſimilitudinis ſpeciem hanc opinionem præ ſe ferre, Emin. *Quirinus* Pag. 12.
argute conjicit, ſuas addens rationes, ab Autore ordine excuſſas, atque pro virili enervatas. Facile poſſe fieri, Epiſcopus Brixienſis ſcripſerat, ut ſub *libro, inſcripto de emendanda eccleſia*, *Sturmii* libellus indicetur, de hoc argumento tunc temporis editus, ſuffragante etiam *Niceronio*, hanc rem omnem ita deſcribente. Sed provocat hic Noſter ad tres Indicis, auſpiciis *Pauli IV* editi, editiones, præſentiſſimos hujus diſceptationis arbitros, in quibus ſingulis legitur: *Liber inſcriptus Conſilium de emendanda eccleſia;* in nulla vero: *Liber inſcriptus de emendanda eccleſia.* Ad *Niceronium* vero quod attinet, ille neutiquam de hoc libro, de quo quæſtio eſt, ſed de *Sturmii* modo libello, in excitato loco ſcribit, ita tamen, ut non plenum editionis *Sturmianæ* titulum ſiſtat; quem genuinum profert Autor, docte ſimul monens, incredibile eſſe, libellum *Sturmii*, nomine non addito, peti poſſe, cum ratio deficientis nominis non appareat, & ſimul tamen errori locus detur ampliſſimus, cui vel unico verbo obviam ire potuiſſent Indicis conſarcinatores. Confirmatur præterea Autoris ſententia ex aliis cautionibus, quas adhibuerunt Indicis fabricatores, ne in re tam gravi verba lectoribus darent, & dubie aliquid pronuntiarent, id quod ex 13.
plurimis exemplis docte conficitur. Nec opinioni Emin. Cardinalis ſilentium *Pauli Sarpii* patrocinari videtur, dum ab unius alteriusque ſcriptoris ſilentio, vel ignoratione, ad negandum ipſum factum concludi nulla ratione poſſit. Non ſequitur etiam: *Sarpius, Launojus*, aliique, neſcierunt, 15.
Conſilium illud inter libros damnatos a *Paulo IV* fuiſſe relatum; ergo hôc factum haud eſt. Quin teſtimoniis conſtat, *Launojum* vidiſſe, illud Conſilium ſui ævi Inquiſitoribus minus probatum eſſe. Nec officere cauſæ ſuæ, Noſter præ- 16.
clare monet, Scriptores Romanæ eccleſiæ placitis addictos

 dolere,

Digitized by Google

dolere, Conſilium illud, quod in collectione Conciliorum, a
Petro Crabbe luci expoſita, comparet, in *Suriana*, aliisque
Pag. 17. poſterioribus, deſiderari. Ex eo enim patet, eos nihil de
cenſura in laudatum Conſilium reſciviſſe, illisque, viris cete-
teroquin ingenii acie non deſtitutis, inde haud ſuboluiſſe,
cauſam omnino graviſſimam hujus omiſſionis ſubeſſe debere,
quam innuit ipſe *Surius*, ſolicite cavens, ne ſummam hujus
Conſilii vel primis labris attingat, licet alias, *Pauli III*
ſtudium emendandæ eccleſiæ mirifice jactare, ſibi datum eſſe
arbitretur. Nec eſt, quod *Poſſevinus* intercedat, perhibens,
non permittere hanc Conſilii noſtri formam, ut in collectio-
nem Conciliorum referri poſſit, cum ea deſtituatur autoritate,
quæ Conciliis ineſſe debet. Multa enim ſunt, quæ de ratione
Conciliorum ab Autore proferuntur, lectu omnino digniſſima,
19. ex quibus juſtus rerum arbiter ſtatuere neceſſario debebit, hoc
Conſilium in collectiones majores inferri omnino potuiſſe,
cum prodromus fuerit Concilii generalis, ſæpius decreti, &
21. propediem habendi. Provocaverat deinde Em. *Quirinus* ad
Pallavicinum, commemorantem, ſe ob oculos habuiſſe plures
Pauli III inſtructiones, quibus cautum fuerit, ne reformatio-
nis, eo Conſilio comprehenſæ, capita *in iſcritto* (de ſcripto)
darentur ullo modo legenda. Ex quibus Epiſcopus infert,
Conſilium illud, tanta cautione Romæ ſervatum, ne manu
etiam exaratum prodiret, nulla ratione Indicis cenſuræ ob-
noxium eſſe potuiſſe. Sed ipſe Emin. Cardinalis ſibi haud ſatis
conſtare videtur, aſſerens, Romanam editionem hujus Conſilii
in urbe Roma Cimmeriis, aut adhuc obſcurioribus, tenebris
contectam latuiſſe, ut perinde ſe haberet, ac ſi nusquam
23. exſtaret. Quam infirmum vero ex his argumentum ducatur
pro cauſa Em. *Quirini*, Autor exinde demonſtrat, quia occulta-
tionis cauſam habuerit plus ſimplicem, eamque non leviſſi-
mam, *Paulus III*, quo minus de ſcripto Conſilium illud daretur
ulli in manus; deinde vero ex editionibus Romanis binis, ab
Em. *Quirino* productis, patet, non adeo diligenter has conſul-
tationes fuiſſe occultatas, cum tam cito Romam, omnem-

que

que Germaniam, peragrarint. Fortaſſe tamen hinc quiſpiam conjiciet, Indici librorum prohibitorum editiones has Romanas inſeri non potuiſſe, vix ſine ſuperiorum permiſſu typis conceſſas. De eo vero quæſtio erit adhuc inſtituenda, in qua decidenda nullo opere confici poteſt, multa Romæ typis excuſa fingi, quin & ſæpenumero libros, ſtemmate Pontificis inſignitos, inſcio Papa, luci datos eſſe publicæ; cujus rei exemplum inſigne Autor profert, quod cum reliquis rebus, huc pertinentibus, ne juſto longiores ſimus, Lectoribus ipſis legendum commendamus. *Vergerii* autoritatem, a Patre purpurato elevatam, Noſter teſtimoniis *Gerhardi*, *Conringii*, *Ittigii*, virorum doctrina atque ingenio præcellentium, ſuffulcit, & immotam reddit cauſam ſuam de Conſilio ſæpius dicto, inter hæreticos libros relato. Hanc etiam juvat ipſe verborum tenor, ſecundum quæ *liber inſcriptus Conſilium de emendanda eccleſia* idem ille debet eſſe, de quo diſceptatur, niſi quidlibet ex quolibet pro arbitrio invita veritate exſculpere liceat. Facit huc etiam nomen *Sturmii* in Indice *Paulino*, reliquisque, inter hæreticos primæ claſſis poſitum. Ex hoc ſequitur, non ſolum ſcripta ejus, tunc temporis edita, ſed in poſterum etiam divulganda, obelo fuiſſe confixa, neque adeo opus fuiſſe, ut ejus epiſtola ſigillatim proſcriberetur, ſicuti nomine *Lutheri*, in hanc claſſem conjecto, nullum ejus ſingulare ſcriptum ſpeciatim damnatum cernitur. Omnes porro ad hanc usque diem editi Indices habent: *Conſilium de emendanda eccleſia*, *Sturmii* mentione plane non addita, quod Autoris cauſæ multum roboris addit, inprimis cum inter omnes conſtet, ſubinde mutationes plurimas ſubiiſſe ejusmodi Indices, id quod exemplis oſtendit Noſter. Ultimo denique loco in cauſam inquiritur, quæ *Paulum IV* ad prohibendum iſtud Conſilium induxerit. Scilicet eadem ratio ſuberat, quæ eum ad tabulas fiduciæ, vel inſtructionem, & credentiales, quas appellitant, literas *Franciſco Cheregato*, Aprutenſi Epiſcopo, ac Nuncio ſuo, ad comitia Noribergenſia A. 1523 abituro, ab *Hadriano VI* Pon-

Marginal page references: Pag. 24 (beside line 1); 27 (beside "mus. Vergerii autoritatem"); 34 (beside "hæreticos libros relato"); 35 (beside "Conſilium de emendanda eccleſia, Sturmii"); 36 ſeq. (beside "Noſter. Ultimo denique loco"); 39 (beside "Scilicet eadem ratio").

Digitized by Google

Pontifice ſuggeſtas, in Indicem damnatorum librorum refe-
Pag. 40. rendas commovit. Æquo enim animo iſte Papa ferre non poterat, cum ſucceſſoribus, veritati conſonam, ſed nimis
41. ingenuam, *Hadriani* confeſſionem de lucida ac corruptiſſima eccleſiæ & curiæ Romanæ facie, quam repetitam dabat Conſilium iſtud Cardinalium & Præſulum delectorum, licet gloriæ *Pauli IV* damnatio hujus Conſilii officere videatur, cum pars ipſe quondam ejus deliberationis fuerit. Sed fortaſſis præter ejus mentem Conſilium illud typis olim excuſum eſt, & in apricum prolatum, quod celandum potius, atque inter curiæ Romanæ arcana habendum
42. dum fuerit. Veri hæc eſſe ſimilia, ex eo patet, quod multa Pontifex iſte præterea fecit minus ipſi honorifica, ac perſonam, quam gerebat, prorſus non decentia, adeo, ut ipſe *Pallavicinus* Pontificatum ejus infauſtum ingloriumque
49. que vocare nullus dubitaverit. Ad calcem fortuna epiſtolæ *Sturmii* enarratur, eaque ipſa, ob raritatem & præſtantiam ſuam, integra exhibetur, ex qua ſimul apparet,
68. quam impenſe rogaverit *Sturmius Contarenum, Federicum Salernitanum*, & *Sadoletum*, ut inſtauretur vetus diſciplina, ut reſtituatur doctrina, ut vetuſti Canones valeant, ut conſuetudo depravata & perverſa cerimoniarum emendetur. In his omnibus ac ſingulis Epiſtolæ hujus, eleganter perſcri-
69. ptæ, argumentum poſitum videtur. Atque hæc ſunt, quæ ex doctiſsima hac Celeberrimi Autoris opella excerpenda & delibanda duximus, licet ingenue fateamur, plura hic occurrere argumenta ucunda & utilia, ad ſcopum primarium quidem non pertinentia, in ſubſidiis tamen collocanda, & cum voluptate legenda iis omnibus, qui, ex fonte *Schelborniano* nihil emanare haud doctum & elimatum poſſe, non ignorant. Nos, qui minime id nobis ſumimus, ut in cauſa, a doctiſſimis duobus viris diſceptata, judicium noſtrum interponamus, in *Schelbornio* id unum prædicamus, quod Adverſarium ſuum, cujus in literas merita egregia nunquam ſatis laudari poſſunt, reverenter, ut decebat, habuerit, & exemplum lectoribus præbuerit, quod in controverſiis aliquando imitari poſſint.

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Julii Anno MDCCXLVIII.

HISTOIRE GENERALE D' ALLEMAGNE, &c. hoc eſt, *HISTORIA GENERALIS GERMANIÆ, conſcripta a P. JOSEPHO BARRIO, Canonico regulari S. Genovevæ, & Cancellario Academiæ Pariſienſis.*

Tomus I & II.

Pariſiis, apud Carolum J. B. Deleſpine & Joannem Thomam Heriſſant, 1748, 4.

Tom. I Alph. 3 plag. 8, Tom. II Alph. 3 plag. 12.

Tanta igitur eſt rerum a majoribus noſtris geſtarum gloria, ut exteri etiam, Germanorum alias famæ infenſiſſimi, & quorum cives cruentiſſima contra patriam noſtram bella moverunt, illis cognoſcendis, deſcribendis, atque prædicandis, operam ſtudiumque impendant. Cum nimirum Reverendus hujus Operis Autor, religioſam ſolitudinem inde a multis jam annis ſectatus, atque a ſtrepitu negotiorum civilium omnino remotus, Deo & Muſis unice viveret; ad hiſtoriam Germaniæ omnem diligentiam convertit, eo curioſius gentis iſtius fata perſcrutatus, quo propius ad eum ſpectabat natio, cui majores ipſius, uti in Præfatione nos docet, natales debent. Non vero majus ornamentum lucubrationibus hiſce con-

Digitized by Google

ciliari poſſe, rectiſſime judicavit, quam ſi illis ſacratiſſimum nomen Potentiſſimi Regis noſtri, *Friderici Auguſti*, Principis clementis, juſti, magnanimi, literarum ſtatoris, quem venerari, quam laudare ſatius eſt, præfigeret. Incomparabiles tanti Regis virtutes, quæ univerſum terrarum orbem in ejus admirationem rapiunt, in epiſtola nuncupatoria eleganti oratione celebrat, deque auſpicatiſſimo matrimonio, inter Sereniſſimum Galliæ Delphinum & *Joſepham* Saxonicam inito, exultat. Gratulatur etiam noſtræ Academiæ felicitatem illam, qua ſub ſapientiſſimo tam excelſi Principis imperio perfruitur. Hunc vero Rev. Autoris benevolum erga nos animum grata mente agnoſcimus, nec ſine voluptate nos legiſſe profitemur laudes illas, quibus, ab obtrectatione Germanorum penitus abhorrens, cives noſtros, qui in eodem eruditionis campo deſudarunt, interque eos Ill. *Maſcovium*, inter præcipuos ævi præſentis Hiſtoricos jure numerandum, extollit. De *Heiſſii* autem opere, quod & ipſum in conſilium adhibuit, & quod hiſtoriam Germaniæ non niſi a temporibus *Caroli Magni* repetit, aliter longe ſentit, illum ſcriptorem in exponendis patriæ noſtræ rebus juſto breviorem fuiſſe, contendens. *Vaſneri*, Jeſuitæ, opus, ob mortem Autoris præmaturam, lucem non vidiſſe, dolet. *Spenerum* laude ſua non privat, eum tamen juſto breviorem eſſe monet. Ex *Struviani* autem operis lectione inſignem ſe fructum, & inprimis ſcriptorum notitiam, hauſiſſe, non diſſimulat, quem etiam imitatus, hiſtoriæ ſuæ telam a ſeptimo poſt Romam conditam Seculo exorſus eſt. Ex Perill. *Bunavii* quoque limpidiſſimis fontibus hauſit, Viri vere magni, & immortalitate digniſſima. Hac ratione omnem Germaniæ hiſtoriam, *undecim Voluminibus* comprehenſam, Rev. Autor pertinaci viginti annorum labore, ex ſcriptoribus coævis & fide dignis enarravit, & res, tam civitates, quam eccleſiam, reſpicientes, expoſuit. Germanorum adeo compellationem antiquiſſimis jam temporibus integræ nationi datam eſſe, obſervat, deque iſtius nominis etymologia varias variorum affert conjecturas.

Mira-

Digitized by Google

Miramur, locum *Taciti* de *M. G. Cap.* 2, qui primo intuitu ipſi contrarius videri poterat, non hic adductum ab eo atque explicatum. *Hieronymi* ævo nomen Germanorum duntaxat parti minimæ hujus gentis inhæſiſſe, univerſam vero nationem *Teutones* dictam eſſe, ſtatuit. Nomen Alemannorum integræ genti Seculo duodecimo demum datum eſſe, contendit. Primam Germanorum originem ob teſtimoniorum penuriam conſtitui poſſe, negat, aliorumque ſcriptorum, qui talia tentarunt, vanitatem explodit. Neutiquam tamen idcirco illis aſſentitur, qui, Germanos A. U. C. 648 non antiquiores eſſe, ſibi perſuaſerunt. Neque Germanos adeo barbaros, feroces, atque incultos, fuiſſe, ut quidam ex recentioribus exiſtimarunt, credit, ſed longe æquius de ipſorum inſtitutis atque moribus fert judicium. Hæc ipſa vero Germanorum inſtituta, *Tacitum* ſecutus, depingit. Limites Germaniæ admodum curioſe inveſtigat, ea in re a ſcriptoribus quibusdam antiquis haud leviter erratum eſſe, dolens. In varias vero tribus Germanicam nationem fuiſſe diviſam, quæ diverſa ratione regebantur, nos docet. Cimbros & Teutones primos fines Romanorum invaſiſſe, concedit, cujus belli hiſtoriam fuſe enarrat. Teutones Cimbris adhuc fortiores fuiſſe, exiſtimat, &, vocabulum *Teuton* fortitudinem & inſignem ſtaturam iſtorum hominum indicare, ac integræ nationi Germanicæ poſtmodum ideo adhæſiſſe, contendit. De bellis, inter Saxones & Danos eo tempore geſtis, diſputat, atque certamen ſingulare inter quendam *Hammonem*, Saxonem, & *Stercatherum*, Danum, conſenſu utriusque populi inſtitutum, deſcribit, ſcriptorum quorundam apud Danos ſomnia, qui, Hamburgum ab illo *Hammone* nomen ſortitum eſſe, dictitarunt, explodens. Saxones inter Viadrum, Salam, Iſelam, & mare Germanicum, habitaſſe, eosque in Oſtphalos, Weſtphalos, & Angrivarios, diviſos eſſe, nos docet. De aliis etiam Germaniæ populis diſputat, eorumque irruptiones in Romanorum provincias, ſeriem Imperatorum ſecutus, exponit. Adventum Scotorum & Pictorum in

Marginal notes: Pag. 5. (beside "eſſe, contendit. Primam Germanorum"); 8. (beside "C. 648 non antiquiores"); 9. ſeq. (beside "depingit. Limites Germaniæ"); 21. (beside "tionem fuiſſe diviſam"); 33. (beside "docet. Cimbros & Teutones"); 38. (beside "tones Cimbris adhuc"); 52. (beside "poſtmodum ideo adhæſiſſe"); 57. (beside "eſſe, dictitarunt, explodens"); 58. (beside "rum ſecutus, exponit").

in hodierna Anglia anno urbis conditæ 645 jamjam accidiſſe, ſibi perſuadet, eaque in re *Buchananum* ſequi ſe, profitetur, quamvis alii, Seculo demum poſt Chriſtum na-
61. tum ſexto hoc factum eſſe, ſtatuant. Locum prælii, cum *Arioviſto* commiſſi, certo definire non audet, quamvis, quinque milliaribus a Rheno locum prælii fuiſſe diſſitum, ipſi
80. perſuaſum ſit. Teucteros atque Uſipetes penitus fuiſſe a ſe deletos, & turmam duntaxat equitum remanſiſſe, in commentariis ſuis tradidit *Cæſar*. Cum vero ſub imperio *Auguſti* gentes iſtæ admodum potentes evaſerint, exinde,
100. *Cæſarem* de rebus a ſe geſtis juſto jactantius ſcripſiſſe, Rev. Autor colligit. *Portum Iccium* pro hodierno *Calais*, ſeu
108. *Boulogne*, habet. *Eburones* hodiernum *Lutticbium* quondam inhabitaſſe, monet, eorumque conſpirationem, & bel-
109. lum, contra *Cæſarem* motum, fuſe ediſſerit. De bello, a Nerviis adverſus *Ciceronem* geſto, diſputat, qua etiam occaſione arma quædam ignita, quibus iſta gens utebatur, de-
115. ſcribit. Cum *Cæſar*, e regione Suevorum redux, aliquam morum Germanicorum notitiam ſibi comparaſſet, eos in commentariis ſuis deſcripſit, quorum excerpta Rev. Autor ſuæ hiſtoriæ inſeruit. Dixerat *Cæſar*, Germanos præter ſolem, lunam, atque ignem, nullos Deos agnoſcere. Cum autem *Tacitus*, hac in re a *Cæſare* diſſentiens, Germanos *Mercurium*, *Martem*, *Herculem*, & *Iſidem*, coluiſſe, contendat; huic quidem Rev. Autor ſubſcribit, &, *Cæſarem* ideo, quia nulla apud Germanos, inprimisque Suevos, templa erant, Deorum cultum ipſis abjudicaſſe, cenſet.
128. Æmulationem *Pompeji* cum *Cæſare*, & inde exortum bellum civile, nec non bella inter *Octavium* & *Antonium* geſta, prælium navale juxta Actium, & *Auguſti* artes, quibus ad obtinendum orbis Romani imperium uſus eſt, veluti
138. per tranſennam tangit. Monumenta, quæ *Druſum* conditorem referunt, juxta ripam Rheni hodie conſpicua, de-
148. ſcribit. Aram Ubiorum in honorem *Druſi* mortui fuiſſe exſtructam, & juxta illam ſacra & ludos in ejus honorem celebratos fuiſſe, nos docet. Tempore nativitatis Chriſti

Jani

Digitized by Google

Jani templum clauſum fuiſſe, ex noſtra ſententia perperam Pag. 150.
& ſine ullo teſtimoniorum apparatu, contendit. Æram nati Servatoris confidenter nimis conſtituit. Annus enim, quo ea nativitas contigit, perpetuo, arbitramur, incerta manebit. Nomen gentis Chaucorum a Theotiſco *Kautz* derivat, quod virum honeſtum denotare ſtatuit. Quanta fuerit ſacerdotum inter Germanos autoritas, oſtendit. Cladem, 151.
quam *Quinctilius Varus* a Germanis perpeſſus eſt, deſcribit, ſimulque, exercitui regendo neutiquam parem fuiſſe *Quinctilium*, contendit. *Germanici* res geſtas, quatenus Germanos re- 156.
ſpiciunt, eleganter & fuſe recenſet, de cujus etiam triumpho, Romæ acto, diſputat. Belli dein civilis, inter *Marobodu um*, 204.
Marcomannorum Principem, & *Arminium*, Cheruſcorum ducem, orti, occaſionem & fata exponit. *Marobodu us*, eo 207.
in bello victus, & regno ſpoliatus, ad Romanos confugit, eique Ravenna, tanquam aſylum, conceſſa eſt, ubi tamen eum a *Tiberio* in cuſtodia fuiſſe detentum, Rev. Au- 212.
tor monſtrat. Res geſtas *Arminii*, ejusque mortem, de- 215.
ſcribit. De bello, cum Friſonibus geſto, & clade, quam Romanis ea gens intulit, diſputat. Cattos primos Germa- 219.
norum fuiſſe, qui militarem diſciplinam ad certum ordinem conformarint, ſtatuit. Britannos a *Claudio* ſub jugum 228.
fuiſſe miſſos, nos docet. Origines Coloniæ Agrippinæ 230.
deſcribit, ab *Agrippina*, *Claudii* uxore & *Germanici* filia, quæ in ea Ubiorum metropoli nata eſt, coloniam veteranorum eo deductam fuiſſe, obſervans. *Germanici* uxorem, quæ etiam Agrippina audiebat, a noſtra diverſam, eam coloniam deduxiſſe, *Harduinus* quidem cenſuit; ejus tamen ſententiam, teſtimonio *Taciti* contrariam, Rev. Autor jure ſuo confutavit. Multa hac occaſione de jure municipiorum & coloniarum, nec non jure Latii, & Italico, affert, ubi tamen miramur, quod jus Italicum cum jure civium Romanorum pro uno habeat, jurisque Italici nomen non prius auditum fuiſſe, quam ex quo civitas Romana cum Italis communicata fuerit, ſibi perſuadeat. Contentiones inter Cattos & Hermunduros propter poſſeſ- 239.

 ſionem

Digitized by Google

ſionem ſalinarum exortas, depingit, Hermunduros dominium earum obtinuiſſe, & contra Cattos vindicaſſe, contendens.
Pag. 244. Quomodo Daciam occupaverit, & in provinciæ formulam redegerit *Trajanus*, exponit, & pontem, quem
280. ſuper Danubium poſuit iſte Imperator, deſcribit. Hiſtoriam legionis fulminatricis enarrat, quam vere accidiſſe, &
292. precibus Chriſtianorum adſcribendam eſſe, contendit. Gothos & Gethas unam fuiſſe gentem obſervat, eam ex hodierna Svevia oriundam eſſe, partem ejus Pomeraniam invaſiſſe, & exinde usque ad paludem Mæotitem penetraſſe, ac Daciam invaſiſſe, a *Caracalla* autem a finibus iſtius
306. provinciæ repulſam eſſe, demonſtrans. Quando *Valerianus* a Perſis captus eſt, Francos meridionales in Italiam penetraſſe, regiones late depopulatos eſſe, & ipſi Romæ terrorem incuſſiſſe, contendit, *Zonaram* ſimul ridens, qui, *Gallienum* cum exercitu decem millium Romanorum tre-
317. centos mille Germanos trucidaſſe, jactitat. De Francis autem hac occaſione data opera Rev. Autor diſputat, quos primum juxta Moguntiam ad ripas Rheni habitaſſe, con-
324. tendit. Daciam ab *Aureliano* Gothis fuiſſe conceſſam, nos
335. docet. Diviſionem imperii Romani in præfecturas & vicariatus, a *Conſtantino M.* peractam, ediſſerit, quamvis, quod pace tanti Autoris dictum ſit, non ſatis accurata ejus hac
364. de re ſit deſcriptio. Unicam nempe duntaxat, Galliarum videlicet, præfecturam deſcribit, cum tamen & de reliquis debuiſſet ob viciniam argumenti diſſerere. Inſuper ad eam ipſam Galliarum præfecturam perperam utique Noricum & ſuperiorem Africæ partem refert, cum tamen eas regiones præfecto prætorio Italiæ, & neutiquam Galliarum, ſubfuiſſe, ex *Notitia dignitatum imperii occidentalis pag. 10* Rev. Autor potuiſſet cognoſcere. Noricum quoque hodie Bavariam dici, præter omnem rationem ſtatuit, cum, hodiernam Bavariam maximam partem olim Vindeliciam fuiſſe dictam, inter omnes conſtet. Præfectum prætorio autem quem dicere debebat, neſcimus, qua de cauſa, *præfectum prætoris Galliarum* nuncupat. Præſides pro-

provinciarum nil præter reditus publicos, & rem judiciariam, adminiſtraſſe, itidem minus accurate tradit, cum, Præſides etiam *imperium*, ſeu, ut noſtro more loquamur, jurisdictionem criminalem, exercuiſſe, inter alios ab Ill. *Bynckershœckio Obſerv. Jur. Rom. Lib. II Cap. 20* oſtenſum ſit. Miramur denique, quod, cum multa de *Conſtantino* dixerit, ad hiſtoriam Germaniæ directo non ſpectantia, de ejus tamen Principis ad Chriſtum converſione, de ſigno crucis, quod ei apparuiſſe dicitur, de Conſtantinopoli ab eo condita, quamplurimisque aliis, eo ſpectantibus, omnino tacuerit, neque judicium de *Zoſimo*, quem omnia *Conſtantini* facta traduxiſſe, & vituperaſſe, conſtat, ſubjunxerit. Quamplurima alia præter hæc apponere poteramus, niſi brevitati ſtudendum eſſet, & niſi jam ex illis, quæ diximus, de Rev. Autoris inſtituto, & libri pretio, ſatis poſſet conſtare. Sufficiat igitur, monuiſſe, *primum* hujus Operis *Tomum* hiſtoriam patriæ noſtræ usque ad annum Chriſti 516, ſerie Imperatorum Romanorum conſtanter ſervata, perſequi. *Alter Tomus*, ex quo itidem brevia quædam excerpta ſpeciminis loco hic dabimus, usque ad Seculum nonum æræ Chriſtianæ hiſtoriam Germaniæ recenſet. Thuringorum, Oſtro-Gothorum, & inprimis Francorum, res geſtas ibi depingit Rev. Autor, bella, ab iis mota, nec non tumultus inteſtinos, deſcribit, ſtatum etiam reipublicæ, & leges inter Francos uſitatas, exponit. De *Juſtiniani* expeditionibus contra Vandalos & Oſtro-Gothos diſputat. Leges Pag. 29. fœderis, quod inter Oſtro-Gothos & Francos occaſione belli a *Juſtiniano* geſti initum eſt, deſcribit, Gothos Francis eas terras ceſſiſſe, quas hactenus in provincia Gallia & Germania tenuerant, obſervans. Victoriam *Beliſarii*, a 33. Gothis reportatam, & captivitatem *Vitigetis*, deſcribit. Ceſſionem vero terrarum, ab Oſtro-Gothis in favorem Fran- 38. corum peractam, *Juſtinianus* confirmavit, a quo tempore Reges Francorum plenum obtinuerunt in Galliam partemque Germaniæ imperium, Imperatores nullos amplius Præfectos prætorio Galliarum conſtituerunt, nummos etiam

iam a Regibus Francicis cuſos per univerſum imperium
Imperator juſſit valere. *Theodebertum*, Francorum Regem,
varia contra paganos evulgaſſe edicta, Rev. Autor ob-
Pag. 40. ſervat. Peſtem, quæ Germaniam A. C. 541 afflixit, de-
ſcribit. Oſtro-Gothi poſt captum *Vitigetem* a *Juſtiniano*
defecerunt, propriosque ſibi Principes elegerunt, cum
quibus diverſo marte a ducibus *Juſtiniani* pugnatum eſt.
Eodem tempore Slavi imperium Romanum invaſerunt,
quos Rev. Autor pro iisdem cum antiquis Quadis, Sileſiæ
51. quondam incolis, habet. De *Antibus*, Slavorum ſociis, pa-
riter, ac *Slavis* ipſis, ex *Procopio* hac occaſione diſputat, eo-
rumque inſtituta, nec non res contra Romanos geſtas, &
Juſtiniani ducum, *Germani* ac *Ruſtici*, fortitudinem, qui
terras imperii Romani ab eorum inſultibus præſtiterunt im-
55. munes, ediſſerit. Bellorum denique contra Oſtro-Gothos
56. & Lombardos geſtorum hiſtoriam perſequitur, ſocietatem
Longobardorum, cum Rege Auſtraſiæ *Theodebaldo* initam,
60. ſimul deſcribens. *Theodebaldo* mortuo, Thuringi & Saxo-
nes, Auſtraſiæ huc usque tributarii, ulterius in fide non
manſuri, bellum contra illud regnum valde cruentum mo-
verunt, & *Chlotarius*, Auſtraſiæ Rex, pacem ab illis petere
coactus eſt. Summam autoritatem Epiſcopos ſub Regibus
Merovingicis obtinuiſſe, omniumque conſiliorum in aula
83. regia fuiſſe participes, Rev. Autor obſervat. Reges Fran-
ciæ, & inprimis Auſtraſiæ, omnes gentes ſibi ſubjectas
ſecundum leges earum peculiares judicaſſe, nos docet.
84. Poſt mortem *Chlotarii*, Avares, Hunnorum portio, Bava-
riam invaſerunt, qua occaſione de Hunnis data opera Rev.
85. Autor diſputat. Longobardorum irruptionem in Italiam
itidem enarrat, iſtiusque gentis originem & fata accurate
exponit, primas ejus ſedes inter Albim & Viadrum fuiſſe,
90. obſervans. Motus inteſtinos regni Francici operoſe de-
ſcribit. Circa finem Seculi ſexti Slavos hodiernam Bohe-
miam cum vicinis provinciis occupaſſe, obſervat, & de
109. bellis, ab *Avaribus*, qui iidem cum hodiernis *Tartaris* eſſe
videntur; & *Slavis* contra Imperatorem *Tiberium* geſtis,
nec

Digitized by Google

nec non de pace, cum illis inita, & imperio Romano valde
contumelioſa, diſputat. Societatem, cum Francis ab Impe- Pag. 113.
ratoribus Romanis initam, & bellum, contra Longobardos
ſub finem Seculi ſexti geſtum, commemorat. Quid contra 128.
Avares & Slavos geſſerit Imperator *Mauritius*, exponit,
cujus itidem Principis triſtiſſimum vitæ finem deſcribit. 150.
De S. *Columbano*, deque monaſterio, quod is in Alſatia 163.
fundavit, nonnulla affert. Qua ratione *Chlotarius II* uni- 165.
verſam Franciam, exſtincto Auſtraſiæ & Burgundiæ regno,
in ſuam poteſtatem redegerit, diſtincte exponit, ejusque
modum juſtitiæ adminiſtrandæ ediſſerit. Eum tamen Prin- 167 ſeq.
cipem minus diligentem in conſervandis juribus ſuis fuiſſe, 175.
& Longobardis potiſſimum tributum debitum remiſiſſe,
concedit. Res geſtas ſequentium Franciæ Regum exponit, 180.
Codicem legum, a *Dagoberto* compilatum, deſcribens. De 192.
Bulgaris etiam, quorum pars, cum in Pannonia ab inſultibus
Avarum minus tuta eſſet, juxta Franciæ fines conſedit, non-
nulla affert, Bulgariam magnam juxta paludem Mæotidem
fuiſſe ſitam, nos docens. Exponendo tamen res ſub ſingu- 207.
lis Franciæ Regibus geſtas, illos quidem Reges voluptatibus
unice fuiſſe deditos, & duntaxat Calendis Martii & Maji in
publicum prodiiſſe, obſervat, majoribus domus omnia im-
perii negotia fuiſſe demandata, ex vero judicans. Digni-
tates porro & munera, in horum Regum aulis introducta,
nec non præcipua miniſtrorum regni officia, deſcribit. De 235.
Friſia etiam ample diſputat, cum graviſſima bella Francos
inter & Friſios geſta fuerint, ejusque regionis incolas &
fines curioſe lectoribus commonſtrat. Saxones, tunc tem- 245.
poris, ex variis tribubus, inter ſe conjunctis, & a concilio
deputatorum gubernatis, conſtitiſſe, ac regno Auſtraſiæ
tributarios fuiſſe, nos docet, & hac occaſione belli, inter
Francos & Saxones geſti, hiſtoriam texit. Ejus autem belli 259.
tempore quamplurimos ad Chriſtianam religionem fuiſſe
perductos, ex *Bonifacii Epiſtolis* obſervat, de cujus adeo
Apoſtoli vita varia notatu digna profert in medium,
cumque, diu Epiſcopalem dignitatem geſſiſſe, antequam

Pag. 261. certo loco præficeretur, narrat. Merita Francorum erga
Romanam ſedem extollit, in Orientis vero Imperato-
rem *Leonem*, ex noſtra ſententia, valde iniquus eſt. Illum
270. certe Principem temerario prorſus auſu excommuni-
cationis fulmine percuſſit Pontifex, cum ſuperſtitioſum,
qui imaginibus exhibebatur, cultum reprobans, recte & lau-
dabiliter egiſſe dicendus ſit. A *Stephano*, Pontifice, *Pipinum*
Francorum Regem declaratum, & inauguratum, a per-
jurii etiam crimine abſolutum fuiſſe, Rev. Autor narrat. *Pi-*
308. *pinus* autem, gratum erga Pontificem animum viſſicim de-
claraturus, eum contra Longobardorum inſultus fortiter
defendit. Exarchatus hoc pacto Longobardis eripiebatur,
&, quamvis optimo jure ad Imperatores Orientis pertineret,
qui etiam, miſſis ad *Pipinum* legatis, & oblatis conditioni-
bus æquiſſimis, illum terræ tractum repetiverunt, *Pipinus*
tamen, ſuperſtitione temporum iſtorum prudenter uſurus,
Pontifici Romano illam regionem donavit, inſtrumento
donationis ad ſepulcrum *Petri* ſolenniter depoſito. Omnia,
quæ ad iſtius donationis hiſtoriam ſpectant, accurate, &
πραγματικῶς, Rev. Autor exponit, cujus hac in re candor
non ſatis laudari poteſt, quando, Pontifices ante eam dona-
tionem nihil omnino juris in iſtas terras habuiſſe, pronun-
tiat. Quando *Caroli M.* res geſtas ediſſerere Autor inſtituit,
ſtatum iſtius temporis plurimorum Europæ regnorum præ-
332. mittit, cum hiſtoria *Caroli* inſignem cum illis affinitatem
habere ipſi videatur. Cum de anno, quo iſte Princeps natus
eſt, valde inter Hiſtoricos diſceptatum fuerit, Rev. Autor,
anno 742 natum fuiſſe *Carolum*, præeunte iſtius Principis
334. epitaphio, conſtituit. Ejus res geſtas, ordine temporum
ſervato, enarrat. Romam introeunti claves & vexillum
347. urbis fuiſſe oblata, concedit. Codicem Canonum in com-
penſationem donationis Exarchatus, a *Carolo* confirmatæ, ipſi
obtuliſſe Pontificem, narrat, levem hanc liberalitatem ſalſe
348. ridens. Coronam ferream deſcribit. Quales leges Longo-
350. bardis dederit *Carolus*, nos docet. Pontifices Romanos a
Carolo M. fuiſſe confirmatos, concedit, ſed hoc duntaxat in-
tuitu

Digitized by Google

tuitu ditionis, non muneris ſacri, factum eſſe, lectoribus perſuadere conatur. Jus autem nominandi Epiſcopos, quod *Carolo* & ſucceſſoribus competiit, in nuda commendatione, & voto negativo, conſtitiſſe, tradit. At enim vero, *Carolum* Pag. 353.
indiſtincte jus Pontificis conſtituendi habuiſſe, vel ex *Can.* *22 D. 63* apud *Gratianum* apparet, cujus loci *αὐθεντίαν* quamvis in dubium vocarint nonnulli, egregie tamen hi confutati ſunt a viris doctis, quos citat *Conringius de Conſtitutione Epiſcoporum Germaniæ* §. *25*. Regum vero Francorum conſenſum in conſtitutione Epiſcoporum abſolute neceſſarium fuiſſe, ne quidem *Baronius Tom. VII Annal. ad A. 559 edit. Antwerp. pag. 498* negare auſus eſt. *Carolum M.* artis ſcribendi ignarum fuiſſe, Rev. Autor negat, locum *Eginhardi*, ad quem vulgo provocant, de characteribus, qui in quibusdam manuſcriptis iſtius ævi occurrunt, elegantioribus illis, & a vulgari ſcriptura diverſis, capiens. *Ludovicum*, Aqui- 400.
taniæ Regem, ſolenni ritu a patre equitem fuiſſe creatum, nos docet, ab eoque tempore dignitatem equeſtrem fuiſſe apud Germanos & Francos introductam, contendit. Varia notatu digna de equeſtri dignitate Rev. Autor hic in medium profert. Sola nimirum nativitate eam acquiri potuiſſe, negat, imo, ante annum viceſimum primum ætatis impletum, & edita fortitudinis ſpecimina, neminem ad hanc dignitatem adſpiraſſe, nos docet. *Militis* inſuper & *Equitis* nomen idem denotaſſe, ſtatuit. De Concilio Fran- 409.
cofurtano, & controverſia, circa imaginum cultum exorta, admodum fuſe, quamvis non omnino accurate, Autor diſputat. *Libros Carolinos Carolo M.* duntaxat nuncupatos fuiſſe, ſtatuit. *Carolum M.* & ſequentes Imperatores dominium 423.
eminens in urbem Romam habuiſſe, & conſtanter exercuiſſe, candide profitetur. Coronationem *Caroli* imperialem, Romæ 431.
peractam, deſcribit. *Nicephorum*, Orientis Imperatorem, *Caroli* dignitatem imperialem, & dominium ejus ſupremum in Italiam, agnoviſſe, obſervat. Neapolin vero, Siciliam, tractum Venetum, & Dalmatiam, imperio ejus non fuiſſe ſubjectas, contendit. De nuptiis *Caroli* cum Imperatrice

Digitized by Google

[illegible] tenentis diſputat. Fines Imperii *Carolini* conſtituit.
[illegible] Originem capitulorum, quæ *Chrodegando*, Epiſcopo Metenſi, debetur, exponit, & *Ludovicum I* huic inſtituto quavis ratione faviſſe, ac regulam Canonicorum generalem, ex decretis Conciliorum deſumtam, per *Amalarium*, Eccleſiæ
527. Metenſis Diaconum, compilari curaſſe, Rev. Autor nos docet. *Ludovicum* jus circa ſacra, dominium in urbem Romam, ac inſpectionem in Pontificem, conſtanter exercuiſſe, quamplurima exempla, inprimis vero Capitulare Romanis præ-
556. ſcriptum, declarant. Suecorum Rex ab Imperatore petiit, ut Epiſcopos & Presbyteros in Sueciam, populi in religione Chriſtiana inſtituendi cauſa, mitteret. Annuit hiſce petitis *Ludovicus*, *Anſcharium* quendam caput ſocietatis horum Presbyterorum conſtituens. Hac autem occaſione *Anſcharium* iſtum primum Hamburgenſem Epiſcopum fuiſſe conſtitutum, ut naſcenti in Suecia eccleſiæ vicinus eſſet, Rev.
561. Autor obſervat. Seditionem, contra *Ludovicum* exortam, ejusque occaſionem, fata, & finem, eleganter & accurate ex-
576. ponit, Pontificis *Gregorii IV* nefandos contra Imperatorem conatus, ac lites, quas hac occaſione cum Epiſcopis Ger-
598. maniæ iſte Pontifex agitavit, ſimul deſcribens. Generatim in Clericos illius temporis vehementer invehitur, nec de eorum horrenda erga *Ludovicum* impietate quidquam diſſimulat, quamvis, *Rabanum*, Abbatem Fuldenſem, ab his ſceleribus immunem manſiſſe, & peculiarem librum in favorem Imperatoris compoſuiſſe, non neget. Perperam vero ſtatuit,
611. illum *Rabani Mauri* librum a *Stephano Baluzio T. I Miſcellaneorum* eſſe evulgatum. Ibi enim exſtat *Rabani* noſtri liber *de Computo*, opus arithmeticum, quod huc plane non pertinet. Liber contra, *de reverentia filiorum erga parentes*, a Rev. Autore citatus, a *Baluzio* ad calcem *Operum Petri de Marca T. I* eſt editus. *Ludovicum* denique ſatis pium, illuſtribusque virtutibus exornatum, fuiſſe, concedit; ejus tamen facilitatem nonnunquam terminos prudentiæ exceſſiſſe, mul-
642. tisque malis occaſionem præbuiſſe, obſervat. Cum nonnulla argumenta, hiſtoriam & antiquitates patriæ noſtræ tangentia, paulo

Digitized by Google

paulo longiorem diſquiſitionem deſiderarent, neque eorum pertractatione filum narrationis ſuæ Rev. Autor interrumpere vellet, illa quidem peculiaribus commentationibus, ad calcem libri rejectis, illuſtravit. Ita in *prima* illarum *Diſſertationum* de ſtatu obſidum atque ſervorum apud veteres Germanos agit. Obſides adeo accurate deſcribit. Juſtitiæ regulis adverſari, ut obſides in caſu pacti violati trucidentur, veſtigiis *Grotii* & *Puſendorffii* inſiſtens, contendit. Obſides, a Rege *Childeberto* Regi Auſtraſiæ A. 533 pignoris loco transmiſſos, libertatis duntaxat, non vitæ, periculum incurriſſe, ſtatuit. Servos Germanorum duplicis fuiſſe generis, obſervat. Alii nimirum domino ipſi ſerviebant, cum contra alii terras quasdam domini duntaxat colerent, certamque pecuniæ ſummam annuatim domino ſolvere tenerentur, &, reſiduum ſi quid eſſet, ipſi retinerent. Cum hac ultima ſervorum claſſe hodiernos *glebæ adſcriptos homines* Rev. Autor comparat. De *manumiſſionibus* itidem *per denarium*, nec non de illis, quæ in Eccleſiis peragi ſolebant, erudite diſputat. Jus patronatus denique, quod manumiſſori in libertum competebat, deſcribit. *Altera Diſſertatio*, de *Lege Burgundionum*, a *Gundebaldo*, qui ſub initium ſexti Seculi huic genti imperitavit, data, ejusque peculiari capite, quod, prout ex *Corpore Juris Germanici antiqui*, recentiſſime a *Petro Georgiſchio* edito, diſcimus, in titulo legis quadrageſimo quinto continetur, agit. Capitis iſtius ipſa verba, in Gallicam tamen linguam converſa, Rev. Autor exhibet, ex quibus intelligimus, de judicio Dei per duellum caput hoc præcepiſſe. Solenne quondam fuit Germanis, lites per certamina componere. Cum autem Burgundiones Romanorum potius inſtituta ſectarentur, cauſasque dubias per jusjurandum dirimerent, iniqua ea res viſa eſt *Gundebaldo*, qui, ne perjuriis anſa præberetur, ad deſiderium alterutrius partis rem duello committendam juſſit. Multas nationes, & ſigillatim Alemannos & Bavaros, eam legem recepiſſe, Rev. Autor nos docet. Apud Francos tamen, *Ludovici Pii* tempore, nondum eam fuiſſe introductam, ex *Agobardo* mon-

Pag. 471. *Irene* [illegible] *ejusmodi* certaminum ſollicite de- [illegible] ac *Werigeldo* diſputat. Leges [illegible] *duelli* extrajudicialia a variis imperii Prin- [illegible] adducit, de quo tamen argumento a Cl. *Cramero* [illegible] in libro *de Juribus & prærogativis nobilitatis avitæ* Cap. V §. 4 multo fuſius, elegantius, & accuratius, diſputatum eſt. De inſequentibus hujus Operis *Voluminibus* propediem dicemus.

COLUTHI RAPTUS HELENÆ. RECENSUIT ad fidem Codicum MStorum, ac varias lectiones & Notas adjecit, JO. DANIEL A LENNEP. Accedunt ejuſdem Animadverſionum Libri tres.

Leovardiæ, ex officina Gu. Coulon, 1747, 8 maj.

Alph. 1 plag. 1.

Veteres Græcos mortalium fuiſſe ſapientiſſimos, & ingenii maxime excitati & ſublimis, nemo eſt, qui neſciat. Sed, ut omnia ſuas vices obeunt, ſucceſſit florentiſſimis artibus mera barbaries, & Græcia, *Homeri* quondam parens, *Coluthos*, aliosque ejus farinæ, contemtu magis & commiſeratione, quam lectu, dignos, jejunos Poetas edidit. Nulli certe alii rei credimus hunc, cujus novam editionem annuntiamus, ſcriptorem inſervire, quam ut nos immanem, quam paſſi ſumus, veterum librorum jacturam æquiore animo ferre aſſuefaciat, ſuſpicantes haud absque re, multos in communi illo naufragio periiſſe, & tenebris, quas merebantur, jacere ſepultos, *Colutheo* ſimiles, pauperis & claudi ingenii abortus. Neque non intelligebat præclarus juvenis, harum chartarum editor, ſui herois pretium. Sed modeſtia, ſuis præter rem diffiſa viribus, officiebat, ne majoribus, quibus certe par fuerat, animum applicaret. Voluerat olim una cum *Colutho Tryphiodori* Excidium Trojæ dare. Sed deinceps, a *Merrikio* præventus, illum ſolum dedit, ad quem ornandum, præter præclara, quæ ſuum ipſi ſuggerebat ingenium, præſidia, alii quoque præclari viri, *Dorvillius*,

Digitized by Google

villius, *Valckenaerius*, & *Reimarus*, ſuas ſymbolas contulerant. Quos inter loco primo dictus ipſi collationem duorum Codicum Pariſienſium, totidemque Florentinorum, obtulit; alter autem unius Leidenſis, ſeu *Voſſiani*; *Reimarus* tandem ſui Codicis, qui olim *Eliæ Putſchii*, deinceps B. *Fabricii*, fuit. Sed parum fecit utcunque ſplendidus ille apparatus ad expurgandum *Coluthum*. Quod ſic ſolet contingere. Omnes enim, ut probabile ſit, Codices recentiſſimi ab uno vitioſo fonte emanarunt. Veteres editiones a Nob. *Rævero*, ditis Bibliothecæ poſſeſſore, habuit. Plurimum Editori profuit, quod ὄικοθεν afferebat, felix ingenium criticum, cujus ope deſperatis ſæpe locis dextram ſcitamque medicinam fecit. Quod allatis aliquot exemplis declarabimus. Utemur autem hac in re ſolita noſtra libertate, &, quandoquidem ex inſtituti noſtri ratione attingere omnia non licet, ea, quæ ſors offeret, delibabimus, laudantes, quæ laudem, notantes, quæ virgulam, mereri videbuntur, & ita ferente caſu *Coluthum* tractantes, quem ceteroqui magni non facimus, ut partes quoque noſtras ad pingendam & incruſtandam ruinoſam hanc pergulam conferamus. Septem fere plagulas implet Carmen Græcum, magno & ſplendido charactere excuſum, cum Latina verſione, notuliſque ſubjectis, in quibus præter varias lectiones tam Codicum, quam editionum, Autoris, & paſſim quoque Cl. *Dorvillii*, conjecturæ proponuntur. Quibus ulteriore demonſtratione & vindiciis opus eſt, ea in finem rejecta, & in tres Animadverſionum Libros, de quibus poſtea, digeſta ſunt, ut diſcipulum *Valckenaerii*, & imitatorem editoris *Ammonii*, ex hac diſtributione agnoſcas. Latinam verſionem prorſus novam concinnavit, elegantem, ſed liberiorem, neque id malo conſilio. Sed videamus ordine ſingula. *Verſu 10* legebatur olim ἵνα πόντον ὁμῶ καὶ γαῖαν ὀρίνῃ ſenſu plano & commodo. Noſter autem, præfatus, mirari ſe, interpretes eo ſermone prorſus non offenſos, qui nullo modo commodum ſenſum fundat, non in notis tantummodo conjecturam ſuam τίνα πόντον ὁμῶ καὶ γαῖαν ὄρινεν, commendavit, ſed etiam in ipſum

textum

ſtrat. Formam dein ejusmodi certaminum ſollicite deſcribit, deque *diffidationibus* ac *Werigeldo* diſputat. Leges denique, contra duella extrajudicialia a variis imperii Principibus latas, adducit, de quo tamen argumento a Cl. *Cramero* noſtro in libro *de Juribus & prærogativis nobilitatis avitæ Cap. V* §. 4 multo fuſius, elegantius, & accuratius, diſputatum eſt. De inſequentibus hujus Operis *Voluminibus* propediem dicemus.

COLUTHI RAPTUS HELENÆ. RECENSUIT ad fidem Codicum MStorum, ac varias lectiones & Notas adjecit, JO. DANIEL A LENNEP. Accedunt ejusdem Animadverſionum Libri tres.

Leovardiæ, ex officina Gu. Coulon, 1747, 8 maj.

Alph. 1 plag. 1.

Veteres Græcos mortalium fuiſſe ſapientiſſimos, & ingenii maxime excitati & ſublimis, nemo eſt, qui neſciat. Sed, ut omnia ſuas vices obeunt, ſucceſſit florentiſſimis artibus mera barbaries, & Græcia, *Homeri* quondam parens, *Coluthos*, aliosque ejus farinæ, contemtu magis & commiſeratione, quam lectu, dignos, jejunos Poetas edidit. Nulli certe alii rei credimus hunc, cujus novam editionem annuntiamus, ſcriptorem inſervire, quam ut nos immanem, quam paſſi ſumus, veterum librorum jacturam æquiore animo ferre aſſuefaciat, ſuſpicantes haud absque re, multos in communi illo naufragio periiſſe, & tenebris, quas merebantur, jacere ſepultos, *Colutheo* ſimiles, pauperis & claudi ingenii abortus. Neque non intelligebat præclarus juvenis, harum chartatum editor, ſui herois pretium. Sed modeſtia, ſuis præter rem diffiſa viribus, officiebat, ne majoribus, quibus certe par fuerat, animum applicaret. Voluerat olim una cum *Colutho Tryphiodori* Excidium Trojæ dare. Sed deinceps, a *Merrikio* præventus, illum ſolum dedit, ad quem ornandum, præter præclara, quæ ſuum ipſi ſuggerebat ingenium, præſidia, alii quoque præclari viri, *Dorvillius*,

Digitized by Google

villius, *Valckenaerius*, & *Reimarus*, ſuas ſymbolas contulerant. Quos inter loco primo dictus ipſi collationem duorum Codicum Pariſienſium, totidemque Florentinorum, obtulit; alter autem unius Leidenſis, ſeu *Voſſiani; Reimarus* tandem ſui Codicis, qui olim *Eliæ Putſchii*, deinceps B. *Fabricii*, fuit. Sed parum fecit utcunque ſplendidus ille apparatus ad expurgandum *Coluthum*. Quod ſic ſolet contingere. Omnes enim, ut probabile ſit, Codices recentiſſimi ab uno vitioſo fonte emanarunt. Veteres editiones a Nob. *Ræver*o, ditis Bibliothecæ poſſeſſore, habuit. Plurimum Editori profuit, quod ὄικοθεν afferebat, felix ingenium criticum, cujus ope deſperatis ſæpe locis dextram ſcitamque medicinam fecit. Quod allatis aliquot exemplis declarabimus. Utemur autem hac in re ſolita noſtra libertate, &, quandoquidem ex inſtituti noſtri ratione attingere omnia non licet, ea, quæ ſors offeret, delibabimus, laudantes, quæ laudem, notantes, quæ virgulam, mereri videbuntur, & ita ferente caſu *Coluthum* tractantes, quem ceteroqui magni non facimus, ut partes quoque noſtras ad pingendam & incruſtandam ruinoſam hanc pergulam conferamus. Septem fere plagulas implet Carmen Græcum, magno & ſplendido charactere excuſum, cum Latina verſione, notuliſque ſubjectis, in quibus præter varias lectiones tam Codicum, quam editionum, Autoris, & paſſim quoque Cl. *Dorvillii*, conjecturæ proponuntur. Quibus ulteriore demonſtratione & vindiciis opus eſt, ea in finem rejecta, & in tres Animadverſionum Libros, de quibus poſtea, digeſta ſunt, ut diſcipulum *Valckenaerii*, & imitatorem editoris *Ammonii*, ex hac diſtributione agnoſcas. Latinam verſionem prorſus novam concinnavit, elegantem, ſed liberiorem, neque id malo conſilio. Sed videamus ordine ſingula. *Verſu* 10 legebatur olim *ἵνα πόντον ὁμῶ καὶ γαῖαν ὀρίνῃ* ſenſu plano & commodo. Noſter autem, præfatus, mirari ſe, interpretes eo ſermone prorſus non offenſos, qui nullo modo commodum ſenſum fundat, non in notis tantummodo conjecturam ſuam *τίνα πόντον ὁμῶ καὶ γαῖαν ὄρινεν*, commendavit, ſed etiam in ipſum textum

Digitized by Google

textum intulit, humani aliquid hac in re procul omni dubio paſſus. Editores, ſi qui erunt, ſecuturi proſcriptam veterem lectionem denuo deduci in patriam curabunt. *V.* *26* pro καὶ ἁρμονίης conjecit καθ᾽ ἁρμονίης. Sed præſtat *Dorvillianum* μεθ᾽ ἁρμονίης. Nobis incidit παναρμονίης, quæ vox eodem formata eſt modulo atque πανσπερμίη. Magnos motus concitarunt *v. 38* & ſequentes. Neque id mirum in libro, in quo vix pedem abſque offenſione promoveas. Narraverat Autor, adveniſſe Deos omnes ad celebrandas *Pelei* cum *Thetide* nuptias; inter alios *Dianam*, *Martem*, *Rixam*, & *Bacchum*. Sed, ut res intelligi poſſit, & æquum aptumque ferri judicium, apponendus eſt locus integer:

- - - Ἔριν δ᾽ ἀγέραστον ἐᾶσαι
Οὐ Χείρων ἀλέγιζε, καὶ οὐκ ἐμπάζετο Πηλεύς.
Χρυσέοις ἑκάτερθε τιναςσόμενος πλοκάμοισι
Βότρυς ἀκερσικόμης ζεφύρῳ συνελίζετο χαίτην.
Ἡ δ᾽ ἅτε &c.

Quæ ſic vertit Noſter:

- - *Eridem vero contemtui habere*
Neque Chiron, neque Peleus, veritus eſt.
Aureis utrinque quatiens caput capillis
Bacchus Zephyro comam diffundendam dedit.
At Eris &c.

Subjungit, eum verſuum ordinem a *Colutho* profectum non fuiſſe; & binos de *Baccho* verſiculos, quandoquidem inceptum de *Rixa* ſermonem rumpant, transponendos eſſe ſive poſt *v. 27*, ſive poſt *v. 33*. Poſterius hoc ſuadet etiam Cel. *Dorville*, & βότρυν metri cauſa pro βότρυς jubet reſcribi. Neutro nobis opus eſſe videtur. Quis enim evincat, recentem Græculum, abſurdum *Homeri* compilatorem, aut calluiſſe metri leges, aut iis alligari voluiſſe? Pluralis certe βότρυς ob præcedens ἑκάτερθε neceſſario requiritur. Qui vero judicio: ſe junctam a Poeta divellunt *Bacchi* & *Rixæ* συζυγίαν, quæ duo Numina fere ſemper ὁμαρτοῦσι καὶ ἀῤῥήκτοις πέδαις συγκεχάλκευνται, ut ait *Æſchylus*, veremur, ne docti illi viri ocellum *Colutho*, quem fere unum habet, ut Siculo *Cyclopi Ulyſſes*,

ſes, eruant. Eſt certe fictio χαρίεσσα *Bacchi* cum *Rixa* nuptias celebratum euntis. Compotationibus rixæ, ut umbra corpori, adhærent. Præterea volebat Noſter ἀπινειουσάμενος, quod nemo facile probabit. Poſt *v.* 47 debuerant aſteriſci collocari. Deeſt enim verſus ſaltem unus, niſi plures; cujus hæc olim, ut probabile eſt, ſententia fuit: *& manu arripiebat* Rixa *pulverem, quo caput conſpergebat, currebatque ut lymphata, neque attrahebat ſinum, vel veſtem,* ut pudicæ, modeſteque ambulantes, fœminæ ſolent, ſed ſinebat pendere, currebatque ἀπείγουσα καὶ μαργῶσα. Unde apparet, neque κόλπον ἔρυξε ſollicitandum fuiſſe. *V.* 68 pro ἐφεδρήσοντα malit Noſter ὑποδρήσαντα. Sed vulgata recte habet, eumque notat, qui alteri a tergo ſtat, vel ſedet, aut ei abeunti καὶ ἀπειπόντι ſuccedit ἔφεδρος. Quemadmodum hic *Mercurius* a *Jovis* tergo tanquam miniſter ſedebat. Patet enim ex ipſo carmine, Deos in hoc convivio non accubuiſſe, ſed ſediſſe antiquo more. Vitium latet in τοῖον, pro quo οἷον ſcribendum, *utpote.* Reddit nempe rationem, quare *Jupiter Mercurium* vocarit. *Verſ.* 85 σήμερον ἀγλαΐαν με διακρίνασι (vel διακρινέουσι) προσώπων ſic reddit: *Hodie venuſtatem meam dijudicabunt.* Atqui debuerat: *Hodie venuſtas mea formæ me debet a ceteris diſtinguere*, διάκριτον ποιεῖν, præferendam efficere. Turbavit *verſus* 95, ubi *Venus* ait: Habeo κέντρον ὅθεν φιλότητος ἐμῆς ἐμὸν οἶστρον ἐλῶσαι πολλάκις ὠδίνουσι καὶ οὐ θνήσκουσι γυναῖκες. Merito nempe illud ἐμῆς ἐμὸν inficetum, ideoque ſuſpectum, viſum fuit. Noſter φιλότητι μεμιγμένον, aut φιλότητος ὀνήσιμον, conjicit. Cel. *Dorville* ἐμῆς νέον volebat. Niſi Poetæ permittendum eſt ſuum ψυχρὸν ἄθυρμα, crederemus, aptiſſimam mutationem eſſe φιλότητος ἐφήσιμον ὀϊστὸν (una ſyllaba οϊ efferendum, ut apud *Euripid. Androm. v.* 1132,) *ſagittam amoris immiſſam*, vel quam immittere poteſt & ſolet. Certe, ὀϊστὸς aptius hic eſſe, quam οἶστρος, perſuadent non tantum id, quod de *arcu* præcedit, ſed & ſequentia, ὠδίνουσι, *dolent*, & θνήσκουσι, *moriuntur*. Quæ verba magis vulneri, a ſagitta inflicto, quam furori, conveniunt. Μήποτ' ὦ δέσποινα, canit chorus

mulierum Corinthiarum apud *Euripidem* in *Medea*, *Venerem* implorans, *v. 633:* μήποτ' ὦ δέσποινα, ἐπ' ἐμοὶ χρυσέων τόξων ἐφείης ἱμέρῳ χρίσασα ἄφυκτον οἰστόν. *Verſ. 107* debuerat ποιμενικὴ ad exemplum Cl. *Hemſterhuſii* dediſſe. Sed hoc parum eſt præ ſequentibus *v. 108* & deinceps, qui multum in hoc opuſculo negotii, ſi qui alii, faceſſiverunt interpretibus. Agedum, tentemus & nos bene de illis mereri. Deſcribit Poeta *Parin*, qualis erat, cum *Mercurius* eum in Ida monte ſubito ἐπιστὰς obruebat:

Ποιμενικὴ δ' ὑπέκειτο βοῶν ἐλάτειρα καλαύροψ.
Τοῖος ἐών, σύριγγος ἐς ἤθεα βαῖος ὁδεύων
Ἀγροτέρην καλάμων λιγυρὴν ἐδίωκεν ἀοιδήν.
Πολλάκι δ' οἰοπόλοισιν ἐνὶ σταθμοῖσιν ἀείδων
Καὶ ταύρων ἀμέλησε, καὶ οὐκ ἐμπάζετο μήλων.
Ἔνθεν ἔχων σύριγγα κατ' ἤθεα καλὰ νομήων
Πανὶ καὶ Ἑρμάωνι φίλην ἀνεβάλλετο μολπήν.

Quæ ſic vertit Noſter:

Paſtorale vero pedum, quo boves agebat, in ejus manu erat.
Sic Paris ad ſuetas ſedes lentus procedens, fiſtula
Arundinibus agreſtem argutamque cantilenam perſequebatur.
Sæpe vero, in paſtoralibus ſtabulis canens,
Tauros neglexit, neque ovium curam geſſit.
Inde fiſtulam gerens ſecundum paſtorum conſuetudinem,
Pani & Mercurio gratam modulabatur cantilenam:

Nihil dicemus de hac verſione, etſi non pauca poſſemus, niſi id ſolum, quod *Paridis* nomen in ſecundum verſum intruſum ſit, quod in Græco non eſt. Ad locum hunc perdifficilem in notis habet hæc, non plura, quæ integra adſcribemus: „Varie interpretati ſunt viri docti. „Cl. *Dorvillii* ſententia unice placet, & veriſſima eſt. *Verſu*, „inquit Vir eruditiſſimus, *108* & *112* ἤθεα, *ſedes*. *Abunde ad* „*Heſychium hanc notionem illuſtravit in h. v. nuperrimus editor.* „Conjeci aliquando, leviter emendandum, τοῖος ἔης σύριγγος. „Sin ſecus cui videatur, non multum nunc obloquor; „ & paulo poſt; „ ἔνθεν ἔχων, an ἔνθα δ' ἔχων? „ Credibile ſit ex anno-

annotatione *Dorvilliana*, priores interpretes maxime in vocula ἤθεα æſtuaſſe. Sed alia erant majoris momenti, quibus animum debuerant intendere. Si locum attente conſideres, apparet, *Parin* cum alio aliquo, quem habitu referebat, magni & clari nominis paſtore comparari, eamque in rem *verſus 108, 109, 110, & 111*, inſumi. Quos itaque, ſi quis velit, parentheſi poſſit includere. *Verſu* autem 112, apparet, ſermonem ad *Parin* redire. *Paris*, ait Poeta, cum pera & pedo ſuo, quorum illa ad femora usque ipſi dependebat, hoc autem ſub iſta hærebat, referebat - - ſed quem? Τοῖος ἐὼν, *talis erat*, ait. Sed quis? Latet procul dubio nomen proprium in voce βαῖος: quod olim forte Βάττος. Id certe quondam vulgare fuiſſe paſtorale nomen, vel ex *Theocriti Idyll.* X, & aliis Autorum locis, patet. Conceſſo & confecto hoc, fluit & alterum ſponte, τοῖος εὐσύριγγος legendum eſſe. Forte quoque ἐς ἄγκεα. Requiritur enim oppoſitum aliquod voci σταθμοῖσι, quacum tamen idem fere notat vox ἤθεα. Sed, ut clarius percipiant noſtram mentem Lectores, & ſuavius legant una ſerie ῥῆσιν non invenuſtam, en illam, ut cenſemus emendandam & interpretandam, exhibemus:

> Τοῖος εὐσύριγγος ἐς ἄγκεα Βάττος ὁδεύων
> Ἀγροτέρην καλάμων λιγυρῶν ἐδίωκεν ἀοιδήν.

Omittimus *verſum 110 & 111*, qui bene habent. Sed *verſu 112* legendum ἔνθεν ἐλῶν σύριγγα. Talis in tali habitu ſcitus ille fiſtulator *Battus*, quando in præruptos (Idæ) montes & convallia ibat, & gregem agens, rudem Muſam ſtridulis calamis extundebat; tam ille Muſices amans, ut ſæpe, deſidens in ſtabulis, domi præ cantus dulcedine tauros pariter atque oves paſtum agere obliviſceretur. Inde *Paris*, ex quo numeraſſet & curaſſet ſuum pecus, fiſtulam arripiens, canebat. Sed nimis diu jam uni loco inhæremus. Quin pergimus? *Verſ.* 115 in iſtis, βοὴν ἀδίδακτος ἔχεσκε, mallemus, pro ultima voce, ἵεισα. Ante *v.* 134 videntur quædam deeſſe. *Verſ.* 138 ἠνορέης ἐπικάρσιον Ἀθήνην vertit *Minervam fortitudinis præſidem*. Recte quidem ad ſenſum. At Græca vox id non notat. Debuerat & hic &

verſu 198 pariter, deleto κ, correxiſſe ἐπίκρον. *Verſ. 139* forte φαμὶ reponendum. *Promitto te regnaturum. Verſ. 157* Editor probabiliter pro δέξεο conjicit. δέξῃς, quod & nobis aliquando in mentem venit. Tota *pagina 50* qui exhibentur verſus Græci, inepti ſunt & nugaciſſimi, adeoque obſcuri, ut pigeat operoſam iis medicinam admovere. Miramur tamen, Noſtrum in *v. 174*, qui præcipue laborat, nihil difficultatis deprehendiſſe. Certiſſimi nempe ſumus, eum ex aſſe Poetæ mentem aſſecutum non fuiſſe. Qui enim poterat, quæ ſenſu carent? Citius aquam e pumice, quam humanos illinc ſenſus, excutias, aut ex Græcis *pagina 52.* Quid enim eſt *ῥίζα σιδήρου ἀνεβλάστησε καρήνων, radix ferri progerminare te fecit e capite. Verſ. 195* legendum eſt τότε. In iſtis *v. 200* ἐπ' εὐρέα νῶτα τιθήνης conjicit Noſter pro ultima voce γαλήνης. Non male Poſſet quoque θαλάσσης. Sed eodem redit. Poſt *v. 204* egregie ſupplet Editor ingenio lacunam Codicum omnium, addens hunc verſum:

Παντοίων ἀνέμων μέγα κῦμα κύλινδε θύελλα,

quem e vetere Poeta hauſerit, an confinxerit ipſe, nobis non conſtat. Elegantias *verſus 222* non recte cepit,

\- - - οὐδὲ γαλήνης

Δηρὸν ἐρεσσομένων ἠκούετο δοῦπος ἐρετμῶν,

neque maris ſonitus, vertens, *impulſis remis diu audiebatur.* Atqui γαλήνη non eſt ſimpliciter mare, ſed tranquillum tantum. Neque δοῦπος ad hanc vocem, ſed ad ἐρετμῶν, pertinet. In γαλήνης eſt ellipſis οὔσης, vel ἐπὶ, aut ὑπὸ, *tempore tranquillitatis.* Senſus eſt, *neque audiebatur, tranquillo mari, e longinquo ſonitus agitatorum remorum. Verſum 269:*

Τοῖα πόθῳ ποθέουσα λιγύθροος ἔννεπε νύμφη,

ſic vertit: *talia arguta nympha, deſiderio incenſa, locuta eſt.* Mirum eſt, putidum illud πόθῳ ποθέουσα potuiſſe acrem noſtrum vitiorum indagatorem fallere. Facile patet, ſi cum *v. 249* comparetur, προθέουσα, *accurrens*, legendum eſſe. *Verſ. 274* ἀπὸ legendum pro ὑπὸ. Ἀπὸ Κρονίδαο γενέθλης. *Verſ. 321* pro λαβοῦσα videtur aut λακοῦσα, aut βαλοῦσα, & *v. 341* τί μ' ἐφθέγξασθε legendum, id eſt, τί μοι. Similis apocopes exem-

exempla magno numero poſſent ex *Euripide* & aliis comportari, ſi operæ pretium foret.

Hæc habuimus in ipſum *Coluthi* Carmen breviter dicenda. Nunc Animadverſiones quoque luſtremus, in quibus non contemnendam linguæ Græcæ peritiam & acre ſanumque judicium in recto a pravis ſecernendo, ſciteque emendandi dexteritatem, luculenter Autor demonſtravit, ita ut magnam de ſe ſpem excitaverit orbi erudito, quam ſi ſtudeat non fallere, bene fecerit. Procedemus autem in his eadem, qua cœpimus, via. *Pag.* 2 tentat *Heſiodi* ex *Theogonia v. 48:* ἀρχόμεναι δ' ὑμνεῦσι θεαὶ λήγουσαι δ' ἀοιδῆς. *Vulneri*, ait, *his verbis* λήγουσαι δ' ἀοιδῆς *inflicto, medicinam efflagitat tum ſenſus, qui nullus extricari fere poteſt tolerabilis, tum correptio diphthongi ante conſonantem.* Hæc poſtrema cauſa ſola Noſtrum novas res moliri juſſit. Nam, quod de impedito ſenſu verborum queritur, id fruſtra eſt. Nobis certe non tantum tolerabilis accidit, ſed & bonus & clarus, præ quo ſordet novum illud, nulliusque apti ſenſus, λήγουσι δ' ἀοιδῆς. Quo non adigat hominum animos infixa ſemel opinio? *Bentlejus* olim pro autoritate ſua legem ſanxerat hanc, omnia ea loca, in quibus correpta ſit ante conſonantem diphthongus, debere, ut vitioſa, emendari. Qui quamvis jam ſæpius refutatus fuerit claris argumentis apertus error, tanta tamen eſt *Bentlejanorum* pervicacia, ut omnia ſusque deque habere, & Autores corrumpere, quam a decreto magiſtri deſciſcere, aut ejus αὐθάδειαν fateri, malint. Idem cenſendum de *Orphei* loco, qui *pag. 3* tentatur. Totum *Caput 3 Libri primi* multa refertum eſt doctrina, meritoque magni fit ab illis, qui *Ariſtophanem* in deliciis habent. Tractat inſignem & difficilem locum Comici ex *Acharn. v. 671:*

Οἱ δὲ Θασίαν ἀνακυκλῶσι λιπαράμπυκα.

Bene poſt *Küſterum* obſervat e veteribus Grammaticis pro quarta voce ἀνακυκῶσι legendum eſſe. Elegans quoque hoc, in Θασίαν ſubintelligi vocem ἅλμην. At, quod ultimam vocem in λιπαρὰν πυκνὰ mutare velit, id ipſi permitti nequit. Nihil enim in ea quidem vitii. Notat enim garum Thaſium in uncta & nitida patina contentum, in patina,

 quæ

quæ ab infuſo pingui garo nitet. *Pag.* 13 tentat *Ariſtophanis* fragmentum, ab *Athenæo* conſervatum *Lib. XI pag.* 478, ἄλλαι ὑποπρεσβύτεραι γρᾶες· Θασίου μέλανος μεστὸν κεραμευομέναις μεγάλαις κοτύλαις ἔγχεον ἐς σφέτερον δέμας οὐδὲν ἄκοσμον. Hæc Noſter poſt *Caſaubonum* emendat, de voce κεράμειον erudite diſſerit, & in hunc metri modum digerit, qua tamen opera, inani procul dubio, ſuperſedere potuerat. Quis enim ſpondeat, *Athenæum* hæc e memoria non citaſſe, ſed ex Codice ſcripto, nihilque verborum omiſiſſe. Sed ita tamen Noſter refingit:

- - - - ἄλλαι
Ὑποπρεσβύτεραι γρᾶες Θασίου μέλανος μεστὸν κεράμειον
Κοτύλαις μεγάλαις χέον ἐς σφετερὸν δέμας οὐδένι κόσμῳ ἔρωτι
Βιαζόμεναι μέλανος οἴνου ἀκράτου. -

Sed nimis hæc abeunt a ductu literarum κεραμευομέναις, & præſtat quoque οὐδένα κόσμον illo *Caſauboni* οὐδένι κόσμῳ. Putemus, in illo corrupto κεραμευομέναις latere κέραμον εὐχόμεναι. Facile potuit terminatio ον in κέραμον excidere, quod alibi haud raro factum obſervatur, ideo, quod illa per ſcripturæ compendium a librariis exprimi conſueverit. Εὐχόμεναι autem credimus reſtituendum, quia bibaculæ mulieres, ab *Ariſtophane* in ſcenam productæ, ſolenni ejus more, antequam potent, Deos Deasque invocant. Ita in *Lyſiſtr. v.* 199 ſic loquitur *Lyſiſtrata.* Male enim in vulgatis alteri hæc tribuuntur:

Φερέτω κύλικά τις ἔνδοθεν καὶ στάμνιον.
Ὦ φίλταται γυναῖκες, κεραμεὼν ὅσος

&, antequam bibat, orat:

Δέσποινα Πειθοῖ, καὶ κύλιξ φιλοτησία.
Τὰ σφάγια δέξαι ταῖς γυναιξὶν εὐμενής.

Sunt & alii, ſi bene meminimus, apud Comicum loci, huic ſimiles. *Pag.* 20 ventilatur Epigramma *Callimachi* quintum, in ſic dictum piſcem nautilum, quod, quia elegans eſt, apponemus:

Κόγχος ἐγὼ Ζεφυρῖτι παλαίτερον. ἀλλά σὺ νῦν με,
Κύπρι, Σεληναίης ἄνθεμα πρῶτον ἔχεις,
Ναυτίλον, ὃς πελάγεσσιν ἐπέπλεον, εἰ μὲν ἀῆται,
Τείνας οἰκείων λαῖφος ἀπὸ προτόνων.
Εἰ δὲ γαληναίη, λιπαρὴ θεός, οὖλος ἐρέσσων

Ποσσὶν

Ποσσὶν, ἵν' ὥσπερ καὶ τοὔνομα συμφέρεται.
Ἐς τ' ἔπεσον παρὰ θῖνας Ἰουλίδας, ὄφρα γένωμαι
Σοὶ τὸ περίσκεπτον παίγνιον, Ἀρσινόη.

„Ita *v.* 1, ait Noſter, lego cum magno illo *Bentlejo. Verſ.* 5
„corruptum procul dubio illud εἰ δὲ γαληναίη, λιπαρὴ θεός.
„Oportuna admodum videtur lectio: εἰ δὲ γαληναίη λιπαρὴ
„θέον (*currebam*) ἔλλος ἐρέσσων πόσσιν ἐν', ὥσπερ καὶ &c. In
„ſequentibus apud *Athenaeum* legitur θῖνας Ἰουλίδας, quod
„quam proxime veram ſcripturam exhibet. Legendum enim
„puto: ἐς τ' ἔπεσον παρὰ θῖν' ἐς ἰουλίδας - ubi ἰουλίδας non de
„antiquo Ceæ oppido, quod *Iulis* dicebatur, intelligo, ſed
„de quodam piſcium genere. Erant enim ἰουλίδες piſces ve-
„nenati admodum, qui, ſcopulis catervatim adhærentes,
„ubi alios piſces, aut urinatores, in aquis conſpicerent, ſum-
„ma vi in eos irruebant, iisque ſæpe vulnus lethale infere-
„bant. Hoc niſi admittas, non video, quo referas verbum
„εἰσπίπτειν." Ingenioſa certe poſtrema hæc conjectu-
ra. Sed, quod de verbo εἰσπίπτειν monet, nihil eſt. Nam
ἐς (in ἐς' ἔπεσον) non ad πίπτειν referendum, ſed ἐς notat
donec. Sed mittamus hoc cum aliis obſcuris, & *verſui* 5 tan-
tum adhuc paululum inhæreamus. Quod credidit Noſter, ibi
imperfectum requiri, θέον, pro ἔθεον, fruſtra eſt. Pendet
enim a communi ἔπλεον, quod præceſſit. Si quid licet in
ancipite & ſpinoſo loco conjectare, forte poſſet λιγυρηχέος
ὕδας ἐρέσσων ποσσὶν ἁλός, ὡς καὶ &c. *Si quidem venti pro-
celloſi ſpirarent, navigabam olim, e domeſticis & nativis meis
antennis pratenſium tollens velum: obtinente vero tranquillita-
te, navigabam, ſuaviter ſonori maris pavimentum* (aut *æquor*)
ſulcans pedibus; quemadmodum & nomen meum, Nautilus,
teſtatur, *donec tandem* &c. Tentent alii, & certiora profe-
rant. Unum adhuc addimus, quod πρῶτον in ſecundo verſu
nobis videatur ſuſpectum. Legamus πρόσκεπτον, quod idem eſt
atque περίσκεπτον in ultimo verſu. Forte quoque Ζεφυραῖο le-
gendum *verſu primo*, pro Ζεφυρῖτι, quod non capimus. Itaque
ſenſus foret Epigrammatis: Olim eram *Zephyro* ſacer, (utpote
nauta,) nunc tibi ſum, o *Venus*, beneficio *Arſinoes*, quæ,
poſt-

Digitized by Google

poſtquam me præclarum habuit παίγνιον in ſua ſupellectile tibi me Nautilum dedicavit, ſpectabile donarium. *Pag.* 40 in *Dionyſ. Noni I*, 96, καὶ γαμίη σάλπιγγι μελίζετο θυμὸν ἐρώτων ἀντίτυπον σύριγγι, reponit θεσμὸν, loco vocis θυμόν. Cui bono? Illud potuerat potius animadvertere, transponendas eſſe voces σάλπιγγι & σύριγγι, & hanc voci γαμίη jungendam. Non enim novimus *tubam nuptialem*, at *tibiam* quidem novimus. Niſi forte nexus loci & Autoris mens adverſetur noſtro conatui, id quod examinare, jam quidem nobis haud vacat. Neceſſaria quoque non eſt tranſpoſitio, quam *pag.* 49 in *Heſiodi Theogonia* tentat, cujus *verſum* 92 *verſui* 86 ſubjungit, ſpecioſe quidem & *Homero* præeunte. Cum vero vulgatus ordo congruum ſatis ſenſum fundat, neque ſatis evictum ſit, *Heſiodum Homeri* exemplo voluiſſe, aut debuiſſe, adſtringi, non putemus, temere quid novandum eſſe. *Pag.* 66. *Arati verſui* 33 dextram adhibet medicinam, pro vulgatis ſcribens: λίκνῳ, ἐν εὐώδει σχεδὸν οὔρεος Ἰδαίοιο ἄντρῳ, ἐγκατέθεντο. *Libri II Animadverſionum Capite* 2 *pag.* 81 affert exempla locorum, a tranſpoſitione, vel luxatione, corruptorum, & inter alia locum *Muſæi* citat *v.* 219:

Ἀλλά, φίλη, πεφύλαξο βαρυπνείοντας ἀήτας,
Μή μιν ἀποσβέσωσι, καὶ αὐτίκα θυμὸν ὀλέσσω,
Λύχνον ἐμοῦ βιότοιο φαεσφόρον ἡγεμονῆα.

Loco vocis θυμὸν, λύχνον malit. Non enim ipſi animus eſt quidquam hic quidem translocare. Nobis non tantum non neceſſarium hoc tentamen, ſed & incongruum, videtur, quandoquidem difficultates voculæ μιν non tollit. Fingamus, conjecturam ejus probam eſſe. Debuerat certe μὴ λύχνον ἀποσβέσωσι, καὶ αὐτίκα αὐτὸν ὀλέσσω, *ne venti lychnum exſtinguant, & ego illum perdam*, non vice verſa, *ne illum exſtinguant, ut ego lychnum perdam*. Quam hoc etiam languidum! Quid? ſi quis Latine ſic ſcriberet: *Cave, amica, ventos violenter ſpirantes, ne illum exſtinguant*, (*quo facto de vita mea foret actum*,) *illum lychnum, mei ſpiritus radiantem ducem;* eumne ſcriptorem jure reprehendas, an iſtam, quam

quam modo exhibuimus, magis probes loquendi infantiam? Si quid tandem neceſſario movendum in hoc loco foret, uti non eſt, quidni potius verſum λύχνον ἐμοῦ &c. verſui μή μιν anteponas? *Pag. 88* locum ex *Æliani Hiſtoria animalium VI, 37*, tentat, ubi legitur: τὰς θηλείας θηρῶσι τὰς ἐκεῖθεν ᾠδῆς μέλει γοερωτάτῳ. Negans, verborum ſenſum ſibi perſpicuum eſſe, refingit ᾠδῇ συμμελεῖ καὶ χορειοτάτῃ. Non recordabatur egregius juvenis, ᾠδὴν & μέλος diverſa eſſe. Sciebat enim procul dubio. Alias non dediſſet ᾠδῇ συμμελεῖ, id eſt, *oda*, quæ eſt cum *melos*. Aut, ſi ignoravit, ignoravit quoque ſignificationem & vim ſuæ conjecturæ. Quod ridiculum foret. Ὠδὴ eſt ſimplex cantus, vel actus canendi. Μέλος autem ſunt, quæ modulando proferuntur, verba, vel etiam modulus artificioſus canendi. Illud Galli *le chant*, hoc autem *un air, air de Muſique*, appellant. Neque infrequens eſt Græca dictio ᾠδῆς μέλος. *Ariſtophanes* certe in *Ranis* ᾠδῆς ἐν πολυκολύμβοις μέλεσι habet. Alterum, ᾠδὴ χορειοτάτη, quod nobis commendare vult, prorſus non intelligimus; &, ſi quid in his literis valemus, ne Græcum quidem pronuntiamus. *Pag. 92* feſtivum tentat *Alciphronis pag. 192* ed. *Bergl.* locum, de quo plura diceremus, niſi ad finem properandum nobis eſſet, qui jam nimii fuimus. Nudam igitur noſtram hoc de loco proponemus opinionem, aliis, qui velint, examinandam. Ἀλλ' οὐ τρέμει, νὴ Δία, *Thryallis* ait, ſcortum, ſibi quaſi ipſa objiciens hæc. Ἀλλ' οὐκ (eſt reſponſio ad iſtam objectionem) ἔφη ὑπομειδιῶσα (nempe *Thryallis*) ὥσπερ ἡ Μυῤῥίνης (*non tremit ſcilicet mea pyge, ut illa Myrrhines*; ſed multo magis). Καὶ τοσοῦτον ἅμα πάλλων &c. *Et ſimul, hæc dicens, tantum excitabat fluctum &c. Pag. 128* in *Orphei Suffim. X, v. 13*, ſollicitat βαθύσπορον ὕδωρ. At immerito. Non enim derivatur a σπορά, ut videtur, ſed idem eſt atque βαθύπορον, *aqua, quæ per profundum ſuum vehit & portat* naves, vel per cujus profundum iri & penetrari poteſt. Eadem hæc forma, per σ abundans inſertum, atque θεοσφόρος, aliæque multæ ſimiles. Efferatur βαθύς-πορον, non βαθύ-σπορον, & difficultas omnis aberit. *Pag. 149* egregie locum *Apollonii Rhodii II, 865*, emen-

Digitized by Google

emendat, pro vulgato *κικτήμυσαν* ſcribens *κατήμυξαν*. *Liber tertius* Animadverſionum ad *Coluthum* inde a *pag.* 127 non pertinet, ſed miſcellaneos variorum Autorum locos tractat. Ejus *Cap.* 4 inſigniter promeritus eſt Autor de *Ariſtophanis* illo *Eccleſ. v.* 615 *ſeq.* de quo ipſe relegendus.

Hæc habebamus de tribus *Lennepii* Libris Animadverſionum in *Coluthum* dicenda; cui præclarum ſpecimen & bonæ frugis plenum gratulamur. Stricturis in eum noſtris ne offendatur, rogamus, quas neque malignitas, neque odium hominis, quem nunquam vidimus, ſed ſolus veritatis amor, & noſtrum hanc quoque rei literariæ partem promovendi ſtudium, dictavit. Eo illæ ipſum potius impellant, ut pergens, quo cœpit, pede, nobis olim felicis ingenii ſui maturos fructus edat.

RAGIONAMENTO DI GIO. BRUNACCI SOPRA IL Titolo di Canonicheſſe nelle Monache di S. Piedro, &c.

hoc eſt,

COMMENTATIO DE APPELLATIONE CANOnicarum in virginibus voſſivis S. Petri, Autore JOANNE BRUNACCI.

Patavii, e typographeo Seminarii, 1745, 8.

Plag. 5.

Diſſertationem epiſtolarem Autor hanc inſcripſit virginibus, Deo conſecratis, quæ Cœnobium S. *Petri* incolunt Patavii. Monaſterium hoc eccleſiæ cathedrali olim tanquam membrum & pars adhæſit. *Orſato* viſum fuit id
Pag. 6. ipſum ex vetuſto Diplomate comprobare. Exhibet illud ipſum *Brunaccius*, Italice converſum. In eo fit mentio *Canonicarum Monacharum*. In aliis Diplomatibus ibi vocantur Monachi omnium Sanctorum 38 ex univerſo *capitulares*. Non eſt noſtrum, cenſum inire monaſteriorum fœmineorum, quæ Patavii ac in tractu circumvicino exſtant. In-
17. veniuntur ibi paſſim *Monachi Canonici*. At *Monachas Canonicas* ibi ſolum S. Petri monaſterii virgines ſacras commemorant

morant documenta, literis memoriæ ibi prodita. Privilegiorum confirmatio, A. 1316, 19 Martii, effectui data, quam Autor in Italicum convertit, hujus rei eſt teſtis. Ab Epiſcopis Pag. 19.
ipſis appellationem *Canonicarum* obtinuerunt virgines illæ votivæ. Exſtiterunt Patavii jam medio ævo monaſteria, Monachos & Monachas ſimul complexa. A. 1265 in mo- 23.
naſterio S. *Maria di Fistomba*, poſtulante Epiſcopo, viri quidam in eo fuerunt occupati, ut monaſterium tale divi- 25.
derent in duo monaſteria, unum Monachorum, alterum Monacharum. Mixtum ejusmodi & promiſcuum monaſterium erat id etiam, quod *omnium Sanctorum* vocatur. Poterant colloqui Monachæ cum Monachis viris viciſſim, 29.
nec tamen ad menſam, ſed in loco publico, qui *parlatorium* appellabatur. Noſtri eum vocant *Sprachhaus*. *Alexander IV* 35.
Anagnii, anno Pontificatus ſexto, 23 Jan. dedit literas ad monaſterium S. *Maria di Fistomba* Benedictinum, Patavii florens, Epiſcopi Patavini precibus adductus, poſtulans, ut Monachi Monachæque ſepararentur, ac in monaſteria diſtribuerentur diſtincta. Monaſterium S. *Petri* A. 1223, 1 Aug. ac ſequentibus habuit & Monachos & Monachas. *Mura-* 37.
torius hos Monachos, qui *converſi* vocati ſunt, convertit in miniſtros famulosque monaſtico veſtitu inſignes, ac extra monaſterium habitantes, *Diſſert. LXVI Tom. V Antiq. Ital.* Oſtendit autem Noſter, *converſos* hoſce excelluiſſe miniſtris ejusmodi, ac fuiſſe Monachos, una cum virginibus ſacris in 46.
monaſterio eodem viventes, idque comprobat ex diverſis chartis, Seculo XIII ſcriptis. *Canonicos Monachos* exſtitiſſe, pateſcit ex Anonymi *Vita Meinwerci Cap. 3 §. 19.* Pateſcit id ipſum ex Diplomatibus bene multis, quorum numeroſam ſeriem laudat, ac carptim indicat Noſter. Sufficiebat, teſte 80.
Symmacho, rediiſſe ad ſtabilitatem famæ publicum teſtimonium. At hic teſtimoniorum nubes præſto eſt, quam ſolicitare eo minus fas eſt, quo denſior illa eſt & illuſtrior. Bullatis enim Pontificum literis omnia ſic dilucent, ut inter Pontificios nemo amplius debeat inficiari, exſtitiſſe & exſtare adhuc Monachas Canonicas & Canonicos Monachos, Mo-

Digitized by Google

nachosque eidem monaſterio cum Monachis virginibus addictos.

PETRI VAN MUSSCHENBROEK INSTITUtiones Logicæ, præcipue comprehendentes artem argumentandi, conſcriptæ in uſum ſtudioſæ juventutis.

Lugduni Batavorum, 1748, 8.

Plag. 13.

Cel. Autor in Prolegomenis ex Pſychologia ea præcipue, quæ ad intelligenda Logices præcepta ſunt neceſſaria, exponit; unde generatim intellectus noſtri operationes, prouti varia ratione in anima noſtra contingunt, aliaque, quæ huc ſpectant, explicantur. Hiſce peractis, ad dilucidanda Logicorum præcepta progreditur, & *Cap. I* doctrinam de ideis tradit. Variæ hic idearum diſtinctiones, intuitu objectorum, de quibus formantur, occurrunt, prouti illa vel extra, vel intra, nos eſſe concipiuntur. Inſerta doctrina de ſignis noſtrarum idearum, uti vocabulis, pergit in tradenda idearum differentia, & ad modum cognitionis noſtræ hic potiſſimum reſpicit, ubi præcipua & utiliſſima de univerſalibus doctrina, quippe quæ omnium noſtrorum ratiociniorum genuinum fundamentum conſtituit, ſimul occurrit. *Cap. II* conſiderantur judicia & propoſitiones, & omnia judiciorum diſcrimina exemplis luculentiſſimis illuſtrantur, ita ut hæc doctrina captui tironum, in quorum gratiam has Inſtitutiones Cel. Autor compoſuit, ſit optime accommodata. *Cap. III, IV, V*, generatim quædam de ratiocinio, de figurarum quatuor comparatione, & de inveniendo & ordinando medio, præmittit, quibus ſuppoſitis, *Cap. VI, VII, VIII*, regulas Syllogiſmorum conjunctivorum, compoſitorum, & imperfectorum, per omnes modos & figuras tradit. Hæc tota argumentandi ars ita expoſita eſt, ut regulas Logicorum circa ratiocinia quævis obſervandas ſemper ſequantur argumenta, quibus de harum regularum veritate conſtat. Hæc ipſa vero doctri-

doctrina, etſi a multis fuſius ſit pertractata, & ſub demonſtrationis rigoroſioris nomine confirmata; a prudentioribus tamen varia vitia, quibus ejusmodi demonſtrationes laborant, ſunt obſervata. Nec eorum methodus videtur eſſe probanda, qui hanc argumentandi artem in ſe planam facilemque, aſſumta præter rem omnem diſtinctionum colluvie, ita explanant, ut res, quæ multo faciliori methodo tironum captui poterat accommodari, multo obſcurior & difficilior evadat. Rem igitur ſtudioſæ juventuti gratiſſimam atque jucundiſſimam fecit, tradendo hanc inſtituendi ratiocinia theoriam. Et, cum quævis regulæ ex genuinis fundamentis ſint deductæ, pluribusque exemplis illuſtratæ, ex hoc opuſculo tirones absque omni temporis diſpendio regulas in ratiociniorum formatione obſervandas optime poterunt addiſcere. *Cap. IX* regulas quasdam compendioſas proponit, quarum in ratiocinando non vulgaris eſt uſus. *Cap. X* varia Sophiſmatum genera explicat, quorum indoles ut eo melius intelligatur, varia Autor, olim excogitata, ſophiſmata recenſet, eaque ſuo examini ſimul ſubmittit. *Cap. XI* methodum diſputandi ſubjungit, eaque, quæ ab utraque parte in diſceptando ſunt obſervanda, proponit.

Verſuche und Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Danzig, erſter Theil.

hoc eſt,

TENTAMINA ET COMMENTARII ACADEMIÆ naturæ exploratricis, quæ Gedani congregatur.

Pars I.

Gedani, ex officina Schreiberiana, 1747, 4 maj.
Alph. 3 pl. 6, Tabb. æn. 8.

Naturæ arcana rimandi ſtudium variis eruditorum Societatibus partim ſub publicis Principum auſpiciis, partim inter privatos parietes, erigendis occaſionem præbuit. Ad poſterioris generis Societates pertinet hoc, quæ a Viris quibusdam doctis, & in republica literaria claris, aliquot ab-

hinc annis Gedani inſtituta eſt. Ea primos laborum ſuorum
fructus præſenti opere publice exponere decrevit. Singu-
gulorum itaque Commentariorum aliquam Lectoribus
noſtris notitiam exhibebimus, effecturi ita, ut nemini
Pag. 1. non inſtituti ipſius poſſit ratio intelligi. Primo quidem
Cl. *Henricus Kühnius, Mathem. Prof. Gedan. novi &*
perfectioris librarum generis deſcriptionem tradit. Initio
principia elementaria de æquilibrio in genere, de vecte,
plano inclinato, &c. exponit. Dein varias conditiones
librarum examinat; quænam ſit relatio inter exceſſum pon-
deris in una lance, ſupra pondus in altera, & inclinationem
vectis, docet; variasque huc ſpectantes quæſtiones ſolvit.
Denique deſcribit novam libram, a ſe inventam, quæ vecte
gaudet orichalceo, formam parallelepipedi præ ſe ferente,
& indice, inclinationem vectis, ope ſemicirculi in gradus
diviſi, monſtrante. Quænam in conſtructione ejus obſervan-
da ſint, ut pondera tam æqualia, quam inæqualia, ejus ope
multo majori cum rigore, quam per libras communes, exa-
minari, nec non in partes exiguas dividi, poſſint, copioſe
declarat; varia etiam experimenta, cum ejusmodi libra, actu
conſtructa, inſtituta, deſcribit; unde patet, eam, ſi exacte &
omni adhibita cura conſtruatur, facile præripere palmam
libris huc usque uſitatis, & in Phyſica experimentali maximo
76. cum uſu adhiberi poſſe. 2) Cl. *Jac. Th. Kleinius, Secretar.*
Gedan. & Soc. Lond. Socius, in experimentum Thümmigii, de
floribus, per aliquot annos conſervandis, inquirit. Expoſuit
nimirum *Thümmigius* in *Tentaminum explicandi notabilia*
naturæ phænomena, vulgato ſermone conſcriptorum, *Parte*
III ex *Bœclero* artificium, flores per aliquot annorum ſpatium
incolumes conſervandi; quod fieri poſſe contendit, in arena
ſicca eos defodiendo, & cauſas quoque ejus rei explicare
conatur. Sed, non ſolum rationes ejus non omni evidentia
& certitudine gaudere, ſed & ipſum experimentum fallere,
90. oſtendit Autor. 3) *Mich. Chriſt. Hanovius, Phil. Prof. Gedan.*
Comparationem menſurarum & ponderum Gedanenſium cum
iis, quæ ab Academiis Pariſienſi & Londinenſi uſurpantur, in-
ſtituit.

Digitized by Google

ſtituit. Multa hic collegit, ipſeque expertus eſt, Cl. Autor, quæ uno conſpectu cognoſcere, tam in Phyſica experimentali, quam in vita communi, admodum expediet. 4) *Piſcium cauſam* egit, eosque *nec mutos*, *nec ſurdos*, *eſſe*, oſtendit *Kleinius*. Occaſionem ei dedit *Epiſtola*, *Bibliotheca Gallica Tom. XXXVII P. II pag. 273* inſerta; qua Anonymus, piſces omnes ſurdos eſſe, muti cum ſint, ſtatuere conatus eſt. Contrarium multis obſervationibus & ratiociniis evincit Noſter. Pag. 106.
5) *Novam machinam aquas libellandi*, *inter duo loca a ſe valde diſſita*, *& flumini adjacentia*, invenit *Kühnius*. Primo varias obſervationes, ad artem libellandi in genere ſpectantes, affert; quo inprimis pertinet, quod de errore, in methodum libellandi ordinariam irrepente, ſi prope ripam fluminis inſtituatur, notat, refractione nempe, vaporibus aquoſis, ex flumine adſcendentibus, oriunda, quæ in diſtantia paulo majori obſervationem reddat admodum lubricam. Eſſentialia inſtrumenti novi eo redeunt: Duæ naves in utroque loco fluminis diſponuntur. Utrique annectitur tubus vitreus. Horum orificia inferiora connectuntur tubo coriaceo, ab una nave usque ad alteram pertingente, & undique contra aquæ tranſitum probe clauſo. Si jam tubo vitreo inferiori infundatur aqua, donec per tubum coriaceum ad tubum vitreum ſuperiorem perveniat, & in æquilibrio conſiſtat; noteturque altitudo aquæ in utroque tubo ſupra fluminis ſuperficiem, earum differentia dabit depreſſionem aquæ in data longitudine. Silentio nobis prætereunda ſunt, quæ, ad exactam inſtrumenti conſtructionem, & uſum, pertinentia, pluribus exponit Autor. Ceterum nemo ibit inficias, hunc libellandi proceſſum, ſi cum debito apparatu (quem exigit ſatis magnum) inſtituatur, rigore ſuo ſeſe præ omnibus aliis commendare. 143.
6) *Hiſtoriam electricitatis* tradere ſuſcepit *Dan. Gralath*. Primum ejus ſpecimen præſenti parte exhibet, eoque, quid hac in re actum ſit ab antiquioribus, a *Gilberto*, *Ottone de Guericke*, *Academia Florentina*, *Boyleo*, *Hauksbejo*, *Grajo*, *du Fay*, *Schillingio*, *Whelero*, *Deſagulierio*, *Hauſenio*, *Boſio*, *Krügero*, *Ludolfo*, *Kratzenſteinio*, 175.

ſteinio, *Quellmalzio*, *Teskenio*, *Wincklero*, uſque ad A. 1747 declarat. Horum inventa, obſervationes, ratiocinia, perſpicuo bonoque ordine exponit; adeo ut, laborem hunc, ejusque continuationem, hiſtoriæ inventorum amatoribus
Pag. 304 pergratum fore, confidamus. 7) *Hanovius vim flandi* ad menſuram reducere conatus eſt. Primo de condenſatione aeris per preſſionem datæ magnitudinis varia notat, & experimenta affert. Dein modum oſtendit, vim flandi, qua aliquis pollet, actu menſurandi; vel per ſpatium, in quod aer, tubo vitreo extremitate clauſo contentus, ope guttæ mercurialis flando poteſt redigi; vel per pondus, quod veſicæ datæ appenſum, aut ſuperimpoſitum, poteſt flando ad certam altitudinem elevari; vel per pondus, quod, lanci libræ impoſitum, flatus, in alteram lancem factus, attollere valet; vel denique per altitudinem, ad quam aqua, ex tubo incurvato flando proſiliens, adſcendere obſervatur. De hiſce
334 omnibus varia experimenta inſtituit. Sequuntur 8) *Kühnii de aeris ſubtilitate & viſibilitate* cogitata. Obſervat nempe, inſignem aeris ſubtilitatem vulgo ex hoc quoque inter alia fundamento affirmari, quod ejus particulæ omnem viſum effugiant. Hoc ratiocinium omni evidentia & rigore præditum eſſe, negat. Etſi enim verum ſit, corpus, particulis ſubtilibus conſtans, viſui ſubjici non poſſe; non tamen pariter vice verſa valere, corpus, cujus particulæ non ſint viſibiles, etſi ſatis contiguæ, magna ſubtilitate gaudere. Alias enim, præter ſubtilitatem, hujus rei poſſe eſſe cauſas. Primo enim, ut corpus videri queat, requiri, ut in juſta ab oculo ſit diſtantia, quo ejus imago debita in retina formari queat; aerem vero non ſolum oculum ubique extrorſum cingere, ſed & in ipſis oculi humoribus, ipſaque retina, ubique reperiri. Dein objectum videri non poſſe, niſi, lumen, quo gaudet, excedat ad ſenſum illud, quo jam ipſe oculus illuminatur, (qua de cauſa e. g. ſtellæ interdiu videri nequeant, &c.) contra aerem eundem habere luminis gradum cum ipſo oculo. Denique corpus nullum videri, niſi radiis lucis ab eo reflexis, adeoque corpus eo magis

oculum

oculum effugere, quo magis eſt pellucidum; quæ nova ſit ratio, cur aer non poſſit conſpici, niſi valde remotus radiis ab eo reflexis oculum feriat, quemadmodum contingat in corpuſculis. 9) *De plantis marinis* diſquirit *Kleinius.* Pag. 346.
Primo de nova ſententia, quam Cel. *de Juſſieu* propoſuit, Lithophyta non in vegetabilium cenſum referenda, ſed pro domiciliis vermium marinorum potius habenda eſſe, quid ipſe ſentiat, exponit, & variis rationibus, eam nondum omni certitudine gaudere, oſtendere conatur. Dein de diſtributione commoda plantarum marinarum agit, & plurium terminorum, qui in hac parte Hiſtoriæ naturalis uſurpari ſolent, ſignificatum explicare ſtudet. Ipſam ſciagraphiam ſpeciminis loco hic addemus:

Plantarum marinarum

- *Ordo I, Lithophyta.*
  - *1. Lithothamni Carcuſculæ*
    - *A. Subſtantia ſolida: Corallium ſolidum.*
    - *B. - - - fiſtuloſa: - - fiſtuloſum.*
    - *C. - - - poroſa: - - poroſum.*
    - *D. - - - caule ramiſque inſectis: - - articulatum.*
  - *2. Plantæ acaules; ſeſſiles.*
    - *A. Cannuloſæ, celluloſæ: Lithophytum cannuloſum.*
    - *B. Poroſæ, ſtricte: Pori.*
    - *C. Lichen corallinus.*
    - *D. Agaricus corallinus.*
    - *E. Tubera corallina.*
  - *3. Fungi corallini (petiolis a tuberibus diverſi).*
- *Ordo II, Keratophyta.*
  - *1. Ramis ramoſis, arbuſcularum more.*
  - *2. - - cirrhoſis, in extremitate capillaceis.*
  - *3. - - undique conjugatis, reti- vel flatelliformia*
  - *4. Simplicia (non ramoſa), Acarbaricum.*
- *Ordo III, Amalophyta.*
  - *1. Fuci.*
  - *2. Algæ.*
  - *3. Muſci.*
- *Ordo IV, Spongophyta.*
  - *1. Spongia mollis, bibula; antiquis fœmina.*
  - *2. - - ſpiſſa; antiquis mas; vulgo Alcyonium.*
  - *3. Pumex; Tophus marinus; Adarce & Anomalophyta.*

10) *Hanovius de bilancibus frumentariis* commentatur. Non Pag. 357.

de

Digitized by Google

de conſtructione ſolum & uſu earum agit, ſed & varia, ad
perfectionem earum peridonea, affert, plurimaque experi-
menta, circa varia frumentorum genera a ſe cum cura in-
ſtituta, exponit; quæ omnia œconomiæ cultoribus pergrata,
Pag. 387. & ad uſum vitæ utilia, judicamus. 11) *Maculas ſolares, ea-*
rumque a ſole diſtantiam, examini ſubjicit *Kühnius*. Hiſtoriam
inventionis macularum, præcipua, quæ de earum natura &
ortu concludi poſſunt, eas obſervandi methodum, principio
explicat. Dein modum, diſtantiam earum a ſole determi-
nandi, ex obſervato tempore moræ tam ante diſcum ſolis,
quam poſt eum, exponit. Invenit vero, poſita ſecundum
de la Hire diametro ſolis apparente = 32′, 10″, cum *Caſſino*
diſtantia ſolis a terra = 22000 ſemid. terræ, mora maculæ
ante diſcum = 12^d, poſt eum = 15^d: diſtantiam ejusdem a
ſuperficie ſolis = 1, 503 ſemid. terræ, ſeu = 1292½ milliar.
407. Germ. proxime. 12) *Quæſtionem, quænam ſint aves errati-*
cæ, quæ gregatim diſcedentes, item *quo loco plurimæ aves*
tempore hyberno vitam tranſigant, dilucidavit *Kleinius*. Utri-
usque dictorum generum catalogum prolixum tradit. Dein
de hirundinum ſpeciatim & ciconiarum domiciliis hibernis
diſquirit. Hirundines ſub aqua, in cavernis, &c. commo-
rari, ac ſæpe retibus inde extrahi, ſopore penitus oppreſſas,
non eruditorum ſolum judicio, ſed & multis teſtimoniis
piſcatorum aliorumque quaſi judicialibus, hic inſertis, con-
firmat. Inprimis refutat *Zornium*, in *Petinotheologia*, easdem
in exteras regiones avolare, ſtatuentem. Pariter ciconias non
in terra remotas diſcedere, ſed etiam ſub aquis tempore
autumnali & hyberno latitare, (quæ communis eſt Autorum
506. opinio,) veri admodum eſſe ſimile oſtendit. 13) *Experi-*
mentorum quorundam electricorum, a ſe inſtitutorum, notitiam
præbet *Gralath*. Primo de ſcintillis electricis, & corporibus
per eas accenſis, varia profert. Dein, quid cum machina
Kleiſtiana, qua vis electrica admodum augetur, expertus ſit,
enarrat. Porro, qua ratione animalia minora, ut aves, ele-
ctricitate enecaverit, docet. Denique cogitata affert de vi
electrica ad menſuram reducenda. Quantitatem attractionis,
quam

quam exercet globus electricus in varia diſtantia, ope bilancis accuratæ menſuravit. Sed ad efficaciam ſcintillarum electricarum, alioſque effectus, ad certam legem exigendos, & inter ſe comparandos, nos adhuc cognitione ſatis diſtincta deſtitui, fatetur. 14) *Hanovius experimenta quædam nova, circa phialas vitreas, ictu ſilicis diſſilientes, a ſe facta*, exhibet. Pag. 534. Impetum, quem abſque fractione ſuſtinere poſſunt, variis modis tentavit; fundum malleo ponderibuſque cadentibus percudit, magnis ponderibus oneravit, limæ ſubjecit, corporibus variis non acutis parietes internas percudit, aliiſque multis modis affecit. Contra corpuſculis minimis, modo ſint peracuta, e. g. fruſtulo ſilicis pondere $\frac{1}{4}$ grani tantum æquante, ſed quatuor cuſpidibus armato, permultas phialas 546. diffregit. Variæ in diſſiliendo occurrunt circumſtantiæ. Phiala, calamo ſcriptorio intus agitato percuſſa, & iterum in quietem poſita, demum poſt tres quadrantes horæ cum fragore diſſiluit. Aqua infuſa effectum conſuetum non impediit. Explicationem horum phænomenorum, experimentis innitentem, alio tempore ſe traditurum, promittit Cl. Autor. Agmen claudunt 15) *Kühnii de cauda Cometarum origine* cogitata. Præmiſit varia de natura & motu Cometarum, & inprimis egregias Cel. *Heinſii* de Cometa anni 1747 obſervationes, & Cel. *Euleri* calculos pluribus explicavit. Sententia Cl. Autoris de cauda Cometarum eo breviter redit: Globum vitreum, aqua repletum, & introrſum alium globum opacum habentem, ſolique per foramen cameræ obſcuræ oppoſitum, caudam formare, cometicæ ſimilem, obſervavit. Non ergo dubitat hujus originem a luce in atmoſphæra cometæ refracta, & ab æthere ad nos reflexa, derivare. Hanc explicationem omnibus phænomenis ſatisfacere, nec difficultatibus opinionis communis, de origine caudæ ex vaporibus, premi, putat. Exiſtentiam quoque ætheris, hac in re neceſſariam, variis argumentis defendit. Objectionem hic inprimis formari poſſe, nemo non videt, quod nempe hac ratione ſequatur, omnes planetas quoque caudatos debere conſpici. Concedit Autor, eos caudis præditos, ſed, ob varia

impedimenta has conſpici poſſe, negat. Terram vero cauda ornatam, quæ interdum etiam videri queat, affirmat. Imo, lumen zodiacale nil aliud eſſe, quam ipſam hanc caudam, aſſerere non dubitat. In fine animum addere conatur hominibus a cometa perterritis; erraſſe *Newtonum*, cometæ tantum caloris gradum tribuentem, nec augeri calorem, cometa ad ſolem accedente, quin potius minui, docet. Has Cl. Autoris ſententias eruditorum judicio merito relinquimus. Ceterum non poſſumus non maximopere laudare Clariſſimorum Sociorum inſtitutum, hujusque laboris continuationem tam ad ſcientiarum augmentum, quam ad vitæ communis uſum, multum collaturam, confidimus.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, ad incrementum Scientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per partes publicata.

Voluminis V Pars III.

Lipſiæ, in officina hæredum Lanckiſianorum, 1747, 8.
Plag. 12.

Scenam hic aperit *Petri Zornii*, diligentiſſimi quondam ſcriptoris, *Hiſtoria concertationis in eccleſia Conſtantinopolitana de quæſtione: An Chriſtus mediator ſibi ipſe ſatisfecerit.* In libro de Fide ad *Petrum* Diaconum, qui *Fulgentio* potius, quam *Auguſtino*, judice *Pinio*, tribuendus videtur, *Cap.* 2 legitur relatum, nos *per Chriſtum ſacerdotem ipſi* qua Deo *eſſe reconciliatos.* Concinit *Paulus* 2 *Cor. V*, 19, *Rom. V*, 10. Vindicat doctrinam adverſus *Valentinum Smalcium* B. *Wolfgangus*
Pag. 379. *Franzius. Neſtorius* videtur Noſtro, hæc præfato, agnoviſſe in
382. Chriſto duas quidem naturas, at unam perſonam. Provocat Noſter eapropter ad Acta Concilii Epheſini. Synodo Conſtantinopolitana A. 1166, 26 Jan. imperante *Manuele Comneno*, ac præſidente *Luca* Patriarcha, decretum fuit, Chriſtum me-
384. diatorem ſibi haud ſatisfeciſſe. Secus ſentientes agro Conſtantinopolitano ejecti. Synodus providere voluit, ne duæ in

Chriſto

Digitized by Google

Chriſto perſonæ admitterentur., Succedit huic Commentatiunculæ *Gottlobii Friderici Gudii Diſſ. critica pro Hilleriana ſententia de origine & ſenſu τῦ Ktiv & Kri.* Autores nota- Pag 385.
rum margini V. T. adſcriptarum voluerunt analogiæ Grammatices Hebraicæ conſultum. *Hillerus* varietatem illam repetiit a diverſis voluminibus ab *Eſdra* manu exaratis, qui, ducente Spiritu ſancto, non una ratione mentem ſcriptoris primi expreſſerit. Collaudarunt hanc ſententiam *Wagenſei-* 390.
lius, J. H. Heideggerus, Henr. Bened. Starckius. Obtrectarunt ei *Meyerlinus* & *Joannes Clericus.* Deſiderarunt nonnihil in invento *Hilleriano Jo. Gottlob Carpzovius, Petrus Chriſtianus Kæmpfferus,* alii. Luculentis ſane teſtimoniis 393.
haud traditur, *Eſdram* ei operæ ſe impendiſſe. Autor tamen eſt *Joſephus,* Judæos curaſſe, ut, ſi propter ingruentia bella ſcripturæ veteres diſſiparentur, pace reddita, eæ a ſuperſtitibus ſacerdotibus recognoſcerentur & inſtaurarentur. *Eſdram* Judæi putant libros reſtituiſſe ſacros, vel reparaſſe. Adſtipulatur eis *Clemens Alexandrinus.* Videtur *Eſdras* Codicem unum cum altero contuliſſe. *Carpzovii* inprimis objectiones Noſtro ſic videntur comparatæ, ut, eis diſſolvendis operari, ipſe induſtria ſua dignum exiſtimaverit. Excipit hunc 408.
Gudii laborem *Continuatio ſecunda Supplementi in Hadriani Relandi Librum III de Urbibus & Vicis Paleſtinæ,* Autore *Jo. Chriſtoph. Harenbergio* exhibita, complectens literas *I, K, L, M, N.* Locus *Joan, Janoeeh,* & *Jabneel,* hoc judice, eſt idem. *Godſchi* eſt *Gſchur. Jaar Pſ. CXXXII, 6,* eſt Kiriath-Jearim. *Jabata* eſt Theba, ſeu Tebetz, Samariam inter & Scythopolin. Jabeſch a Bacatha differt. *Jano* alia eſt Samaritica, alia 410.
Naphthalitica. *Jaris,* ſeu potius *Laris,* eſt Rhinocolura. *Javan* eſt Græciæ Megara. *Jenyſus Herodoti* videtur eſſe Minois ad Gazam. De urbe *Jeruſalem* & *arce Antonia* copioſius diſſeritur. *Jardan* vicus legitur apud *Joſephum* & 419.
Pſeudo-*Hegeſippum* loco *Nardan. Ir haberes* eſt Cercaſorum in nomo Ægypti Memphitico. Kadmonitæ ad fluvium 421.
Kdumim, ſeu Kiſchon, locantur, *Kedareni* prope Saracenos. *Dan* ſeptentrionalis haud differt a Letane, Laiſch, Leſchem, Laſcharon. *Laura nova* in Chuzeba fuit monaſterium prope 425.

Digitized by Google

Hierichunta. *Lebba*, urbs ficta, eſt reſtituenda in urbem Jebba. *Mabſara*, Maſaris, Moſeroth, Bozra, Somorrha, Petræ fuit confinis. *Machpela* locus fuit ad radices montis Ebal. *Madmen*, urbs Moabitidis, dicitur alibi Dimon, Dibon.
Pag. 431. *Magdolon* ad ſinum Arabicum exſtitit nullum. *Mamre* eſt ipſa Sichem, & *Elon* eſt *Aulon*, tractus convallibus interceptus. Elon in quercum & terebinthum frivole fuit
437. mutatum. Ad locum *Matta-reab* Autor de exitus Iſraelidarum ex Ægypto geographia exponit, *Clementem Alexandrinum* ſecutus. *Maſſecca*, urbs Idumææ, ipſi eſt eadem ac
443. Meſech, Maſreca, Saraca. *Meara* eſt ipſi campus Macra, ſeu Magora, prope Berytum in Syria. *Mehuſal Ezechielis* eſt eidem Maſſylla, ſeu Marſilia, Galliæ Narbonenſis. Regiones regnorum *Minne*, *Ararat*, & *Aſchkenas*, deprehendit in Arabia felice, ubi *Minai*, *Gerrai*, & *Aſcita*, a vetuſtis ſcriptoribus locantur. In *lin. 19 p. 449* legendum: *Eminus id vidit Cotovicus II, 1, p. 146*. In extrema *pagina 451* parte annotatio, ex *Joſepho* decerpta, partem contextus conſtituere debet poſt
453. verba: *Neronias eſt Caſarea Philippi*. Nineven *Jona* idem Autor credit eſſe oppidum Ammonitidis, ac, veterem Ninon, ſeu Nineven, ad Euphratem exſtitiſſe, docet. Reli-
456. qua omittimus. Sequitur *Averroes cum Arreis Avicenna, ſpontanea hominum generationis patrono, temere non confundendus, Pauli Theodori Carpovii, LL. OO. & Theol. Catechet. in Academ. Roſtoch. Prof. Ducal. P. O. Obſervatio*. *Guilielmus Harvaus*, Anglus, primus expoſitionem de hominis genera-
459. tione aggreſſus fuit. *Pocockius* in *Præfatione* ad librum *Abi Jaatar*, Oxonii A. 1671 editum, ſpecimina opinionis, quæ ante *Harvaum* viguit, protulit. Ante eum enim religioni erat nemini, generationem hominis pro ſpontanea & αὐτοματῳ reputare. Præcipue tamen ſic ſenſerunt *Avicenna*, *Averrhoes*, ex nonnullorum ſententia, R. *Gerſhom*, ac laſciviens ille *Pererius*. De *Averrhoe* teſtis eſt R. *Levi ben Gerſom*, alias
461. *Magiſter Leo de Banjolis* dictus, in Comment. ad *Moſis Pentateuchum Sect. 28 n. 8* tradens, illum animalium imperfectorum originem ex putredine arceſſiviſſe. *Avicennam* idem

ſtatuiſſe,

Digitized by Google

ſtatuiſſe, docet R. *Salomo Motat*, Hiſpanus, in libro *Marglioth tobot*, Amſtelodami A. 1722 edito, *f. 11 pag. 1. Samuel* is erat dicendus, non *Salomo*, ut paulo poſt indicavit Cl. Autor. R. *Immanuel*, *Salomonis* filius, poeſeos præcipue laudibus excellens, eandem *Avicennæ* vitio vertit opinionem. At in Pag. 464.
Avicennæ monumentis nihil ejusmodi legit Noſter. Legerunt vero alii, immo legit ipſe in metaphraſi *Avicennenſium* ſcriptorum Latina. Legit id inprimis *Pocockius* in *Avicennæ* 469.
libro *de iis, quæ diluvia ſpectant*, dictitantis, fieri poſſe, ut animalia perfecta etiam e materia terræ rite diſpoſita producantur. *Averroi* eandem ſententiam tribuunt B. *Theoph. Sigfr. Bayerus* & Cel. *Jacobus Bruckerus*, at citra jus fasque. *Averroes* enim in deſtruenda hac *Avicennæ* opinione fuit totus. Error confundentium *Averroen* cum *Avicenna* inde 475.
eſt exortus, quod uterque vocatur *Arreis*, ſeu *princeps ille*, ſcil. Philoſophorum. Succedit hiſce Hiſtoriæ philoſophicæ dapibus Cel. *Chriſtoph. Aug. Heumanni Emendationum Minucii* 476.
Felicis Ferculum primum. Sua ſe conſpicuam præbet laude hæc cœna dubia, ſalivam lectori movens, ut plura ejusmodi fercula appetat & exſpectet. Hanc excipit *Frid. Ottonis Menckenii ad locum Livii V, 33, Obſervatio*, qua defenditur vulgata lectio, quod ſingula in grege animalia etiam *capita* appellen- 512.
tur. Hoc ipſum permultis hic oſtenditur exemplis. *Hymno-* 521.
phili Obſervatio ad Plinii Lib. X Ep. 97, de Carmine Chriſto quaſi Deo dicto, legi eſt digna. *Jo. Laur. Moshemius* locum *Plinii* de precibus interpretatus fuerat haud ſecus ac *Petrus Zornius*. Noſter vero ſententiam vindicat receptam, ratus, carmen eſſe canticum, teſte *Dionyſio Halicarnaſſenſi Ant. Rom. Lib. I* 525.
pag. 24 ed. Oxon. Ignatius laudat Epheſios ob concors canendi ſtudium, in *Epiſt.* ad eos §. 4. Exſtat perantiquus quidam hymnus ad Chriſtum apud *Jac. Uſſerium*, memoratus in *Conſtit. Apoſt. VII*, 47. Subjiciuntur huic tractationi 534.
mutuæ aliquot Marci Velſeri, Conr. Rittershuſii, Caſp. Scioppii, & Jul. Cæſaris Sanctamauræ, Epiſtolæ, nunc primum e tenebris in lucem protractæ a Frid. Ottone Menckenio. Rittershuſium 536.
cepiſſe conſilium edendi *Iſidorum*, hinc pateſcit. Suppetias ei ferre

Pag. 539. ferre voluerat *Andreas Schottus*, Jeſuita. Cum *Rittershuſio*, finitis de religione controverſiis, *Scioppius* in gratiam rediit, perpetuam ei & ſinceram amicitiam pollicitatus. *Sanctomaura* Græce ſcripſit ad *Rittershuſium*. Hic nonnullas ad eum remiſit literas, æque ſcriptas ſermone Græco. De Canonico Hamburgenſi, *Apulejum* edituro, de *Jureto*, ac rebus aliis literariis, hic promuntur ea, quæ alibi haud inveneris. *Carpovius* Supplementa ad *J. C. Wolfii Bibliothecam Hebraicam* meditatur, procul dubio futura & copioſa & ſeleċtiſſima.

D. CAROLI FERDINANDI HOMMELII, ſupremæ curiæ Advocati, Propoſitum de novo Syſtemate Juris naturæ & gentium ex ſententia veterum JCtorum concinnando, ſive de jure, quod natura omnia animalia docuit, Commentatio.

Lipſiæ, apud Bernh. Chriſt. Breitkopfium, 1747, 8.
Plag. 12.

Hic *Hommelii* junioris, Viri diligentiſſimi, libellus, tametſi, ſi molem intueare, vix dignus, qui in noſtros eruditorum annales referatur, videri poſſit, tamen, quia Vir Conſultiſſimus genere dicendi utitur minime barbaro, multaque in eo abſtruſiora recluduntur, operæ pretium eſſe duximus, ſi hoc novum juris naturæ ædificium Lectoribus noſtris breviter commendemus. Cum igitur, ut diximus, in hoc illius commentariolo plura notatu digna laudandaque obveniant, reprehendendus ille tamen, eam imprimis ob cauſam, quammaxime videtur, quod *Hobbeſii* præceptis majorem, quam par eſt, autoritatem tribuit, adeo ut a Phyſicorum veteri ſententia, qui legem inter ea, quæ neque vera, neque falſa, conſtituuntur, rejecerunt, parum, aut nihil, abeſſe videatur. Deinde & JCtos nimis extollit præ Philoſophis, utpote quos paſſim atroci ſermone concidit, cum illorum e contrario ſubtilitatem ita oratione adau-

adaugeat, ut plane nihil elegans ei & eruditum videatur, niſi idem in Corpore juris vetuſti perſcriptum ſit. Sed ad propoſitum veniamus. Refert de ſe ipſo Autor doctiſſimus, ſe diu comprehendere non potuiſſe, qui factum ſit, ut, cum juris naturæ interpretes tot annos inter ſe de vero juris naturæ principio digladiati ſint, necdum illi tamen, ad hunc usque diem, in unam ſententiam conveniant. Tandem, poſtquam hujus diſſidii ſtudioſius perquiſiviſſet cauſas, & omnes animi cogitationes in eam unam rem maxime contendiſſet, omnes Philoſophorum diſcordias, ſe cognoviſſe, ait, ex eo inprimis fonte exoriri, quod quidam hominem ut merum animal, alii vero eundem hominem, neglecta animali hominis parte, tantum ut rationalem contemplentur. Hinc factum eſſe, ut *Grotius* cum ſuis legem naturalem a ſola humana ratione, tanquam ab unica radice, eduxerit, rectamque rationem inſtinctibus naturæ omnino prætulerit, atque ſenſus ferinos, honeſtati & rationi contrarios, in hac naturali doctrina non audiendos eſſe, præceperit, cum e contrario *Hobbeſius* & JCti veteres, quibus abſurdum eſſe videbatur, partem anteferre toti, plus ferinis inſtinctibus & communibus naturæ affectionibus tribuerent, quam ipſi rationi, ita exiſtimantes, univerſam naturam propriæ anteponendam, non vero communes animalium & totius naturæ leges contrahendas eſſe ad propriam unius, nimirum hominis, naturam. Quare, cum Philoſophi perperam animal ab homine, hominem ab animali, diſtraxerint, neque, ex duabus, occurrentibus ſibi, & pugnantibus inter ſe, hominis partibus oppoſita & contraria principia neceſſario exoriri, cognoverint, fieri aliter non potuiſſe, quin infinitis ſeſe laqueis implicaverint, & hujus unius rei ignorantia ita ſurſum ac deorſum, huc & illuc, devoluti ſint, ut, ad quamcumque partem ſe contulerint, eluctari non poſſint. Adeoque hoc nomine *Hommelius* noſter Philoſophos, quod ab uno principio omnia derivare voluerunt officia, graviter reprehendit. Nam, cum neque mente ſolum & ratione, neque tamen etiam corpore ſolo, conſtemus, & mera animalia ſimus, ſed potius duplex naturæ vis reperiatur in homine, quarum una in

corpore & appetitu collocata, altera vero in ratione & aliis proprietatibus, quæ nos a beſtiis diſtinguunt, poſita ſit, ex duplici hominis parte duplicia jura, ex ejus ſententia, depromi conſtituique debuiſſent. Diverſa enim natura non admittit unum principium, diverſæ hominis partes diverſas regulas poſtulant. Deflectit ergo omnino ad veterum JCtorum ſententiam, qui, a natura communi accuratiſſime propriam diſtinguentes, aliud *jus Naturæ*, aliud *jus Gentium*, eſſe voluerunt. Nam hoc, ut opinamur, ſatis notum eſt, iſtos veteres, juris gentium nomine audito, longe aliam rem intellexiſſe, quam nos hodie eodem nomine ſignificamus, ſiquidem illi veteres jus gentium illud dixerint, quod ſolis hominibus proprium eſt, cum e contrario, jus naturæ illud eſſe, quod natura omnia animalia docuit, perhibuerint. Laudabile ergo quammaxime in veteribus & commendabile Noſtro videtur, quod ſapientiſſimi illi propria naturæ cognitione contenti haud fuerint, ſed generoſo animo nos ad omnium animalium, imo ad totius naturæ, contemplationem vocaverint, ex quo, obſervationem naturæ juris ſtudioſo neceſſariam eſſe, concludit, idque, contendit, ipſum *Tribonianum*, cum jurisprudentiam rerum *divinarum* cognitionem vocaret, intellexiſſe. Nam res divinas, quia veteres Deum & naturam confuderint, & mundum ſive ipſum Deum, ſive nobiliorem Dei partem, crediderint, nihil aliud, quam res naturales & phyſicas, denotare, quarum notitiam adeo neceſſariam juriſperito crediderunt, ut hoc nomen ipſi definitioni jurisprudentiæ innecterent. In tanto enim JCtos veteres Phyſicam habuiſſe honore, ut etiam *Cicero* de *Fin. III, 22*, diſerte dixerit: *Ei, qui convenienter naturæ victurus ſit, proficiſcendum eſſe ab omni mundo, & ab ejus operatione. Nec enim poſſe quemquam de bonis & de malis vere judicare, niſi omni cognita ratione naturæ, & vitæ etiam Deorum, & utrum conveniat, nec ne, natura hominis cum univerſa.* Nec minus memorabile eſt, quod *Philo* Judæus ſcribit, videlicet *Moſen*, optimum legiſlatorem, in libris, quibus divinas leges traditurus erat, idcirco dicendi telam a cœli & terræ fabricatione incepiſſe, quia cognoverit, ex mundi contemplatione cognitione-

Digitized by Google

tioneque naturæ, ipſa jura magis fieri manifeſta. *Epicurus* eandem ob cauſam ab animalibus teſtimonia arceſſere, eaque, ut *Cicero* teſtatur, *ſpecula naturæ* appellare, conſuevit. *Ulpianus* autem, progreſſus ulterius, animalia, non ſolum, ut ceteri, divinæ voluntatis præcones, verum juſtitiæ etiam perita, vocavit. Nam ita ait: *Videmus etiam cetera animalia iſtius juris peritia cenſeri.* Quam *Ulpiani* ſententiam cum imperiti quidam non recte percepiſſent, irriſiones ille multorum reprehenſionesque eam ob cauſam perpeſſus eſt. Dicendum igitur, quo ſenſu is animalia jurisperita dixerit. Quod enim multi putant, *Ulpianum* vere iis quandam juſtitiam aſſignaſſe, nulla ratione exiſtimandum eſt. Nam, cum idem in *l. 1 §. 3 D. Si quadr.* omnia animalia ſenſu carere, ipſe profiteatur, ſane non potuit juſta putare, aut credere, iis, quibus omnino nullus ſenſus ſit, boni & æqui ſenſum ineſſe. Sed, quia jurisperitus is eſt, ad quem confugimus, ut nos legislatoris edoceat voluntatem, & in re dubia ex incertis certos faciat, animalia juris perita ab *Ulpiano* eam ipſam ob cauſam dicuntur, quod nos naturæ voluntatem exemplis ſuis docent, id quod eſt interpretis atque Jurisconſulti officium. Sunt enim animalia quædam quaſi leges vivæ, quas inſpicere, & in re dubia conſulere, jubemur, ut hanc ob cauſam jurisperita vocari poſſint, licet ſenſu boni & æqui careant. Quem uſum enim in civitate tabulæ & columnæ præſtant, eum habent in naturali jure animalia, ut ſint viva quaſi ſpecula, in quibus voluntas naturæ, ſive lex, a ſapientibus cognoſcatur. Nunc, poſtquam definitionem juris naturæ cognovimus, quasnam ei *Hommelius* partes aſſignaverit, videamus. Scilicet, quia jus naturæ illud eſt, quod natura omnia animalia docuit, inquirere nos ipſe jubet in id, quod tam in hominibus, quam in ceteris animalibus, primum habeatur. Jam, ſi quis ſubtili animo in hæc *Communia* omnium animantium inquirat, inveniet profecto, cunctorum inſtinctuum hunc primarium eſſe, ut omnia animalia, quibus poſſunt modis, appetant libertatem. Eſtne in univerſo mundo, non dicemus homo tantum, ſed omnino animal ullum, cui ſervire voluptas ſit, aut quod, rem cupitam æquo animo eripi ſibi, aut extor-

 queri,

Digitized by Google

queri, patiatur? Nonne in feris vides, ſi quid libertati earum reſiſtat, in illud ſtatim clamore, unguibus, ac dentibus, impetum fieri, imo illas pro libertate ſæpius etiam ipſam non dubitare deponere animam. Nos vero homines tam perdite libertatem affectamus, ut hanc vitæ, ſervitutem autem mortalitati, comparemus, *l. 209 D. de R. J.* Quare, ſi, ut diximus, juris naturalis eſſe videtur id, quod in omni animalium genere ſemper obſervatur, conſequens ſane eſt, primum omnium animantium, adeoque juris naturæ *eſſendi*, ut vocant, principium, eſſe libertatem. Quid autem eſt libertas? *Florentino* quidem *l. 4. D. de Stat. hom.* dicitur naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, cui *Perſius* accinit:

Non quisquam alius eſt liber, niſi ducere vitam
Cui licet, ut voluit.

Hæc cum ſit vera & genuina definitio libertatis; ex eo Noſter concludit: *Facere, quæ velis,* natura juſtum eſſe. Id autem conciſe hac ratione probat: Quicquid, ait, natura omnibus animantibus communiter inſevit, illud merito pro iſtius voluntate habetur. Ex quo ſequitur, eum, qui inſtinctus naturæ ſequitur, errare nullo modo poſſe. Nam Deus & natura nihil faciunt fruſtra. Fruſtra autem præparaſſent in homine illos, de quibus loquimur, inſtinctus, niſi illis uti deberemus. Aut enim dicendum eſt, nullam eſſe divinam voluntatem, aut, ſi eſſe voluntatis divinæ ſignificationem volumus, ſane magis manifeſta nulla eſſe poteſt, quam cum idem in omni animali expoſitum deprehendas. Voluntas naturæ autem ab hominibus intellecta lex, &, quod ſecundum legem fit, juſtum, eſt. Jam, quia omnibus animantibus & hominibus libertatis appetitum inſevit atque ingenuit natura, libertas autem, ut *Florentinus* definit, poteſtas eſt faciendi, quæ velis; facere, quæ velis, natura juſtum eſſe, neceſſaria ratione conſequitur. Jure naturali igitur

Jupiter eſſe pium ſtatuit, quodcunque juvaret.

Hoc jure, ut *Varro* dixit,

Qui pote plus, urget, piſces ut ſæpe minutos
Magnus comeſt; ut aves enecat accipiter.

Scite

Digitized by Google

Scite itaque & ad hanc doctrinam accommodate *Brennus*, Senonum regulus, Romanorum legatis, interrogantibus, quo jure Cluſium, Hetruriæ urbem, obſideret, ut *Lactantius* commemorat, ita reſpondit:

> *Jure naturali, quo is, qui minus fortis eſt, potentiori cedere jubetur.*

Hæc, inquam, naturali jure licent, at longe eſt alia juris gentium facies. Hoc enim a naturali jure adeo recedit, ut, quod jus naturæ juſſerit, jus gentium fere ſemper prohibeat. Id autem, quod diximus, nimirum jus naturæ cum jure gentium fere ubique confligtari, vel ex ſola ſervitutis definitione intelligitur, quæ in *l. 4 §. 1 D. de Statu hom.* dicitur: *Conſtitutio* juris gentium, *qua quis dominio alterius* contra naturam *ſubjicitur.* Ignis profecto facilius cum aqua, quam jus naturæ cum gentium jure, convenerit. Quemadmodum enim jure naturæ illud juſtum eſt, quod ſingulis, ita jure gentium juſtum habetur, quod pluribus placet. Hoc jure enim, ut *Paulus* in Sententiis ait, *id, quod omnibus utile eſt, anteponitur ei, quod ſingulis prodeſt.* Quemadmodum vero principium juris naturæ eſt, proprias utilitates quærere, ita jure gentium aliorum utilitates quærere jubemur, neglecta propria, ut non tam nobismet ipſis, quam toti mundo nos natos eſſe credere, & nullam, aut perexiguam, partem nobismet ipſis tribuere, debeamus. Quemadmodum autem juris naturæ, ſecundum Autorem noſtrum, principium eſt: facere, quæ velis, ita juris gentium principium, ſi illum audias, hoc eſt: *Neminem lædere.* Ut enim jus naturæ eſt dictamen inſtinctuum & propriæ libidinis; ita jus gentium eſt dictamen rationis, cujus hæc vis eſt, ut, quia ratio conſequentia ponderat, & quia intelligimus, beate nos vivere non poſſe, niſi ſocialiter vivamus, nos ea omnia, quæ plurimis diſciplicent, maxime vero ea, quæ communem mortalium ſocietatem lædunt, metu majoris incommodi intermittamus. Homines enim primæva ætate, qua nullis gentium moribus, ſed tantum jure naturali, hoc eſt, inſtinctu, regebantur, poſtquam longo tempore & pertuliſſent & intuliſſent injurias, hujus ferinæ vitæ tandem aliquando pertæſi, cum ſatius eſſe ducerent, ut

Digitized by Google

de ſuo jure & infinita libertate unusquisque nonnihil ſibi ipſi detraheret, fœdera iniverunt, ut neque ipſi lædant, neque vero etiam lædantur. Ex hoc gentium jus apparuit, & introducta paulatim tacitis pactis fuerunt dominia. Nam, ut *Hermogenianus l. 5 D. de J. & J.* tradit, ex gentium jure *introducta bella, diſcretæ gentes, dominia diſtincta, agris termini poſiti, commercium, emtiones, venditiones, conductiones, obligationesque, inſtituta.* Igitur, dominia & pacta ex jure gentium deſcendere, docemur. Et recte quidem. Nam, quod ad dominia pertinet, ea naturali jure omnino ignorantur.

Nam propriæ telluris herum Natura *nec illum,*
Nec me, nec quemquam, ſtatuit.

Et natura tantum rerum *poſſeſſores*, non autem domini ſumus, *arg. l. 1 D. de acquir. vel am. poſſ.* Quæ cum ita ſint, curate *Paulus* in *l. 51 D. de contrah. emt. Littora* jure gentium *omnibus vacare*, dixit. Is, ſi littora jure naturali communia dixiſſet, improprie locutus fuiſſet, quia naturali jure non littora tantum, ſed omnino omnia, vacare omnibus debent. Pacta autem non juris naturæ, ſed juris gentium, eſſe, ut ex *Hermogeniani* verbis modo cognovimus, multis præterea argumentis probatur. Nam, ſi ad naturale jus ea tantum referenda ſunt, quæ animalia quidem, non autem ea, quæ homines, qua homines ſunt, faciunt, profecto ad jus naturæ pacta referri non poſſunt, quia nulla animalia, ſed ſolos homines, pacta inire videmus. His rationibus Autor permotus, illud inopinatum profert: pacta, fidem, falſum, furta, dolum, & hujusmodi alia, vocabula eſſe juri gentium præcipua, jure naturæ autem plane incognita. Ut enim ſtipulatio, peculium, acceptilatio, arrogatio, & alia hujusmodi, mera civilia verba ſunt, & nulli populo, niſi Quiritibus, intellecta; ſic iſta, quæ enumeravimus, vocabula, fides nimirum & furta, non ad naturale, ſed ad jus gentium, pertinent. Jure naturæ *licere contrahentibus ſe circumvenire*, *Ulpiano* referente, probavit *Pomponius l. 16 §. 4 D. de Min.* Conſtituimus igitur & confirmavimus quamplurimis exemplis, jus naturæ ad *propriam* utilitatem, jus gentium autem ad *aliorum* inprimis utilitates reſpicere, neglectis propriis; Quare, ſi quis jus naturæ mera jura, jus gentium autem meras

Digitized by Google

ras obligationes, continere putaverit, *Hommelium* ille quidem minime habebit repugnantem. Sed veniendum eſt ad ſubtiliorem Autoris conjecturam, quam, licet is valde hic abundet, nos tamen breviter attingemus. Oſtendit ſcilicet: doctrinam Philoſophorum de *Utili & Honeſto*, cum hac veteri diviſione juris, quæ a JCtis profecta eſt, perquam amice familiariterque conſentire. Nam jus naturæ a jure gentium eodem modo diſtare, quo ab utili diſcrepat & ſejunctum eſt id, quod honeſtum appellamus. Scilicet *Epicurus*, qui ſolam utilitatem laudabat, tantum jus naturale, Stoici e contrario, qui ſolam honeſtatem commendabant, contemta propria utilitate, tantum jus gentium, agnoverunt. Innititur enim jus naturæ in utilitatem, jus gentium autem in honeſtatem; utilitas autem honeſtasque eodem modo, quo hæc jura, inter ſe disjuncta atque diverſa ſunt, de quo diſſidio *Lucanus:*

Sidera terra
Ut diſtant, & flamma mari, ſic utile recto.

Cum igitur Epicurei ſolam utilitatem, hoc eſt, tantum jura naturæ, amplecterentur, Stoicis vero ſola honeſtas, quæ juris gentium mater eſt, placeret, Noſter, tanquam arbiter honorarius medium feriens, in hujus ſuæ Commentationis *Libro ſecundo* ſubtili ratione probat:

I) *Neque ſolam utilitatem, ſejuncta honeſtate,*
II) *Neque ſolam honeſtatem, ſejuncta utilitate, principium juris videri haberique poſſe, ſed potius*
III) *Principio quodam ex utrisque compoſito opus eſſe.*

Igitur honeſtatem utilitati adjungens, in ſcribenda ſui principii formula, tam ad propriam, quam ad communem, utilitatem reſpicit, certiſſime ſibi perſuadens, non ex alterutro principio, ſed ex utroque, Jurisprudentiam necti. Principium igitur omnis divini & humani, publici & privati juris tale *Hommelius* prodidit: *Venare, o civis! quantum potes, utilia, ut tamen nemini noceas.* Plane ut olim *Chryſippus:* Qui ſtadium currit, eniti ac contendere debet, quam maxime poſſit, ut vincat, ſupplantare eum, quocum certet, aut manu depellere, nullo modo debet, ſic, in vita ſibi quemque petere, quod pertineat ad uſum, non iniquum eſt, alteri deripere, jus non eſt. Poſt hæc Autor docet, ſi naturalia jura cum jure gentium pugnent, ſive, quod idem eſt, ſi leges honeſtatis confligantur cum naturæ inſtinctibus, qua ratione unum

jus

jus attemperandum ſit alteri. Neque autem, ut ceteri faciunt, corpus menti jubet obedire, ſed potius (quia corporea natura potentior ſit rationali,) honeſtatem inſtinctui naturæ ſubjicit. Naturales enim leges, profectas ex univerſo ambitu hujus immenſitatis, quæ ipſum etiam involvit & ſecum rapit hominem, anteponendas eſſe iis, quas natura ſolis hominibus proprias eſſe voluit. Inſtinctus quippe, cum a Deo ſint, omnium bonorum Dædalo, profecti, malos eſſe non poſſe. Inſtinctibus ergo naturæ, tanquam voci divinæ, parendum eſſe; breviter: Utilitatibus noſtris, quantum poſſumus, inſerviendum eſſe, ita tamen, ut neque Deum, neque homines, ullo modo offendamus. Cum igitur juſtitia ex honeſtate & naturali libidine, tanquam ex duplici fonte, proficiſcatur, hæ proprietates autem ſæpius ſibi occurrant & confligant, unam alteri apte & cum ratione attemperandam eſſe, unde ipſius Juſtitiæ hanc profert definitionem: *Eſt ſcilicet Juſtitia nihil aliud, quam Utilitatis & Honeſtatis cum ratione ſuſcepta commixtio & temperatio, ſive inter ſolem & tenebras aurora exoriens, & quaſi quoddam crepuſculum.* Ac de Autoris doctrina & juris principio hactenus.

Sunt autem præterea dogmata huic Commentariolo varia interſperſa, quæ ad rem grammaticam & juris interpretationem pertinent, inter quæ una maxime nos compellat Autoris probabilis conjectura, & blande admonet, ut ſui in Commentariis hiſce, ſi pluribus fieri non poſſit, tamen brevibus, faciamus mentionem. Scilicet, quia veteres ſumma diligentia triplicia illa jura, naturale, gentium, & civile, diſtinguere ſoleant, & hæc jura, quæ diverſa ſunt, diverſa etiam principia habere oporteat, argumentis a verborum notatione ductis, *Hommelius* oſtendit, illa tria notiſſima præcepta juris: honeſte vivere, neminem lædere, jus ſuum cuique tribuere, triplici diviſioni juris reſpondere, ut *honeſte vivere* principium juris naturæ; *neminem lædere* principium juris gentium; & *jus ſuum cuique tribuere* juris civilis principium, eſſe videatur. Non enim hæc tria præcepta ita comparata eſſe, ut, quemadmodum minus intelligentes opinantur, unum in altero contineatur, ſed diverſa quammaxime videri, totoque inter ſe cœlo terraque diſſidere. Pariter deinde, tria verba: *Bonum, Æquum, Juſtum,* eidem diviſioni juris reſpondere, oſtendit. Nam illud, quod *juri naturæ* conveniat, Bonum; quod vero *juri gentium* conveniens ſit, Æquum; & poſtremo, quod ex *jure civili* proficiſcatur, Juſtum, veteres appellaſſe. Hæc tria verba unum in verſum coercuit *Horatius*, ita canens:

Ipſa eſt 1) *utilitas* 2) *juſti prope mater &* 3) *æqui.*

Ipſas rationes, quibus haſce ſuas Autor conjecturas opinionemque confirmavit, eruditas ſane & ita comparatas, ut ſolidioris ſapientiæ ſtudioſum & verborum diligentem ſcrutatorem poſſis agnoſcere, nos ob chartarum, quibus coerciti ſumus, anguſtias, adducere prohibemur, unde iſtarum rerum curioſos ad ipſum libellum, exiguo pretio comparandum, remittimus.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Auguſti Anno MDCCXLVIII.

NUMISMATA QUÆDAM CUJUSCUNQUE formæ Muſei HONORII ARIGONI, Veneti, ad uſum juventutis rei numariæ ſtudioſæ.

Tomus II & III.

Tarviſii, ſumtibus Autoris, 1744, fol.
Tom. II Alph. 2 plag. 15, Tom. III Alph. 2 plag. 16.

His ipſis in *Actis Anni 1746 Menſe Martio P. I* recenſitum fuit, & pro ſuo merito laudatum, utiliſſimi & ſplendidiſſimi hujus Operis *primum Volumen.* Adimplevit pæne ſpem & vota, quæ tunc erant, noſtra Cl. *Arigonus*, editoque gemino hoc *Volumine* continuavit opus, quod, ut ipſi famam immortalem, ſic rei numiſmaticæ ſtudioſis incredibilem & delectationem & fructum, afferet. Apparet omnino, Cl. Virum promovendis literis, & antiquariæ præſertim eruditioni, ditandæque rei publicæ vel cum ſuæ domeſticæ damno, ſtudioſiſſimum eſſe; quod & animum generoſum prodere, & æterna laude dignum eſſe, quis neget, qui tædium, quod in delineandis, ærique incidendis, numis devoratur, ſeniique ærumnas, morbos, privatas curas, & annuas peregrinationes, cogitet, quibus pæne fractum ſe queritur Vir egregius. Quis illi gratias ideo non habeat, quod locu-

Digitized by Google

ples quidem & ſplendidum panderit numophylacium, emtores tamen non gravarit, non exhauſerit, ſed acri cum judicio & laborioſo ſelectu inutilem omnem oſtentationem procul eſſe juſſerit, & nummos omnes, qui ad eam rem, cui debent inſervire, nil faciunt, id eſt, qui ad illuſtrandam hiſtoriam veterem, mores, ritus, leges antiquas, nil conferunt. Quem non afficiat optimi candor ſenis, qui non indignatur, ſi quando ſe præventum ab aliis ſentiret, eadem ipſa numiſmata prodentibus, quæ ipſe luci publicæ deſtinaverat, quod facile potuit in tanta temporis mora contingere, quantam ſculpendæ & excudendæ tot æneæ tabulæ ſibi depoſcunt; ſed lædatur potius & gratulatur literis novarum opum acceſſiones, publicumque bonum ſuæ gloriæ præfert; qui, quo diutius, & quo integrioribus alii ſuis fruerentur, ære multo multoque ſtudio comparatis, theſauris, noluit Commentarios addere, ſed rudem ſe parumque verſatum in re antiquaria profiteri & reputari maluit, quam eruditis, in quo ingenium exerceant, & doctrinam monſtrent, præripere. Utinam multos haberet ſui ſimiles, qui, ad ejus exemplum, operam, tempus, opes, & ſe totos, in id impenderent, quod maxime publico bono conducit; &, ubi id conſecuti fuerint, ſatis uberem & amplum laborum, ſumtuum, peregrinationum, & vigiliarum ſuarum, fructum ſe percepiſſe reputarent. Si certe tum ſatis uberem percipimus ſtudii noſtri fructum, cum bene de publica re meremur: qua de re honeſtus homo, lucri non cupidus, haudquaquam dubitat; palam eſt, Cl. *Arigonum* ſui laboris & impendii fructum tuliſſe uberrimum, & adhuc majorem percepturum eſſe, quando operi finem imponet. Unum enim adhuc, ordine *quartum*, promittit *Tomum*, in quem, præter Numiſmata, in coloniis & urbibus Græcis cuſa, *Vaillantio* præterita, quæ locum in *ſecundo Tomo* invenire non potuerunt, familiarum quoque Romanarum numos ſui cimelii aliquot, & non paucos Regum tam Macedoniæ, quam aliorum, conferet. Quo gratiſſimo dono ut beare poſſit rem literariam, quemadmodum ceteris beavit, ſincera mente optamus. Interea, quid

conti-

Digitized by Google

continineant ambo hi *Tomi*, ſtrictim & per ſumma tantum capita luſtrabimus, curaturi, ne curioſiore noſtra & critica quorundam expoſitione rebus his de ſua gratia, earumque amatoribus de ſua voluptate, quidquam decedat.

Tomus itaque *ſecundus* continet Numiſmatum ſex ordines, aut claſſes; quarum prima *Tabulas 14*, & in iis *142* nummos, complectitur, in coloniis cuſos, a *Jo. Vaillantio* non relatos. Secunda claſſis Numiſmata Imperatorum Romanorum, in Græcis urbibus percuſſa, ſiſtit, numero *473*, *Tabulis 34*; tertia Romanorum Imperatorum Numiſmata maximi moduli, Græcis itidem in urbibus percuſſa, numero *41*, *Tabulis 14*; quarta Numiſmata *558*, in Ægypto percuſſa, ſeu Alexandrina, ſecundum Imperatores, *Tabulis 33*. Quinta claſſis habet alia etiam Alexandrina Imperatoria, numero *144*, *Tabulis 10*, quæ quare ad ſuperius caput relata non fuerint, nos quidem latet. Sexta tandem *Tabulis 12* icones exhibet antiquitatum Ægyptiacarum, quales ſunt ſiſtrum, eoque ſignata quædam Numiſmata, *Oſiris*, *Iſis*, *Orus*, *Harpocrates*, hieroglyphicæ tabulæ, Dii fictiles Ægyptiaci, amuleta.

Tomus tertius quinque claſſes complectitur; quarum prima *Tabulis 24* antiquiſſima Romæ Numiſmata, ut aſſem ſine nota, aſſem cum nota, ſemiſſem, trientem, quadrantem, ſeptantem, unciam, treſſem, & decuſſem, exhibet; ſecunda claſſis habet eadem, ſed Hetruſca, cum aliis Hetruriæ antiquitatibus, *Tabulis 19*; tertia *Tabulis 48* diverſas antiquitates æneas ſiſtit, ut pateras manubriatas, apophoreta, ſimpula, tintinnabula, ſtrigiles, cyathos, lucernas, variorum numinum imagines, priapos, fibulas, armillas, annulos, claves, vaſa, urnas, lucernas fictiles, phialas, epichyſes, & alia vaſa fictilia; quarta claſſis præſtat Numiſmata diverſarum regionum *Tabulis 19*, & duabus quidem primis Phœnicia, tertia Punica, quarta, quinta, & ſexta, Hiſpanica, ſeptima Judæa, octava & nona incerta, ceteris a decima inde Arabica, & ultima *19* tandem ſcutellam Arabicam. Quinta & ultima claſſis ſacra eſt antiquitatibus Chriſtianis.

De Arabicorum Numiſmatum apparatu, qui hic exhi-

betur, paucis monere juvat, tantum eum eſſe, quantus alibi vulgatus nusquam exſtat. Sunt enim hic expreſſa ære nonaginta Numiſmata, in quibus, habebit ſatis, quod agat, in quo ſudet & algeat, & ingenii acumen hebetet, qui obſcuros, obſoletos, rudes, portentoſos, & nulla pæne arte extricandos, Arabicorum monetariorum typos non tam exponere, quam divinando aſſequi, velit; opus, ut faſtidii plenum, ita, noſtro quidem judicio, parum utile. Nihil enim præſtant hi ſimilesque alii Muhammedanorum numi dignum attentione. Si multum præſtant, monſtrant, præter fatuam aliquam Alcorani ſententiam, nomen Principis, cujus autoritate, & annum, quo cuſi fuerunt. Quod autem eorum in libris ſcriptis depoſita hiſtoria non ſuggerat, habent omnino nihil. Ex editis tamen hic loci diſcas eos falli, qui, Muhammedanorum numos omni humana, vel animali, figura carere, perhibent. Digeſti ſecundum ſeriem chronologicam hi numi non fuerunt; & qui poterant digeri, qui legi nequeunt? Qui *Tabula 18*, a *n. 85* inde, adeoque in fine, collocati fuerunt, ſunt omnium antiquiſſimi, utpote Seculo Chriſti octavo a primis Bagdadicis Chaliſis cuſi, quod ita cenſere perſuadet character, quo ſignati ſunt, vulgo *Cuficus* dictus. Qui autem initio comparent *Tabula 10*, ſunt *Saladini*, & fratris ejus, *el Malcki 'l Adeli*. Poſſet in univerſum ſuſpicio naſci, plurimos horum numorum a Franco quodam Seculi XIII cruciatarum expeditionum ſodale aſportatos ex Oriente, deinceps aſſervatos & auctos ab aliis fuiſſe. Multi enim eorum aut *Gelal oddini Malikſchahi Selgukitæ*, a quo æra Gelalica nomen & originem habet, aut *Ilgazi*, Principis Damaſceni, aut *Saladini*, fratrisque & nepotum ejus, aut *el Imami 'n Naſeri*, Califæ Bagdadici, nomina præferunt, qui omnes XII, aut XIII, Seculo p. C. N. vixere. Eodem pertinet numus 66, qui *Gajatſcheddini*, Sultani Iconii, eſt, quem Græci Ἰατζέδιν in *Hiſtoria Byzantina* appellant, ſi vera ſunt, quæ ſcribit *Herbelotus* in *Bibl. Orient. pag. 357: L'on trouve des medailles de ce Prince, dans lesquelles il y a pour revers un lion avec le ſoleil au deſſus de la tête, car les aſtrologues luy avoient dit, que, s'il y faiſoit graver les figures, qui repreſentoient*

toient ſon horoſcope, il viendroit a bout de tous ſés deſſeins. Inſunt tamen aliqui recentiores, ut illi, qui *Tabula 16*, a *num. 64 ſeq.* animalium imagines oſtendunt, a *Nourgehan*, regina Indiæ, percuſſi, de qua *Herbelotus Bibl. Orient. pag. 367.* De ſcutella tandem Arabica, quæ, ut dictum, *Tabula 19* conſpicitur, ſciendum, eſſe magicam. Prior enim ejus facies talismanibus & precatiunculis oppleta eſt; poſterior autem, vel inferior, virtutem ſcutellæ prædicat. Verba, quatenus legi poſſunt, (extrema enim pars ab artificis intempeſtiva diligentia, umbram imitari cupiente, obſcurata fuit,) apponemus Arabica, ut, quid de hoc recentiſſimæ ſuperſtitionis & impoſturæ documento cenſendum ſit, conſtet.

هذه الطاسة * المباركة للسعة الحية والعقرب
ولعضة الكلب الكلب ولعسر ** الولد ولقطع الرعاف
...... وللقولنج شربه الملسوع او رسوله ثلاث مرات

Hæc ſcutella benedicta prodeſt in morſu ſerpentis & ſcorpionis, & canis rabioſi, in dyſtocia, ad ſiſtendam hæmorrhagiam, & in colica. Si ter ex ea bibat morſus, aut mandatarius ejus, &c.

GERARDI FRIDERICI MULLERI,

Academici Petropolitani & Profeſſoris Ordinarii, Regiæ Societatis Scientiarum Anglicanæ Sodalis, Commentatio de ſcriptis Tanguticis, in Sibiria repertis, qua & loca, ubi illa ſcripta reperta ſunt, accuratius deſcribuntur, & ipſorum ſcriptorum ratio redditur, & unius folii Tangutici interpretatio, ad Petrum M., immortalis gloriæ Imperatorem, Pariſiis miſſa, fide carere probatur.

Petropoli, typis Academiæ Scientiarum, 4.
Plag. 7½, Tab. æn. 8.

* Videtur hæc varia ſcriptio, ſed iſodynamos, eſſe vocis alias طست ſcribi ſolitæ, id eſt, *Taſth, Scutella.*

** Nil melius potuimus exſculpere; videtur tamen aliud quid eſſe ſcriptum.

Hic eſt titulus pro opuſculi ratione ſat longus, qui tamen argumentum ejus concinne ſimul & luculenter proponit. Multis forte noſtrorum Lectorum in recente memoria erit, ab immortalis gloriæ Imperatore Ruſſorum *Petro M.* miſſa quondam in Europam ad varios eruditos folia, ignotis ſignata notis, fuiſſe, quorum ſpecimen in his ipſis *Actis Menſe Julio Anni* 1722 *pag.* 374 edidimus. Exercuerunt hæc folia ex illo tempore ſtudia & ingenia quorundam φιλεγλώττων, apud nos quidem *Matth. Veiſſ. la Crozii* & *Theophili Sigfridi Bayeri*, in Gallia vero *Fourmontiorum* fratrum, *Stephani*, & *Michaelis*. Hi etiam, a Lexico quodam Thibetico-Latino, quod in Bibliotheca Regia Pariſienſi ſervatur, adjuti, folium tale fuerant interpretati, & per Abbatem *Bignonium* Petropolin miſerant. *Bignoniana* ad Ruſſorum monarcham literæ, huc usque ineditæ, hic leguntur. Interpretatio autem *Fourmontiana* prodiit in *Comment. Acad. Inſcript. & Eleg. liter. T. V.* Sed ita comparata fuit, ut jam dudum de ejus probitate dubitandi occaſionem Cl. Autori noſtro dederit. Scilicet A. 1731 & 1732, legatorum aliquot Calmuccicæ gentis, eorumque interpretis, ope, Petropoli literis Tanguticis pernoſcendis aliquid otii tribuebat. Erant nempe inter legatos aliqui ſacrificuli gentis illius, qui fere omnes Tangutica legere callent. Ab his literarum ſonos viva voce accipiebat, conficiebat ſyllabarum indicem, & formabat ſibi regulas, omni lectioni Tanguticæ ſufficientes. Ita inſtructus, conferebat pronuntiationem textus Tangutici, a *Fourmontiis* datam, quam quidem in multis voculis ſatis convenientem, in plurimis autem & fere ubivis, ubi ex literarum compoſitione lectio difficilior evadit, a vera nimium aberrare, deprehendebat. Studebat ergo rei veritatem indagare, &, quo magis Gallorum jactantiam arguere poſſet, ipſam linguam Tanguticam addiſcere, ſed fruſtra; magiſtri enim ejus præter vocabula quædam parum de illa dialecto ſciebant. Cum ergo A. 1733 iter literarium in Sibiriam inſtitueret, apographa folii Tangutici & verſionis *Fourmontianæ* ſecum ſumebat, ut ſcilicet, ſi forte in

Calmuc-

Digitized by Google

Calmuccenſium & Mongalenſium confiniis hominem aliquem reperiret Tanguticæ peritum, ex eo, quid rei ſubſit, reſciſceret. Qua in re quantum profecerit, ipſe in fine Commentationis exponit, antea vero, poſt præmiſſas aliquas breves de Tangutica lingua obſervationes, quibus *la Crozii* & *Bayeri*, item *Guilielmi de Rubriquis*, errata & perperam tradita corrigit, notitiam dat locorum, in quibus hæc ſcripta Tangutica & ſimilia alia Mongalenſia reperta ſunt. Qui inter Calmuccos & Mongalenſes degunt ſacrificuli, e Tangutica, vel Tibeto, oriundi, aſſuefieri non poſſunt nomadicæ reliquorum vitæ, ſed ædes figunt perennes Deorum cultui ſacras, quas *Kit* appellant, id eſt, ut Noſter optime reddi poſſe putat, monaſteria. Vivunt enim ibi popæ iſti tanquam in cœnobiis cælibes. Plenæ ſunt ædes illæ Deorum imaginibus in charta, linteis, aſſeribus, parietibus, aut metallo pictis, & chartarum farragine, qua iſti ſuperbire ſolent. Aſſeverarunt Autori noſtro Calmucci, quando ipſorum, qui nunc regnat, Princeps, *Galdan Zerinus*, caſtra mutat, vix centum camelos ſufficere ſcriptis ſacris portandis. Hujus pater, *Erdeni Schuruchtu Chontaiſcha*, a Choſchotorum quodam Principe, *Batur Taiſcha*, dono accepit theſaurum ſcriptorum Tanguticorum, *Gandzur* dictum, quem quadraginta cameli portarunt. Alia bene multa *Chamus* aliquis Tanguticus *Tſchingis* nomine ad *Chontaiſcham* miſit. Deinde accepit & ipſe *Galdan Zerinus* inſignem ſcriptorum numerum a *Jungtſchino*, Sinarum Imperatore, per legatum aliquem e ſuis, nomine *Telei*, quibus portandis pariter 40 cameli inſervierunt. Hæc poſtrema *Dandſzur* vocant; omnia autem Tangutica prædicant, quod iis mirum non videbitur, qui norunt, Tanguticam linguam apud Calmuccos & Mongalenſes ita, ut apud Pontificios Latinam, pro ſacra haberi, & in cultu idolorum plus patria valere. Ut autem intelligatur, qua ratione Ruſſis ad has Tartarorum ſacras Bibliothecas patuerit aditus, tenendum, ſi regio quædam bello impetatur, quod in iſtis terris infrequens non eſt, ſacrificulos tunc primos eſſe, qui ſe in fugam conjiciant, qui adeo, cum ſacrum apparatum

ratum ſecum auferre, aut nolint, aut nequeant, ſua fana deſerunt ſacris rebus & ſcriptis plena; unde factum, ut Ruſſi in Sibiria ad Irtin fluvium, cujus ſuperiora Calmucci quondam habitabant, plures tales bello devaſtatas ædes offenderent, easque, nemine prohibente, ingrederentur, & ſcriptorum, quantum vellent, aſportarent. Talis ædes fuit, quam *pag. 11* memorat, Ruſſis *Turris Calbaſſunica*, ſed male, dicta; ut & *ſeptem* ſic dicta *palatia*, de quibus *pag. 13. ſeq.* palatia non niſi ex mente Ruſſorum, qui omnem ſtructuram lapideam, utcunque de cetero vilem, ſic appellant. *Pag. 13 ſeq.* de ruderibus *Ablakitanis* agit, unde plus quam ſesquimille ſcriptorum Tanguticorum & Mongolicorum folia, quatuor imagines Divorum, in aſſeribus pictas, & ſex tabulas ligneas, literis Mongolicis exſculptas, quæ olim libris excudendis inſervierunt, accepit, & technophylacio Imperatorio intulit. *Pag. 33* agit de ſacrariis ad Jeniſeam & Teſſum fluvios, in proximis a Sibiria Mongolenſium terris, & de foliis Tanguticis, a *Strahlenbergio* proditis; quæ omnia hic repetere nimis operoſum & ab argumento aliquantum alienum foret. Sufficiat indicaſſe, his ex relationibus multa poſſe in hiſtoria Calmuccorum, & in Geographia Scythiæ borealis, diſci, & *Witſenii* librum Belgicum, *Noord- en Ooſt-Tartary* inſcriptum, paſſim illuſtrari & emendari. Ad rem præſentem magis faciet, verba Cl. Autoris de folio Tangutico, quod *Fourmontii* Latine reddere conati fuerunt, apponere; unde conſtabit primum, quam a vero aberrarint eruditi illi fratres, dein, quanto labore conſtiterit Noſtro, vel tantillæ particulæ interpretationem obtinere; tandem, quam parum momentoſæ, imo quam nulla dignæ ſint attentione, integræ illæ barbaricæ Bibliothecæ. „Cum A. 1735 Selengiæ verſarer, „ait, operæ pretium mihi viſum fuit, caſtra *Lobſani*, Princi„pis Mongolici, tribus *Zongol*, viſitare; tum ut mores gen„tis obſervarem, tum quoque, quod audiviſſem, ſacrificu„lum aliquem non infimæ conditionis, ex Tangutia oriun„dum, apud Principem commorari, cujus opera de cultu „Tangutico & Mongolico uberiorem mihi notitiam comparare,

Digitized by Google

parare, nec non Tangutici folii fide dignam interpreta- “
tionem obtinere, ſperabam. Non infructuoſum ſane iter “
fuit. Sacrificulus, cui cum Principe æqualis a ſuis honor “
exhibebatur, erat homo ad ſuæ gentis morem non in- “
doctus, affabilis, &, ſi quis alius, officioſus. Talem de- “
prehendens ſtudui, ut, quod donis fieri ſolet, arctiorem cum “
ipſo amicitiam contraherem. Omnino multa ab hoc viro “
profeci, in iis præcipue, quæ de ratione cultus Tangutici “
ſcire cupiebam, nec prorſus in caſſum mihi ſpes fuit, quod “
interpretationem folii Tangutici ſpectaret. Prima cura “
fuit, ut verſionem *Fourmontianam* amici explicarem. Ille “
autem maximo ſtupore meo, hanc ne hilum quidem cum “
textu Tangutico convenire, aſſeveravit. Rogavi deinde “
ſacrificulum, ut ipſe operam ſuam interpretationi conferre “
non gravaretur, quod cum libenter ſe facturum promi- “
ſiſſet, Selengiæ in muſeo meo laborem voluit perficere. “
Vix autem incepit verſionem, cum animadvertit, ad in- “
tegrum folium abſolvendum plus temporis requiri, quam “
quod humaniſſimus vir mihi deſtinaſſet. Ideo poſt aliquot “
lineas ſubſtitit, reliqua domi ſe interpretaturum dicens. “
Ego autem hoc concedere non potui. Inſtabat enim “
tempus, quo iter perſequendum erat, nec perſuadere volui, “
ut me præſente pergeret, ne alia perquirendi facultate “
me fraudarem. Quin viſum fuit, vel ex tali ſpecimine “
totam cauſam ſatis ſuperque cognitam fore. Rogavi tan- “
tum, ut ſuam textus Tangutici pronuntiationem adſcribe- “
ret, quod fecit. Hæc lingua & literis Mongolicis ſcribe- “
bantur. Defuit eo tempore interpres, qui Mongalica in “
aliam mihi notam linguam transferret. Nam, etſi plures “
eſſent, qui Mongalicam linguam æque ac Ruſſicam ſatis “
commode loquerentur, & in ſermonibus miſcendis ope- “
ram ſuam non inutiliter præſtarent, nemo tamen ſublimi- “
bus, quod dicebant, locutionibus ſacrificuli, quibus in “
ſcriptione uſus eſſet, transferendis parem ſe pronuntiavit. * “

* Concludas fere ex his, & ſacrificulum & ceteros Tataros Cl. *Mullerum* fuiſſe ludificatos, & noluiſſe arcana ſua prodere.

„ Poſt aliquot menſes impetravi a præfecto Selengienſi „ virum ex Ruſſis, qui ipſe literas Mongalicas intelligeret, „ aliumque ex ſacrificulorum familia, gente Mongolenſem, „ qui, quæ difficiliores eſſent locutiones, orali circumlocu- „ tione clarius explanaret. Sed nec horum opera multum „ profeci. Obſcuritatis verſionem Mongolicam arguebant, „ quæ inde orta ſit, quod ſacrificulus Tangutanus linguam „ Mongolicam non ſatis calleret. Id tamen intellexi, initium „ ejus his verbis conſtare: *Qui intellectu* (conſcientia, corde,) „ *ſuo omnia comprehendit* (intelligit), &c. Hæc jam nihil certe „ cum interpretatione *Fourmontiana* commune habent, id „ quod etiam de ſequentibus interpretes teſtati ſunt, cum „ verſionem *Fourmontianam* illis explicarem, & quærerem, „ an non aliquod verbum occurrat, quod ei verſioni reſpon- „ deat. Si forte aliquis, quod tamen non facile futurum „ ſpero, de veritate horum dubitaverit, illi ſcripta teſtimo- „ nia afferre poſſum, quæ fidei faciendæ cauſa, ne aliquid „ finxiſſe videar, ab iſtis hominibus mihi dari curavi. Præ- „ terea teſtem invoco Cl. *Gmelinum*, qui omnibus meis ſtu- „ diis interfuit. Teſtimonium etiam præbeat ipſa a ſacrificu- „ lo data verſio Mongolica, quam una cum textu Tangutico, „ ut æri incidatur, addo. * In iisdem tabulis textus Tangu- „ tici pronuntiationem adſcripſi, unam a ſacrificulo Mon- „ golicis literis expreſſam, alteram ſecundum Mongolicas „ Latinis literis redditam, ut Germani eas efferre ſolent. Et „ hanc ultimam quidem in gratiam illorum, qui literis Tan- „ guticis pernoſcendis operam dare cupiunt, textui Tanguti- „ co proxime ſubjeci. Gaviſus ſum, eam cum regulis, olim a „ me concinnatis, admodum convenire, quas, ſi operæ pretium „ videbitur, alio loco dabo. Verſionem autem Mongolicam „ ſtudio ſervavi, ſpe fretus, fore, ut aliquando interpretem „ invenirem, literis Mongolicis ſatis innutritum, qui vel „ conjectando ejus ſenſum aſſequi poſſit. Nec fefellit even- „ tus. Illuſtri *Goldbachio* hanc gratiam debemus, quod non defue-

* Tenendum, libellum hunc olim orationem fuiſſe, quam in Academia Petropolitana Autor recitavit.

Digitized by Google

defuerit meis precibus, quin per interpretes linguarum " Mongalicæ & Calmuccicæ, qui Petropoli in Collegio Imperiali, res exteras curante, aluntur, periculum fieri curaverit, an non verſionis Mongalicæ ſenſum aliquem dare " poſſint. Ecce, hic egregium ſe præſtitit *Petrus* ille *Smirnovius*, linguæ Calmuccicæ peritiſſimus interpres, quem " jam alias laudavi (in Collectione notitiarum, ad hiſtoriam " Ruſſicam ſpectantium, quam olim lingua Germanica edidit,). Hic, adhibito in opem Mongolenſi quodam homine, " ab infantia inter ſacrificulos ſuæ gentis educato, & omne " dictionis genus, quod non niſi in ſacris eorum libris occurrit, egregie callente, concinnavit verſionis Mongolicæ " verſionem Ruſſicam, quod ad indolem ſacri ſtili, qui multa " lectorum divinationi relinquit, ſatis luculentam. Eam " ego hic ſub finem Latinam faciam, -- quibus omne negotium expeditum, & liti promovendæ obicem poſitum eſſe, " mihi blandior."

Hactenus Vir Clariſſimus. Apponamus nunc & ejus Latinam folii Tangutici adeo controverſi interpretationem, ut conferre hanc *Fourmontiana* poſſint, quibus volupe erit, & intelligere, quid tandem contineant ſacri illi Tartarorum libri. Eſt autem hæc: „Firma conſcientia mediante omnia parvi " pendendo in principio viventi cuicunque auxilium oritur " inde. Quibus omnibus conſummatis, futurum quid, nemini notum eſt. Religio tota namque religionis explicatio. " Magnates autem intellectu ſuo ea non comprehendunt. " Religio tota videlicet omnia continet, religionis explicatione. Incorporeorum explicatio vere prædicata eſt, " ſemper ab occultatione id dependet, * ſemper omnes id "

* Liceat nobis *Ariſtophaneum* illud ex *Acharnenſ. v. 105* accinere: οἴμοι κακοδαίμων ὡς σαφῶς. Ut enim ibi mimicus ille Regis Perſarum ad Athenienſes legatus *Pſeudartabanus* mimico ſuo Perſiſino ὀληψιχρυσοχαυνοπρωκτ᾽ ἰαυοναῦ ſatis clare oſtendebat, aurum a barbaris fruſtra exſpectari; ita barbarus hic haud obſcure nobis videtur indicare, religionis doctrinam, quantum pote, occultandam eſſe, neque temere curioſis peregrinis prodendam.

„ invenire poſſunt. Teſtimonium interpretis hoc modo habet: „Ante ex Tibetica lingua ſcriptum hoc in Mon„ golicam linguam vertit apud Selengienſem ſubditum prin„ cipem Lobſanum, Gelun Zordſchi Lama vertit. Scripſit „Datſchin Bandi ſcripſit.„

Galimathias hoc explicet, qui dignum id otio & acumine ſuo putet. Forte non deerunt his hieroglyphis aliquando ſui *Kircheri* Oedipizantes. Nos autem adjectas octo tabulas æneas recenſebimus, quarum prima exhibet rudera Calbaſſunenſia ſecunda; rudera ſeptem palatiorum; tertia ichnographiam ædium Ablakitenſium, & totius mœnium ambitus, quibus cinguntur; quarta ſcenographiam earundem ædium Ablakitenſium; quinta picturas fani Ablakitani, & acropodia, quibus idola impoſita fuerunt; ſexta imagines quatuor Divorum ex fano Ablakitano; ſeptima ſpecum idololatricam apud Jeniſeam fluvium; octava tandem continet primo quidem textum Tanguticum folii *Fourmontiani*, cum ſubjecta ſingulis ſyllabis pronuntiatione, literis Latinis expreſſa, ſecundo vero ejusdem textus pronuntiationem literis Mongolicis; tertio verſionem ejusdem textus Mongolicam; & tandem ſubſcriptionem Mongolicam *Lama* Tatarici. Ex dedicatione, ad Academiæ Petropol. Præſidem Comitem *Raſumovium* directa, unum adhuc ſupereſt monendum, Cl. Autorem in hiſtoria Sibiriæ condenda occupatum eſſe, eamque in rem ingentem apparatum monumentorum comportaſſe. Non poterit orbis eruditus egregiam deſtinationem ſinceris votis non proſequi, aut utiliſſimum hiſtoriæ veteri pariter & novæ illuſtrandæ opus non cupidiſſime exſpectare.

ULRICI HUBERI, JCTI ET ANTECESSORIS Franequerani, Opera minora & rariora, Juris publici & privati. Edidit, ſuisque animadverſionibus illuſtravit, ABRAH. WIELING, JCtus & Anteceſſor Trajectinus.

Tomi

Tomi II.

Trajecti ad Rhenum, ſumtibus Jo. H. Vonck van Lynden, 1746, 4.

Tomus I Alph. 2 plag. 22, Tomus II Alph. 2 plag. 2.

Tam illuſtre *Ulrici Huberi* nomen inter JCtos ævi ſuperioris eſt, tantoque omnium plauſu excepta fuerunt, quæ nobile hoc ingenium exſtruxerat olim, literarum monumenta, ut lumen inferre ſoli videremur, ſi in laudes præſentis operis excurrere, idque magnifico commendare verborum apparatu, inſtitueremus. Ingentem igitur ab orbe literato gratiam iniit Clariſſimus *Wielingius*, ordini ſuo haud ita pridem ereptus, quod ſcripta *Huberi* minora colligendi, unoque conjuncta corpore edendi, laudatiſſimum conſilium ceperit. Etenim eorundem complura, quod recte bibliopola in Præfatione monet, apud ipſos etiam Batavos in paucorum manibus fuerunt, quædam, quaſi albæ aves, ne viſa quidem viris eruditiſſimis. Acceſſerunt, quæ novæ editioni novum decus addunt, obſervationes *Wielingii*, breves maxima ex parte, at ita comparatæ paſſim, ut *Huberiana* ſcripta illuſtrent omnino atque interpretentur. Quanquam vero totum volumen, uti nunc prodiit, ad finem perductum videre non licuerit Editori; non eſt tamen in eorum poſthumorum claſſe collocandum, quæ nondum perfecta, nondum polita ſatis, relinquuntur. Quicquid ſane hic legeris, ultimam ejusdem manum facile agnoſces, ſola, quam meditabatur, Diſſertatione *de avito Amelandiæ ſtatu ac jure* excepta, cujus adjiciendæ poteſtatem fata non permiſerunt. Nunc, quid rerum in hoc opere quærendum ſit, indicabimus. Scenam pertractationum aperiunt *Huberi Inſtitutiones reipublicæ*, quæ majoris *de jure civitatis* libri compendium ſunt, & jam A. 1688 in 8 excuſæ fuerunt. Excipit hoc opuſculum Diſſertatio, Franequeræ A. 1689, 8, edita, *de jure popularis, optimatium, & regalis imperii, ſine vi, & a ſui juris populo, conſtituti*, in qua cum a *Jacobi Perizonii* ſententia receſſerit Autor, ſtatim ſubjuncta eſt Oratio illius, eodem

anno recitata, *de origine & natura imperii, inprimis regii, a libero, & ſui juris, populo ſimpliciter delati.* Poſt ſequuntur *Huberi auſpicia domeſtica*, ſeu Orationes, elegantiæ, qua Autor complacuit omnibus, gravitatisque teſtes locupletisſimi. Prodierunt antea ibidem A. 1682, 8, ac de variis agunt argumentis. Et in *prima* quidem *Oratione* exponit facunde, *cur, poſtquam ex Anteceſſore locum in ſuprema Friſiorum curia accepiſſet, inde poſt triennium ad tranquilliora ſe rurſum ſtudia contulerit.* Habuerat eam ante *primam juris Friſici cum Romano collationem*, quæ ipſa denuo hic exhibetur. In *Oratione ſecunda* ſignificat *Huberus, quibus rebus otium ſuum apud Academiam ſit occupaturus; tertia cauſam aperit, cur jus publicum olim in Academia Franequerana publica profeſſione non ſit honoratum; quarta* reſpondetur *ad objectiones, quæ moventur adverſus inſtitutum, Oratione ſecunda commendatum; quinta* inauguralis eſt, *jurisque Romani hiſtoriam enarrat, & ex ejus argumento continuam probationem ſumit, literas humaniores cum Jurisprudentia eſſe conjungendas; ſexta celebres JCtos Friſiæ producit, qui ſuperioribus duobus Seculis floruerunt; ſeptima, octava, & nona, Oratio de ſtatua Eugnomoſynes* agit, *quæ fuit in foro Conſtantinopolitano juxta ſtatuam Hermæ Emporii; decima Pedantiſmum*, intolerabile illud multorum eruditorum vitium, vivis depingit coloribus; *undecima* inſcribitur *de vita glorioſa, exitu tragico celſisſimi Herois, Guilielmi Friderici, Dei gratia Principis Naſſovii; duodecima* vero ac poſtrema *Oratio natales, vitam, ſtudia, exitum, Gulielmi Cup, Anteceſſoris Franequerani*, commemorat. Adjecta his eſt, quam in priori Orationum editione fruſtra quæſiveris, *Collatio II juris Friſici cum Romano.* Succedunt *juris Friſici, quatenus a Romano diſcrepat, Inſtitutiones*, quas, quantum nos quidem ſcimus, A. 1684 Belgico ſermone conſcriptas divulgavit Autor. Jam vero Latine conſpiciuntur eædem. Denique occurrunt *Opuſcula quatuor*, quæ deductionum nomine inſigniri vulgo ſolent, & ad Amelandiam ſpectant, inſulam e regione litoris Friſici ſitam, cujus hodie dominus eſt Sereniſſimus Princeps Arauſionen-

Digitized by Google

ſionenſis. *Primum* eorum ſingulari mandato familiæ *Cammingana* A. 1676 lingua Belgica conſcripſit *Huberus*, eo quidem conſilio, ut hujus gentis hæreditarium jus in dictam inſulam tueretur contra illos, qui jure feudi Cæſarei, ab imperio R. G. pendentis, aggredi eandem & occupare volebant. *Alterum* A. 1682 Latine exaravit Noſter. *Tertium* pariter ac *quartum* ex aliorum profectum ingenio eſt. Illud Latino itidem ſermone jura Cæſaris exponit in Amelandiam, feudum regale, & Imperii dominium; hoc, Belgice conſignatum, controverſiam Amelandicam complectitur inter *Sicco Renghers* & *Watzo de Camminga*.

PETRI BONDAM SPECIMEN ANIMADverſionum criticarum ad loca quædam Juris Civilis depravata.

Franequeræ, 1746, 4.

Plag. $12\frac{1}{2}$.

Petrus Bondam, Vir Clariſſimus, juvenis vix duodeviginti annos natus, cum animum induxerit, ſpecimen emendationum ſuarum in lucem conſpectumque hominum edere, inprimis loca elegit ſibi ex Autoribus, qui Juriſprudentiam vel ante *Juſtinianum*, vel poſt ejus tempora, gloſſis conſcribendis excoluere, quibus interdum & alias emendationes addidit ſcriptorum ejusmodi, quos alii plerumque intactos reliquerunt eruditi. Et, quanquam moderatum corrigendi ſtudium, quo haud raro veterum ſcripta nitori ſuo atque integritati reſtituuntur, haud exiguam meretur laudem, tamen, in hoc opuſculo fervorem illum juvenilem, ad emendandum valde proclivem, plus juſto deprehendi, haud negamus. Sunt enim multæ emendationes paulo audaciores, quæ a conſueta dicendi ratione aliquantum recedant, tantum abeſt, ut recepta lectio crebro defendatur atque comprobetur. Ceterum vero haud parvus elegantium emendationum numerus reperitur. Cujus rei pro inſtituto noſtro, age, quædam demus ſpecimina. *Capite I* proponitur locus ex

Collat.

Digitized by Google

Pag. 1 ſeq. *Collat. Leg. Moſ. & Rom. Tit. XV* §. 3 hujusmodi: *Hi enim,*
qui novellas & inauditas ſectas, de terroribus religionibus
opponunt, ut pro arbitrio ſuo pravum excludant, quæ divini-
tus conceſſa ſunt. * *Quoniam nobis, de quibus ſolertia tua Sere-*
nitati noſtræ retulit, Manichæos audivimus eos nuperrime,
velut nova inopinata prodigia, in hunc mundum de Perſica
adverſaria nobis gente progreſſa, vel orta, eſſe, & multa faci-
nora ibi committere. Jam, cum totus in eo ſit, ut lacunam,
quæ aſteriſco notata eſt, ſuppleat, aſſumta *Vonckii* lectione
veterioribus religionibus, rejectaque vocula *ut*, & mutato
4. genere infinito *τοῦ excludere* in finitum, ex verbis *quoniam*
nobis efficit *moliuntur nova*, rationemque adjicit, quod ſcri-
ptum fuerit *Moliunt*, quod facile in *quoniam* potuerit mutari,
uti vox *nobis* in *nova;* duasque periodos in unam confor-
5. mat. Quæ emendatio quam dura ſit, ſatis apparet. In eodem
loco cum legitur: *Ideo eorum mænas atque pœnas debitas &*
condignas illis ſtatuimus, legit, id eſt, *nævis p. æque d. e. c.* &c.
quæ lectio non ſane improbabilis videtur, niſi quod fortaſſe
dubitandum ſit, an nævi de erroribus animi & falſis opinio-
6. nibus recte dici poſſint. Tandem in fine §. haud infelici
prorſus conjectura loco: *Devotio tua juſſis ac ſtatutis tran-*
quillitatis noſtræ maturius obſecundare, legit *obſecundato*. Sed
13. pergendum eſt. *Papianus* ex noſtro judicio haud opus habet
emendatione *Tit. VI Reſp. de fugitivis, ubicunque perſona*
hujuscemodi inventa fuerit. Quodſi ex Autoris voluntate re-
ponitur *fugitivus*, verba, *perſona hujuscemodi*, abundant.
14. Porro *Tit. VII, Quicunque vero calumniam crimini probatus*
fuerit eviciſſe, ſi objecta non convicerit, pœnæ ſimili ſubjacebit,
loco *eviciſſe* legit *objeciſſe*, ſed, cum a vero abſit, quod in una
periodo verba unius terminationis *objicere*, *objecta*, & *ſub-*
jacere, ſint adhibita, poteſt etiam vetus lectio defendi, cum
apud Latinos nihil frequentius ſit, quàm quod factum poni-
tur pro eo, quod quis facere voluerit. Quicunque igitur pro-
batus fuerit, calumniam criminis, ſive falſum crimen, vo-
luiſſe evincere, hoc eſt, omni ſtudio operaque adhibita com-
probare &c. Inprimis quod hæc locutio, *calumniam criminis*
objicere,

Digitized by Google

objicere non aliter capi poſſit, quam aliquem criminari, falſam accuſationem ab eo ſuſceptam. Vel, ſi hæc vetus lectio cuidam non probetur, legat *effeciſſe*, cum *calumniam facere* apud Latinos dicatur. Præterea *Tit. XIX*, cum in vulgata legitur: *Si quis autem dolo focum fecerit*, emendat, *ſi quis au TEMere focum fecerit*, illudque *temere* explicat caſu venti ferente, quod *Paulus Sent. Lib. V Tit. XX §. 3* habet. Cui emendationi favere videtur, quod hi duo *Papiani* & *Pauli* loci ſibi videantur contrariari, cum ille dolo, hic caſu venti ferente, damnum datum æſtimatione reſarciendum putet. Sed ignoſcet, credimus, Cl. Autor, ſi & in hoc loco ejus partes relinquimus, tum quod non facile ex *temere* a librario verbum *dolo* effici potuerit, tum quod *temere* paulo durius nobis de impetu venti dicatur, cum tantum uſurpetur, quando quis ſine ratione & cauſa idonea aliquid facit, tandem quod illa pugna inter *Paulum* & *Papianum* haud difficulter tolli poteſt, ſi modo ſtatuamus, in utraque cauſa damnum reſarciendum eſſe, qua in ſententia nos confirmat ipſe *Paulus*, qui loco adducto contendit, fortuita incendia, quæ caſu venti ferente, vel incuria ignem ſupponentis, evadunt, reſtitutione damni reſarcienda eſſe. Quid igitur? ſi illud in ſupina incuria ac lata culpa ignem ſupponentis procedit, quid eſt, quod nos cogat vocem *doli* ex antiqua ſua poſſeſſione deturbare, cum ſatis conſtet, culpam latam dolo æquiparari, eoque culpam latam contineri *l. 11 D. Depoſ.* Cum Vir Pag. 17.
Clariſſ. inveniſſet in *Collat. leg. Rom. Tit. XII §. 7* in Codice *Pithœi* ſiglum *Hd*, legit: *quod nec manſueta, nec tamen clauſa, fuerint hæ. Ipſe autem Celſus ait.* Sed, cum hoc in *Pithœi* tantum exemplari occurrat, & fortaſſe in margine loci notandi gratia a poſſeſſore adſcriptum, neque ad ſenſum vocabulo hoc opus ſit, omni emendatione ſuperſe[illegible]imus. Sed nolimus, Lector exiſtimet, ac ſi omnes emendationes ejusdem farinæ ſint, cum potius haud paucæ inveniantur, quæ facile aſſenſum omnium comparare ſibi poſſint. Ita v. c. loco adducto recte legitur: *Profiteris propter ignem, qui pabuli gratia factus*, cum antea *profiteri*, omiſſaque voce *qui*,

 edere-

ederetur, quod nullum commodum habebat ſenſum, & §. 5
ejusd. Tit. ſed variæ ſunt punitionum corrigit *punitiones*,
Pag. 19. quemadmodum eodem loco verbo *ſuaſorumque*, *ſuaſores quo-
que* ſubſtituit. Sed ſufficiat hæc dixiſſe de *Capitibus V* priori-
bus. In *Cap. VI* usque ad *X* varia ex Gloſſis Nomicis loca per-
30. penduntur. Neque prorſus infelici ſemper conatu. Ita
32. voc. ἀδελτερ recte ἀδελτέριον legitur. In voce Βενεφικήσαις
Gloſſator explicationem adjicit hanc: εὐεργεσίαις, ποίναις,
quod ultimum verbum illi *βενεφικήσαις* haud reſpondet.
Clariſſ. Autor eo inclinat, ut, in εὐεργεσίαις primam ſyllabam
paulo majuſculis literis ſcriptam eſſe, contendat, quod
ſignum demonſtraret, εὐ in ſequenti voce repetendum eſſe;
quam ob cauſam reponit εὐποιΐαις, quæ explicatio in *Cyrilli
Gloſſario* voci *meritum, beneficium*, adjicitur. Cujus repetitio-
nis ſi autoritas afferri poteſt, ipſa emendatio inſignem ſane
33. laudem meretur. Vocem Δεναυδιανιβο neminem intelligere,
eamque corruptam eſſe, quisque facile intelligit, ſed, quid ei
ſubſtituendum, res eſt dictu difficilis. Clariſſ. Autor conji-
cit, debere legi ΔΕμαγκιπατιόνιβας, pro δὲ ἐμαγκιπ. cujus rei
argumentum ducit ex eo, quod Gloſſarium adjicit περὶ ἐκ-
ποιήσεως, aliæ vero Gloſſæ legant *emancipatus*, ἐκποιητὸς.
35. Ἱερανελιγιῶσα, χρήματα τὰ δωρηθέντα θεῷ. Hic Doctiſſ.
Autor, rejecta *Schultingii* emendatione ἱερὰ, ῥελιγιῶσα,
conjicit, legendum eſſe σακρα, ῥελιγιῶσα, hac ratione,
ut exiſtimet, primam ſyllabam σα fuiſſe obliteratam, &
alteram male in ἱερὰ mutatam, in qua lectione confirmat
eum *l. 4 D. ad L. Jul. Peculat.* quæ pecuniam *ſacram religio-
ſam* affert. Sed, niſi prorſus fallimur, paulo violentior eſt
conjectura, & vel ſuſtinenda *Schultingii* lectio, vel, ſi aliquid
mutandum eſſet, nos potius duas voces converteremus hac
ratione, ῥελιγιῶσα, ἱερὰ χρήματα κ. τ. λ. ut explicatio eſſet
43. prioris verbi. Occaſione voc. τελώνιον Chartam *Henrici III*,
Regis Angliæ, A. D. 1237 effert MStam, atque, uti exiſtimat,
ineditam, quæ mercatoribus Gutlandiæ immunitatem te-
50. lonii promittit. *Cap. XI*, jura *Juſtinianea* Seculo XII in
Anglia lecta fuiſſe, variis *Joannis Sarisberienſis* locis com-
monſtra-

Digitized by Google

monſtrare annititur, qua in re Lectores noſtros ad Autorem ipſum ablegamus. *Caput XII* interpretationi quorundam locorum Novellarum *Theodoſii* eſt dicatum. Ita Pag. 64.
Tit. X in verbis, *nec ad poſteriorem manet*, legit *nec apud poſt. m.*, quo tamen non opus eſt, cum, apud Latinos *ad* & *apud* ſibi invicem ſubſtitui, palam ſit, cujus rei autoritas ex illa formula, *res ad Pretorem acta eſt*, duci poteſt. Sequitur
Tit. XI, in quo legunt editiones vulgatæ: *Hæc ſive cum* 65.
poſtrema definiat, ſive cum donatione cujuslibet quantitatis habita ratione parentum in liberos, naturalis pater conferat, quod de ſubeunda ſorte curiali, ſeu teſtamento, ſeu actorum fide conſtituat, ita ratum eſſe, ſtabiliterque volumus obſervari, Cl. *Bondam* legendum exiſtimat, *ſive cum poſtrema definitione, ſive cum datione* &c. Sed utrumque non admitti poſſe videtur, cum alterum non habeat, quo ſe referat, alterum vero hac ex cauſa dubium videatur, quod in ſequentibus dicitur: *abdicando donationes*, cui accedit hoc, quod *teſtamentum* ad verba *poſtrema definiat*, *actorum fides* ad *donationes*, pertinet. Quam ob cauſam vel nihil prorſus mutandum, vel Cl. *Ritteri* ad *h. l.* emendatio locum habet, qui legit: *Hæc ſ. c. p. definiat*, *ſ. c. donationem c. q. h. r. p. i. l. naturales, pater conferat;* uti idem Vir Doctiſſ. rectius vidit Autore noſtro in *Conſt. III Tit. XII*, *ſi cunctatus & paſtacas* &c. quo in loco Noſter vim infert legendo, *ſi curſuales & angarias*, cum *Ritterus* faciliori emendatione ponat, *ſi commeatus & baſtagas*, atque utraque ſatis docte ad hunc locum
explicet. Tandem non ſine ratione in *Conſt. I Tit. XIX* 68.
emendat, *cum ea, quæ diſceptationis examinatione decurſa poſſit recuperare legibus poſcentibus* &c. & eodem loco: *Quando dominis ſunt denuntiata litigia.* Ultimo loco *Cap.*
XIII, *XIV*, & *XV*, præter alias, quæ veterum Scriptorum 69.
locis inſeruntur, emendationes, quædam inprimis ad Digeſtum vetus proponuntur, hauſtæ ex Collatione MSti Codicis membranacei, in Bibliotheca civitatis Campenſis ſervati, atque Seculo XIV, quantum videtur, ſcripti, qui & Epiſtolam ad Anteceſſores, & XXIV *Libros Pandectarum*,

Digitized by Google

excepto *Tit. Soluto matrimonio* &c. complectitur. Cui præterea in margine adjectæ ſunt Gloſſæ *Accurſianæ* atque id præcipui habet, quod legibus ſingulis nomina tantum Autorum, id eſt, *Ulpiani*, *Pauli*, &c. non vero librorum, ſunt adſcripta, quemadmodum in fine MSti hi verſus leguntur:

Sicut in omne, quod eſt, menſuram ponere prodeſt,
Sic ſine menſura deperit omne, quod eſt.
Nobile vincendi genus eſt patientia, vincit,
Qui patitur: ſi vis vincere, diſce pati.

Quod ad ipſas lectiones Codicis attinet, negandum haud
eſt, pleraſque eſſe ſatis commodas, ſed tamen illud ipſum
facile poteſt aliquem commovere, ut exiſtimet, eas fortaſſe
magis ab ingenio docti Viri, qui literis renaſcentibus vixe-
rit, quam a veteribus, quos deſcripſit, Codicibus, ortum
Pag. 71. traxiſſe. Sed abſit, ut nos hoc pro certo ponamus. Clariſſ.
Autor magnum numerum legum affert, quas Codex ille
aliis JCtis, quam editiones vulgatæ, tribuit. Porro in *l. 5*
§. 1 D. de Calumn. legit: *Quæritur, ſi fuerit condictum*, qua in re
Baſilica ei magis aſſentire videntur, cum editiones habeant:
82. *Quare ſi fuerit condictum.* In fine *l. 49 D. de Pactis* ſupplet,
patiuntur, & in fine *l. 8 pr. D. de Tranſact.* legit: *an tranſ-*
actio valeat, vel quæ admitti debeat. Et, quanquam negari
non poteſt, clarius dici hac ratione, tamen inde non conſe-
84. quitur, etiam in antiquis legibus ita ſcriptum fuiſſe. Lex *14*
D. de Off. Præſ. in *Cod. Camp.* ita eſt: *Si vero, ut plerumque*
aſſolet, intervallis quibusdam ſenſu ſaniore, num forte eo
momento ſcelus admiſerit, diligenter explorabis, quod occaſio-
88. nem dedit Viro Clariſſ. legis ita emendandæ: *num forte e. m.*
ſ. a. nec morbo ejus danda eſſet venia, dil. expl. Agmen
claudit emendatio *l. 16 §. 1 D. de Inoff.* quam editiones ita
proferunt: *Contra tabulas filii poſſeſſionem jure manumiſſio-*
nis pater accepit, & bonorum poſſeſſionem adeptus eſt, poſtea
filia defuncti -- quæſtionem inofficioſi teſtamenti recte pertulit.
Cui loco cum tavtologia ineſſet, Clariſſ. *Bondam* legit *C. t. f.*
adeptus eſt p. j. m. pater: accepta bonorum poſſeſſione p. f. d.
-- q. i.

— *q. i. t. r. p.* Sed quis neſcit, plures adhuc in Digeſtis tavtologias inveniri? Dicendum quoque eſſet de emendationibus, quas in alios, præter Juris, Autores attulit, ſed, cum titulus libelli tantum de locis Juris civilis agat, atque præterea verendum ſit, ne poſitos limites transgrediamur, eas ſilentio præterimus, illud tantum adjicientes, quod haud dubitamus, ſi Doctiſſ. Autor & in poſterum ſuam operam emendandis Legibus & Autorum locis impenderit, quin ſucceſſu temporis haud parum incrementi orbis literarius inde ſit laturus.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES Sciences & des Belles Lettres de Berlin, &c.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM & elegantiorum literarum Berolinenſis ad Annum 1745; una cum Commentariis ejusdem anni, ex ſcriniis Academiæ prolatis.

Berolini, apud Ambroſium Haude, 1746, 4.
Alph. 1 pl. 20, Tab. æn. 8.

Illuſtris Academia Berolinenſis novos laborum ſuorum fructus, quibus rem literariam huc usque ornavit & auxit, novo habitu orbi erudito offerre præſenti *Volumine* cœpit. Varia enim ſunt, quibus hoc opus ab eo, quod antea ſub titulo *Miſcellaneorum Berolinenſium* prodiit, differt. Primo non meræ hic apparent Diſſertationes integræ; ſed, ad morem Academiæ *Pariſienſis*, præfigitur *Hiſtoria*, qua partim ipſæ hæ Diſſertationes, *Commentariorum* nomine inſignitæ, recenſentur; partim quoque aliæ Obſervationes breviores afferuntur, variæque in iis materiæ ſuccincte diſcutiuntur; partim laborum, a Sociis eo anno ſuſceptorum, ratio redditur; additis Sociorum, eo anno defunctorum, elogiis. Dein Gallicam linguam præ Latina eligere placuit iis, quibus præſentis operis editio debetur; cujus rei rationem, neſcimus, quam recte, eam reddunt, quod hujus campus quotidie anguſtioribus cir-

Digitized by Google

cumſcribatur limitibus, illa contra magis magiſque optimorum quorumvis operum interpres evadat. Denique, cum huc usque tribus tantum claſſibus, mathematica, phyſica, hiſtorica, omnia comprehenſa ſint, his additur quarta, philoſophica, qua materiæ, ad Metaphyſicam, Philoſophiam practicam, & Jus naturæ, pertinentes, tractantur. Ad ipſam Academiam quod attinet, ejus ortum, fata, renovationem, enarrat initium
Pag. 1. hujus *Tomi*. Fundata eſt a Rege *Friderico I.* ipſo hoc Seculo ineunte; variis tamen impedimentis obſtantibus anno demum ejus decimo ſolennia inaugurationis peracta ſunt, hujus inſtituti autore & Præſide primo Ill. *Leibnitio*. Ab hoc tempore plurimos illuſtres fovit ſocios, atque egregios conaminum ſuorum fructus ſeptem *Miſcellaneorum Berolinenſium* voluminibus luci expoſuit, quorum primum A. 1710, ultimum A. 1743, prodiit. Denique ſub auſpiciis nunc regnantis Potentiſſimi Regis denuo eſt reformata, quod negotium ſex illuſtriſſimis Mecænatibus ſingulari lege A. 1743 demandatum fuit. Titulo *Academia Regia Scientiarum & elegantiorum literarum* inſignita, & in quatuor *Claſſes, Phyſicam, Mathematicam, Philoſophicam, Philologicam,* diſtributa eſt. Curatores a Rege accepit quatuor Viros, ſago & toga illuſtriſſimos, S. R. I. Comitem *de Schmettau*, dominosque *de Viereck*, *de Arnim*, & *de Borcke*, Status miniſtros, præſidium gerente Ill. Domino *de Maupertuis*. Primum conventum ſolemnem A. 1744 habuit, quos ſingulis hebdomadibus in ipſa regia arce continuat. Singulis quoque annis quæſtionem, cujus ſolutioni præmium 50 Ducatorum deſtinatur, proponere cœpit.

Sed agedum, ad paulo pleniorem ipſius *Voluminis* hujus notitiam Lectoribus noſtris noſtris exhibendam nos accingamus. Fatemur, nobis accidere idem, quod ſolet in magno rerum & præſtantia & varietate ſua ſe commendantium apparatu conſtitutis, qui, quo primum oculos convertant, quidve ſua attentione inprimis dignum judicent, fere neſciunt. Quamvis itaque, omnia uberius exponere, inſtituti noſtri ratio non permittat, de iis tamen ſigillatim & ſuc-

cincte

Digitized by Google

tincte dicemus. Incipimus ab *Hiſtoria*, omiſſuri hic ea, quæ in ipſis Commentariis fuſe exhibentur. Ad *Phyſicam* Pag. 10. *generalem* pertinent varii labores Sociorum, in inveſtigandis electricitatis phænomenis collocati, quæ fuit prima Academiæ poſt renovationem ſuam occupatio. *Ellerus* experimenta varia circa productionem aeris e corporibus inſtituit. Duo nimirum corpora heterogenea, acidum & alcalicum, ſub antlia inter ſe permiſcuit, & quantitatem aeris, inde productam, ope indicis mercurialis, notavit. Horum experimentorum præparatio & effectus hic exponitur. Mutationem quoque aquæ ebullientis in aerem elaſticum executus eſt; aliisque experimentis ejusdem converſionem in terram fixam & homogeneam ſe demonſtraturum ſpondet. *Euleri* ingenioſiſſima lucis & colorum theoria, ex natura & motu ſonorum petita, ut & ejusdem inveſtigatio minimarum materiæ partium, explicantur; quæ cum ab ipſo Viro Cel. in *Opuſculis* ſuis uberius ſint expoſitæ, mentionem de iis faciendam in aliud tempus reſervamus. In *Anatomia* ſiſtitur idea eorum, quæ *Liberkühnius* de fabrica & actione villorum inteſtinorum tenuium noviter detexit, & ſingulari Tractatu publice expoſuit. *Aſtronomiam* locupletavit *Eulerus*, nova & 36. exactiori theoria ſolis prolata, Tabulisque ei ſuperſtructis. Non enim ſolum antea jam tradidit methodum, orbitam ſolis quam exactiſſime definiendi; ſed & nunc circumſtantiam, huc usque fere neglectam, in computum duxit. Nimirum ſecundum leges attractionis proprie non terra, ſed commune centrum gravitatis terræ & lunæ, orbitam ellipticam circa ſolem deſcribit; unde verus ſolis locus tum demum conſtabit, ſi determinetur poſitio & magnitudo lineæ, a centro ſolis ad hoc centrum gravitatis ductæ. Ex hoc fundamento novas condidit Tabulas, Obſervationibus *Flamſtedii* in uſum vocatis. Præterea novam adjecit æquationem tam loci, quam diſtantiæ, ſolis, a phaſi lunæ pendentem, quæ usque ad 15″ adſcendere poterit. Idem Vir ſummus in emendanda lunæ theoria multum deſudavit, &, licet principio attractionis ſit innixus, quod *Newtonum* ad calculos

inſu-

Digitized by Google

inſuperabiles deduxerat, ſingulari tamen methodo eo pervenit, ut ejus ope inæqualitates omnes, motum lunæ adeo perturbantes, in computum ducere licuerit. Hujus fructus ſunt *Tabulæ* ejus *lunares*, de quibus jam *Anno* ſuperiori diximus, quæque emendatiores in laudatis *Opuſculis* nunc proſtant. Cum, vi attractionis mutuæ corporum cœleſtium, cujusvis motus ſtricte loquendo pendeat a motibus omnium reliquorum, tam planetarum, quam cometarum; operam collocavit *Kieſius* in inveſtigando toto ſyſtematis noſtri ambitu, eumque in finem orbitas cometarum aliquot determinavit. Inprimis eum, quem A. 1719 obſervavit *Caſſinus*, aggreſſus eſt, ad cujus theoriam ſpectantia elementa hic exhibentur; unde prodit orbita, a Parabola parum admodum abludens. Hac occaſione affertur obſervatio, haud exiguo patriæ noſtræ honori cedens. Inventio nempe Orbitarum parabolicarum, a cometis deſcriptarum, tribui ſolet ſummo *Newtono*, a quo in *Principiis* primo propoſita putatur. Attamen ſtatim poſt obſervatum Cometam famoſiſſimum A. 1681 & 1682, adeoque aliquot ante *Newtonum* annis, *Doerfelius* quidam, V. D. miniſter Plavenſis in Variſcia, in Aſtronomia verſatiſſimus, eandem ſententiam Tractatu, lingua vernacula ſcripto, jam publice expoſuit, additis ſimul ploribus Obſervationibus de eodem cometa, ſumma
Pag. 50. cum cura inſtitutis, earumque ope delineata adeo exacte Parabola, ut non niſi parum a *Newtoniana* differat. In *Geometricis Naudæus* quasdam propoſitiones, a veteribus obſcuriuſcule enuntiatas, clarius exponere ac demonſtrare ſuſcepit, nempe 23, *V, Elem.* & 27, 28, 29, VI, & 129 VII *Pappi.*
54. In *Mechanica* theoriam motus corporum flexibilium aggreſſus eſt *Eulerus*. Hoc nomine intelligitur ſyſtema corporum quotvis, ita inter ſe connexorum, ut circa juncturas libere flecti queant, in morem catenæ, vel fili, corpora jungentis; quorum ſi augeatur numerus, & minuantur diſtantiæ in infinitum, oritur chorda quævis flexilis. Ejusmodi itaque ſyſtematis, in plano horizontali projecti, in eoque libere mobilis, motum & ſitum pro quovis tempore determinavit,

novo

Digitized by Google

novó ſublimioris motuum doctrinæ augmento. *Chymiæ* fines Pag. 58.
protulit *Pottius*, varia terrarum genera examini ſubjiciens. Hanc analyſin ope ignis vehementiſſimi inſtituit. Terras omnes in quatuor claſſes primarias diſtribuit: alcalinam, vel calcariam, vitreſcibilem, ſtrictius ſumtam, argillaceam, gypſeam, quæ ſingulæ peculiaribus inſigniuntur characteribus; &, ex harum, ceu primitivarum, varia mixtura reliquas omnes componi, exiſtimat. In methodos plantarum varias,
in *Botanica* uſitatas, inquiſivit *Ludolfus;* & requiſita bonæ 67.
methodi, tam reſpectu definitionum, quam diviſionum, quidque hoc reſpectu ad ejus perfectionem adhuc deſideretur, determinavit. Ad *Hiſtoriam naturalem* ſpectant variæ obſervationes, circa lapides figuratos a *Sackio* inſtitutæ. Invenit ingentem eorum numerum prope pagum Orsleben, ad fines Principatus Halberſtadienſis in loco valde elevato ſitum, corpora marina variorum generum petrefacta exhibentem; inter quæ eminet Cornu Ammonis primæ magnitudinis, ſtriis craſſioribus funicularibus falcatis ornatum, diametro pedem Rhenanum duosque fere pollices amplectens. Salia, quorum tres dari claſſes conſtat, foſſilia, marina, coctilia, diſquiſitioni ſubjecit *Franchevillæus*, eorumque ortum, antiquitatem, varia genera, præparationem, uſum,
expoſuit. *Hiſtoriam artium* auxit idem, in artem tincto- 74.
riam tam veterum, quam recentiorum, inquirens; nec ſolum plurimas obſervationes hiſtoricas collegit, ſed & inprimis varia ad majorem hujus artis perfectionem utiliſſima propoſuit. Eundem ſimili modo hiſtoriam ſingularum artium traditurum, memoratur, quod ſane utiliſſimum inſti-
tutum maxima laude dignum judicamus. In *Hiſtoria philo-* 78.
ſophica de idolis *Epicuri* commentatus eſt *Heinius*, eaque haud adeo a ſenſu communi abhorrere, quin potius cum recentiorum inventis probe conſpirare, oſtendit. In tranſitu adducitur locus ex P. *Pardies* libello *de cognitione brutorum*, Gallice Seculo ſuperiori edito, ubi jam mentio facta de mira polyporum ex aliis ſui generis diſſectis generatione; quin
imo, jam *Ariſtotelem* de iis locutum eſſe, traditur. In *Meta-* 91.

Digitized by Google

phyſicis materiam, quæ toties crucem fixit Philoſophis, de libertate, diſcutere, & ſingulari Tractatu, cujus ſciagraphiam exhibuit, exponere, ſtudet *Achardus*, in quo præcipuas Philoſophorum hac de re ſententias explicabit, libertatemque hominis demonſtratam, & ab objectionibus plurium, contra eam factis, vindicatam, ſiſtet; ac inprimis ſyſtema *Spinoſæ*, cui exquirendo plurimum operæ impendit, uberius
Pag. 94. exponet. In *Jure naturæ* avtochiriam impugnavit *Formey*; cui conatui anſam dedit Tractatus cujusdam *Jo. Robeckii de morte voluntaria*, Rintelii A. 1734 publicatus, in quo non ſolum omnibus viribus, omnique ingenio, avtochiriam defendere ſuſcepit Autor, ſed &, quantum de veritate ſententiæ ſuæ perſuaſus ſit, proprio facto comprobavit. Hujus itaque argumenta ſingula examini ſubjecit Vir laudatus, & ſolidis rationibus earum debilitatem demonſtravit. Idem ideas de juſto & injuſto propius & accuratius inſpexit. Conſtat, *Grotium* ſtatuere, juſtitiam, vel injuſtitiam, actionum humanarum omnibus legibus eſſe anteriorem, *Puſendorſium* vero, illam non exiſtere poſſe absque legibus. In hoc diſcrimen inquirens Autor, invenit, illud non niſi logomachiam eſſe, totamque rem ad ideas diſtinctas juſti redire; quibus peracute evolutis, liquet, moralitatem actionum leges quidem præcedere, juſtitiam vero legibus demum originem debere. Simili modo ideam de lege naturali magis illuſtrare ſtuduit. Quod denique
104. ad *Philologiam, literasque humaniores*, attinet, hiſtoriam Cryptographiæ expoſuit *Stubenrauchius*, variaque ejus genera, tam ab antiquis, quam a recentioribus, in uſum vocata, deſcripſit. In originem domus Zolleranæ, a qua deſcendunt Marchiones Brandenburgici, inquiſivit *Küſterus*, eamque opinionem, qua dicitur illa ab illuſtri Italica *Columnarum* gente ortum traxiſ-
111. ſe, fabuloſam deprehendit. Hiſtoriam hujus Anni claudunt elogia duorum membrorum, A. 1744 defunctorum, *Alphonſi des Vignoles* & *Jac. Frid. Lamprechtii*. Natus eſt ille A. 1649 in Languedocia, Galliæ provincia, ex antiqua & illuſtri familia. Cum ſtatui eccleſiaſtico ſe dediſſet, A. 1675 eccleſiæ cuidam in patria præfectus eſt. Inſequente A. 1685 perſecutione,

cutione, Berolini refugium quæſivit. Obiit ſucceſſu temporis munus miniſtri verbi divini in eccleſiis Suedenſi, Halenſi, Brandenburgenſi, Cœpenicenſi. Dein conceſſit Berolinum. Fuit inter primos Academiæ Scientiarum ſocios, & A. 1727 *Director Claſſis mathematicæ* electus eſt. Denique anno ætatis nonageſimo quinto vitam cum morte commutavit. Quam ſingularia ſint ejus in rem chronologicam merita, abunde conſtat, quorum ſpecimen palmarium eſt *Opus chronologicum*, A. 1735 Berolini duobus Voluminibus editum. Reliquorum ejus ſcriptorum omnium catalogus hic ſiſtitur. *Lamprechtius* Pag. 120. natus eſt Hamburgi ineunte hoc Seculo. Berolinum ſe contulit, Ephemerides politico-literarias ibidem conſcripturus. Eadem in urbe opuſculum Germanicum, *Coſmopolitis* titulo, vitamque *Leibnitii*, exaravit. Munus Secretarii *Claſſis philologicæ* in Academia obiit.

Progredimur ad ipſos *Commentarios;* qui ternas ex ſingulis *Claſſibus* Diſſertationes complectuntur. Agmen ducit *Phyſica*, in qua comparet 1) *Ludolfi junioris Obſervatio de Barometris electricis.* 3. Jam conſtat inter Phyſicos ea Barometrorum proprietas, qua, orta Mercurii agitatione, ope evacuationis alternatim factæ aeris in capſula contenti, corpuſcula leviora prope latus tubi ſuſpenſa ad ipſum attrahuntur. Quod phænomenon, de cujus certitudine nondum inter omnes convenit, iteratis vicibus ſuccedere deprehendit Autor, ipſis corpuſculis recipienti vitreo, ut effectus agitationis aeris externi tollatur, incluſis, qui inferiori parte tubo arcte applicatus, ſuperiori vero ita inſtructus eſſet, ut aer exinde extrahi potuerit. His præparatis, corpuſcula non ſolum a tubo attrahi, ſed ſæpe etiam repelli, obſervavit; remque adhuc ſuccedere, etiamſi recipiens ſit aere vacuus. Præterea, omnia electricitatis criteria, frictionem præcedentem, attractionem repulſionemve, lucem, ſtridorem, communicationem vis attractivæ, huic phænomeno competere, oſtendit. Sequitur 2) *Marggrafii Demonſtratio experi-* 8. *mentalis ſolutionis variorum metallorum, auri, argenti, mercurii, zinci, biſmuthi, ope ſalis alcalici diſſoluti.* Nondum ſatis

 omnibus

omnibus perſpecta eſt ea ſalium alcalicorum indoles, qua ad diſſolvenda metalla gaudeant, quippe quæ communiter acdis tantum ſolet tribui. Equidem caſus quosdam ſpeciales ejusmodi ſolutionum jam indicarunt *Stahlius*, *Glauberus*, *Kunckelius*; ſed majorem huic rei certitudinem conciliavit Autor, cujus ſolertia in indaganda corporum natura jam aliis egregiis ſpeciminibus comprobata eſt, inſtitutis variis de hoc phænomeno experimentis. Omnium autem maxime virtute hac ſolvendi præditum deprehendit ſal alcalicum diſſolutum, prius cum ſanguine bovino ſiccato calcinatum; quare non dubitat, quin ipſa hac calcinatione ſingulare quid ſali accedat. Præparationem ipſam hic edocet. Solvit autem ſal alcalicum tam aurum in aqua regia, quam argentum in aqua forti, antea diſſolutum & præcipitatum. Ne tamen nova hæc ſolutio potius ſalibus acidis, adhuc reſiduis, quam alcalicis, deberi videatur, ſollicite antea metallum præcipitatum aqua edulcoravit, & non minus experimentum ſucceſſit. Pariter mercurius, bismuthum, zincum, ſolutionem a ſalibus alcalicis patiuntur. Quin &, eandem virtutem non minus ſalibus volatilibus, quam fixis, intercedente tamen differentia quadam reſpectu variorum metallorum, competere, obſervavit. Varia quoque circa præcipitationes ejusmodi ſolutionum denuo factas annotavit.

Pag. 14. *Liberkühnius* 3) *Deſcriptionem novi Microſcopii anatomici*, a ſe inventi, tradit. Conſtat illud lamina cuprea, figuræ oblongæ, cujus quatuor angulis & ſummitati applicantur totidem acus orichalceæ, extremitatibus inſtructæ uncis, tam circa centrum, quam in longitudinem, mobiles; quibus animalia minora viva firmari, & in ſitum quemvis commode diſponi, poſſunt. In medio fere foramine rotundo pertuſa eſt, cui ab una parte applicatur pars animalis aperti inſpicienda, aliisque ejusmodi acubus uncatis dirigenda, ab altera lamina, microſcopium gerens. Tota machina pedi firmo innititur. Sed, cum uberiorem ejus deſcriptionem absque figuris ipſis exhibere non valeamus, hoc ſaltem addimus, noſtro quidem judicio illud uſum in inveſtigandis minimis anima-

animalium viventium partibus, plurimisque novis in re anatomica detegendis, habere poſſe inſignem, eo magis, quod hoc ipſum Cel. Autor propria experientia per egregia, quæ de rebus omnem antea viſum effugientibus patefecit, inventa jam comprobatum habeat.

Succedit *Claſſis mathematica*, in eaque 1) *Eulerus de vi percuſſionis, veraque ejus menſura*, commentatur. Totam hanc doctrinam a primis ideis deducens, initium a natura vis inertiæ petit. Quicquid mutat ſtatum corporis, vel in quiete, vel in motu, conſtituti, nomine *vis* inſigniri ſolet; quicquid contra ſtatum vel motus, vel quietis, in corpore conſervare annititur, *inertia* dicitur. Etſi itaque inertia nunquam in ipſo corpore mutationem producat, poterit tamen ejus cauſa eſſe in aliis corporibus; adeo ut pro vi, non quidem reſpectu ipſius corporis, ſed aliorum, haberi queat. Quin imo, omnes omnino mutationes in rerum natura huic deberi, nullamque proprie vim, niſi quæ ab inertia proficiſcitur, exiſtere, docet Cel. Autor. Quem infinem obſervat, conatum in ſtatu ſuo perſeverandi non exiſtere poſſe absque reſiſtentia, omni, quod corpus a ſtatu illo deturbare poteſt, facienda. Si itaque duo corpora ſibimet occurrant, neutrum ad conſervationem ſui ſtatus tendere poteſt, niſi mutationem in altero producat. Quare, cum mundus perpetuo ſit plenus corporibus varie motis, ſeque mutuo percutientibus, neceſſe eſt, ut ſtatus omnium perpetuo alteretur; quas vero mutationes omnes ſoli inertiæ adſcribi poſſe, nec adeo alias præter eam vires motrices effingendas eſſe, palam eſt. Porro inertia proprietas eſt, omnibus corporibus generatim competens, & quantitati materiæ proportionalis, eademque proinde ſemper in corpore, ſeu quieſcente, ſeu moto. Quod quidem ad corpus motum attinet, duo in ea concipi poſſunt, velocitas & directio; utrumque inertia conſervare tendit. Cum itaque alterutrum ipſorum offendere poſſit obſtacula, duplex poterit eſſe in hæc effectus inertiæ. Aut enim mutatur celeritas, ut fit in duobus corporibus, directe ſe percutientibus, tumque is dicitur colliſio, ſeu *percuſſio*; aut directio, Pag. 21.

Digitized by Google

ut in corpore, a funda gyrato, vel in tubo curvo moto, tumque vis centrifuga inde genita eſt *preſſio*. Utraque igitur hæc vis, percuſſio, & preſſio, ab eadem cauſa, inertia, oritur; utraque non niſi ſtatu corporis occurſu obſtaculi mutato exiſtere poteſt; & ab alterutra harum omnes omnino mutationes in mundo oriuntur. Preſſionum quidem natura ſatis evoluta eſt, earumque quantitas & relatio mutua in Statica, effectus vero in corpora in Mechanica, definiuntur. Contra percuſſionis natura, effectus, menſura, nondum extra omne dubium ſunt poſita. Conſtat enim, *Leibnitium*, ejusque aſſeclas, maximam inter percuſſionem & preſſionem ponere differentiam; illas vivarum, has mortuarum, nomine inſignire; alteram alteri prorſus heterogeneam, eandemque inter utramque eſſe rationem, quæ inter ſuperficies & lineas, ſtatuere; illamque quadratis velocitatum, has velucitatibus ipſis, in maſſam ductis, menſurare. Diſceptationem illam de menſura virium, inter tot eruditos, quin inter tot gentes, tanto animorum motu agitatam, quis eſt, qui ignoret? Sed quid mirum, cum nondum inter eos de effectu, cujus quantitate vis viva menſuranda ſit, convenerit. Eo majori itaque attentione digna credimus apud eruditos Cel. Autoris cogitata, e quibus, totam controverſiam tantum non in meram logomachiam abire, patet. Primo enim negat, ullam omnino corpori moto, abſolute & in ſe conſiderato, tribui poſſe vim, quæ potius in ipſa percuſſione unice pendet a relatione, in qua illud cum aliis reperitur, &, hac mutata, quoque variat. Etenim in corpore, in ſe ſpectato, nulla exiſtit vis, niſi inertia; ſin vero ab aliis corporibus ambientibus ſtatus ejus mutetur, inertia producit vim, quæ nullo modo, niſi ope ipſius mutationis, in his productæ, determinari poteſt; quemadmodum e. g. corpus, in canali curvo motum, varias ſucceſſive in eum exerit preſſiones, ſed ab ipſius curvæ indole pendentes, quas corpori abſolute tribuere, utique abſurdum eſſet. Secundo loco obſervat, præcipuum menſuræ virium vivarum fundamentum penitus corruere, quamprimum, vires in percuſſione effectum ſuum non in inſtanti,

ſed

ſed finito demum tempore quodam, producere, demonſtrari poteſt. At enim vero probant id non ſolum experimenta clariſſima, quibus impreſſiones in corporibus poſt percuſſionem adhuc conſpicuæ ſiſtuntur; ſed & ipſa lex naturæ generalis omnem ſaltum in rerum natura prohibet. Quæ cum ita ſint, vis percuſſionis re ipſa redit ad preſſionem, cum quovis inſtanti aſſignari poſſit preſſio, quam corpora in ſe exercent; tota diſtinctio inter vires vivas & mortuas evaneſcit; nec ullam aliam virium percuſſionis menſuram quærere opus eſt, cum jam hæ ipſæ cum preſſionibus omnimode comparari queant. Poterit igitur vis percuſſionis conſiderari haud aliter, quam compoſita ex continuis preſſionibus per totum tempus percuſſionis variabilibus; quare illa perfecte cognoſcetur, ſi conſtet & tempus hoc, & preſſio mutua, quovis ipſius momento reſpondens; quibus perſpectis, per leges motus, a preſſionibus continuis oriundi, omnia ad motum corporum ſpectantia definiri poterunt. Ad determinandam vero iſtam preſſionem mutuam antea requiritur, ut determinetur generatim quantitas impreſſionis, a data preſſione in corpore dato oriunda; quæ erit eo minor, quo major eſt corporis durities. Patet vero, pro dato corpore impreſſiones eſſe, ut ipſas vires prementes. Durities ipſa autem optime menſurabitur per quantitatem vis, quæ ad datam impreſſionem in ea faciendam requiritur. Unde generatim impreſſio quævis erit ut quantitas preſſionis & durities corporis conjunctim. His poſitis, ipſam ſolutionem Problematum, ad percuſſionem corporum ſpectantium, ope principiorum præcedentium, Vir Cel. aggreditur. Primo ſupponit duo priſmata, baſibus æqualibus gaudentia, quorum unum, obſtaculo firmo retentum, ab altero percutitur; pro quibus definit vim prementem, & impreſſionem mutuam ſingulis momentis, tempusque percuſſionis totalis. Hinc quoque differentiam percuſſionis oſtendit, quæ a corporum duritie majori minorive, item a tenacitate, vel fragilitate, oritur, quarum poſterior in phialis vitreis eſt admodum conſpicua. Dein percuſſionem corporis immobilis, ab

alio

alio figuræ cujusvis conoidicæ factam, ſimili prorſus modo conſiderat. Convertimus nos ad Diſſertationem *ſecundam*, quæ *novum Problema mechanicum, a Dan. Bernoullio ſolutum*, ſiſtit. Propoſuerat ei Cel. *Eulerus*, determinare motum variabilem tubi, circa punctum fixum mobilis, & pondere intra ipſum libere mobili onerati. Miſit ſolutionem Cel. *Bernoullius* pro eo caſu, quo tubus eſſet rectus, ejusque motus fieret in plano horizontali; non quidem, quod methodus, in eo adhibita, non ad Problema generatim ſolvendum ſufficeret, ſed quod ſolutionem hac ratione ſimpliciorem reddere mallet. Viciſſim propoſuit Problematis Autori, ut, poſitis iisdem conditionibus, definiret motum totius ſyſtematis, ſi tubus quotcunque corporibus onuſtus ſupponatur; quod adeo *Eulero* placuit, ut ipſum acutiſſimo *Clairaltio* proponeret. Cum paulo poſt, utrumque ſolutionem novi Problematis adeptum eſſe, ex iis intellexerit *Bernoullius*, ipſorum tamen methodos adhuc ignoret; propriam ſolutionem cum integra Analyſi hic exponere, e re duxit. In anteceſſum monet, multum falli eos, qui, ſolutiones ejusmodi Problematum non niſi ſpeculationes quasdam ſingulares, nec adeo utiles, eſſe, exiſtiment; cum potius ſemper fere ad novas naturæ leges cognoſcendas nos deducant; quin ipſiſſimum hoc Problema, paulo generalius conceptum, uſum forſan in Aſtronomicis ad determinandum motum terræ & lunæ mutuum habere poſſit. Ad ipſam ſolutionem quod attinet, in ea adhibuit varia principia nova, ab ipſo inventa; quo inprimis ſpectat hæc propoſitio valde elegans (a Cel. *Eulero* eodem tempore detecta): Si tubus rectus, globum libere mobilem continens, circa punctum fixum in plano horizontali moveatur; erit productum ex velocitate circulatoria (hoc eſt, in arculo circa centrum deſcripto,) in maſſam & diſtantiam a centro motus, quod *momentum motus circulatorii* dicit, pro toto ſyſtemate ſemper conſtans; quæ adhuc vera eſt, quotcunque corpora tubo includantur. Alia propoſitione definitur, poſitis iisdem, velocitas corporis centrifuga, hoc eſt, qua ſecundum rectam per centrum abire anniti-

Pag. 54.

Digitized by Google

TAB. VI ad Nov. Act. Erud. A. 1748 Menſ. Aug.
pag. 461. 463. 465.

Fig. I




Fig. II





Fig. III



Digitized by Google

Digitized by Google

annititur. Ex his conſit ipſa ſolutio Problematis, dum nempe pro quovis momento, & ſitu tubi, determinatur motus totius ſyſtematis, idque formulis ſatis ſimplicibus. Ceterum notiſſimum principium conſervationis virium vivarum etiam hic locum habere deprehenditur. Ipſe ſuccedit denuo *Eulerus* 3), *de variis proprietatibus ſectionum conicarum, quæ infinitis aliis Curvis quoque competunt*, agens. Variæ dantur ſectionum conicarum proprietates, quas ipſis ſolis tribuendas eſſe, variæ, quas aliis quoque Curvis competere poſſe, ſtatim patet. De aliis contra dubium eſt, an ipſis ſint propriæ, an cum aliis Curvis communes. Optimum itaque huic rei remedium afferetur, ſi Analyſeos ope quærantur omnes Curvæ, data proprietate gaudentes, unde patebit, an ſolæ ſectiones conicæ ſatisfaciant, an ſecus. Ejusmodi quæſtionibus, a Geometris jam hinc inde tractatis, quasdam hic addit Vir Cel., e natura diametrorum obliquangularum, quarum reſpectu varia in ſectionibus conicis locum habent, inprimis petitas. Primo itaque Parabolam, eamque ipſius proprietatem, conſiderat, qua recta quævis axi parallela eſt ſimul diameter obliquangula, rectas quasvis, in certo angulo ad ipſam ductas, & Parabola terminatas, biſecans. Quo itaque pateat, an hæc ſoli Parabolæ competat, ſequens proponit Problema: Invenire Curvam, quæ in data ab axe diſtantia habeat diametrum axi parallelam, ordinatas omnes, in dato ad axem angulo ductas, biſecantem. Ut ideam quandam methodi, qua in hujusmodi quæſtionibus utitur Geometra inſignis, effingamus, referat *AMm* Curvam, *AD* axem, *FG* diametrum, *Mm* ordinatam; ſit diſtantia $DE = a$, anguli T ſinus $= m$, coſinus $= n$ ad rad. 1, $AT = t$, $TM = z$. Jam, quia per hypotheſin quævis recta, in dato angulo T ducta, occurrit Curvæ in duobus punctis M, m, ſequitur, æquationem inter t, z, fore talem, ut pro quovis t duo prodeant, ipſius z valores, ſeu ut habeat formam hanc quadraticam: $z^2 = 2Pz - Q$, denotantibus P, Q, fnnctiones quasvis ipſius t. Jam, cum duæ hujus radices ſint TM, Tm, erit $TM + Tm = 2P$, ſeu $P = \frac{TM + Tm}{2}$ h. e. $= TE =$

Pag. 71.

TAB. VI Fig. 1.

$\frac{a}{m}$;

$\frac{t}{m}$; unde æquatio inter t, z, eſt $z^2 = \frac{2az}{m} - Q$. Ut vero habeatur æquatio inter coordinatas $AP = x$, $PM = y$, erit $y : z = m$, $\frac{t + x}{z} = n$, unde $z = y : m$, & $t = ny : m - x$.

Curva itaque proprietate gaudebit propoſita, ſi $\frac{y^2 - 2ay}{mz}$ ſit functio quævis ipſius $\frac{ny}{m} - x$. Poſitis ergo $ny - mx = X$, $y^2 - 2ay = Y$, ſi formetur æquatio quævis poſſibilis inter X, Y, in eaque ſubſtituantur horum valores per x, y, habebuntur infinitæ Curvæ, eam cum Parabola proprietatem communem habentes, ut recta quædam axi parallela ſit diameter. Sed, cum in hiſce Curvis quæpiam ſaltem, in Parabola vero omnes rectæ axi parallelæ, ſint diametri, quæratur nunc, an præter Parabolam dentur Curvæ, duabus pluribusve diametris præditæ; quod ſimpliciſſime fiet, quærendo primum, an inter Curvas modo inventas dentur quædam, in quibus præterea axis ſit ad minimum diameter orthogonalis. Quem in finem conſideretur, requiri, ut in æquatione inter x & y nullæ adſint ipſius y dimenſiones impares. Cum ergo in valoribus ipſorum X, Y, adſit y primæ dimenſionis, ex utroque fiat nova variabilis, in qua hæc dimenſio abſit, nempe $Z = Y + \frac{2aX}{n} = y^2 - \frac{2max}{n}$. Jam, cum Problemati præcedenti ſatisfaciat æquatio quævis inter X & Y, ſatisfaciet etiam quævis inter Y & Z, quæ generatim erit hujus formæ: $0 = \alpha + \beta Y + \gamma Z + \delta Y^2 + \varepsilon YZ + \zeta Z^2$ &c. Patet vero, terminum βY continere y, quæ per nullum ſequentium tolli poteſt, proinde, vi allatorum, abjiciendum eſſe; quod pariter valebit de terminis YZ, YZ^2, &c. Sed, ſi admittatur terminus δY^2, neceſſe eſt, ut, propter y^3, quod

in-

Digitized by Google

in eo ineſt, pariter admittatur Y^3, per quem tolli poſſit y^5. Verum Y^3 continet y^5, unde ſimili modo admittendus Y^4, & eodem modo omnes reliqui in infinitum. Idem locum habet de terminis $Y^2 Z$, $Y3 Z^2$, quorum quivis admitti nequit, niſi admiſſis aliis in infinitum. Cum ergo deſideretur æquatio finita, omnes termini per Y affecti omittendi erunt; quare remanet $o = \alpha + \gamma Z + \zeta Z^2$ &c. unde prodit Z, hoc eſt, $y^2 - \frac{2max}{n} =$ conſt. Manifeſtum itaque eſt, præter Parabolam nullam dari Curvam algebraicam, quæ habeat ramos circa axem ſimiles, ſimulque diametrum axi parallelam. Sed ex æquatione modo inventa porro educit Noſter, non unicam ſolum, ſed quamvis, axi parallelam diametri vices gerere. Oſtendit quoque ex ipſa rei natura, quamvis Curvam, duas modo diametros parallelas habentem, habere infinitas alias, æqualibus intervallis inter ſe parallelas. Pergit dein ad conſiderationem diametrorum, in uno puncto concurrentium, ut in Ellipſi ac Hyperbola. Ad modum itaque præcedentem primo ſequens proponit Problema: Invenire Curvam AMm ad axem AC relatam, quæ habeat diametrum poſitione datam CF, ordinatas omnes Mm, in dato ad axem angulo T ductas, biſecantem. Poſitis iisdem, quæ ſupra, ſit præterea anguli C ſinus $= p$, coſ. $= q$; unde anguli E ſinus erit $= mq + np$, coſ. $= nq - mp$ ſimili ratiocinio poſita jam $CT = t$, ipſis autem Z, P, Q, ut ante, habebitur æquatio: $z^2 = 2Pz - Q$, in eaque $P = TE$. Sed ex Δlo CTE elicitur $P = \frac{pt}{mq+np}$, unde fit $z^2 = \frac{2ptz}{mq+np} - Q$. Quærendo vero æquationem inter coordinatas $CP = x$, $PM = y$, prodit $z = y:m$, $t = x + \frac{ny}{m}$; unde colligitur, poſitis

TAB. VI Fig. 2.

factis $mx+ny=X$, $y^2+\frac{2mpxy}{np-mq}=Y$, ſi formetur æquatio quævis poſſibilis inter X, Y, ut ante, haberi infinitas Curvas, aliquam diametrum habentes. Sed quæratur jam porro, an inter eas dentur, in quibus præterea axis ſit diameter orthogonalis. Neceſſe eſt ergo, ut abſint dimenſiones ipſius y impares. Aſſumatur ergo nova variabilis, in qua hæc dimenſio abſit $Z = nq\,X^2 - n\left(\frac{np-mq}{m}\right)Y = nqy^2 + mpx^2$; & habebitur æquatio, Problemati generali ſatisfaciens, $0=\alpha+\beta X+\gamma Z+\delta X^2+\varepsilon XZ+\zeta Z^2$ &c. Ut jam ex ea abeat y, patet, hoc primo fieri, ſi omnes termini per X affecti evaneſcant; unde prodiret Z, hoc eſt, $nqy^2+mpx^2=$ conſt., quæ præbet ſectiones conicas, centro C & axe CA deſcriptas; porroque ex ea deduci poteſt, quamvis rectam, per C ductam, eſſe diametrum. Sed aliter quoque propoſito ſatisfiet, ſi, manente X in æquatione, determinentur coefficientes, ita ut y abeat. Quod quomodo fieri poſſit, oſtendit Cel. Autor, atque inde, infinities infinita Curvarum genera in promtu eſſe, docet. Simpliciſſimæ inter has ſunt ex tertio ordine, inter Hyperbolas redundantes *Newtoni*, & præterea, quod circa axem ſint utrinque ſimiliter poſitæ, duabus gaudent ab utraque axis parte diametris obliquangulis. Ceterum demonſtrat quoque proprietatem hanc notabilem, ſi Curva habeat duas diametros, ſibi occurrentes, habere eam in plures per idem punctum concurſus tranſeuntes, imo infinitas, modo ſequentes cum præcedentibus non coincidant. His ita expeditis adjungit adhuc Problema, ipſis quodammodo affine, a Cel. *Clairaltio* ipſi propoſitum. Conſtat nempe inſignis Ellipſeos proprietas, qua parallelogramma quævis, ipſi inſcripta, per extremitates duarum diametrorum conjugatarum, eandem ſemper aream comprehendunt. Si jam omittatur diametrorum notio, & quærantur aliæ Curvæ, com-

Digitized by Google

communem hanc cum Ellipſi proprietatem habentes, res eo redibit: Invenire Curvam AaB, duas diametros orthogonales AB, aC, & proinde centrum C, habentem, ejus indolis, ut, ducto radio quovis CM, & alio Cm, tangenti MT in M ductæ parallelo, area Δli MCm ſit ubique conſtans & $= \Delta\, ACa$. Methodi perſpiciendæ cauſa hæc addemus. Sit $CP = x$, $PM = y$; unde primo, ob AB, AC, diametros orthogonales, æquatio Curvæ debebit continere dimenſiones pares ipſorum x, y. Sit porro $Cp = t, pm = u$; quare, propter continuitatem Curvæ, eadem debebit eſſe æquatio inter t^2, u^2, quæ inter x^2, y^2. Sumatur ergo nova variabilis Z, per quam determinentur x, y; quæque ſit talis, ut, ea mutata in $-z$, mutetur x^2 in t^2; y^2 in u^2, quo ipſo lex continuitatis implebitur. Sint ipſius z functiones pares P, R, impares Q, S. Ponendo ergo $x^2 = P + Q$; $y^2 = R + S$, facta z negativa erit $t^2 = P - Q$, $u^2 = R - S$. Porro, ob rectam Cm tangenti MT parallelam, erit $dx : dy = t : u$, unde $udx + tdy = o$. Denique, ut area $\Delta\, MCm$ ſit conſtans, quæratur ejus valor, qui erit $= \frac{ty + ux}{2}$; quare fiet

$ydt + tdy + udr + xolu = o$, hoc eſt, (ob $udx + tdy = o$) $ydt + xdu = o$; unde intelligitur, viciſſim radium CM tangenti mt eſſe parallelum. Ponatur jam $ty + ux = 2cc$, unde, ſubſtitutis valoribus, erit $\sqrt{(P+Q)}\,(R-S) + \sqrt{(P-Q)}\,(R+S) = 2cc$. Denotet V functionem ipſius z imparem, & ponatur $\sqrt{(P+Q)}\,(R-S) = cc + V$, unde, facta $-z$, hoc mutabitur in $\sqrt{(P-Q)}\,(R+S)$, adeo ut ſit $= cc - V$, quemadmodum natura hujus conditionis requirit. Hinc ergo fit $x = \sqrt{(P+Q)}$, $y = \frac{cc - V,}{\sqrt{(P-Q)}}$, & pariter habentur ipſarum t, u, valores. Cum ergo ſit $udx + tdy = o$, ſubſtitutis valoribus, habebitur æquatio differentialis inter

 $P, Q, V,$

ſitis $mx+ny=X$, $y^2+\frac{2mpxy}{np-mq}=Y$, ſi formetur æquatio quævis poſſibilis inter X, Y, ut ante, haberi infinitas Curvas, aliquam diametrum habentes. Sed quæratur jam porro, an inter eas dentur, in quibus præterea axis ſit diameter orthogonalis. Neceſſe eſt ergo, ut abſint dimenſiones ipſius y impares. Aſſumatur ergo nova vocabilis, in qua hæc dimenſio abſit $Z=mpX^2-n\left(\frac{np-mq}{m}\right)Y=nqy^2+mpx^2$; & habebitur æquatio, Problemati generali ſatisfaciens, $o=\alpha+\beta X+\gamma Z+\delta X^2+\epsilon XZ+\zeta Z^2$ &c. Ut jam ex ea abeat y, patet, hoc primo fieri, ſi omnes termini per X affecti evaneſcant; unde prodiret Z, hoc eſt, $nqy^2+mpx^2=$ conſt., quæ præbet ſectiones conicas, centro C & axe CA deſcriptas; porroque ex ea deduci poteſt, quamvis rectam, per C ductam, eſſe diametrum. Sed aliter quoque propoſito ſatisfiet, ſi, manente X in æquatione, determinentur coefficientes, ita ut y abeat. Quod quomodo fieri poſſit, oſtendit Cel. Autor, atque inde, infinities infinita Curvarum genera in promtu eſſe, docet. Simpliciſſimæ inter has ſunt ex tertio ordine, inter Hyperbolas redundantes *Newtoni*, & præterea, quod circa axem ſint utrinque ſimiliter poſitæ, duabus gaudent ab utraque axis parte diametris obliquangulis. Ceterum demonſtrat quoque proprietatem hanc notabilem, ſi Curva habeat duas diametros, ſibi occurrentes, habere eam plures per idem punctum concurſus tranſeuntes, imo infinitas, modo ſequentes cum præcedentibus non coincidant. His ita expeditis adjungit adhuc Problema, ipſis quodammodo affine, a Cel. *Clairaltio* ipſi propoſitum. Conſtat nempe inſignis Ellipſeos proprietas, qua parallelogramma quævis, ipſi inſcripta, per extremitates duarum diametrorum conjugatarum, eandem ſemper aream comprehendunt. Si jam omittatur diametrorum notio, & quærantur aliæ Curvæ,

com-

communem hanc cum Ellipſi proprietatem habentes, res eo redibit: Invenire Curvam AaB, duas diametros orthogonales AB, aC, & proinde centrum C, habentem, ejus indolis, ut, ducto radio quovis CM, & alio Cm, tangenti MT in M ductæ parallelo, area Δli MCm ſit ubique conſtans & $= \Delta\, ACa$. Methodi perſpiciendæ cauſa hæc addemus. Sit $CP = x$, $PM = y$; unde primo, ob AB, AC, diametros orthogonales, æquatio Curvæ debebit continere dimenſiones pares ipſorum x, y. Sit porro $Cp = t$, $pm = u$; quare, propter continuitatem Curvæ, eadem debebit eſſe æquatio inter t^2, u^2, quæ inter x^2, y^2. Sumatur ergo nova variabilis Z, per quam determinentur x, y; quæque ſit talis, ut, ea mutata in $-z$, mutetur x^2 in t^2, y^2 in u^2, quo ipſo lex continuitatis implebitur. Sint ipſius z functiones pares P, R, impares Q, S. Ponendo ergo $x^2 = P + Q$; $y^2 = R + S$, facta z negativa erit $t^2 = P - Q$, $u^2 = R - S$. Porro, ob rectam Cm tangenti MT parallelam, erit $dx : dy = t : u$, unde $udx + tdy = o$. Denique, ut area $\Delta\, MCm$ ſit conſtans, quæratur ejus valor, qui erit $= \frac{ty + ux}{z}$; quare fiet $ydt + tdy + udr + xolu = o$, hoc eſt, (ob $udx + tdy = o$) $ydt + xdu = o$; unde intelligitur, viciſſim radium CM tangenti mt eſſe parallelum. Ponatur jam $ty + ux = 2cc$, unde, ſubſtitutis valoribus, erit $\sqrt{(P+Q)(R-S)} + \sqrt{(P-Q)(R+S)} = 2cc$. Denotet V functionem ipſius z imparem, & ponatur $\sqrt{(P+Q)(R-S)} = cc + V$, unde, facta $-z$, hoc mutabitur in $\sqrt{(P-Q)(R+S)}$, adeo ut ſit $= cc - V$, quemadmodum natura hujus conditionis requirit. Hinc ergo fit $x = \sqrt{(P+Q)}$, $y = \frac{cc - V}{\sqrt{(P-Q)}}$, & pariter habentur ipſarum t, u, valores. Cum ergo ſit $udx + tdy = o$, ſubſtitutis valoribus, habebitur æquatio differentialis inter

TAB. VI Fig. 3.

 $P, Q, V,$

P, Q, V, quæ integrata dat $\frac{V}{\surd(P^2 Q^2)} = \int \frac{cc(PdQ - QdP)}{(P^2 - Q^2)^{\frac{3}{2}}}$.

Jam, cum ſit P functio par, Q impar, ponatur $Q = Pz$, unde fiet $\frac{V}{P\surd(1 - z^2)} = \int \frac{ccdz}{P(1 - z^2)^{\frac{3}{2}}}$. Ut jam habeantur Curvæ algebraicæ, ſumatur Z functio quævis impar ipſius z, & ponatur ſumma $= \frac{Z}{\surd(1 - z^2)}$, & dabitur

$$P = \frac{cc\,dz}{(1 - z^2)dZ + Zzdz};$$

unde vi præcedentium in promtu ſunt valores ipſarum Q, V, adeoque ipſarum x, y, quæ igitur definiuntur per z, Z, & Problemati omnimodo ſatisfit.

Pag. 101. Pergamus nunc ad *tertiam Claſſem, philoſophicam.* Continet ea 1) *Heinii Diſſertationem de origine entium animatorum ſecundum ſyſtema Hippocratis.* Anſam præſenti Diſquiſitioni dedit Cel. *Geſneri* Diſſertatio, ſub titulo: Ψυχαὶ Ἱπποκράτους ἐξ ἅδου εἰς τὸ φῶς προηγμέναι, Gœttingæ A. 1737 publicata, in qua Vir Cel. fragmentum *Hippocratis* ex *Lib. I de Diæta* attulit, emendavit, ex eoque ſyſtema animarum *Hippocraticum* luci expoſuit (vid. *Suppl. Act. Nov. T. III Sect. X*). Hoc jam uberius explicare conſtituit Noſter. Notat primo, inventa recentiorum de animalculis ſpermaticis veteribus quidem fuiſſe ignota; ſed, quæ inde deducunt de formatione corporum animalium ex ſtaminibus hiſce, jam antea exiſtentibus, & ſucceſſive ſeſe evolventibus, ratiocinia ita eſſe comparata, ut jam *Hippocrati* eorum idea vindicanda ſit. Fundamentum hujus ſententiæ nititur celebratiſſimo veteribus axiomate: ex nihilo nihil fit. Concludit exinde, corpora omnia organica, in mundo exiſtentia, non denuo formari, ſed minima eorum ſtamina a principio jam

Digitized by Google

jam exiſtere, licet omnem ſenſum effugiente parvitate. Hæc ψυχὰς appellat. Quamdiu in hoc ſtatu verſantur, ea dicit eſſe ἐν ἀδῃ, quamprimum vero adeo creſcunt, ut ſenſibus appareant, ea ἐς τὸ φῶς prodire dicit. Simili modo ea ex luce in tenebras revertuntur. Hanc vero mutationem conflictui perpetuo in rerum natura inter vim activam & paſſivam, ſeu, ut ipſius verbis utamur, inter ignem & aquam, deberi, ſtatuit. Introitum animarum in lucem ita fieri credit: Earum plena eſſe omnia, aerem, aquam, terram; ea ſic continuo in corpora animalium intrare, donec offendant locum, evolutioni ipſorum idoneum, tunc creſcere, & ſub forma corporis organici apparere. Vice verſa morte corporis animas non deſtrui, ſed ſaltem denuo ab ea ſeparari, exiſtimat. Attamen animam rationalem ſub iis non comprehendit, ſed ſubtiliſſimam & igneam naturam ei tribuit. Omnia iſta dilucide exponit Noſter, & ex ipſis *Hippocratis* verbis derivat. Quin & tandem peringenioſam phænomenorum, in polypis haud ita pridem detectorum, explicationem per ſyſtema *Hippocraticum* exhibet. *De Tariges* 2) *Examen Spinoziſmi, & objectionum, a Balio contra hoc ſyſtema factarum*, ſiſtit. Conſtat, *Spinoſæ* ſyſtema impugnaſſe *Balium*, ſed non eo ſucceſſu, qualem ab ejus ingenio exſpectare liceret. Rem igitur denuo aggredi conſtituit præſentis Diſſertationis Autor, eumque in finem totum *Spinoſæ* ſyſtema ſolicite meditatus eſt. Quo facto, id ita comparatum eſſe deprehendit, ut ex propriis ipſius principiis labefactari & dirui queat. Oſtendit nempe, id non niſi ex ideis *Carteſii* male applicatis ortum trahere, ac ex unico errore reliquos omnes prono fluere alveo. Quæ hac de re pluribus diſſerit, ejus ſunt indolis, ut ea vix breviter exponere nobis jam liceat. Succedat ergo 3) *F. Achardus, conſiderationes circa infinitum mathematicum* exhibens. In iis id agit, ut, ideam infiniti mathematici in intellectu tantum exiſtere, nunquam vero realem fieri poſſe, oſtendat. Impugnat ergo Cel. *Geometriæ infiniti* Autorem, quem ideas haſce pro realibus venditaſſe conſtat. Primo in originem ideæ infiniti inquirit,

Pag. 121.

143.

ex

$P, Q, V,$ quæ integrata dat $\frac{V}{\surd(P^2 Q^2)} = \int \frac{cc(PdQ - QdP)}{(P^2 - Q^2)^{\frac{3}{2}}}.$ Jam, cum ſit P functio par, Q impar, ponatur $Q = Pz$, unde fiet $\frac{V}{P\surd(1-z^2)} = \int \frac{ccdz}{P(1-z^2)^{\frac{3}{2}}}.$ Ut jam habeantur Curvæ algebraicæ, ſumatur Z functio quævis impar ipſius z, & ponatur ſumma $= \frac{Z}{\surd(1-z^2)}$, & dabitur

$P = \frac{ccdz}{(1-z^2)dZ + Zzdz};$ unde vi præcedentium in promtu ſunt valores ipſarum Q, V, adeoque ipſarum x, y, quæ igitur definiuntur per z, Z, & Problemati omnimodo ſatisfit.

Pag. 101. Pergamus nunc ad *tertiam Claſſem, philoſophicam.* Continet ea 1) *Heinii Diſſertationem de origine entium animatorum ſecundum ſyſtema Hippocratis.* Anſam præſenti Diſquiſitioni dedit Cel. *Geſneri* Diſſertatio, ſub titulo: Ψυχαὶ Ἱπποκράτους ἐξ ἅδου εἰς τὸ φῶς προηγμέναι, Gœttingæ A. 1737 publicata, in qua Vir Cel. fragmentum *Hippocratis* ex *Lib. I de Diæta* attulit, emendavit, ex eoque ſyſtema animarum *Hippocraticum* luci expoſuit (vid. *Suppl. Act. Nov. T. III Sect. X*). Hoc jam uberius explicare conſtituit Noſter. Notat primo, inventa recentiorum de animalculis ſpermaticis veteribus quidem fuiſſe ignota; ſed, quæ inde deducunt de formatione corporum animalium ex ſtaminibus hiſce, jam antea exiſtentibus, & ſucceſſive ſeſe evolventibus, ratiocinia ita eſſe comparata, ut jam *Hippocrati* eorum idea vindicanda ſit. Fundamentum hujus ſententiæ nititur celebratiſſimo veteribus axiomate: ex nihilo nihil fit. Concludit exinde, corpora omnia organica, in mundo exiſtentia, non denuo formari, ſed minima eorum ſtamina a principio jam

Digitized by Google

jam exiſtere, licet omnem ſenſum effugiente parvitate. Hæc ψυχὰς appellat. Quamdiu in hoc ſtatu verſantur, ea dicit eſſe ἐν ᾅδῃ, quamprimum vero adeo creſcunt, ut ſenſibus appareant, ea εἰς τὸ φῶς prodire dicit. Simili modo ea ex luce in tenebras revertuntur. Hanc vero mutationem conflictui perpetuo in rerum natura inter vim activam & paſſivam, ſeu, ut ipſius verbis utamur, inter ignem & aquam, deberi, ſtatuit. Introitum animarum in lucem ita fieri credit: Earum plena eſſe omnia, aerem, aquam, terram; ea ſic continuo in corpora animalium intrare, donec offendant locum, evolutioni ipſorum idoneum, tunc creſcere, & ſub forma corporis organici apparere. Vice verſa morte corporis animas non deſtrui, ſed ſaltem denuo ab ea ſeparari, exiſtimat. Attamen animam rationalem ſub iis non comprehendit, ſed ſubtiliſſimam & igneam naturam ei tribuit. Omnia iſta dilucide exponit Noſter, & ex ipſis *Hippocratis* verbis derivat. Quin & tandem peringenioſam phænomenorum, in polypis haud ita pridem detectorum, explicationem per ſyſtema *Hippocraticum* exhibet. *De Tariges* 2) Pag. 121. *Examen Spinoziſmi, & objectionum, a Balio contra hoc ſyſtema factarum,* ſiſtit. Conſtat, *Spinoſæ* ſyſtema impugnaſſe *Balium*, ſed non eo ſucceſſu, qualem ab ejus ingenio exſpectare liceret. Rem igitur denuo aggredi conſtituit præſentis Diſſertationis Autor, eumque in finem totum *Spinoſæ* ſyſtema ſolicite meditatus eſt. Quo facto, id ita comparatum eſſe deprehendit, ut ex propriis ipſius principiis labefactari & dirui queat. Oſtendit nempe, id non niſi ex ideis *Carteſii* male applicatis ortum trahere, ac ex unico errore reliquos omnes prono fluere alveo. Quæ hac de re pluribus diſſerit, ejus ſunt indolis, ut ea vix breviter exponere nobis jam liceat. Succedat ergo 3) *F. Achardus, conſiderationes circa* 143. *infinitum mathematicum* exhibens. In iis id agit, ut, ideam infiniti mathematici in intellectu tantum exiſtere, nunquam vero realem fieri poſſe, oſtendat. Impugnat ergo Cel. *Geometriæ infiniti* Autorem, quem ideas haſce pro realibus venditaſſe conſtat. Primo in originem ideæ infiniti inquirit, ex

ex notione quantitatis repetendam. Quantitatem infinitam actu exiſtentem manifeſtam involvere contradictionem, oſtendit. Rationes, quæ ab ejus fautoribus allegari ſolent, examinat, earumque debilitatem demonſtrat. Quid? quod, hanc ſententiam certiſſimis repugnare veritatibus, e. g. ei, quod totum ſit parte ſua majus, docet. Tandem vero, nullam exinde in ipſum infiniti calculum redundare incertitudinem, oſtendit, loco quantitatum actu infinitarum concipiendo ſaltem inasſignabiles.

Sed, in præcedentibus *Claſſibus* jam ſic ſatis morati, properamus ad ultimam trigam Diſſertationum *philologicarum*.
Pag. 157. *Prima* eſt *Elsneri de excellentia Palæſtinæ*. Quæ in Hiſtoria ſacra de præſtantia & fertilitate terræ ſanctæ commemorantur, ab hominibus profanis in dubium vocari, eaque de cauſa maculam Hiſtoricis ipſis inuri, vidit Autor. Hæc res occaſionem ei præbuit, ut de tota materia paulo curatius inveſtiganda laboraret. Primo itaque argumenta, quæ partim ex teſtimonio *Strabonis*, partim ex præſenti regionis iſtius ſtatu, peti ſolent, examinat & refellit. Dein contrarium ex aliis teſtimoniis omni exceptione majoribus, ipſius adeo *Strabonis*, aliorumque ſcriptorum, imo & ex ipſo regionis ſitu & natura, ex hiſtoria ejus, ex monumentis & numis, luculenter commonſtrat.
177. 2) *Pellouterius in locum quendam Pomponii Melæ de Situ orbis Lib. III Cap. V* commentatus eſt, de quo maximopere in diverſa abierunt Critici. *Suevorum regem*, de quo fit mentio, nullum alium eſſe, quam *Arioviſtum*, Germanorum Regem, natione Suevum, a *Julio Cæſare* in Gallia victum, *Indos* vero fuiſſe mercatores, tempeſtate ex Oceano orientali in ſeptentrionalem, & ad Germaniæ litora, delatos, oſtendit, adeoque omnimodam loco iſti lucem reſtituit. Denique 3) *Süsmilchius de conſenſu linguarum Celticæ & Orientalium* diſſerit. Linguam *Celticam*, ſeu *Teutonicam*, non ſolum valde cum orientalibus congruere, ſed ex his ipſis, ceu fontibus, derivari, ut oſtendat, operam dedit; quem in finem prolixum catalogum vocum, ex lingua Celtica petitarum, cum

Arabicis,

Digitized by Google

Arabicis, Chaldaicis, Hebraicis, Perſicis, Syriacis, convenientium, concinnavit.

Enarratis ſic Clariſſimorum Virorum in omni eruditionis genere laboribus, merito gratulamur decus magnum Germaniæ noſtræ, eam nunc Academiam in ſinu ſuo, & ſub tanti Regis auſpiciis, foventi, quam egregiis ſuis inventis & obſervationibus ſcientias omnemque rem literariam maximopere aucturam & ornaturam eſſe, certiſſime confidimus.

PETRI VAN MUSSCHENBROEK Inſtitutiones phyſicæ, conſcriptæ in uſus Academicos.

Lugduni Bat. ſumtibus Sam. Luchtmanns, 1748, 8 maj. Alph. 2 plag. 8, cum plurimis Tabb. æn.

Autor Celeberrimus, cum jam multa proſtent doctrinæ ſolidioris documenta, quæ, quam ſubtili ipſe ingenio ſcientias ſublimiores complectatur, luculenter teſtantur, in his Inſtitutionum, uſibus Academicis accommodatarum, libro ſumma Philoſophiæ naturalis capita ita expoſuit, ut ii, qui hanc aggrediuntur ſcientiam, genuina deprehendant fundamenta, quibus poſitis, quæſtiones, circa res phyſicas inſtitutæ, optime poſſunt ſolvi. Placuit vero Viro Cel. *Cap. I* generalia quædam de Philoſophia & regulis philoſophandi præmittere, & hujus diſciplinæ ambitum, uſumque inſignem, brevibus exponere. *Cap. II, III, IV*, corporum naturalium, objectum Phyſices conſtituentium, affectiones generales, uti ſpatium, locum, tempus, & motum, in genere conſiderat, & ſubtiliſſimam de ſpatio vacuo, omnibusque temporibus maxime controverſam, doctrinam copioſe pertractat. Omnia, quæ hac in controverſia poſſunt afferri, ad tria revocat capita, obſervando, 1) ab animo formari poſſe ideam ſpatii vacui; unde 2) per ſe patet, fieri poſſe, ut vacuum exiſtat. Summa igitur 3) totius controverſiæ in eo ſita eſt, ut evincatur, hoc vacuum, ab animo formatum, re vera exiſtere, id quod multis argumentandi modis evincere laboravit. Etſi pleraque argumenta ita ſunt comparata, ut ad evincendum ſpatium vacuum

Digitized by Google

omnino faciant; nec tamen omnes circa ſpatii doctrinam videntur tolli difficultates, niſi ſpatium reale ab imaginario, quippe quod ſola mente concipitur, probe diſtinguatur. De poſteriori enim extra omnem poſitum eſt dubitationem, poſſe concipi ut infinitum, & indiviſibile; id quod vero de ſpatio reali neutiquam poteſt affirmari. *Cap. V — XIV* principia, ex Mechanica petita, in quibus Philoſophia naturalis maxime fundari videtur, exponit; unde de potentiis prementibus, viribus corporum motorum, gravitate, attritu machinarum, motu compoſito, deſcenſu gravium in plano inclinato, oſcillatione pendulorum, motu gravium projectorum, & de viribus centralibus, dilucide agit. *Cap. XV* differentias corporum naturalium præcipuas, quorum alia ſunt dura, alia fragilia, mollia, flexilia, & elaſtica, tradit. *Cap. XVI — XX* explicantur percuſſio, electricitas, vis magnetica, attractio, & cohærentia corporum. *Cap. XXI — XXV* varia Autor circa fluida phænomena ex principiis Hydroſtaticis deducit, uti actionem fluidi ex gravitate, fluida proſilientia, & corpora fluido immerſa. *Cap. XXVI & XXVII* natura aquæ & ignis expenditur. *Cap. XXVIII — XXXVI* lucis theoria exponitur, uti directio, reflexio, atque refractio, cui quidem theoriæ ſumma Catoptricæ & Dioptricæ capita adjunguntur. *Cap. XXXVII & XXXVIII* de aere & ſono quæſtiones inſtituuntur. Præmiſſa igitur in antecedentibus aquæ & ignis natura, *Cap. XXXIX — XLI* meteora aerea, aquea, & ignea, contemplatur. Tandem *Cap. XLII* ventorum naturam explorat. Ex harum igitur Inſtitutionum phyſicarum ordine & ratione quilibet facile intelligere poteſt, Autorem Cel. juventuti Academicæ utiliſſimam præſtitiſſe operam. Quamvis enim perquam multa in hunc finem in lucem prodierint Compendia; in pauciſſimis tamen genuina deprehenduntur fundamenta, ex ſola Matheſi petenda, qua quidem neglecta, omnem in Phyſicis operam inutilem & nullam eſſe, quilibet videt. Nec minor præ multis aliis libris ſimilibus harum Inſtitutionum in eo eſt prærogativa, quod

ſcripto-

Digitized by Google

ſcriptores primarii, quibus uſus eſt Autor Cel. ſedulo citentur, qui in multis hujus generis ſcriptis ſilentio plane prætermittuntur. Nihil vero ſtudioſæ juventuti utilius eſſe, apparet, quam, ſcientiæ alicujus elementis perceptis, ad fontes & ſcripta originalia recurrere, &, hæc evolvendo, ſcientiam ſuam augere.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, ad incrementum ſcientiarum ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis V Pars IV.

Lipſiæ, in officina hæredum Lanckiſianorum, 1747, 8.
Plag. 12.

In limine offert ſeſe lectori *Jo. Chriſtophori Harenbergii Meletema ſacrum de Veſtitu Joannis Baptiſtæ, ad Matth. III, 4. Marc. I, 6.* Differitur hic de veſtitu humillimorum hominum Palæſtinorum, a *Joanne* adhibito. Indicatur ſcopus generalis, qui huic *Joannis* veſtitui fuit præfixus, in nuntianda male actorum pœnitentia ac ſocietate doloris de hominum peccatis ſitus. Significatur origo Baptiſmi per aquam & ignem. Scopus ſpecialis, veſtitui *Joannis* proprius, pertinuit ad referendum ac repræſentandum *Eliam*. Comparatio inſtituitur inter utrumque. Monet Noſter, nomini אַדֶּרֶת ſignificatum ſubeſſe paludamenti ſumtuoſi, ab *Elia* alieni. Tenuitas victus ac veſtitus humilitas *Joannis* indicio eſt, ipſum fuiſſe præconem ac præcurſorem Regis non magnifici, terreſtre regnum tenentis, ſed Regis animarum exinaniti. Refellit Noſter ea, quæ Comes *de Paſſeran* ad labem *Joanni* adſpergendam commentus fuit. De pilis cameli ac zona coriacea diſſerit. Tabenneſiotæ Monachi, *Pachomio* autore circa Seculi IV medium exorti in Ægypto, veſtitum *Joannis* imitati, Noſtro videntur indecore & inconvenienter egiſſe. Sub finem oſtendit idem, patriam

Joannis fuiſſe urbem, dictam Jutah & Juda. Laudat idem ſentientes *Papebrochium* & *Relandum.* Succedit huic Diatribæ *Petri Zornii Diſſertatio de Cippis ſanctis, apud veteres Ebræos memoriam divinorum beneficiorum conſecrantibus, poſthuma.* Exorditur *Zornius* a monumento *Sauli,* in Mizpah poſito *1 Sam. VII, 12.* Saxa enim rudia, nec ſignata, Iſraelitæ in memoriam beneficiorum divinorum conſtituerunt. Judæi pôſthæc eadem mente conſecrarunt aras, cippos, & titulos, ſive columnas inſcriptas. Conf. *Gen. XXVIII, 18, Eſ. XIX, 19, LV, 13, Joſ. VIII, 30, 31 ſeq.* Loca hæc B. *Zornius* mira luce perfudit. Excipit eam *Caroli Hènrici Zeibichii, in Acad. Vitemb. Prof. Publ. de Suffimento Meſſiæ Obſervatio, ad Eſ. XI, 3.* Leguntur hic hæc verba: הריחו ביראת יי, quæ omnino hæc ſignificant: *Suffimentum ejus in reverentia Jehova erit.* Qui fulgendi, replendi, odorandi, ſignificatum tuiti ſunt, recenſentur a Cel. Viro, accedente ad ſententiam *Lutheri* poſterioris, *Seb. Schmidii, Glaſſii, Michaelis, Amelii, Dachſelii.* Suffragatur ei locus *Ex. XXX, 38.* Adde, quod *Eſaias* triplex Chriſti munus ob oculos habuit. Facit huc viſum illuſtre, *Joanni* objectum *Apoc. VIII, 1 ſeq.* Id Noſter exponit. Adjicit illuſtrationem loci *Eph. V, 2.* Suffitus Meſſiæ expeditus fuiſſe dicitur *in reverentia Jehova,* ne dubitemus, in ſacrificio Chriſti ad nutum ac voluntatem Patris omnia fuiſſe exacta. Sequitur *Jo. Caroli Henr. Dreyer de Fide manuali Germanorum, & traditione per chirothecam, Diſſertatio.* Manus fidei olim Germanis fuit ſymbolum. *Gelove, Glaube,* fides, noſtris ſic dicta eſt ex *loſa, loſi, llaw,* id eſt, vola, ſeu manu cava. Majores fidem manu teſtatam jurisjurandi loco habuerunt. Unde in Diplomatibus Seculi XIV ac XV leguntur formulæ *mit handgegebener Treue an Eydes ſtat; mit erſamender Hand.* Et quis neſcit, patrio jure datam dextram obligare? Inde profluxit parœmia: *Hand ſchall Hand wahren.* Dextris enim invicem datis, ac re æſtimata, legitime contracta fuit emtio venditio. *Manucapere* verbum hinc medio ævo idem ſonuit ac *fidem pro aliquo dare & expromittere.* Guaranda Saxonum huc non

Digitized by Google

non minus ſpectat, licet ea in Saxonia electorali ſit abrogata. Referendæ huc ſunt alienationes, traditiones, reſignationes ſymbolicæ per manum, per digitorum extenſionem, per pollicem dextrum, *mit Hand und Mund*. Datis dextris, pax privata, ſive reconciliatio, fieri conſuevit. Reſignatio immobilium bonorum more Saxonum facta eſt a venditore *incurvatis digitis*, at more Francorum *manu ac feſtuca*. Fallax dextra variis pœnis fuit coercita, excluſione ab haſtiludio, pictura infami, digitorum abſciſſione. *Handfeſte* eſt confirmatio promiſſi per fidem dextra datam, vel per nudam pollicis in ceram ſigilli adjuncti molliſque impreſſionem, immo chirothecæ traditionem. Ex Diplomatibus ſcriptoribuſque fide dignis Autor Cel. cuncta clariſſime evincit. Poſthæc *Elementum earum quantitatum, quæ imaginariæ, itemque impoſſibiles, vocantur, e tenebris ſuis eruere, & tractatu facilius reddere, conatus eſt Nic. Büttnerus, Schol Stadhag. Inſpector*, præmiſſa ad Cel. *Jo. Andream Segnerum* epiſtola. Si quid inibi nondum ad omnem perfectionis apicem enititur, id novitati ac ſpecimini in hoc argumento dandum eſt primo, expendi digno. Tum ſuccedit id, quod *Jo. Jac. Reiske* ſtruxit, *Specimen emendationum in Græcos Autores*. Diligentia Autoris ſeſe exercuit in reparandis male affectis locis *Herodoti, Thucydidis, Theophraſti, Sophoclis, Euripidis, Ariſtophanis, Ariſtidis, Plutarchi, Dionis Chryſoſtomi, Arriani, Epicteti, Porphyrii, Luciani, Libanii, Themiſtii, & Heſychii*. Ab *Herodoto* jam orditur, uſus editione *Gronovii* præſtantiſſima ceterarum. Locum *I, 174, pag. 70*, ſanat ita: Τὸ ὦν δὴ ὀλίγον τοῦτο - - ὤρυσσον οἱ Κνίδιοι - - βουλόμενοι νῆσον τὴν χώρην ποιῆσαι. Τῇ γὰρ ἡ Κνιδίη χώρη εἰς τὴν ἤπειρον τελευτᾷ, ταύτῃ ἰσθμός ἐστι. τὸν ὤρυσσον. ἐτὸς δὲ πᾶσά σφι ἐγένετο (μηχανή), καίτοι πολλῇ χειρὶ ἐργαζομένων τῶν Κνιδίων - - ἔπεμπον ὦν ἐς Δελφοὺς - - Addimus, apud *Herodotum II, 143*, pro πίρωμιν ἐπαγομαζόμενον, contextu flagitante, legendum eſſe πιρώμεις ἐπονομαζομένους, ac pro μίαντε irrepſiſſe voculam πέντε. Nam 341 Reges Æ-

gypti

gypti exſtiterant, non 345; totidemque coloſſi. Tranſpoſitiones in verſiculos Poetarum irrepſiſſe, Noſter exemplis bene multis docet. Adjicit hujus rei exempla ex *Xenophonte*, *Dione Chryſoſtomo*, *Libanio*, aliis. Pro ἐλξαντες ὕδατι legit σάξαντες ὕδατι apud *Herodotum III*, 7. Σάττειν eſt *implere*, *refercire*. In *IV*, 28, legit λειμακέσσης pro λειμανέσσης. Lectorem ad reliqua, æque frugis bonæ plena, dimiſſum volumus. Attentionem præterea vocant alia. Sequitur enim *Frid. Ott. Menckenii modeſta eorum, quæ ad Minucium Felicem a Cel. Heumanno obſervata ſunt*, ἐπίκρισις. Monet ille, *Minucium* ratione ætatis, qua vixit, ſpectandum eſſe, ætatis a *Ciceroniano* nitore deficientis; *Minucio* multa eſſe relinquenda intacta, quæ ſcriptores ævi aurei vix tuliſſent; *Minucio* ſuccurri poſſe ex *Suetonio*, aliisque labentis latinitatis ſectatoribus. *Conſcius* ipſi eſt quoque is, quem alter conſiliorum ſuorum omnium participem facere ſolet. Exemplis ſignificatum hunc munit ſubſtantivum. *Liberos annis innocentibus ac dimidiata verba tentantes* recte dici, oſtendit. *Gaudium impatiens*, id eſt, cum vehemente animi commotione conjunctum, *Minucio* vindicat. Oſtendit, dici recte *ad vindemiam* pro *circa vindemiæ tempus*. Latinum non eſt *inambulare litori*. In uſu fuit *inambulare litore* pro *in litore*. Defenditur *vulgus ſuperſtitioſus Horatii* exemplo. Formula *propenſus in alteram partem* retinetur, ac *Ciceronis* adſtruitur dictione. *Majeſtas* dicitur ſupremum Numen. Clarus eſt locus *Ciceronis* in *Oratione pro Milone* Cap. 30: Mare dicitur *influere*, cum creſcit, ac in altum ſurgit. Exemplis corroboratur probatis hic ſignificatus, *Minucio* tritus. *Præmicare* eſt *valde micare*. *Apulejus* hac verbi hujus poteſtate iterum iterumque uſus eſt. Oſſa Noſter *Minuciana* poliendo, literarum honori ac dignitati conſuluit. Indicem *Voluminis quinto* ſubjecit idem, ac *Voluminis ſexti* primordia nuper edendo cepit.

NOTI-

Digitized by Google

NOTIZIE ISTORICHE INTORNO AL PARLAGIO ovvero Anfiteatro di Firenze, &c.

hoc eſt,

NOTITIÆ HISTORICÆ PARLAGII, SEU Amphitheatri Florentini, Autore DOMINICO *MARIA MANNI, Academico Florentino.*

Bononiæ, 1746, 4.
Plag. 5.

Eſt Florentiæ, in urbis ea parte, quæ orientem & ſeptentrionem reſpicit, locus, vel potius monumentum veteris ædificii terra ſepultum, olim *al Parlagio* dictum, de quo quod varie varii cenſuerunt ſcriptores Itali, Noſter evincere ſtudet, fuiſſe quondam florentiſſimis Florentiæ temporibus Amphitheatrum. Diſtribuit opuſculum ſuum in *duas Partes*, ſeu *Libros*, quorum *altero* ea potiſſimum, quæ ad loci nomen ſpectant, *altero*, quæ ad rem ipſam, & id, quod demonſtrare cupit, faciunt, pertractat. *Primo* igitur *Libro* recenſet ſcriptores vetuſtiores Florentinos, qui ejus molis meminerunt, ſcilicet *Ricordinum Maleſpinum, Joannem Villanum*, & *Vincentium Borghinum*. Inde locum deſignat, quem olim moles illa controverſa occupavit; deſcribens etiam figuram molis, docensque, ubi portæ ejus geminæ fuerint, Libitinaria & Sandapilaria, aut, ut *Fontaninus* vult, Santavivaria. Hinc ridiculam proponit *Maleſpini* opinionem, qui putat, in eo ædificio *Cæſarem* cum proceribus ſuis ad deliberandum conveniſſe. Nec multo melior *Villani* eſt ſententia, qui, deceptus a voce *Parlagio*, credidit fuiſſe parlatorium, id eſt, ex ævi medii ſtilo, curiam Florentinorum, a *Julio Cæſare* conditam, exercendo ibi juri, & deliberationibus celebrandis. Noſter autem, tali uſui inſervire potuiſſe tam vaſtum ædificium, ſuperne apertum, quod in latitudinem 170 ulnas, & in ambitum 573, impleverit, negat; quandoquidem loca omnia, deliberationibus deſtinata, deſuper aperta debeant eſſe, ne ſcilicet ſonus in auras diſſipetur. Docet deinde, *Borghinum* primum fuiſſe, qui a vulgo receptam opinionem in dubium adduxerit, & verum perſentiſcere cœperit. Tum varias proponit nominis

nominis ſcriptiones, *Parlagium*, *i Parlagi*, *Parlaſgio*, *Parlaſcio*, *Piarlaſgio*, *Pierlaſgio*, *Perlagium* & *Perlaſium*, *Perilaſium*, & *Pratolaſcio*, ſeu *pratum laxum*, vel ſpatioſum. Ipſe vero ſtatuit, unice veram eſſe ſcriptionem *Peribaſium*, quam in monumento anni 1071 invenit. Putat nempe, nomen illud cum natura loci optime convenire, & *opus in gyrum ſtructum*, ſeu rotundam deambulationem, denotare; *fondamento in giro*, ut ipſe ait.

Secundo Libro negat, Amphitheatris ætatem & diem quaſi natalem asſignari poſſe; aſſerit, Florentiam Romanam fuiſſe a *Sulla* deductam coloniam, quod probat ex monumentis antiquis, ibi adhuc exſtantibus, ut templo Martis, aquæductu, thermis, luxuque & magnificentia Florentinorum, etiam *Ciceroni* notata, & ex gladiatoribus, quos ibi fuiſſe probat inſcriptio apud *Muratorium Tom. II.* Inde adducit recentiorum ſcriptorum teſtimonia, qui, Florentinos habuiſſe Amphitheatrum, perhibent, docens, Amphitheatrum fuiſſe ex theatro, quod Florentiæ conditum fuiſſe, certo conſtat. In hujus theatri nempe ſitum inquirit, putatque, illud Amphitheatro proximum fuiſſe, dictumque *Parlagium minus*, Amphitheatrum vero *Parlagium majus*, id quod docte probat, ætatem, qua ſtructum fuerit Amphitheatrum, *Auguſti* nempe, definiens, & materiam indicans, e qua ſtructum, quæ durum fuerit ſaxum. Tum de uſu gemino Amphitheatrorum diſſerit. Erant enim ſive luctis beſtiariorum cum feris, ſive tormentis & martyriis Chriſtianorum, deſtinata. Recenſet etiam caſus, qui Amphitheatrum hoc Florentinum nobilitarunt, quos inter eſt præcipuus S. *Miniati* martyrium, quod is ſub *Decio* circa A. C. 250 ibi ſubiit. Poſtea exponit, unde vicus, qui medium fere Amphitheatrum ſecat, *il Burgo de' Greci* appelletur; nempe a Græcis, qui cum Imperatore ſuo A. C. 1439 Florentiam ad Concilium veniebant, & in iſto tractu habitare jubebantur. Denique recenſet ſtatuas & alia, quæ de vetuſta hac mole variis temporibus reperta, & ex terra egeſta fuerunt. In his opellam claudit, literatis quidem generatim omnibus, Florentinis tamen maxime, jucundam & utilem futuram.

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXLVIII.

Pars I.

ALPHABETUM TIRONIANUM, SEU NOTAS Tironis explicandi methodus, cum pluribus Ludovicii Pii Chartis, quæ notis iisdem exaratæ ſunt, et hactenus ineditæ, ad hiſtoriam et jurisdictionem cum eccleſiaſticam, tum civilem, pertinentibus. Labore et ſtudio D. P. CARPENTIER, Ord. S Bened. Præpoſiti S. Oneſimi Doncherienſis.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Hippol. Lud. Guerin & Jac. Guerin, 1747, fol.

Plag. 9, Tabb. æn. 27.

Magnifico & ſplendido huic Operi edendo anſam dedit Rev. Editori Codex Regius Pariſienſis Chartarum *Ludovici Pii*, ipſi lectum oblatus. Scriptus ille notarum eo genere eſt, quod *Senecæ* & *Tironis* vulgo appellari ſolet, de quo Rev. Autor in Præfatione multis diſſeruit. Notas illas *Gruterus* quidem ad calcem Corporis Inſcriptionum exhibuerat, ſed rudi ligno inſculptas, & absque ullo ordine, ita ut nihil in illis reperiri a quærente poſſet. Noſter itaque curam ſibi ſumſit eam, ut indigeſtam hanc notarum molem ordine alphabetico digereret, & in certa quædam capita diſpeſceret. Tota hæc opella quatuor plagulis, æri inſculptis, ſive octo Tabulis, abſolvitur. Inde ſequitur Codex ipſe chartarum, ſeu Capitulare *Ludovici Pii*, ea ratione, ut paginæ ſingu-

læ ſiniſtræ chartarum notas, æri inciſas, & iis oppoſitæ ſingulæ dextræ Latinam earum interpretationem exhibeant, lineis & verbis ambarum paginarum exacte ſibi reſpondentibus. Numero chartæ ſunt 53, & ordine prodeunt, non quo Codex eas offerebat, ſed qui Editori arriſit, eo nempe, ut, quæ res eccleſiaſticas ſpectant, primum, deinceps quæ rem civilem, legantur. Quanto conſtare labore debuerit docto Autori harum chartarum interpretatio, absque duce concinnata, facile intelliget, qui Tabulas oculo luſtraverit. Jurares certe potius, Mongalicos eſſe characteres, aut Tataricos, aut Armenos, ut viſum quibusdam fuit, quam Latinos, niſi verba quædam Latina interſperſa ſuaderent aliud. Ediderat quidem harum ipſarum chartarum tres, vel quatuor, *Steph. Baluzius*; Noſter vero iam abſolverat ærumnoſam ſuam interpretationem, antequam ea de re quidquam reſcivit; imo, quod ipſe profitetur, dictu mirabile, ignorans, *Tironis* notas a *Grutero* editas fuiſſe. Intellexit autem cum gaudio ex collatione editionis *Baluzianæ* cum ſua interpretatione, ſe, quamvis hodegeta deſtitutum, & ſola uſum conjectatione, rectum tamen vidiſſe. Sequuntur in fine notæ per quinque plagulas, in quibus varia momenta hiſtorica & geographica iſtorum temporum declarantur. Præfatio, quæ tres plagulas implet, de notis ſic dictis *Tironianis* agit. Antiquiſſimum eſſe, & Græcis quoque familiarem, per notas ſcribendi morem, demonſtrat primum, dein de triplici notarum, veteribus uſitatarum, genere diſſerit, de hieroglyphicis nempe, tum de ſingulariis, vel ſiglis, tandem de notis *Tironis*, alias *Senecæ*, ut & *Cypriani*, dictis. Enumerat porro Codices, qui eo ſcripturæ genere exarati paſſim proſtant per Bibliothecas, in quibus tamen omnibus, ut dicamus, quod res eſt, rarum nihil & valde momentoſum, & quod cupidinem faciat addiſcendæ non ſine multis ærumnis ſcientiæ. Laudanda tamen opera doctiſſimi Benedictini, qui ad fratrum ſuorum laudabile exemplum bene de antiquitate mereri voluit.

HISTOIRE GENERALE D' ALLEMAGNE, &c.
hoc eſt,
HISTORIA GENERALIS GERMANIÆ,

con-

conſcripta a P. JOSEPHO BARRIO, Canonico regulari S. Geneveuæ, et Cancellario Academiæ Pariſienſis.

Tomus III et IV.

Pariſiis, apud Carolum J. B. Deleſpine & Joannem Thomam Heriſſant, 1748, 4 maj.

Tom. III Alph. 3 plag. 17, Tom. IV Alph. 3 plag. 20.

Hiſtoriam Germaniæ, uſque ad *Ludovici I* obitum in prioribus huius Operis *Voluminibus* perductam, ulterius hic Rev. Autor perſecuturus, ſub *Ludovici Pii* ſucceſſoribus imperii occidentalis florem ſenſim imminui cœpiſſe, obſervat. Inter cauſas autem hujus decrementi, & ſimultates, inter illos Principes exortas, & diviſionem regionum, ad imperium pertinentium, numerat. Mores adeo filiorum *Ludovici* deſcribit, & de bellis, quæ inter ſe geſſerunt, fuſe diſputat. Locum prælii, inter hoſce fratres commiſſi, *Fontenaille* Autor nuncupat. Acccidiſſe illud prælium die 25 Junii A. 841 contendit, diſſentientium opiniones explodens. Ipſa verba fœderis, inter *Ludovicum* & *Carolum* facti, ex *Nithardo* apponit, idque poſt prælium, de quo modo diximus, demum eſſe factum, contendit. *Ludovicus* ibi Latino, *Carolus* Theotiſco, ſermone uſus eſt. Videmus exinde, linguam Latinam, tunc temporis uſitatam, hodiernæ Hiſpanicæ, Theotiſcam autem hodiernæ Anglorum, linguæ ſimilem fuiſſe. Pacem denique, inter tres fratres, *Ludovicum, Lotharium, & Carolum*, concluſam, deſcribit, &, quænam pars imperii ad unumquemque vi hujus pacis pervenerit, exponit, vehementer tamen dolens, ob defectum documentorum, limites harum partium, nec non ex unaquaque parte ſperandos reditus, & opes, ignorari. Dignitatem Imperatoris, a *Lothario* geſtam, nullum ipſi jus in regna fratrum tribuiſſe, urget. Pontificem *Sergium II* inſcio & inconſulto Imperatore electum eſſe, Cæſarem vero id admodum ægre tuliſſe, nos docet. Ne igitur juribus imperii a Romanis quidquam per præſcriptionem detraheretur, filium Romam miſit Cæſar, utque is ibi coronaretur, poſtulavit, Epiſcopos

Pag. 14. 16. 22. 36. 37.

etiam nonnullos, qui electionis Papalis juſtitiam examinarent,
convenire juſſit. Admodum honorifice autem *Ludovicum*,
Cæſaris filium, Romam introeuntem, excepit Pontifex, cum-
que Epiſcopi congregati decernerent, nullum pro legitimo
Papa habendum eſſe, niſi ab Imperatore confirmatum, tunc
electionem *Sergii*, ſalvis tamen juribus ſuis, valere juſſit Cæ-
ſar, jusjurandum vero fidelitatis a Romanis recepit, & *Ludo-
vicus* Rex Longobardorum coronatus eſt, quæ omnia Rev.
Autor ita, uti diſertum & candidum hiſtoriæ ſcriptorem de-
cet, enarrat. Geſta *Ludovici*, Regis Germaniæ, dein deſcri-
Pag. 38. bit. De conventu Imperatoris cum fratribus in loco juxta
Thionis villam ſito, & *Jeutz* dicto, diſputat, &, quid intuitu
Epiſcoporum ibi actum ſit, exponit. Incurſiones Danorum
42. in provincias, juxta mare ſitas, depingit. Concilii Mogun-
tini, A. 847 autoritate Regis Germaniæ congregati, acta ex-
55. ponit, de *Rabano Mauro*, qui in eo præſedit, ſimul diſputans.
Ludovicum, Cæſaris filium, in ſocietatem imperii a patre fu-
iſſe cooptatum, nos docet, ejusque res, in Italia contra Sara-
59. cenos præclare geſtas, deſcribit. Quanta incrementa religio
Chriſtiana per Daniam & Sueciam *Anſcharii* miniſterio cepe-
66. rit, exponit. *Lotharius*, morbis & ſenio fractus, imperialem
dignitatem depoſuit, & monachum in cœnobio Prumienſi in-
duit. Conſilium hoc ex ſuperſtitione iſtorum temporum
originem repetere, ubi remiſſio omnium peccatorum hac ra-
tione obtineri poſſe credebatur, & ſtatus monaſtici electio pro
altero baptiſmo habebatur, Rev. Autor non negat, ipſamque
illam ſuperſtitionem egregie & acriter perſtringit. Cum
autem tres filios ſuſcepiſſet *Lotharius*, imperium inter eos ita
partitus eſt, ut *Ludovicus* natu major Italiam cum dignitate
Imperiali, alter, *Lotharius* nomine, Lotharingiæ regnum, ter-
tius tandem, *Carolus*, provinciam Galliæ, ſub qua Del-
phinatus, Lugdunenſis tractus, & maxima pars Burgundiæ
Transjuranæ, comprehendebatur, obtineret. Provincias, quas
regnum Lotharingicum continebat, ſtudioſe Rev. Autor ex-
ponit, &, ab ipſo *Lothario* nomen traxiſſe illud regnum, nos
docet, multa denique documenta, in quibus *regnum Hlotha-*

rii

Digitized by Google

rii Regis iſte tractus dicitur, pro ſententia ſua ſtabilienda affert. Lites dein, quæ novo Imperatori *Ludovico*, ſola Pag. 79.
quippe Italia non contento, cum fratre, *Lothario*, intercesſerunt, & reliqua bella, inter illos fratres & cognatos geſta, fuſe deſcribit. *Lotharii II* diſſenſiones cum conjuge *Thietberga* proponit, &, divortium horum conjugum in Concilio 83.
Aquisgranenſi, A. C. 863 habito, approbatum fuiſſe, nos docet, quidque Pontifex in ea cauſa egerit, exponit. Mortuo 100.
absque hæredibus *Carolo*, Rege Provinciæ, Imperator *Ludovicus*, Italiam quippe regens, adeoque in vicinia conſtitutus, illas terras ſibi vindicavit. Cum autem *Lotharius II*, hæres a *Carolo* ſcriptus, illud admodum indigne ferret, & graviſſimæ diſſenſiones ideo metuendæ eſſent, res, proceribus regni intervenientibus, in comitiis ideo congregatis, ita compoſita eſt, ut *Ludovicus* Imperator partem Burgundiæ trans-Juranæ, Italiæ vicinam, una cum parte Provinciæ, retineret, reliqua *Lothario* relinqueret. Mortem *Lotharii* valde miſeram Rev. 111.
Autor deſcribit. *Carolum Calvum*, Franciæ Occidentalis Re- 127.
gem, regnum Lotharingicum poſt mortem *Lotharii* occupaſſe, nos docet, Imperatorem aliquod jus in illas terras ha- 128.
buiſſe, negat. Pontificis conatus pro regno Lotharingiæ Im- 132.
peratori aſſerendo ſalſe ridet, &, quomodo excommunicationem, quam minabatur Pontifex, iſtius temporis Epiſcopi ſpreverint, egregie exponit. Cum autem Regis Germaniæ, regnum Lotharingicum ad ſe pertinere contendentis, indignatio magis *Carolo Calvo* eſſet reformidanda; tandem inter hos ambos Principes de regno dividendo convenit, cujus diviſionis leges Rev. Autor cum lectoribus communicat. Conten- 137.
tiones, quæ cum *Baſilio Macedone*, ob nuptias cum filia ſua denegatas, *Ludovico* Imperatori interceſſerunt, deſcribit. Res, 142.
per Germaniam eo tempore geſtas, accurate enarrat. Poſt 148.
mortem Imperatoris *Ludovici II Carolus Calvus*, Franciæ Rex, & Italiæ regnum, & dignitatem Imperialem, ad ſe rapuit. Hoc autem Pontificis potiſſimum artibus effectum eſt, cui viciſſim Imperatorem jus conſtituendi & inaugurandi Cæſares tribuiſſe, &, ut Imperatores annos regiminis a tempore

Digitized by Google

Pag. 161. iſtius inaugurationis numerarent, conſtituiſſe, Rev. Autor contendit. Ceterum ille ipſe *Carolus* iſtius nominis *ſecundus* Autori dicitur. *Ludovicus* interim *Germanicus*, Imperialem dignitatem ad ſe pertinere perſuaſus, cum inſigni exercitu Franciam invaſit. Fruſtra dein pace tentata, filium *Carolomannum* cum ingenti manu in Italiam miſit, *Carolum*, natu minorem filium, cum fortiſſimis itidem copiis in Sueviam collocavit, ipſe vero milites juxta Francofurtum eduxit. Inter ipſos autem hos belli apparatus, A. 876 vitam cum morte commutavit Rex Germaniæ. Cumque tres filios, *Carolomannum*, *Ludovicum*, & *Carolum*, reliquiſſet ſuperſtites; *Carolomannus* quidem Bavariam, Carinthiam, Pannoniam, atque Sclavoniam, *Ludovicus* Franconiam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, regniſque Lotharingici partem, *Carolus* autem cognomine *Craſſus*, Alemanniam, & quicquid intra Mœnum & Alpes ſitum eſt, cum urbibus quibusdam regni Lotharingici, obtinuit. Rev. Autor ideo *Carolomannum* Regem Bavariæ, *Ludovicum* Regem Germaniæ, & *Carolum* Regem Aleman-
165. niæ, usque ad illud temporis punctum, quo Imperatoriam dignitatem obtinuit, vocat. *Ludovicus* interim, Germaniæ Rex, terras ſuas neutiquam quiete poſſedit, a *Carolo* Imperatore, qui ſe omnium in Occidente Regum Imperatorem, per ſuperbiam jactitabat, &, partem ditionum fratris jure hæreditario ad ſe devolutam eſſe, contendebat, bello petitus. Ut autem juſtitiam cauſæ ſuæ declararet *Ludovicus*, triginta ex ejus comitibus, in conſpectu amborum exercituum, probationes, eo tempore ſolennes, per aquam calidam, & frigidam, nec non per ferrum candens, inſtituere coacti ſunt, quarum probationum formam ex *Mabillonii Analectis edit. nova pag. 161* Rev. Autor ediſſerit. Belli dein ipſius hiſtoriam, quod quidem Germanis admodum proſpere ceſſit, perſequitur, fortitudinem Germanorum, & exceſſum *Ludovici* animum, ſimul prædicans.
172. *Carolomannus*, Bavariæ Rex, Italiam poſtea invaſit, multasque ibi urbes poteſtati Imperatoris, qui contra Saracenos hactenus
174. depugnaverat, ereptas, ſibi aſſeruit. Imperator *Carolus*, in
175. Franciam redux, veneno necatus eſſe dicitur. Sub illo Cæſare

Digitized by Google

re dignitates Ducum & Comitum certis familiis jure hæreditario ceſſiſſe, Rev. Autor obſervat, quamvis jamjam *Caroli M.* temporibus nonnulli Ducatus, v. c. Bavaria & Thuringia, vi conditionum, ſub quibus poteſtati Cæſaris ſe ſubjecerant, ad hæredes transirent. Quomodo *Carolomannus*, Imperialem Pag. 176.
dignitatem ambiens, Italiæ proceres ſibi obſtrinxerit, Rev. Autor oſtendit, de turbis ſimul, quæ inter *Lambertum*, Ducem Spoletanum, & Pontificem *Joannem VIII*, hac occaſione agitatæ ſunt, diſputans. Qua ratione *Boſo*, Dux Provinciæ, 179.
ad Imperialem gradum adſpiraverit, exponit. Proceres Italiæ ſub *Carolomanno* valde potentes evaſiſſe, & imperium Cæſarum ſprêviſſe, nos docet. Leges pacis, inter Regem Ger- 182.
maniæ *Ludovicum II* & Regem Franciæ *Ludovicum Balbum* ad Furonas initæ, deſcribit, eamque pacem ideo potiſſimum fuiſſe concluſam, docet, ut res novæ, quas ordines in Germania moliebantur, eo facilius poſſent exſtingui. Vi autem hujus pacis pars regni Lotharingici *Ludovico Balbo* conceſſa eſt. Poſt ejus mortem, *Ludovicus Germanicus*, Rex Franciæ, 184.
in fraudem liberorum *Ludovici Balbi* a quibusdam regni ordinibus renuntiatus, oblata regni Lotharingici parte, a *Carolo Calvo* quondam poſſeſſa, contentus, regnum Franciæ repudiavit. Quomodo regnum Bavaricum poſt *Carolomanni* tem- 189.
pora cum Germaniæ regno unitum fuerit, Rev. Autor accurate 191.
exponit. *Ludovicus Germanicus*, occupata Bavaria, duos fere menſes ibi commoratus eſt, jura civibus dedit, plurimos abuſus correxit, & fines regni contra barbarorum inſultus munivit. Memorat hac occaſione Rev. Autor, in Dalmatia & Moravia tunc temporis templa Chriſtiana jam fuiſſe exſtructa, &, liturgiam in lingua vernacula celebrari ſueviſſe, concedit. Res Franciæ & Italiæ dein exponit. Qua ratione *Boſo* Rex 192.
Provinciæ fuerit renuntiatus, nos docet. Bellum, contra eum motum, deſcribit. Quomodo *Carolus Craſſus* a Pontifice, Saracenorum incurſus metuente, Imperator renuntiatus fuerit, narrat. Poſt mortem *Ludovici Germanici*, mox inſecu- 203.
tam, ampliſſimas is ditiones, jure hæreditario ad ſe devolutas, occupavit. Bellum inde Imperatoris contra Normannos, 206.
Lotha-

Lotharingiam & Germaniam invadentes, ac pacem inſecutam, Rev. Autor deſcribit, eamque pacem Imperatori vehementer contumelioſam exſtitiſſe, pronuntiat.
Pag. 208.
210. Mortuo *Ludovico*, Rege Neuſtriæ, frater ejus, *Carolomannus*, integra Francia potitus eſt. In Italia poteſtatem Imperatorum indies decreviſſe, Rev. Autor nos docet. *Marinus II* Papa jus Imperatorum in eligendo Pontifice prorſus intervertere ſtuduit.
212. Poſt mortem *Carolomanni*, Imperatori integrum ejus regnum a Francis, Normannorum furores metuentibus, delatum eſt.
216. Ipſas has Normannorum incurſiones, & quomodo iſti barbari Lutetiam Pariſiorum obſidione cinxerint, Rev. Autor deſcribit.
220. Illi autem impetus talem metum Imperatori incuſſerunt, ut pactum, ipſi parum glorioſum, quodque ſummum ipſi apud ſuos afferebat contemtum, cum Normannis iniret.
223. Perturbatum imperii ſtatum, qui ex ſpreta Imperatoris autoritate exſtitit, Rev. Autor depingit. Quomodo *Richardidem* conjugem repudiaverit Imperator, nos docet.
224. *Boſonis*, Regis Provinciæ, mortui filium, *Ludovicum*, ab Imperatore fuiſſe adoptatum, narrat. Nihilo tamen ſecius invito Imperatori *Arnulphus* ſucceſſor datus eſt. Immo, *Carolo Craſſo* vix uſumfructum trium pagorum reliquum manſiſſe, eumque in miſerrimo ſtatu, & ultima egeſtate, vitam clauſiſſe, Rev. Autor pro vero ſumit. Exſtincta jam erat ſtirps Carolingica, unico duntaxat ejus germine, *Carolo* nimirum *Simplice*, *Ludovici Balbi* filio poſthumo, ſuperſtite. Deſcriptionem familiæ, quæ tot populis Reges dedit, Rev. Autor addit, omnesque ex ea prognatos Principes recenſet.
228. Graviſſimas turbas, per illa tempora propter ſucceſſionem motas, diligenter idem deſcribit, Italiæ potiſſimum res exponens, &, *Guidonem*, Ducem Spoletanum, Imperatorem fuiſſe electum, narrans.
231. Germaniam & Lotharingiam *Arnulphus* obtinuit.
232. *Ludovicus*, *Boſonis* filius, Rex Provinciæ, conſentiente *Arnulpho* inauguratus eſt.
239. Bellum, cum Normannis ab *Arnulpho* vario Marte geſtum, Rev. Autor deſcribit. Quomodo *Carolus Simplex*, repudiato *Ottone*, Comite Pariſienſi, qui regnum occupaverat, Rex Franciæ fuerit conſti-

conſtitutus, nos docet. *Arnulphus*, in auxilium ab eo vocatus, Pag. 245.
contra *Ottonem* ſuppetias ipſi tulit, quod eum ideo feciſſe,
ut, Reges a ſe creari poſſe, oſtenderet, utque hoc pacto ſibi
viam ad Imperialem dignitatem ſterneret, Rev. Autor judicat.
De expeditione dein *Arnulphi* in Italiam, contra *Guidonem* 248.
Spoletanum inſtituta, diſputat. Cum Hunni circa idem tem- 250.
pus Moraviam atque Bohemiam depopularentur; ea occaſio-
ne uſus *Guidonis* mortui filius, *Lambertus*, Imperialem digni- 251.
tatem obtinuit, qua tamen vix impetrata, *Arnulphus* Romam
per vim occupavit, juramentum fidelitatis a civibus recepit,
atque a Pontifice *Formoſo* Imperator inauguratus eſt. Inſe- 256.
cutas poſtea per Italiam turbas, &, quid in Francia &
Lotharingia, quam *Zwentiboldo* commiſerat *Arnulphus*,
actum fuerit, enarrat Autor. Mortuum fuiſſe *Arnulphum*
A. 899, *Rheginо* memoriæ prodidit. Et, quamvis ex epita-
phio ejus appareat, illam mortem anno inſequente demum
accidiſſe, illud tamen pro genuino non indubitanter haberi
poſſe, Rev. Autor urget. Sub *Arnulphi* imperio judicia duel- 265.
lica fuiſſe introducta, idem contendit, eorumque formam de-
ſcribit. Quanti motus in Italia & Germania poſt mortem 266.
Arnulphi circa electionem novi Regis extiterint, commemorat.
Ludovicus, Rex Provinciæ, victo *Berengario*, a Pontifice Im-
perator coronatus eſt. *Ludovicus Infans*, *Arnulphi* filius, Ger- 270.
maniæ Rex evaſit, qui etiam mox, depoſito *Zwentiboldo*, re-
gnum Lotharingicum occupavit. *Zwentiboldus* ipſe A.
900 in acie periit. Inſultus inde Hunnorum, Bavariam de-
vaſtantium, a *Ludovico* compreſſi ſunt. Moravi a Pontifice
Joanne IX petierunt, ut Archiepiſcopus, aliique Epiſcopi,
apud eos conſtituerentur, *Eucbario*, Paſſavienſium Antiſtite, ve-
hementer contradicente. In Italia *Berengarius*, exercitu
Bavarico, quem ipſi in auxilium miſerat Germaniæ Rex, ſtipa-
tus, victo, & oculis privato *Ludovico*, hactenus Imperatore,
Cæſar coronatus eſt. Societatem is poſtea cum Hunnis,
contra fidem Germanis debitam, iniit, qui Bavariæ tantum
incuſſerunt terrorem, ut Germaniæ Rex, terras ſuas ab inte-
ritu redempturus, ingentem pecuniæ vim hiſce barbaris ſolve-

Pag. 278. re cogeretur. Diſſidia, inter Clericos & Nobiles tunc tempo-
ris per Germaniam agitata, Rev. Autor deſcribit, de bello
etiam civili, inter *Albertum*, Saxoniæ, & *Conradum*, Franconiæ
Ducem, geſto, diſputat. Inter eos, qui a partibus *Alberti* ſta-
bant, *Rudolphus* quidam fuit. Epiſcopum Numburgenſem
illum Rev. Autor nuncupat, quem alii Herbipolitanum voca-
runt antiſtitem. Iterata Hunnorum irruptio, tributum an-
nuum a Germaniæ ordinibus flagitantium, effecit, ut *Ludovi-*
cus, hiſce moleſtiis oppreſſus, A. 912 vitam clauderet. *Con-*
radus inde, Franconiæ & Haſſiæ Dux, præterito *Carolo Sim-*
plice, Francorum Rege, qui unus adhuc e familia Carolingo-
rum ſuperſtes erat, Rex Germaniæ electus eſt, ab eoque tem-
pore Germania, cujus Reges huc usque hæreditario jure ſuc-
ceſſerant, regnum mere electivum evaſit, quamvis filiorum
defuncti Regis ratio plerumque haberetur. Formam electio-
nis, quæ per aliquot Secula obtinuit, Rev. Autor deſcribit.
287. *Conradum I* unquam Imperatorem fuiſſe, negat. Seditiones,
in Lotharingia, in favorem *Caroli Simplicis*, motas, nec non
290. res novas, ab *Henrico*, Saxoniæ Duce, coeptas, exponit. De
Hungarorum expeditione in Bavariam diſputat, pluresque
alias turbas, tunc temporis per Germaniam agitatas, enumerat.
Quomodo *Carolus Simplex* Lotharingiæ regnum ſibi ſubjece-
rit, & Duces, jure beneficiario Lotharingiam poſſidentes, con-
295. ſtituerit, exponit. Moravia tunc *Conrado* ſeſe ſubjecit, & a
præfectis, quos Rex conſtituit, adminiſtrata eſt. *Henricum I*
ab aucupio, cui eo tempore vacabat, quando ipſi dignitas
Regis Germaniæ offerebatur, cognomen a poſteris tuliſſe,
Rev. Autor concedit. *Capitulationem*, quam vocant, jam tunc
Regibus Germaniæ præſcribi ſueviſſe, negat. Quomodo *Hen-*
ricus Duces Saxoniæ & Bavariæ, qui ipſum Regem agnoſce-
309. re detrectabant, compeſcuerit, nos docet. *Arnulpho* tamen,
Bavariæ Duci, non ſolum privilegia, quibus jam gaudebat,
confirmata ſunt, ſed etiam jus conſtituendorum per Bavariam
Epiſcoporum, quod prius ad Reges Germaniæ tantum perti-
nuerat, conceſſum eſt. Marchionatus Miſniæ & Branden-
burgi ab *Henrico* inſtitutos eſſe, ideo, ut Slavorum inſultus
cohi-

Digitized by Google

cohiberentur, pro certo ſumit Rev. Autor. Ipſum bellum, Pag. 324.
contra Hunnos geſtum, uti & alia contra alios geſta bella,
deſcribit. Quomodo hac occaſione rem militarem ordinave- 329.
rit *Henricus*, exponit, torneamenta tunc fuiſſe inſtituta, ſibi
perſuadens. Res Italiæ, eo tempore admodum perturbatas, 335.
depingit, & *Henricum*, a Romanis invitatum, & ſpe Imperialis
dignitatis allectum, cum exercitu iter in Italiam feciſſe, mor-
te autem præventum eſſe, antequam eo veniret, contendit.
Henricum terras illas, quas Duces adhuc adminiſtraverant, 340.
ipſis tanquam feuda conceſſiſſe, exiſtimat. Poſt mortem 341.
Henrici, *Otto*, ejusdem filius, a Franciæ Orientalis & Saxoniæ
ordinibus Rex Aquisgrani electus, & ab Archiepiſcopo Mo-
guntino, quanquam non ſiné contradictione Colonienſis, in-
auguratus eſt, quam cerimoniam Rev. Autor ample deſcribit.
De turbis etiam, tunc in Germania, & præcipue Bavaria, ortis, 344.
fuſe diſputat. Comites Palatini Bavariæ, & juxta Rhenum,
per ea tempora ab *Ottone* conſtituti ſunt. *Everhardus*, Fran-
coniæ Dux, eandem obtinuit dignitatem, quam in inſpectio-
ne in magiſtratus inferiores, qui jurisdictioni præerant, pariter,
ac in Quæſtorum ærarii gubernatione, conſtitiſſe, Rev. Autor
obſervat. Cum autem *Henricus Brunſuicenſis*, Regis Germa- 351.
niæ frater, una cum Saxonibus, dignitatem horum Comitum
agnoſcere recuſaret, inde bellum ab *Everhardo* illis illatum,
& maxima crudelitas ab eo commiſſa eſt. Quam rem ægre
ferens *Otto*, convocatis Magdeburgum regni ordinibus, *Ever-
hardum*, & ejus complices, ad canes ignominiæ ergo portan-
dos, damnavit. *Everhardi* iſtius, nec non *Giſelberti*, Ducis
Lotharingiæ, & *Henrici*, Ducis Brunſuicenſis, ſeditionem,
contra *Ottonem* motam, ample Rev. Autor deſcribit. Comi- 355.
tibus Palatinis Rheni terras quasdam fuiſſe ab *Ottone* aſſigna-
tas, quas ad hodiernum usque diem poſſident, nos docet.
Bellum, contra Slavos, Bohemiam invadentes, geſtum, cum 362.
quibus *Boleslaus*, Dux Bohemiæ, ſeſe univit, deſcribit. Quo- 363.
modo *Ludowicum*, Franciæ Regem, defenderit *Otto*, exponit.
Res Italiæ ejus temporis enarrat. *Boleslaum*, Bohemiæ Du- 364.
cem, ab *Ottone* caſtigatum fuiſſe, docet. Poſt mortem 384.

Digitized by Google

Lotharii, *Berengarius* Rex Italiæ coronatus eſt. Geſta ejus contra *Adelheididem*, defuncti *Lotharii* filiam, nuptias *Berengarii* recuſantem, deſcribit. Qua ratione *Otto*, Germanorum Rex, *Adelheididem* ab obſidione liberaverit, & thori ſociam, victo *Berengario*, aſſumſerit, narrat.
Pag. 389. Seditionem, a *Ludolpho*, *Ottonis* filio, cum aliis Germaniæ Principibus motam, deſcribit.
392. Quomodo *Henricus*, Moguntiæ Epiſcopus, regulas, Canonicis in Germania præſcriptas, in uſum revocaverit, veteremque diſciplinam reſtituerit, exponit.
407. Corruptos mores & turpiſſimam vitam Pontificis *Joannis XII* perſtringit, quem primum a tempore impetrati Pontificatus nomen mutaſſe, idque ſucceſſoribus ejus ſolenne ſemper manſiſſe, obſervat. Cum *Otto* bellis in Germania contra Slavos gerendis intentus eſſet, *Berengarius*, ea occaſione uſus, tyrannidem in Italia exercuit. Ipſa hæc bella, reſque alias per Germaniam tunc temporis geſtas, Rev. Autor accurate delineat. Ab Italis poſtea, *Berengarii* tyrannide preſſis, in auxilium vocatus *Otto*, *Ludolphum* filium, ad meliorem frugem jam perductum, cum exercitu eo miſit. Qui, quamvis præclara fortitudinis ederet ſpecimina, Italorum tamen conviciis adeo exagitatus eſt, ut animi ægritudo, exinde contracta, vitæ ejus finem imponeret.
411. Rebus interim Germaniæ pacatis, ipſemet *Otto* Italiam cum exercitu petiit, ubi, victo depoſitoque *Berengario*, primum Rex Longobardiæ, tandemque Imperator Romanorum, renuntiatus & inauguratus eſt. Donationes tunc antecedentium Imperatorum, in gratiam Pontificum factas, confirmavit omnes, Siciliam quoque, in eum eventum, ſi Saracenis eriperetur, curiæ Romanæ *Ottonem* ceſſiſſe, Rev. Autor contendit. Dominium tamen eminens in urbem Romam certiſſime ſibi reſervavit *Otto*, id quod exempla adducta affatim loquuntur. Formam electionis Papalis ſimiliter Imperator conſtituit, atque delegatos quosdam, qui, an judices in cauſis dirimendis dextre verſarentur, proſpicerent, Romæ ordinavit. Magdeburgum eodem tempore jura metropoleos obtinuit.
415. *Joannes XII* ſeditionem adverſus Cæſarem meditatus quidem eſt, eventu tamen res caruit. *Otto* potius a Romanis

manis iterata vice juramentum fidelitatis recepit, ſimulque
conſtituit, ut nullus citra ipſius conſenſum fieret Pontifex, tan-
demque in Concilio Romano *Joannes XII* depoſitus, ac *Leo*
VIII in ejusdem locum ſurrogatus eſt. *Berengarius* paulo Pag. 420.
poſt, in arce Montefeltrenſi captus, Bambergam perdu-
ctus eſt, ubi in captivitate diem ſupremum obiit. Religio-
nem Chriſtianam tunc temporis in Polonia fuiſſe receptam,
& familiam Comitum *de Leſczinsky* inprimis huic inſtituto
manus auxiliatrices præbuiſſe, docet. Conſtitutiones, ab 431.
Ottone Romanis præſcriptas, recenſet. Quales diſcordiæ cum 433.
Nicephoro, Orientis Imperatore, *Ottoni* interceſſerint, exponit.
Nuptias *Ottonis II*, cum *Theophania*, Imperatoris Græci filia,
celebratas, deſcribit. Pactum eo tempore cum Græcis ab 440.
Ottone eſt initum, vi cujus omnis Italia Imperatori Romano
ceſſit. De morte tandem *Ottonis*, quæ A. 973 die 7 Maji
inſecuta eſt, diſputat, iſtiusque Principis mores deſcribit. Sub 447.
eodem Cæſare Imperialem dignitatem cum regno Germaniæ
fuiſſe unitam, concedit. *Otto II*, ex matrimonio cum *Adel-*
heidide ſuſceptus, & vivo adhuc patre ſucceſſor ejusdem de-
claratus, Magdeburgi Imperator renuntiatus eſt, eamque ob
cauſam Epiſcopo & Capitulo iſtius loci plurima dedit privi-
legia. Quid contra rebelles quosdam Duces geſſerit iſte Im- 451.
perator, Rev. Autor exponit. *Carolo*, Regis Franciæ fratri,
Ducatum Lotharingiæ inferioris ſub nexu fidelitatis Imperator
ceſſit. Hoc etenim pacto ab inſultibus, quos Franci medita-
bantur, ſecurum ſe fore, ſperabat. Lotharingiam tamen bre-
vi poſt invaſit Rex Franciæ, unde maximum bellum exſtitit,
cujus hiſtoriam Rev. Autor recenſet. Pace poſtmodum in- 458.
ſecuta, Lotharingia quidem imperio ceſſit, non tamen certo
poteſt conſtitui, num Franci dominium ſupremum in eam ſi-
bi reſervaverint. Turbas, ab Italis contra Imperatorem exci- 460.
tatas, nec non bellum, a Græcis motum, Rev. Autor ediſſerit.
Filium ejus ſucceſſorem imperii ab ordinibus fuiſſe conſtitu-
tum, commemorat. Epiſcopum Argentoratenſem ab omni 465.
jurisdictione exemiſſe, & ſibi ſoli ſubjeciſſe, Imperatorem, nos
docet, hocque ideo nonnunquam ab Imperatoribus factum

eſſe, ut a nimia Ducum potentia per Epiſcopos, ipſis videlicet valde deditos, ſecuri redderentur, obſervat. Plurimas etiam ſedes Epiſcopales eandem ob cauſam Epiſcopis in feu-
Pag. 469. dum fuiſſe ab hoc Imperatore datas, judicat. Epiſcopos interim minus libenter jusjurandum fidelitatis præſtitiſſe, cum, jurisjurandi præſtationem ſuæ dignitati minus convenire, cenſerent, Rev. Autor obſervat, in quo tamen inepte eos judicaſſe,
472. non diffitetur. *Ottone tertio* adhuc minorenni, *Henricus*, Bavariæ Dux, novarum rerum ſtudioſus, tutelam ejus per vim ad ſe rapuit, regnum etiam Germaniæ ſibi vindicare conatus eſt, multosque imperii ordines in partes ſuas pertraxit. Imperium inde vehementer agitatum eſt, usque dum *Henricus* tutelam juvenis Imperatoris deponeret, eique jusiurandum fi-
477. delitatis præſtaret. Tutelam igitur Imperatoris *Theophania* mater geſſit, & *Willegiſo*, Archiepiſcopo Moguntino, educationem filii demandavit. Juventutem vero Imperatoris ſpernens Rex Franciæ, hacque occaſione, ſibi admodum commoda, utendum ratus, Lotharingiam bello petiit, cujus
479. belli hiſtoriam Rev. Autor perſequitur. Quamplurima privi-
487. legia Eccleſiis conceſſiſſe *Ottonem III*, narrat. Turbas, Romæ a *Bonifacio* antipapa, nec non a *Creſcentio*, excitatas, de-
493. ſcribit. *Otto*, eas ſedaturus, cum fortiſſima manu Italiam intravit, rebusque ibi compoſitis, quamplurima dominii ſu-
505. premi in urbem Romam edidit ſpecimina. Imperialem dignitatem in Concilio, Romæ coacto, iterum Germanis pro-
515. priam reddidit. Ducatum Poloniæ ſub *Boleslao* in regnum commutaſſe *Ottonem*, Rev. Autor tradit, atque *Baronium* ſalſe ridet, qui, a Pontifice *Sylveſtro II* hoc factum eſſe, lectori-
519. bus perſuadere conatus eſt. Leges Italis ab *Ottone* datas fuiſſe, judices etiam in plurimis Italiæ locis eum conſtituiſſe,
525. Rev. Autor commemorat. Inique autem hoc ferentes Itali, arma contra Imperatorem corripuerunt, cujus belli civilis fata Rev. Autor recenſet. De cæde tandem Imperatoris, quæ per chirothecas veneno infectas, & a vidua *Creſcentii* dono ipſi datas, contigiſſe fertur, diſputat. Virtutes ejus Principis
526. valde prædicat, & *Baronium* vehementer caſtigat, qui, mortem

Digitized by Google

tem *Ottonis* præmaturam a Deo, denegatam Pontifici reverentiam punituro, ipſi inflictam fuiſſe, deliravit. *Ottonem* in diplomatibus ſuis elogium *Imperatoris Romanorum ſemper Auguſti* primo loco uſurpaſſe, Rev. Autor exiſtimat. Lites, quæ circa novi Imperatoris electionem exſtiterunt, edisſerit, *Henrici II* familiam ſimul deſcribens. Ordines autem Pag. 531.
Germaniæ, in novo Rege conſtituendo, agnatis defuncti Regis jus præ ceteris candidatis tribuiſſe, ex hac electione comprobare ſatagit. Quomodo *Hermannum*, Sueviæ & Alſatiæ Du- 532.
cem, regnique æmulum, compeſcuerit *Henricus*, exponit.
De nuptiis ejus, cum *Cunigunda*, Comitis Luxemburgici filia, 533.
celebratis, diſputat, ejus fœminæ virtutes valde prædicans.
Res novas, a Marchione Ivreæ in Italia excitatas, deſcribit. 535.
Quid contra Regem Poloniæ geſſerit *Henricus*, exponit. 539.
Circa ea tempora Ducem Hungariæ, *Stephanum*, Chriſtianam 544.
religionem amplexum eſſe, nos docet. Eundem a Ponti- 549.
fice Regem fuiſſe conſtitutum, atque corona & cruce, tanquam inſignibus regiæ dignitatis, donatum, tradit. Corona- 550.
tionem *Henrici* Lombardicam, & ſeditionem, ab Italis contra eum motam, deſcribit. Bambergæ Epiſcopatum inſtituit 555.
Henricus, qui tamen ſub inſpectione Herbipolitani, tanquam Archiepiſcopi, manſit, & confirmatione Pontificis opus habuit. Interim tamen, eo adhuc tempore Epiſcopos ab uni- 563.
verſa Eccleſia fuiſſe electos, atque Imperatoris approbationem in eorum conſtitutione fuiſſe neceſſariam, exempla, a Rev. Autore allata, affatim loquuntur. Et ita etiam ipſimet Pon- 581.
tifices, ab univerſa Romanorum civitate electi, ab Imperatore confirmandi erant. Leges, ab *Henrico* in campis Roncaliis 583.
datas, diſciplinam civilem potiſſimum reſpicientes, Rev. Autor affert varias. Coronationem Imperialem *Henrici* & *Cuni-* 585.
gundæ Romæ peractam, deſcribit, unde apparet, inſignia im- 586.
perialia tunc temporis Pontifices ſuis ſumtibus paraſſe. Varias tunc conſtitutiones, liturgiam ordinantes, Eccleſiæ Romanæ *Henricum* præſcripſiſſe, nos docet. Quamplurima pie- 587.
tatis & liberalitatis erga Eccleſiam ſpecimina, quæ iſte Princeps edidit, & quæ *Sancti* cognomen ipſi pararunt, affert,
Polo-

Polonos per ea tempora Miſniam urbem obſidione cinxiſſe,
narrat, ſingulisque annis memoriam liberatæ ab his inſultibus
Pag. 600. urbis quondam recoli fueviſſe, commemorat. Jus, in armis
poſitum, inde a *Conradi I* temporibus in Germania obtinuit,
quod continuis cruentisque bellis, inter privatos geſtis, occa-
605. ſionem præbuit. Ea tamen bella illico ceſſabant, cum Impera-
tor belligerantium miniſterio ad communem hoſtem repri-
mendum opus haberet. Quomodo Burgundia Transjurana
609. Imperatori ceſſerit, Rev. Autor declarat. *Cunigunda*, Impe-
ratoris uxor, de adulterii crimine aliquando ſuſpecta, per pro-
bationem ferri candentis innocentiam declarare coacta eſt.
613. *Ditmari Martisburgenſis*, A. 1019 mortui, vitam Rev. Au-
tor deſcribit. Cœlibatum Clericis in decreto, Ticini tunc
temporis confecto, & a Cæſare confirmato, imperatum fuiſſe,
618. contendit. *Henricum II* nimis, & ultra modum, erga Cleri-
cos liberalem fuiſſe, pronuntiat, eum poſt fata inter Sanctos a
Pontifice *Eugenio III*, non expectata Concilii generalis autori-
627. tate, relatum eſſe, nos docens. Hunc ipſum tamen Impera-
torem juri confirmandorum Pontificum renuntiaſſe, pernegat.
628. Electionem *Conradi Salici*, Francorum Ducis, in comitiis, jux-
ta Moguntiam & Wormatiam habitis, peractam, fuſe deſcri-
bit, ejus ſtemma exhibet, eumque *Salici* cognomen a *Sala*
632. Franconica tuliſſe, contendit. Virtutes ejus valde prædicat.
Motus, in Lotharingia & Italia excitatos, deſcribit. Filium
640. *Conradi*, *Henricum*, annum ætatis octavum adhuc agen-
tem, Regem Germaniæ coronatum eſſe, memorat. *Conradi*
coronationem Imperialem, Romæ peractam, ejusque res in
643. Italia geſtas, exponit. Origines Comitum Habsburgicorum
648. detegit. Quomodo quosdam Germaniæ ordines, rerum no-
647. varum ſtudioſos, compeſcuerit *Conradus*, nos docet; ex qui-
649. bus dictis facile intelligitur, quanta eo adhuc tempore Cæſa-
rum in Germania fuerit autoritas. *Henricum*, Imperatoris
filium, anno ætatis undecimo iterata vice Aquisgrani fuiſſe
654. coronatum, commemorat. Ducatum Bavariæ, morte *Henri-
ci*, *Cunigundæ* fratris, inſecuta, vacantem, filio ſuo conceſſit
Imperator. Vehementer autem huic ceſſioni ſe oppoſuit
Hun-

Digitized by Google

Hungariæ Rex, *Stephanus* qui, Bavariam jure hæreditario ad filium ſuum pertinere, contendit. Inde cruentum bellum Cæſarem inter & Hungaros geſtum, mox tamen, pace inſecuta, ſopitum eſt. Morte *Rudolphi III*, Regis Burgundiæ transjuranæ, A. 1032 inſecuta, integrum Burgundiæ regnum imperio Germanico ceſſit, indeque dignitatem *Archi-Cancellariatus per Galliam*, quam Archiepiſcopus Trevirenſis gerit, natam eſſe, Rev. Autor obſervat. Hoc ipſum vero regnum Burgundicum *Henrico* filio vivus adhuc *Conradus* ceſſit, cui jurejurando præſtito fidelitatem promiſiſſe ordines regni, Autor narrat. Mortem denique iſtius Imperatoris, Ultrajecti A. 1039 inſecutam, deſcribit, virtutes ejus valde prædicans. Bigam Diſſertationum huic *Tomo* ſubjunxit, quarum prior *de elogio Caſaris Auguſti, & Imperatoris*, poſterior autem *de Monogrammatibus Imperatorum*, tractat. Prior earum inprimis lectu digna, & bonæ frugi pleniſſima, eſt, nosque libenter fuſius de ea diceremus, niſi brevitati ſtudendum, & ad contenta inſequentis *Tomi* ediſſerenda nobis properandum eſſet. *Henricum III* ab Archiepiſcopo Colonienſi fuiſſe inauguratum, cum prius, non interrupto temporis ordine, ad Moguntinum illud jus pertinuerit, Rev. Autor docet. Quales ſuppetias Polonis iſte Imperator tulerit, exponit. Turbas regni Hungarici delineat. Mortuo A. 1043 *Gothelone*, Lotharingico Duce, *Henricus* alteri ex ejus filiis *Gothofredo* inferiorem Lotharingiam conceſſit. Altero autem, qui ad imperium minus habilis videbatur, præterito, & *Alberto* quodam in ejus locum Duce Lotharingiæ ſuperioris conſtituto, ſeditio graviſſima a *Godofredo* Duce contra Imperatorem mota eſt, cujus hiſtoriam Rev. Autor. exponit. Hungariæ regnum clientelari nexu imperio Germanico adſtrictum fuiſſe, demonſtrat. Schiſmata, Romæ exorta, & ab Imperatore tandem compoſita, exponit. De peſſima Pontificum quorundam iſtius temporis vivendi ratione nihil diſſimulat, &, *Henricum* jus conſtituendi Pontificis tunc exercuiſſe, nos docet. Idem *Henricus* Romæ præſens cives iſtius urbis jurejurando adſtrinxit, ne ullum poſtea Pontificem inconſulto Imperatore eligerent.

Pag. 655. 665. 681. Tom. IV pag. 3. 18. 25. 29.

Pag. 30. Normanni, inferiorem Italiæ partem tunc tenentes, dominium itidem *Henrici* eminens agnoverunt. Epiſcopos Bambergenſes a *Clemente II*, qui ante Pontificatum loci iſtius Præſul fuerat, jura Epiſcoporum exemtorum accepiſſe, Autor obſervat.
32. Pontifex *Stephanus IX*, ingenti exercitu ab Imperatore adjutus, bellum contra Normannos, Calabriam inſidentes, movit, quod tamen Pontifici vehementer luctuoſum exſtitiſſe, Autor docet.
44. *Conradum*, Bavariæ Ducem, ob gravamina, a civibus contra eum mota, terris ſuis privavit Imperator, *Henrico IV*, Cæſaris filio, in ejus locum ſubſtituto. Ea tamen res & multis turbis occaſionem præbuit, & Imperatorem ordinibus Germaniæ reddidit inviſum. Interim ille ipſe *Henricus IV* in comitiis Tribürienſibus ſucceſſor Imperatoris electus eſt. Ab illo tempore morem, eligendi Reges Romanos vivo Imperatore, repetendum eſſe, Autor judicat.
49. Diſſidia, quæ inter Imperatorem & Regem Caſtiliæ *Ferdinandum* interceſſerunt, depingit, cum Imperator, partes iſtius regni, a Suevis natione Germanis quondam poſſeſſas, clientelari nexu ſibi obſtrictas eſſe, contenderet.
61. *Henricum III* jura eorum, qui advocatia monaſteriorum gaudebant, conſtitutione, A. 1056 evulgata, ordinaſſe, hic docemur. Turbas, quæ ſub *Henrico IV* Germaniam concuſſerunt, ex comitiis, quæ juſto frequentius ab *Henrico III* convocabantur, natas eſſe, exiſtimat. Inde enim imperii ordines, autoritate, quæ illis hoc pacto deferebatur, ſuperbos ad altiora contendiſſe, & de excutiendo Cæſaris imperio cogitaſſe, exiſtimat. Infirma *Henrici IV* ætas, & minus provida educatio, optimam huic rei perficiendæ occaſionem dare videbatur, ipſique Pontifices in evertenda Cæſarum autoritate omnibus modis laborarunt. Miſerrimum adeo iſtius temporis ſtatum Rev. Autor accurate, candide, & ita, uti hiſtoricum ab omni partium ſtudio alienum decet, exponit, de Pontificum horrendis contra Imperatorem auſibus nihil omnino diſſimulans, & cauſam Imperatoris ubique agens. *Nicolaum II* in Concilio Romano, A. 1059 celebrato, formam electionis Papalis ordinaſſe, nos docet, in qua tamen jus Imperatoris adhuc conſervatum eſt.

Eun-

Eundem *Nicolaum* Ducatum Beneventanum a Normannis recepiſſe, & ſupremum dominium in terras, ab illis in Italia poſſeſſas, acquiſiviſſe, commemorat, inde originem dominii papalis in Neapolin & Siciliam repeti debere, contendens.
Henricum IV multis virtutibus præditum fuiſſe, affirmat, & Pag. 71.
calumnias, quibus paſſim agitatus eſt, a gnathonibus curiæ
Romanæ fuiſſe excogitatas, urget, ſolam libidinem in eo re- 110.
prehendens. *Gregorium VII* Pontificem ficta civilitate con- 112.
firmationem Imperatoris obtinuiſſe, nos docet, ejus ſuperbiam, rerumque novarum ſtudium, vehementer improbans.
Hiſpaniam, Hungariam, & quosdam Italiæ Ducatus, eum ſedi 155.
Pontificali ſubjicere tentaſſe, docet. Contentiones, quæ 202.
propter jus inveſtiendi Epiſcopos per baculum & annulum inter Imperatores atque Pontifices agitatæ ſunt, ample deſcri-
bit. *Gregorium VII* primum inter Pontifices ab imperio Cæ- 217.
ſaris ſe immunem præſtitiſſe, non negat. Sanctitatem & pie- 224.
tatem vehementer in *Gregorio VII* fuiſſe deſideratam, concedit quidem; at, quod miramur, & quodammodo indignamur, huic tamen monſtro hominis, infernali ſpiritu con-
citato, elogium Viri magni tribuit. Seditionem, a *Con-* 307.
rado, Imperatoris *Henrici* filio, contra patrem tentatam, accurate idem deſcribit, occaſionem vero ei præbuiſſe conſilium, a Cæſare datum, ut matri ſtuprum inferret *Conradus*, negat, eamque narrationem ab obtrectatoribus
Henrici profectam eſſe, contendit. *Conradum* illum Ponti- 331.
fici *Urbano*, Cremonam introeunti, miniſtraſſe, eique jus inve-
ſtiendi Epiſcopos conceſſiſſe, docet. Decreta Concilii 337.
Claromontani, de expeditionibus cruciatis agentia, ediſſerit. Ex iſtis autem expeditionibus morem illum, quo cruces in illuſtrium familiarum ſigillis exprimi ſueverunt, natum eſſe,
exiſtimat. In comitiis Moguntinis, A. 1097 ab *Henrico* habi- 338.
tis, *Conradus*, tanquam perduellionis reus, eſt depoſitus, fratre
ejusdem *Henrico V* ſucceſſore imperii conſtituto. *Conradus*, 344.
brevi poſt Florentiæ mortuus, a ſcriptoribus quibusdam valde laudatur; eum tamen virtutes, quibus conſpicuus fuit, rebellione contra patrem tentata penitus obſcuraſſe, Rev. Autor ex

Pag. 349. vero judicat. Epiſcopos ab Imperatore tunc temporis adhuc conſtitui ſueviſſe, docet. *Henricum V*, a Saxonibus concitatum, contra patrem arma corripuiſſe, narrat. Quomodo *Henricus IV* tandem depoſitus fuerit, filio in ejus locum ſurrogato, exponit. Immo, infeliciſſimum iſtum Principem, carceri incluſum, ſumma in egeſtate deinceps vixiſſe, & ne quidem munus Canonici Eccleſiæ Spirenſis, quod ambierat, obtinuiſſe,
375. *Sigonium* & *Helmoldum* ſecutus, commemorat. Evaſit tamen poſtea *Henricus* e carcere, multique ordines imperii, qui ex ejus partibus ſtabant, armis *Henricum* rebellem compeſcere
378. tentarunt, quos tandem motus mors Imperatoris ſopivit. Et, quamvis corpus iſtius Principis ab Epiſcopo Leodienſi terræ eſſet mandatum, autoritas tamen *Henrici V* effecit, ut iterum effoſſum, per integros quinque annos in loco ſordido, Spiræ, abjectum jaceret, usque dum, excommunicatione per Pontificem ſublata, honeſte ſepeliretur. Quamvis autem horrenda *Henrici V* ſcelera omnes merito in horrorem conjiciant, *Baronius* tamen ejus facta laudare, & pietatem iſtius filii degeneris erga curiam Romanam magni facere, ſuſtinuit,
391. cujus idcirco ſententiam graviter Rev. Autor caſtigat. Temporibus *Henrici IV* ordines Germaniæ *coimperantes* factos eſ-
393. ſe, obſervat. *Henricum V* tributum, quod Poloni imperio ſolvere conſueverant, illis remiſiſſe, nos docet. Contentiones, quæ inter iſtum Imperatorem & Pontifices intuitu juris inveſtiendi Epiſcopos interceſſerunt, notatu digniſſimam partem ejus vitæ conſtituunt, easque Rev. Autor accurate exponit, turbas itidem, hac occaſione per Germaniam motas, ediſſerens.
432. Quamplurimos Germaniæ Epiſcopos eo jam tempore jurisdi-
473. ctionem in Clericos & laicos exercuiſſe, contendit. Comitiſſæ *Mathildis* genealogiam deſcribit, &, quasnam illa terras poſ-
476. ſederit, narrat. Tabulas inſtrumenti, quo jus inveſtiendi Epiſcopos Pontifici in comitiis Wormatienſibus A. 1122 ceſſum
518. eſt, affert integras, ex quibus intelligitur, jus inveſtiendi Epiſcopos circa regalia ſibi reſervaſſe Imperatorem. Cum *Henrico V* Imperatores e domo Salica oriundi defecerunt, unde varii tunc aderant dignitatis Imperialis candidati, quos Rev.

Autor

Autor in ſcenam produxit omnes, eorum ſimul characteres deſcribens. Ordines imperii, Moguntiæ congregati, decem conſtituerunt viros, quibus eligendi Cæſaris poteſtas facta eſt. Ipſam electionem *Lotharii II*, Saxoniæ Ducis, accurate Rev. Pag. 544.
Autor deſcribit. *Lotharium* Aquisgrani ab Archiepiſcopo Colonienſi inauguratum fuiſſe, docet. *Innocentio II* Pon- 548.
tifici, Leodium venienti, maximos honores *Lotharius* exhibuit, jus inveſtiendi Epiſcopos ſe recuperaturum hoc pacto, ſperans. Hoc vero conſilium per S. *Bernhardi* machinationes eventu caruiſſe, Rev. Autor obſervat. Epiſcopos 565.
tunc temporis adhuc ab univerſo populo ſubinde elegi ſuevisſe, exemplum allatum teſtatur. Potentiam ordinum imperii 569
ejus temporis, ejusque initia & incrementa, Autor deſcribit. Res geſtas *Lotharii* contra *Rogerium*, Siciliæ Regem, 598.
ample exponit. Jus Romanum ab iſto Principe in Germa- 599.
niam introductum eſſe, negat, & de Pandectis Florentinis quædam affert, illud exemplar Piſanis a *Lothario* donatum eſſe, cenſens. *Irnerium* primos Juris Doctores renuntiaſſe, 613.
ſibi perſuadet. Epiſcopos eo tempore Imperatoribus plane non amplius paruiſſe, oſtendit. De incrementis potentiæ clericalis hac occaſione diſputat. Advocatorum Eccleſiæ munus deſcribit. De urbibus imperii liberis diſputat. Mor- 617.
tuo *Lothario*, *Conradum III*, Franconiæ Ducem, in fraudem *Henrici*, Bavariæ Ducis, intercedente potiſſimum Romani Pontificis autoritate, Regem Germanorum fuiſſe electum, nos docet. Turbas, quas *Henricus* ideo excitavit, delineat. 620.
Rogerium a Pontifice regnum Siciliæ & Principatum Ca- 622.
puenſem in feudum accepiſſe, docet, eamque rem, Imperatoris juribus prorſus contrariam, admodum indigne *Conradum* tuliſſe, obſervat. Bello etiam *Rogerium* certiſſime pe- 633.
tiiſſet Imperator, niſi bella inteſtina, quæ Germaniam tunc affligebant, cœptis ejusdem reſtitiſſent. De his ipſis bellis fuſe & accurate Rev. Autor diſputat, illis compoſitis fœdus cum *Joanne Comneno*, Orientis Imperatore, contra *Rogerium* pepigiſſe *Conradum*, tradens. Circa idem tempus Romani de 647.
excutiendo Pontificis imperio cogitarunt, eum non niſi cauſas

Digitized by Google

eccleſiaſticas dijudicare debere, præ ſe ferentes. *Conradus* interim, tempori inſerviturus, &, quantum contra Cæſares valerent Pontificum machinationes, probe perſpiciens, ſeditio-
Pag. 653. ſis illis maſcule reſtitit, & Pontifices contra eos defendit. Expeditionem cruciatam contra Turcas *Conradus* itidem ſuſcepit, eoque abſente, filius, *Henricus*, Rex Romanorum, electus, faſces imperii tenuit. Cum autem is minor adhuc eſſet, conſilium Rothwilenſe ideo eſſe inſtitutum, ut cauſas
665. imperii tractaret, Rev. Autor contendit. Fata dein & progreſſus iſtius expeditionis cruciatæ admodum fuſe exponit. *Ottonis Friſingenſis* vitam hac occaſione deſcribit, cum is in comitatu Imperatoris fuerit, eum ex illuſtri proſapia oriun-
695. dum fuiſſe, tandem vero monachum induiſſe, tradens. Bellum, a Saxonibus contra infideles, juxta ſeptentrionem habi-
696. tantes, geſtum, deſcribit. De turbis, ab *Henrico Leone*, Duce Saxoniæ, motis, diſſerit, eisque compoſitis, *Conradum* de bello contra *Rogerium* inſtruendo cogitaſſe, eique Imperatorem Græcum, vi ſocietatis initæ, ſuppetias tuliſſe, nos docet. Mors tamen iſtius Principis, A. 1152 inſecuta, cœptis hiſce obſtitit. *Fridericum*, Alſatiæ & Sueviæ Ducem, a moribundo *Conrado* ordinibus imperii commendatum, ſucceſſorem ejus fuiſſe electum, Rev. Autor docet, ac de Guelphorum & Gibellinorum factione, ſub finem hujus *Tomi*, accurate diſputat.

IL SITO DELL' ANTICA CITTA D'INDuſtria, &c.

id eſt,

SITUS URBIS VETERIS, INDUSTRIÆ, detectus & illuſtratus a JO. PAULO RICOLVI & ANTONIO RIVAUTELLA.

Auguſtæ Taurinorum, in typographia Regia, 1747, 4.
Plag. 5.

Indu-

Induſtriam, Romanorum Coloniam, bis nominat *Plinius*. Ejus demum Commentatores non minus, quam Geographi, quotquot fuerunt, de illius ſitu ſolliciti, eo loco poſuerunt inſigne iſtud ſubalpinæ Italiæ oppidum, quem hodie *Caſale*, urbs Montis Ferrati primaria, occupat. Qua in opinione eramus adhuc, dum, eſſe nos in errore, doceremur a Duumviris longe doctiſſimis, *Joanne Paullo Ricolvi*, & *Antonio Rivautella*, illo humaniorum literarum in Collegio Provinciali Taurinenſi, hoc Bibliothecæ Academiæ, poſt Abbatem *Paſinum*, præfecto; qui non ſitui ſolum ſuo reſtituerunt Induſtriam, ſed illuſtraverunt etiam, hac ipſa Commentatione, plena bonæ frugis, illuſtrem eam Coloniam, repertarum a ſe nuper Inſcriptionum fide. Æquam viribus ſuis materiam ſcribendi ſumſiſſe Clariſſimos Viros, vel ex inſigni Opere *Marmorum Taurinenſium* (quod quin *Actis* noſtris inſeratur, non committemus,) facile intelligitur. Et profecto, ſi, quotquot antiqua monumenta ſcrutantur, eaque deinceps commentariis proſequuntur ſuis, tanta circumſpectione, tantaque accuratione, uterentur, quanta *Ricolvius* & *Rivautella*, Viri Clariſſimi, cum in Induſtriam inquirerent, uſi ſunt, & ignoraremus multo pauciora in omni antiquitatum genere, & certior de pluribus eſſet literatus orbis. Ex vero ſcribere nos, hæc, quæ jam ex doctiſſima Commentatione excerpta dabimus, teſtabuntur. Diſſertatio *tribus* abſolvitur *Capitibus*, quibus de modo detectæ Induſtriæ, de Inſcriptione inſigni, illic reperta, deque urbis ejus, Romanæque Coloniæ, nomine, ſitu, amplitudine, reliquiſque decoribus, eleganter non minus, quam docte, diſputatur. Primum eo inprimis pertinet, ut, quam Clariſſimorum Virorum circumſpectionem laudavimus jam, palam fiat. Eſt ad dextrum Padi littus XVI circiter ab urbe Taurinenſi Pedemontanis milliaribus avulſum oppidum, *Monteù di Po*. Illic repertæ ſæpius fuerant Inſcriptiones variæ, nominibus Magiſtratuum, tam ſacrorum, quam civilium, inſignitæ; nec difficulter conjectura inde enata eſt, non tenuem illic urbem fuiſſe olim poſitam. Huc ſe egregium doctiſſimorum Virorum par ante annos aliquot contulit, ſi

qua

qua forte ratione & nomen urbis, & reliquus ejus habitus, detegi poſſet. Reperere lapidem rotundum, ſed mutilatum injuria temporis, in quo clariſſime nihilo minus legebatur, dicatam fuiſſe ſumtibus publicis *Cocceja* cuidam ſtatuam, AB. IND. Sumebat hinc vires conjectura de urbe aliquando hic ſita, ſed accedebat & alia, de ejus nomine; quod minime fugiebat Doctiſſimos Viros, meminiſſe *Plinium* urbis Induſtriæ, in ea regione quærendæ. Subſtitiſſet hic quivis alius, &, repertam a ſe veterem Induſtriam, confidenter jactaſſet; Noſtri amplius inquirunt ante, quam literato orbi, quod antiquitatis monumentum inveniſſent, exponerent. Forte fortuna accidit, ut Parochiæ illius oppidi Bullas inſpicerent, legerentque, *S. Joannis Baptiſta de Luſtria* in illis perpetim Eccleſiam eam vocari; unde recte ſuſpicabantur Viri Doctiſſimi, *Induſtriæ* nomen, (quod & in *Plinii* editionibus aliquot in vocem *Illuſtria* transformatum reperitur,) depravatum ſucceſſu temporis, in illud *de Luſtria* abiiſſe. Accedebat & hoc, quod, qui ea loca incolunt, referrent, in vallibus Pado vicinis non obſcura veteris cujusdam ſtructuræ monumenta, immo & numiſmata, plus vice ſimplici reperta fuiſſe. Datum ergo id negotii duobus inquilinis, uti hiberno tempore, locis aliquot indigitatis, terram foderent, deque repertis omnibus redderent rationem, quantocius poſſent. Fodiunt, cameram detegunt, inveniunt numos, tandem & metalli tabulam, Inſcriptione, quæ ſequitur, ornatam:

Genio. et. Honor
L. Pompei. L. F. Pol. Heren
niani. Eq. Rom. Eq. Publ.
Q. Aer. Pet. Alim. Aedil.
IIVIRO. Curatori.
Kalendarior. Rei. P.
Collegium Paſto
phororum. Indus
trienſium. Patro
no. ob. merita.

Hujus

Hujus demum monumenti, omni exceptione majoris, teſtimonio confirmati Viri Doctiſſimi, de reperto Induſtriæ, veteris Romanorum Coloniæ, ſitu, eo minus ambigebant, quo evidentius & Induſtrienſium nomen, & ipſa tabula, quadratum oblongum referens, nihilque non exhibens elegantiæ illorum temporum, id loquebantur. At, ſi quid forte dubii ſupereſſe poterat, omne id nomen artificis, infimæ parti tabulæ (*nella cornice*) inſculptum, ademit. Ita vero habet:

T. Gra. Trophimus. Ind. Fac.

Hanc ipſam Inſcriptionem eximia hac Diſſertatione ita reſtituunt Viri Clariſſimi:

Genio & honori Lucii Pompeji, Lucii Filii, Pollia Herenniani, Equiti Romano, Equo Publico (ſcil. donato), *Quæſtori Ærarii Publici & Alimentorum, Ædili, Duumviro, Curatori Kalendariorum Reipublicæ, Collegium Paſtophororum Induſtrienſium, Patrono ob merita.*

Altero Diſſertationis *Capite*, quotquot ſunt Inſcriptionis verba, docte exponuntur, niſi quod brevius; quod tamen propterea factum eſt, quia uberiorem omnium earum rerum diſcuſſionem illuſtrationemque peculiari volumini, quod Antiquitates cis- & trans- Alpinas complecteretur, ſervare volebant Viri doctiſſimi. Indicatum nihilo minus eſt, quicquid ad intelligendam eam Inſcriptionem pertinet. Ad verba: *Genio & Honori*, iſtud annotatum legimus, non divinitates hic intelligi, ut in aliis Inſcriptionibus, debere, ubi alius caſus vocibus illis jungitur, e. g.:

HONORI
MEMMIO. VITRASIO. ORFITO.

ſed jungenda eſſe, quæ ſequuntur, utque adeo ſignificent lingua Italorum: *alla bontà ed ornatezza di Lucio Pompeo*, &c. Liceat nobis, pace Virorum Clariſſimorum, de hac primarum vocum interpretatione ingenue fateri, nos eam priori longe poſtponere. Nam & inſolentior eſt, quam ipſi præferunt, &, ſi quid videmus, omnis, quæ ſequitur, dignitatum congeries, mutato caſu Dativo in Genitivum, præter ne-

 ceſſita-

ceſſitatem turbatur. De Tribu *Pollia*, una ex ruſticis, hoc obſervatur, quod pleraque marmora, in regione Pedemontana ad hunc usque diem reperta, vel hujus, vel tribus *Stellatina*, mentionem faciunt; unde conjicitur, in has duas tribus fuiſſe omnem eum agrum diviſum. Verba: Q. ÆR. PET. ALIM. mendoſe inſculpſit tabulæ, quisquis ille fuit, *Trophimus* Induſtrienſis, quod *Quæſtor Ærarii Publici, & Alimentorum*, adeoque *Q. Ær. P. & Alim.* indicandus fuit; quemadmodum interpretantur Viri Doctiſſimi. Fatentur illi, rariora eſſe Quæſtorum Ærarii Publici exempla, obvia Quæſtorum Alimentorum, e. c.:

N. PETTIO. N. F.
GAL. RUFO.
II. VIR. Q. ALIMENT. &c.

etſi, quid Alimentorum Quæſtores habuerint muneris, nondum ſatis conſtat. Erat alendis pueris puellisque pauperibus fundus deſtinatus apud Romanos veteres, teſte *Dione Caſſio, Aurelio Victore, Spartiano,* & *Capitolino*; qua in re *Trajani* inprimis liberalitatem laudat *Plinius*. Quid impedit, quo minus, hujus potiſſimum ætate, alimentorum iſtiusmodi Quæſtores conſtitutos dicamus, qui & fundo illi attenderent, & alerent ex eo beneficii hujus non indigos modo, ſed eodem dignos etiam. Sed aliter eam dignitatem interpretantur Viri Clariſſimi, quorum judicio facile cedimus. Nempe, variarum Inſcriptionum, quas *Gruterus* annotavit, fide, iſtud negotii dant Alimentorum Quæſtori, ut militibus Romanis de victu neceſſario, ea in regione, quam tranſirent, proſpicerent; indeque enata poſtmodum *Præfectorum annonæ, annonæ Curatorum, Procuratorum ad alimenta, Præfectorum alimentorum,* denique & *Quæſtorum alimentorum,* nomina. E. g.:

T. Flavio .... Proc. ad Alim. Ital.

vel: *Q. Val. .... Proc. Aliment.*

Quodſi *Sertorius Urſatus*, uti confidenter opinatur, fuiſſe in Romanis *Alimentarios Ædiles*, qui pauperum puerorum puellarumque curam gererent, teſtimoniis confirmaviſſet, aut ratio-

tionibus, poſſent hæc Inſcriptionis verba: Q. ÆR. P. ET ALIM. ÆDIL. ita exponi: *Quæſtori Ærarii Publici, & Alimentario Ædili:* quod tamen quia non fecit, neque factum eſt adhuc a quocunque alio, merito cum clariſſimis Diſſertationis Editoribus vocem *Ædilis* ſeparamus a prioribus, & conſueto more interpretamur. De *Curatoribus Kalendariorum Reipublicæ Noriſius* excitatur *Cenot. Piſ. pag.59*, additis Inſcriptionibus, quibus *Honorati, ad curam Kalendarii Reipub. Eclanenſium*, fit mentio. Geminos fuiſſe *Pecuniæ publicæ Curatoribus*, ſcribunt Viri Doctiſſimi, qui in Inſcriptionibus memorantur, *Opere Scienenſi T. II pag. 377*. Quod ad *Paſtophororum Collegium* attinet, nemini dubium, quin a παςὸς, voce Græca, veſtis ſpeciem indicante, Paſtophori, id eſt, iſtiusmodi veſte induti, dicti fuerint; ſed, cujus divinitatis fuerint ſacerdotes, de hoc nondum convenit. Sunt, qui, quod παςὸς & *thalamum Luciano* ſignificat, ipſaque *Venus*, quaſi thalamifera, *Paſtophoros* dicta reperitur, Collegium iſtud *Veneris* Sacerdotum fuiſſe, ſibi perſuadent. Noſtri, *Apulejo* duce, qui *Lib. XI Metamorph.* extremo Paſtophororum *Iſidis*, totidem verbis, mentionem facit, exiſtimant aliter; Deæ *Iſidis* ſacerdotes fuiſſe ſcribunt, quod ſummorum Sacerdotum genus ab Ægyptiis Romani mutuo ſumſerint. At enim vero, fateamur, neceſſe eſt, nobis aliter videri. Liceat hunc in modum conjectari: *Dendrophori*, teſte *Artemidoro*, ii vocabantur, qui in honorem Dei alicujus, quisquis ille demum fuerit, arbores ſtirpitus exciſas per urbem humeris ferrent, atque ita religionis (ſuperſtitionis dicere debebamus,) peculiare quid præferrent; *Ciſtophori* in Aſianorum numis, non Deo uni dicati, ſed omnes ii, appellabantur, qui myſticorum ſacrorum arcana, ciſtis incluſa, circumgeſtarent; quid, ſi eadem ratione *Paſtophori* dicti, quotquot Numinis cujuscunque honori, veſte inſolita induti, peculiarem, cum religione, venerationem teſtificarentur, haberenturque dein pro Dei illius Deæque Sacerdotibus? Neque ex Inſcriptione, edita a Viris Clariſſ., aliud quid patet, quam quod & Induſtria vetus

horum hominum catervam aluerit. Unius Deæ Sacerdotes fuiſſe Paſtophoros, nondum credimus: etſi id facile largimur, omnem eum ritum fuiſſe ab Ægyptiis forte petitum; quod notiſſimum eſt, Romanos omnium pæne gentium religiones domi ſuæ adoptaviſſe. Abſit vero a nobis, ut *Antonio Rivautella*, Viro Clariſſimo Doctiſſimoque, in iſto eruditionis genere, uti in reliqua re literaria omni, exercitatiſſimo, litem eapropter intentemus: quod non modo humanitatem ejus, ejusque in meliores literas merita, omnibus omnium Paſtophororum Collegiis longe anteponimus, ſed quod etiam ſperare nos jubet eximii Viri pertinax atque indefeſſa induſtria, fore, ut, quicquid de Paſtophororum Collegio, poſt Doctiſſimorum Virorum, & nuperas admodum *Biedermanni*, Viri Clariſſimi, diſceptationes, dubii atque incerti ſupereſt, id omne, ubi inſigne *Antiquitatum agri Pedemontani* volumen, in quo jam deſudat, prodierit in lucem, (quod ut propediem fiat, totius Reipublicæ literariæ cauſa, vehementer optamus,) penitus tollatur.

Capite ultimo, quod *tertium* eſt, de vero Induſtriæ ſitu, amplitudine, & habitu reliquo, diſſeritur, docte ubique, & Inſcriptionum fide; quarum ope propediem illuſtrabuntur 1) veteris urbis *Cimellæ*, prope Nizzam, ſitus, quo loco Amphitheatrum, aliaque Romanæ magnificentiæ monumenta, ſuperſunt; 2) *Tractus viæ* cujusdam *Romanæ*, in eadem regione Nizzana, ignoratus adhuc Geographis, qua per Turbiam Vintimigliam itur; ex columnis miliaribus, quarum una *Viam Juliam Auguſtam* nominat, *ſumtibus Adriani Imperatoris reparatam*, inde a flumine Trebbia; 3) *Auguſta Vagiennorum*, *Plinio* nominata, ex monumentis, *Centalli*, quod oppidum ſex milliaribus Pedemontanis Cuneo diſtat, repertis; in quibus inſcriptiones ſunt diverſorum Magiſtratuum, Duumvirumque, nominibus inſignes; 4) *Vallis Ducatus Aoſtenſis*, antiquitatum Romanarum, atque Inſcriptionum, omnium pæne, tota ea Regione, ditiſſima, a nullo adhuc Antiquariorum ex merito illuſtrata; illic ruinæ Theatri, variæ pontium reliquiæ, quibus Romanorum legiones in Galliam

tra-

Digitized by Google

trajicerent ex Italia, vel in Germaniam, aliaque plura viſuntur; 5) *Populi in arcu Suſano nominati.* Quæ omnia quantam & Geographiæ veteri, & antiquariæ rei univerſæ, ſint lucem fœneratura, facile intelligitur. Induſtriam, ut ad argumentum Diſſertationis revertamur, *Plinius Lib. III Cap. 5* cum aliis Liguriæ urbibus confuſe nominat; idque *Cap. 16* iterum, ubi decurſum Padi deſcribit; ad quæ poſtmodum *Plinii* loca conjecturarum ſuarum camarinam Commentatores alleverunt, ne nihil dixiſſe eam in rem viderentur. Quod antiquius Induſtriæ nomen eſt, *Bodinomacum*, Liguſtica lingua *Padi profunditatem* ſignificat, quem Ligures *Bodincum* appellant; eſtque hodie adhuc collis, planitiei Induſtriæ imminens, ab inquilinis *Mondicoi* dictus, corrupta ſine dubio voce. Unus *Ludov. della Chieſa*, in Hiſtoria Pedemontii, de Induſtriæ ſitu caute pronuntiat: *Induſtria, di cui ne ſe n'ha chiarezza;* reliqui omnes, qui meminerunt Induſtriæ, recentiores Scriptores Caſalem putabant, falſo, ut jam patet. Nempe induxit eos in errorem Inſcriptio reperta & aſſervata Odolengi, apud *Gruterum p. 431 n. 65:*

T. LOLLIVS. T. LOLLI. MASCVLVS
IIIII VIR. BONDICOMIENSIS.
HIC. PROPTER. VIAM. POSITVS.
VT. PRÆTEREVNTES. DICANT.
LOLLI. AVE.

quaſi vero illic ſita Induſtria, ubi ſitus Lollius; hunc IIIIvirum Bondicomenſem obiiſſe Odolengi, hac Inſcriptione doceri poteſt; non autem, quod eo loco Bodinomacum poſitum fuerit, quo reperta Inſcriptio. Proſtant monumenta, quæ Bondicomenſes Romæ mortuos, & alibi, memorant; quid inde ridiculi ſequeretur? Accedit, quod Inſcriptio illa, obſervante *Cellario*, ſuſpecta jam viſa eſt *Cluverio*, litiganti eapropter cum *Holſtenio*, neque immerito. Nihil habet Romanæ elegantiæ; nihil concinnæ brevitatis; quicquid indicat, frigidum pæne eſt, reliqua. Poſt lectam vero Doctiſſimorum Virorum de Induſtria Diſſertationem, quasque illic IX ineditas In-

ſcriptiones publici juris fecere, res in aprico eſt, & extra omnem dubitationem poſita. Adſcribimus eas, quotquot ſunt:

1. A. HOSTILIO. A. F.
PAP. PATRONO.

2. C. AVILIO. L. F.
POL. GAVIANO.
FLAMINI. DIVI.
CÆSARIS
PERPETVO.
PATRONO. MVNICIPI
TRIB. MILIT. LEG. III.
GALLICÆ.
D. D.
QVO. HONORE. CONTENTVS.
IMPENSAM. REMISIT.

3. N. MINIO A. F. POL.
ANNIVS.
PRIM. . . . IRO. PRÆF. EQ.
COH. VI. Q.
HONORIS. CAVSSA. LOCVS.
EX. D. D. DATVS. V. F
SIBI. ET.
MINIÆ. ANN. F. ET. TVLLIÆ.
VXSORI

4. C. LOLLIO.
C. LIB. PAL.
AGRAVLO
COLLEG.
CENTONAR.
Q. H. C. J. R.

5. . . . COCCEJÆ.
HA . . . EC. AB. IND.
. . . . FVNERE. PV.
ET STATVAM.

6. L. FVLFENIVS. T. F. SIBI
ET L. FVLFENIO L. F. SECVNDO
FILIIS. SVIS. V. F.

7. . . . . T. . SIBI.
. . . . EIO. P. F. NIGRIN.
V. F.

8. IMP. CÆSARI.
AVGVSTO.
D. D.

Ex

Digitized by Google

Ex quibus omnibus, atque inprimis ex Inſcriptione poſtrema, Coloniæ Induſtrienſis antiquitas ſine ulla difficultate colligitur. Quod reliquum Commentationis eſt, deſcriptione Tripodis, illic inventi, abſolvitur; de cujus pretio, ſane inæſtimabili, nihil addimus, propterea quod Volumine *Antiquitatum Pedemontii*, cujus ſpem faciunt Clariſſimi Viri, plane illuſtrabitur. Atque hic eruditiſſimæ Commentationis habitus eſt, ita omnino comparatus, ut Doctiſſimorum inde Autorum & ingenii præſtantia, & egregia in rem publicam literariam merita, eluceant. At, heus! unum illorum, in laudatiſſimo curriculo, in ipſo vitæ apparatu, vita deſtituit; magno & univerſæ rei literariæ, & fideliſſimi laborum ſocii, *Antonii Rivautellæ*, Viri Clariſſ. incommodo. *Paulum Ricolvium* lugemus, Abbatem, honeſtiſſimis parentibus, in Comitatu Nizzano, natum, &, quod ad immortalem ejus laudem inprimis pertinet, melioribus literis juvandis. Poſteaquam is, in Collegio Provinciali, quod vocant, Auguſtæ Taurinorum, omnibus iis artibus, quibus formari prima ætas, atque ad literarum amorem duci, ſolet, animum excoluiſſet; facile, non ita multo poſt, Præfecturam hoc ipſo Collegio meruit, eoque munere tam egregie defunctus eſt, ut nihil vel dexteritatis, vel ſolertiæ, paſſus in ſe fuerit deſiderari. Linguarum certe, atque in his Græcæ potiſſimum, Latinæ, Anglicæque, peritiſſimus fuit; Poeta Latinus & Italus, qui ad veterum elegantiam quam proxime accederet; Mathematum præterea, Geographiæ veteris, omnisque rei antiquariæ, gnariſſimus; quæ poſtrema non *Marmora Taurinenſia* ſolum, ſed & Induſtria detecta, evidentiſſime teſtantur. Cui cognoſcendæ antiquitatis deſiderio ut ſatisfaceret, varia, eaque moleſtiſſima, itinera, omni circum regione, inſtituit, atque tantum omnino profecit, ut de infinitis pæne antiquitatibus detectis, expoſitis, illuſtratis, obſtrictum ſe illi debeat literatus orbis obligatumque profiteri. Atque hac, nunquam interrupta, laborum ſerie, fieri non potuit, quin & ſanitati officeret, & properaret ad metam, ad quam veniendum eſt etiam cunctantibus. Quintum ineuntis XLVIII anni diem extremum habuit, relicto,

quot-

Digitized by Google

quotquot eum noverant, omnium fideliſſimo inprimis laborum ſocio, Cl. *Rivautellæ*, Abbati, nunquam intermorituro ſui deſiderio. Neque vero eſt, quod dubitemus, eum, ad quem ex præmaturo deſideratiſſimi Viri obitu præcipuæ luctus partes venerunt, *Antonium Rivautellam*, Virum Eruditiſſimum, & qui ſuo merito partem laudum *Ricolvianarum*, ex laborum ſocietate, æqualem tulit, tanti tamque egregii viri jacturam ſcriptis doctiſſimis, quibus elucubrandis æquali ardore inſudavit, compenſaturum. Quod ut cumulatiſſime faciat, fatisque ad invidiam ſecundis utatur, reipublicæ literariæ cauſa, vehementer optamus.

JOANNIS HEUMANNI, JUR. PROFESSOris Altorfini, Opuſcula, quibus varia Juris Germanici, itemque Hiſtorica & philologica, argumenta explicantur.

Norimbergæ, ſumtibus Joannis Georgii Lochneri, 1747, 4. Alph. 4 plag. 1, cum Tabulis æn. 3.

Quanquam antiquæ leges Germanicæ ad cauſas in foris noſtris dirimendas parum utilitatis afferre videntur, propterea quod ad hodiernum patriæ noſtræ ſtatum vix transferri queant, inſuperque & peregrina, quæ recepimus, jura, & noſtrorum Principum, quas, re ita ſuadente, evulgant, conſtitutiones earum legum luminibus vehementer officiant; ea tamen venerandæ antiquitatis Germanicæ rudera prorſus velle negligere, impium profecto & nefas foret. Cum enim præſtantiſſimi Jureconſulti in reliquiis Juris Romani, legibus regiis & decemviralibus, nec non edicto Prætoris perpetuo, colligendis & reſtituendis laudem quæſiverint, quibus tamen omnibus tribunalia noſtra facile poſſent carere; nonne multo adhuc honeſtius illi agere dicendi ſunt, qui Germanici Juris antiquitates diligentius ſcrutantur, & majorum noſtrorum inſtituta perpetua ſepeliri oblivione, non ſinunt. Laude igitur ſua non defraudandum eſt Cl. *Heumanni* conſilium, qui varia,

Digitized by Google

ria, quæ ſubinde compoſuit, opuſcula, juris patrii antiquitates, una cum quibusdam Philologiæ & Hiſtoriæ capitibus egregie illuſtrantia, in unum volumen collegit, & cum lectoribus communicavit, quorum jam ſingulorum contenta pro inſtituto noſtro exponemus. Agmen in his opuſculis ducit *Oratio, de nomotheſia veterum Germanorum, virtutis ſpecie vitioſa.* Sub Germanorum nomine omnes gentes, unam Germanorum linguam, eosdemque mores, habentes, comprehendit. Vitiorum & iniquitatis earum legum cauſas ex præpoſtera pietate & fortitudine Germanorum Cl. Autor repetit. Principia igitur religionis, & cultum Deorum, Germanis ſolennem, diligentius exponit, & varia inſtituta, inde profecta, enarrat. Ita, equorum præſagia & monitus maximi feciſſe Germanos, monet, eamque rem occaſionem præbuiſſe legibus, quæ homicidium pœna pecuniaria, equi furtum autem morte, expiandum ſanciebant, contendit. Gladium pro Deo habuiſſe Scythas, Pag. 5.
ex *Pomponio Mela* comprobat, ideoque ſuper gladio jusjurandum præſtitiſſe, ac fœdera ſanciviſſe gentes ſeptentrionales, monet. Probationum vulgarium genera ex ſuperſtitionis iti- 6.
dem fonte profluxiſſe, docet, earumque uſum inter Germanos ethnicos rariorem, inter Chriſtianos contra frequentiſſimum, fuiſſe, obſervat. Ob præpoſterum fortitudinis ſtudium 7.
latrocinia apud eos fuerunt permiſſa, cum, *Tacito* teſte, omnes terras fortibus viris naturam aperuiſſe, ſomniaverint. Fidem 9.
conſtanter ſervaſſe Germanos, Cl. Autor concedit, hac tamen divina virtute eos ad aſperitatem abuſos eſſe, monſtrat, cum *Herodotus* de Scythis narret, eos arctiſſimum fidei & amicitiæ fœdus ita ſanxiſſe, ut in conviviis ſe mutuo amplexi, venas in fronte ſcinderent, & ſanguinem defluentem in poculo miſcerent, biberentque. Ex his autem ſequi, non tam fideles, quam potius pervicaces, fuiſſe Germanos, Cl. Autor concludit. Excipit eam Orationem explanatio antiqui Codicis juris Bavarici, cui tractationem de Bojis, eorumque legibus, Cl. Autor præmittit. A Celtis & Gallis Bojos oriundos eſſe, contendit. Poſt *Marobodui*, Marcomannorum regis, 11.
irruptionem, hiſtoriam Bojorum valde incertam eſſe, neque

Digitized by Google

ſatis conſtitui poſſe, quas in ſedes Boji conceſſerint, conqueritur. In unam cum Marcomannis victoribus rempublicam Bojos coiviſſe, eorumque nomen aſſumſiſſe, ſtatuit *Velſerus*, & poſt eum *Leibnitius* in *Præfatione*, *Annalibus Adlzreitteri* præmiſſa, cui ſententiæ Cl. Autor calculum ſuum adjicere
Pag. 12. nullus dubitat. Bojoarios, quos pro una gente cum Bojis habet, *Theodorici*, Gothorum regis, poteſtati ſubjectos fuiſſe, ipſi veriſimile videtur. Poſt deceſſum *Theodorici*, Francis ſubjecti ſunt, id quod variis rationibus Cl. Autor comprobat, leges,
13. a Francorum regibus huic genti præſcriptas, exponens. *Ludovico*, regi Germaniæ, *Ludovici Pii* filio, Bojoariam ex hæreditate paterna ceſſiſſe, obſervat, qui etiam nonnunquam rex Bojoariæ appellari conſuevit. Leges inde Imperatorum ac Regum Germaniæ, Bojis præſcriptas, enarrat, legem tamen antiquam Bojoaricam neutiquam hoc pacto abrogatam eſſe, nos
17. ſeq. docet. Codicem deinceps juris Bavarici deſcribit, eumque, autoritate filiorum *Ludovici* Bavari, A. 1346 publicatum eſſe,
20. obſervat. Codices manuſcriptos, & antiquas Codicis juris
21. Bavarici editiones varias, recenſet. Præfationem & indicem
25 ſeq. titulorum iſtius Codicis exhibet. *Albertum*, filium *Ludovici* Bavari quintum, qui Bavariæ inferioris parte Straubingana potitus eſt, hunc juris Bavarici Codicem recepiſſe, ſtatuit, &, exinde clarum fieri, cur hic Codex in ſuperiore potiſſimum
39. Bavaria, ejusque partibus Alpinis, viguerit, contendit. Hodie nondum omnem iſtius Codicis autoritatem collapſam eſſe, ſed permulta ejus capita, vel integra, vel parum mutata, in conſtitutiones novas migraſſe, contendit, quamvis, nonnul-
41. la ex Jure Romano eisdem immixta eſſe, concedat. Inter fontes, ex quibus jus Boicum manavit, primo loco Cl. Autor jus naturæ collocat, varia etiam ex Jure Canonico, & feudali
42. Longobardico, in eo comparere, contendens. Juris civilis Ro-
45. mani rara admodum veſtigia ibi occurrere, monet. Juris antiqui Saxonum provincialis, quod vulgo Speculum Saxonicum dicitur, fœtum, hunc juris Bavarici Codicem dicendum eſſe, & aliquot conſtitutiones, iisdem verbis, quibus *Repkovius* uſus eſt, conceptas, in eo deprehendi, obſervat. Varia etiam pla-

placita legum Boicarum conditores ſcribi juſſiſſe, quæ ad verbum Speculator Suevus tanquam conſuetudines enarravit, commemorat. Interim tamen, communes omnis Germaniæ conſuetudines Bojos in ſcripturam redegiſſe, & huic compilationi inſeruiſſe, contendit, quæ quamvis in Saxonico & Suevico Speculo itidem exſtent, exinde tamen nihil aliud poſſe colligi, Cl. Autor urget, quam quod Boji, aliorum Germanorum exemplo incitati, ſuas conſuetudines, una cum iis, quæ ipſis cum aliis communes erant, literis ordinate mandarint. Varia enim in illis Speculis occurrere, quæ in Codice juris Bavarici exulant, Cl. Autor monet. Ex Germanicis igitur potiſſimum moribus hic Codex compilatus eſt. Singulares Germaniæ conſuetudines in *Tit. XVI, 12,* in genere confirmantur, cum omnium earum recenſionem Codex non caperet. Particularium quoque Germaniæ conſuetudinum, quæ in civitatibus extra Bavariam conſtitutis vigebant, ſæpius hunc Codicem meminiſſe, Cl. Autor nos docet. Præſtantiam earum legum valde prædicat, ipſius dein Codicis textum exhibens, ejusque contenta & epitomen exponens. Cum in chartis Bavaricis *Salmanniorum* mentio frequentiſſima injiciatur, de iis in peculiari Commentatione Cl. Autor, antiquitates quippe Germanicas diligentiſſime inveſtigans, tractavit. Quo latius vocabulum *ſal* patet, eo plura *Salmannorum* genera fuiſſe, obſervat. Vocem igitur *ſal* a vocabulo *bol*, quod idem eſt ac *telare*, derivat, eaque voce *palatium* indicari contendit. *Salmanni* vocabulum πολυώνυμον eſſe, monet, hocque homines curiales nonnunquam denotari, obſervat. *Curio*, ſive *curtis*, etiam prædium ruſticum, ſive poſſeſſionem, denotat. Quemadmodum igitur *Sal-Bücher* libri cenſuales curiarum vocantur; ita *Salleute*, ſive *Salmanni*, tales Cl. Autori fuiſſe videntur; qui domino emphyteuſeos, vel jurisdictionis patrimonialis, ex prædio cenſum porrigebant. Cum autem curiales etiam dicantur, qui Principi ad latus ſunt; inde *Salmanni*, ſive homines ſalici, vel ſalii, aulicos denotaſſe videntur, quamvis, an unquam *Salmanni* dicti fuerint aulici, certo conſtituere non audeat. Frequentiſſimam interim ac certiſſi-

Pag. 47.
54 ſeq.
184 ſeq.
289.
291.
294.
298.

mam Salmannorum ſignificationem a verbo *ſallen*, id eſt *tradere*, deſumi, conſtituit. *Salmanni* igitur, ſi ea vox latius capiatur, omnes ſunt, quorum fidei, aut fidelibus manibus, nonnihil committitur. Contractus nimirum data dextra confirmari, & fidem hoc pacto interponi apud veteres Germanos conſueviſſe, Cl. Autor multis teſtimoniis confirmat. Pactum fiduciæ inter Germanos, contractum celebrantes, frequentiſſime interceſſiſſe, variis exemplis docet, neque ad omnem traditionem duas tantum perſonas concurriſſe, ſed nonnunquam coram Rege, vel Comite, & Scabinis, vel Miſſis dominicis, traditiones peragi ſueviſſe, monſtrat. Nonnunquam traditor fiduciarius arceſſebatur, & hinc aliud eſt tradere manu propria, aliud per manum alterius. Primis jam Germaniæ temporibus ſponſores ejusmodi contractibus adnotos eſſe, quamvis Salmannorum nomen nondum præ ſe
Pag. 297. ferrent, Cl. Autor docet. Mos erat Germanis, ut conventiones ſuas execrationibus, pœnis, cautionibus, teſtibus, munirent, ſed, haud poſtremum fidei in contractibus ſervandæ præſidium Salmannos fuiſſe, Cl. Autor exiſtimat, eam-
298. que rem quamplurimis teſtimoniis ſtabilit. Cum igitur Salmanni fulera rerum gerendarum eſſent, & ſecuritatis cauſa traditionum negotiis admoverentur, exinde palam fieri Cl. Autor dicit, eos perſonis contrahentibus non multo inferiores eſſe debuiſſe, quamobrem & plures interdum advocabantur. Imo exinde ſequitur, ut plus illi, quam teſtes, valuerint, quanquam & ipſi nonnunquam teſtes egerint. Inde præterea facile intelligi poteſt, quare Salmanni poſt Seculum XIV, & noſtro inprimis ævo, quo ſecuritati noſtræ vel judiciorum autoritate, vel fidejuſſoribus, vel alia ratione, proſpicimus, rarius occurrant. Salmannos ſæpius *delegatores* vocari, Cl. Autor monet, eos tamen a delegatoribus, quorum in Jure civili mentio fit, differre, ſimul obſervat. *Delegare* hic nihil aliud eſt, quam dare, committere, unde etiam *in manus allegare* dicebatur, cujus formulæ quamplurima exempla Cl.
300. Autor profert. Cum Salmanni quaſi inſtrumenta tradendi
308. eſſent, eos etiam *mediatores* vocatos eſſe, obſervat. Vocaban-

bantur etiam *advocati* & *defenſores*, quia plurimæ traditiones fiduciariæ ad Eccleſias pertinebant, quales advocati Theodiſce *mundiburdi* ab Anglo-Saxonico *mund*, manus, dicebantur, quamvis, hoc nomen Salmannis etiam in aliis extra Eccleſias celebratis negotiis tributum eſſe, Cl. Autor exiſtimet. *Conſervatorum* etiam & *executorum* nomine veniunt, propterea quod, voluntatem defuncti, in teſtamento propoſitam, exequi, ipſorum munus fuit. Teſtamenti executores aliquando *fidejuſſores* dici, *Cangius* jamjam probavit. Sub nomine igitur fidejuſſoris Salmannum nonnunquam intelligi, ob documenta quædam, in medium prolata, Cl. Autori veroſimile videtur. Noſtra tempora Salmannos non penitus ignorare, quamvis eorum nomen non amplius audiatur, idem contendit. Hodienum mediatores & guarandi in uſu ſunt, &, fiduciam Germanorum, Romanæ non per omnia ſimilem, per omnem fere noſtram Jurisprudentiam eſſe diſſeminatam, variis exemplis oſtendit. Imo, denominatorum (*der Genannten*) ordinem, in Norimbergenſi civitate introductum, Salmannorum faciem referre, contendit, & textus quosdam antiqui juris Norimbergenſis, in quibus Salmannorum ſæpius fit mentio, illuſtrationis cauſa apponit. Dixerat in Oratione *de Nomothesia veterum Germanorum, virtutis ſpecie vitioſa*, Cl. Autor, liborum dulciariorum, in quibus formandis Norimbergenſes eminent, originem ad feſta Julienſia referri poſſe. Poſtea autem, ſive argumenti dulcedine, ſive alia forſan cauſa, impulſus, majori cura eam rem ſcrutatus, in peculiari disquiſitione bellaria hæc lectoribus propoſuit. In etymologia horum liborum ediſſerenda, multus eſt, & vocem *Lebkuchen*, qua inſigniri ſueverunt, a *labben*, *lambere*, derivat. Synonyma vocis quamplurima affert, quæ inter vox *Pfefferkuchen* hodie eſt frequentiſſima. Liba quondam in ſacrificiis adhibita eſſe, ſatis notum eſt. Exinde autem morem exſtitiſſe, ut, miſſis libandi ritibus, memoriæ cauſa, certis diebus, pane, & forma & materia a quotidiano diverſo, veſcamur, aut eundem aliis dono demus, obſervat, idque quamplurimis exemplis illuſtrat. Inter partes, ex quibus iſtæ placentæ compo-

Pag. 313. 316. 321. 326

 nun-

mam Salmannorum ſignificationem a v… …dibus
dere, deſumi, conſtituit. *Salman*… …s fama
capiatur, omnes ſunt, quorum f… … Germa-
nonnihil committitur. Co… …conficien-
confirmari, & fidem hoc … …tinere, Cl.
manos conſueviſſe, Cl. … lectu non in-
Pactum fiduciæ inter … Epiſtolas quas-
quentiſſime inter… …onialem, quæ, in
omnem traditi… …vene, ſingulari ſan-
nonnunquam … eſt illis Epiſtolis vitæ
dominici… …æ epiſtolæ tot fabulis
nun … …itum, & hujus generis
eſt … …tentorum lectoribus no-
… quamvis quædam gemmæ
Pag. … exinde ſtatus Eccleſiarum
…ommunio ſub utraque ſpecie,
… contentiones inter ſacerdotium
& imperium, … …ci. Breves quaſdam annotationes, ad textus illuſtrationem nonnihil facientes, his Epiſtolis Cl. Autor attexuit. Nunquam interim tales epiſtolas inter Opuſcula Juris Germanici quæſiviſſemus, atque ſimul miramur, non, unde eas depromſerit, & quis vitæ ejus deſcriptionem concinnaſſe ipſi videatur, a Cl. Autore fuiſſe annotatum. Cum vero multa vocabula Theotiſca in epiſtolis illis compareant, quæ ab uſu ſeculi noſtri abhorrent, ea quidem Cl.
405. Autor apponit, & interpretatur. Prodiit anno hujus Seculi triceſimo quarto Schediaſma, quod inſcribitur: *Der erſte Auszug von einigen die Teutſche Sprache betreffenden Stücken*, quod a Viro Cl. *Joanne Leonbardo Friſchio* fuiſſe compoſitum, Autor nos docet. Hunc *Friſchium* in inveſtigandis verborum originibus egregie excelluiſſe, contendit, &, ut ſcripta ejus, quæ moriens reliquit, cum orbe literato communicentur, optat. Selectis tamen ejus obſervationibus ſcholia quædam breviora hic addidit, probabilibusque ejus opinionibus alias probabiles adjunxit, nonnihil etiam ab eodem diſceſſit.
465 ſeq. De Grammatica itidem univerſali meditationem addidit.

Deum,

Deum primum nomina rebus nonnullis impoſuiſſe, incer- Pag. 427.
'um tamen eſſe, an hæc, quæ in ſacris literis legimus, cum
'lis plane congruant, dictitat. Eas voces a Deo naturæ re-
m convenienter formatas eſſe, exiſtimat. Protoplaſtos re-
n naturam diſtinctius, quam nos, perſpexiſſe, adeoque illis
bula rebus conſentanea magis in promtu fuiſſe, judicat.
uam primam voces naturales tenuiſſe, easque perquam
'ces fuiſſe, contendit. Inde, linguam Hebræam anti-
is annumerandam eſſe, ſi recentiora, quibus abundat,
ſeponas, concludit. Linguam primam ex turbatione
m Babelica ſervatam fuiſſe, putat, nec illam turba-
imis diu duraſſe, ſibi perſuadet. Plurimas linguas,
die utimur, indicia linguæ primæ adhuc referre, pu-
-ſitatem linguarum, ex migratione gentium, homi-
'tia, & innovandi ſtudio, exſtitiſſe, ſtatuit. Ex in-
eorum, quæ plurimis linguis communia ſunt,
am univerſalem deduci, ſibi perſuadet. In lin-
paucas conſonantes adeſſe, monet, earum ta-
.alias ejusdem generis continere, dictitat, eam-
que rem variis exemplis illuſtrat. Vocales antiquos pronun-
tiando vocibus inſeruiſſe, pro literis tamen eas non habuiſſe,
monet, exemplo Hebræorum, qui puncta vocalia ſæpius
omittunt, & Samaritanorum, qui iisdem plane carent, eam
obſervationem confirmans. Unam vocalem reliquarum vi-
ces ſuſtinere poſſe, urget, ideoque diphthongis opus non eſſe,
quibus etiam linguæ orientales prorſus fere carent, conclu-
dit. Accentus Græcorum ſubinde fallere, judicat, multas
linguas accentibus carere, ſtatuens. Partes orationis conſtituit
tres, nomen, verbum, particulam. Articulum non requiri,
eodemque linguas orientales plurimas, itemque Latinam,
carere, urget. Nominibus nullum genus affingi vult, 474.
niſi re ipſa ad genus vel maſculinum, vel fœmininum, perti-
neant. Nomina etiam tempora admittere, ſtatuit. Numeros,
in ſingularem & pluralem diſpeſcit, duali non opus eſſe,
monens. Caſuum obliquorum numerum arbitrarium eſſe, exi-
ſtimat. Una declinatio ipſi inſtar omnium eſt. Novum 475.
etiam

nuntur, mel eminet, id quod & in ſacrificiis, & aliis actibus religioſis, frequentiſſime adhiberi conſuevit. Quamvis fama harum placentarum plurimas provincias, etiam extra Germaniam ſitas, pervagata ſit, artificium tamen earum conficiendarum ad ſingularia civitatis Norimbergenſis pertinere, Cl. Autor urget, variasque hiſtoriolas de hiſce libis, lectu non in-
Pag. 329. jucundas, adſtruit. Adjunxit huic disquiſitioni Epiſtolas quasdam, ad *Margaretham Ebneriam*, ſanctimonialem, quæ, in monaſterio Maria-Medingenſi Seculo XIV vivens, ſingulari ſanctitatis laude floruit, ſcriptas. Præmiſſa eſt illis Epiſtolis vitæ *Ebnerianæ* deſcriptio, quæ pariter ac ipſæ epiſtolæ tot fabulis & nugis, de comparitionibus v. c. ſpirituum, & hujus generis pluribus, ſcatent, ut, recenſione contentorum lectoribus noſtris tædium creare, nefas ducamus, quamvis quædam gemmæ in hoc ſterquilinio lateant, & exinde ſtatus Eccleſiarum iſtius temporis corruptiſſimus, communio ſub utraque ſpecie, illo adhuc ævo uſitata, nec non contentiones inter ſacerdotium & imperium, queant cognoſci. Breves quasdam annotationes, ad textus illuſtrationem nonnihil facientes, his Epiſtolis Cl. Autor attexuit. Nunquam interim tales epiſtolas inter Opuſcula Juris Germanici quæſiviſſemus, atque ſimul miramur, non, unde eas depromſerit, & quis vitæ ejus deſcriptionem concinnaſſe ipſi videatur, a Cl. Autore fuiſſe annotatum. Cum vero multa vocabula Theotiſca in epiſtolis illis compareant, quæ ab uſu ſeculi noſtri abhorrent, ea quidem Cl.
405. Autor apponit, & interpretatur. Prodiit anno hujus Seculi triceſimo quarto Schediaſma, quod inſcribitur: *Der erſte Auszug von einigen die Teutſche Sprache betreffenden Stücken*, quod a Viro Cl. *Joanne Leonhardo Friſchio* fuiſſe compoſitum, Autor nos docet. Hunc *Friſchium* in inveſtigandis verborum originibus egregie excelluiſſe, contendit, &, ut ſcripta ejus, quæ moriens reliquit, cum orbe literato communicentur, optat. Selectis tamen ejus obſervationibus ſcholia quædam breviora hic addidit, probabilibusque ejus opinionibus alias probabiles adjunxit, nonnihil etiam ab eodem diſceſſit.
465 ſeq. De Grammatica itidem univerſali meditationem addidit.

Deum,

Deum primum nomina rebus nonnullis impoſuiſſe, incertum tamen eſſe, an hæc, quæ in ſacris literis legimus, cum illis plane congruant, dictitat. Eas voces a Deo naturæ rerum convenienter formatas eſſe, exiſtimat. Protoplaſtos rerum naturam diſtinctius, quam nos, perſpexiſſe, adeoque illis vocabula rebus conſentanea magis in promtu fuiſſe, judicat. Linguam primam voces naturales tenuiſſe, easque perquam ſimplices fuiſſe, contendit. Inde, linguam Hebræam antiquiſſimis annumerandam eſſe, ſi recentiora, quibus abundat, inventa ſeponas, concludit. Linguam primam ex turbatione linguarum Babelica ſervatam fuiſſe, putat, nec illam turbationem nimis diu duraſſe, ſibi perſuadet. Plurimas linguas, quibus hodie utimur, indicia linguæ primæ adhuc referre, putat. Diverſitatem linguarum, ex migratione gentium, hominum imperitia, & innovandi ſtudio, exſtitiſſe, ſtatuit. Ex inveſtigatione eorum, quæ plurimis linguis communia ſunt, linguam aliquam univerſalem deduci, ſibi perſuadet. In lingua univerſali paucas conſonantes adeſſe, monet, earum tamen nonnullas alias ejusdem generis continere, dictitat, eamque rem variis exemplis illuſtrat. Vocales antiquos pronuntiando vocibus inſeruiſſe, pro literis tamen eas non habuiſſe, monet, exemplo Hebræorum, qui puncta vocalia ſæpius omittunt, & Samaritanorum, qui iisdem plane carent, eam obſervationem confirmans. Unam vocalem reliquarum vices ſuſtinere poſſe, urget, ideoque diphthongis opus non eſſe, quibus etiam linguæ orientales prorſus fere carent, concludit. Accentus Græcorum ſubinde fallere, judicat, multas linguas accentibus carere, ſtatuens. Partes orationis conſtituit tres, nomen, verbum, particulam. Articulum non requiri, eodemque linguas orientales plurimas, itemque Latinam, carere, urget. Nominibus nullum genus affingi vult, 474. niſi re ipſa ad genus vel maſculinum, vel fœmininum, pertineant. Nomina etiam tempora admittere, ſtatuit. Numeros, in ſingularem & pluralem diſpeſcit, duali non opus eſſe, monens. Caſuum obliquorum numerum arbitrarium eſſe, exiſtimat. Una declinatio ipſi inſtar omnium eſt. Novum 475. etiam

Pag. 427.

Digitized by Google

etiam artis characteriſticæ ſpecimen, qua verborum ſonus ex-
Pag. 478. primi poſſit, addit. Ingenii dubio procul exercendi cauſa talia Cl. Autor ſcripſit. Utilitatis certe nihil ad linguas addiſcendas eæ obſervationes præſtant. Lingua enim univerſalis, qualem animo concepit, nunquam erit, & qui peculiarem aliquam linguam addiſcere cupit, is profecto omnia, in quibus ab aliis linguis ea recedit, ſibi familiaria reddere cogitur. Adjunxit interim ſuæ diſquiſitioni indicem ſcriptorum ſatis
481 ſeq. amplum, qui de linguis generatim commentati ſunt. Eum
551 ſeq. excipit index librorum, ad linguas Gallicam, Italicam, Hiſpanicam, Græcam, Septentrionales, Slavicam & Hungaricam, Teutonicam, Hebraicam, & Sinicam, cognoſcendas & addiſcendas facientium. Cum autem non omnes, quorum in his indicibus notitiam ſuppeditat, libros ipſemet viderit, ſed nonnullos, aliorum ſecutus fidem, in cenſum receperit, idcirco, erroribus hos indices penitus carere, affirmare non audet, ſed, ſi forſan in argumento tot nominum atque numerorum tricis involuto, veritatis tramitem deſeruerit, ejus rei veniam ſe a lectoribus æquis impetraturum
673. eſſe, ſperat. Clariſſimi *Praſchii* etiam *Gloſſarium Bavaricum & Auſtriacum* edidit. Præterea de inveſtitura per gladium obſervationem hiſce Opuſculis Cl. Autor inſeruit. Gladium, vitæ ac necis quippe arbitrum, gentes bellicoſas, præſertim Scythas ac Germanos, tanti feciſſe, ut, ſanctitatem aliquam illi ineſſe, arbitrarentur, monet; quamobrem etiam, ubi fides vinculis arctioribus conſtringenda erat, per gladium ju-
708. rare conſueverunt. Cumque ſatis certum Cl. Autori videatur, Germanos originem a Scythis ducere; haud mirandum eſſe judicat, hunc ritum per plurimas nationes Germanicas diſſeminatum fuiſſe, id quod variis teſtimoniis confirmat.
709. Alios etiam populos enſibus aliquam venerationem tribuiſſe, urget, indeque morem, in Polonia introductum, ubi homines equeſtris ordinis, in templis, quando ſacerdos Evangelium recitat, gladium ſtringere ſueverunt, repetendum eſſe, monet. Inter ſymbola, quæ in inveſtituris adhibebantur,
710. gladium eminere, nos docet. Olim feuda alia ſceptri erant, alia

Digitized by Google

alia vexilli, hodie hæc obſcura fere, poſtquam feuda gladii omnibus eminentiora cenſentur. Inveſtituram tamen per ſceptrum feudis eccleſiaſticis & ſecularibus communem fuiſſe, lectoribus perſuadere ſatagit, illudque Cl. *Treuerum* in ſingulari Diſſertatione monſtraſſe, notat. Gladium, hodie in Pag. 711. ſolennibus inveſtituræ feudalis adhiberi ſolitum, ad ſacramentum fidelitatis præcipue referendum eſſe, collationem ipſam feudorum imperii, vexillorum pompa per deſuetudinem ſublata, ſine ſymbolis hodie fieri, Cl. Autor ſtatuit. Inveſtituram per gladium, ſi res accurate conſideretur, inveſtituræ per vexillum & ſceptrum non ſurrogatam videri, ſed hanc, non illam, ab uſu receſſiſſe, & *per gladium inveſtire* haud commode dici, cum per gladium non eadem, qua olim per vexillum, ratione feuda tradantur, conſtituit. Gladium, in ſolennitatibus clientelaribus adhiberi ſolitum, jam olim ad ſacramentum fidelitatis pertinuiſſe, &, licet ſceptra & vexilla ſæpius traderentur, gladium tamen non fuiſſe poſthabitum, Cl. Autor monet, eaque omnia adductis teſtimoniis confirmare ſtudet. Sigilla quorundam Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, monaſteriorum, Comitum, & communitatum Italiæ, æri 714. inciſa, a Cl. Autore deſcripta, & pauculis quibusdam annotationibus illuſtrata, agmen horum opuſculorum claudunt. Cum eadem ſigilla terras Italicas reſpiciant, Cl. Autor, ut ea melius intelligeret, *Ughelli Italiam ſacram*, & *Muratorii Scriptores Italiæ*, *Sanſovini* item, *Ammirati*, & *Imhofii*, libros genealogicos familiarum Italiæ illuſtrium, contulit. Ipſa ſigilla ex muſeo humaniſſimi cujusdam fautoris ſe accepiſſe, prædicat, ſub quo elogio Illuſtrem olim *Rinckium* comprehendi, ſine augure conjicimus. Ipſemet interim Cl. Autor, ſe ex ſcriptoribus citatis non tantum, quantum exoptavit, notitiæ hauſiſſe, adeoque opuſculum hoc valde imperfectum eſſe, fatetur. Nos autem ſperamus, Illuſtrem *Glaſeium*, ad quem *Rinckiana* ſigillorum collectio hæreditatis jure pervenit, multo pleniori luce eadem colluſtraturum, & cum erudito orbe aliquando communicaturum.

Digitized by Google

OBSERVATIO ECLIPSIS LUNÆ, OCTAVA Auguſti die A. 1748, Pragæ, in Collegio Societatis Jeſu ad S. Clementem, habita.

Eclipſis hæc tubo 10 pedum obſervata eſt; Horologium oſcillatorium ad lineam Meridianam examinatum ante & poſt Eclipſim, tempusque Obſervationis debite correctum:

H.	′	″	Temp. Ser.
11.	5.	56.	Jam penumbra ſubierat Lunam.
	8.	26.	Denſior penumbra.
	9.	21.	Certum initium.
	14.	26.	Umbra ad mare Humorum.
	21.	32.	Umbra ad Tychonem.
	23.	41.	Umbra ad Grimaldum.
	24.	16.	Immerſio totalis Tychonis.
	26.	21.	Umbra ad mare Nubium.
	31.	21.	Mergitur totus Grimaldus.
	48.	12.	Umbra ad Keplerum.
	56.	56.	Umbra ad Fracaſtorium.
12.	2.	51.	Mergitur totus Fracaſtorius, umbra ad mare Nectaris.
	3.	20.	Incipit emergere Grimaldus.
	10.	11.	Emerſio totalis Grimaldi.
	25.	49.	Immerſio totalis maris Nectaris.
	31.	10.	Umbra fere ad Langrenum.
	39.	0.	Incipit emergere mare Nectaris.
	44.	24.	Emergit totum mare Humorum.
	52.	50.	Emerſio totalis maris Nubium.
	55.	13.	Incipit emerſio Fracaſtorii.
	57.	12.	Ejusdem totalis emerſio.
	59.	13.	Initium emerſionis Tychonis.
1.	0.	35.	Finis ejusdem.
	18.	24.	Dubius finis Eclipſis.
	23.	14.	Certus finis.

LET-

LETTERA DEL DOTTOR GIAMBATTISTA GISMONDI &c.

id eſt,

EPISTOLA APOLOGETICA JO. BAPTISTÆ GISMUNDI, Eugubini, M.D. in Poſtſcriptum quoddam editum, quod Notas criticas continet in JOANNIS BIANCHI, Ariminenſis, M D. Diſſertationem de Veſicantibus.

Piſauri, typis Gavellianis, 1748, 8.

Plag. 3.

D*ominicus Vandellus*, Mutinenſis loco ignoto, cui titulum fecit *Concha apud merſas Turres*, ficto nomine *Cyriaci Sinceri Mutinenſis* octo Epiſtolas edidit, quibus ſugillare tentat variis modis nomen & ſcripta *Jani Planci*, ſeu *Joannis Bianchi*, Medici Ariminenſis. In fine harum Epiſtolarum Poſiſcripti nomine notas criticas addidit in ejus Diſſertationem de Veſicatoriis, quæ notæ tamen, tantum abeſt, ut criſin aliquam oſtendant, & ſcriptoris ſinceritatem quandam, ut in ſuo nomine oſtentat Autor, ut magnam acriſiam, & ſenſus verborum *Planci* depravationem, præ ſe ferant. At hoc non valde mirum eſt. Nam *Dominicus Vandellus*, ſeu *Cyriacus* ille *Sincerus*, ut appellari mavult, non Medicus eſt, ſed Presbyter, & Mathematices Mutinæ enarrator. Ordinem nullum ſervavit *Vandellus* in Notis illis exarandis, ſed variis ſaltibus huc illuc proceſſit, quibus modo rem phyſicam, modo medicam, modo grammaticam, modo mores & pietatem *Planci*, exagitat. *Joannes* igitur *Baptiſta Giſmundus*, Medicus Eugubinus, qui ſenis *Planci* in re Anatomica & Botanica diſcipulus fuit, reſpondet modeſte notis & calumniis *Cyriaci* illius, & in partes dividit tres Epiſtolam ſuam. In prima oppoſitionibus criticis, quæ ad rem medicam & phyſicam pertinent, reſpondet; in ſecunda & tertia reſpondet ad ea, quæ ad mores, & ad Grammaticam, pertinent; &, ut ſpecimen aliquod harum reſponſionum exhibeamus, inprimis totus eſt *Giſmundus*, ut oſtendat, male *Planco* Criticum affinxiſſe, quod veram epocham uſus Veſicantium

ignoraverit. Nam, Emplaſtrum quoddam *Archigenis* Medici, qui temporibus *Trajani* vixit, quod pro Veſicatorio a Critico adducitur, ut antiquitatem illius remedii contra *Plancum* oſtendat, *Giſmundus* demonſtrat Dropax remedium eſſe, ſeu picationem pro evellendis pilis in tinea, ſeu in Achoribus. Nimirum, ut obſervat optime *Giſmundus*, in unciis quinquaginta Picis, Ceræ, Colophoniæ, & aliarum rerum plane inertium, tantum uncia ſemis Cantharidum ingreditur in illo Dropace; quare, cum Veſicatoria ad doſin duarum drachmarum fiant, vix unicum granum Cantharidum in quolibet Veſicatorio Emplaſtro ingrederetur, quod proinde veſicas nunquam excitaret, ſed tantum parum cutim rubefaceret. Exemplum adducit *Giſmundus* Theriacam, in qua licet Agaricum, Iris, & Rhaponticum, ingrediatur, tamen medicamentum ſolutivum non eſt Theriaca, ſed adſtringens, corroborans, & anodynum, quod cathartica illa medicamenta ab aromatibus corroborantibus, a rebus adſtringentibus, & præſertim a vitriolo aduſto, & ab opio, obruantur, ut obruuntur Cantharides & Euphorbium a rebus illis inertibus in Emplaſtro illo *Archigenis*. Qua occaſione *Giſmundus* notat acute antiquos Medicos, & eorum laudatores, quod imperite res contraindicantes, & inter ſe pugnantes, in ſuis medicamentis admiſcuerint. Eodem pacto *Giſmundus* docte & viriliter confutat notas alias *Cyriaci* illius Mutinenſis, quæ ad rem medicam, ad mores, ad Grammaticam, pertinent; ſed quæ omnia malumus in ipſo libello ab his, qui rerum talium curioſi ſunt, legi, quam a nobis, liticularum parum ſtudioſis, copioſe enarrari.

NOVA ET GENERALIS INTRODUCTIO ad Philoſophiam, Autore CLAUDIO FROMOND, in Piſano Lyceo Philoſophiæ Profeſſore.

Venetiis, 1748, 8.

Plag. 14.

Hæc in Philoſophiam introductio in *duas* diviſa eſt *Partes*, quarum *prior* de Relationibus, *poſterior* de rebus ipſis, agit. In *priori Parte*, quæ *Capitibus X.* abſolvitur, rerum relationes

nes vario modo conſiderantur, nempe ratione modi, quo ex percipiuntur, ratione ſimplicitatis & compoſitionis, uſus, ſeparabilitatis, & inſeparabilitatis. Deinceps & quantitatum, & qualitatum, relationes & differentiæ traduntur, & generatim ſumma Philoſophiæ primæ capita breviter pertractantur.

In *Parte poſteriori* in ſupremis rerum generibus Autor continuat, ubi de tempore & ſpatio, de ſimplici ſubſtantia, aliisque, huc pertinentibus, exponit. Alio plane modo vocabula temporis & ſpatii determinat, unde non mirum, definitiones quorundam recentiorum, de tempore & ſpatio traditas, ipſi diſplicere. Sed profecto eſſet optandum, ut Philoſophi in determinandis vocabulorum ſignificatibus tandem convenirent, ne vocabulorum diſceptationibus res ipſæ negligerentur, quibus impedimentis non ſublatis, limites Philoſophiæ nunquam extendentur. *Cap. V* & reliquis a contemplatione rerum ad præcepta Logices progreditur, primoque loco vim cogitandi, ejusque ſpecies, recenſet, ubi ſingularem fovet ſententiam, qua, omnem humanam cognitionem in relatione rerum conſideranda conſtare, putat, ideoque primam intellectus operationem, quam ſimplicem vocant apprehenſionem, ſine relatione eſſe non poſſe, ſtatuit. Sed nullam plane videmus neceſſitatem, qua adducti, cum Autore Clariſſ. ſimplici apprehenſioni ineſſe relationem quandam, aſſerere debeamus, cum noſtro intellectui ſit facultas data, rem quamcunque cum ſuis attributis & cohærentibus aliis ſimpliciter ſibi repræſentandi. Nec ſane relationem rerum in judiciis, niſi accedente copula, exprimere poſſumus, qua quidem ſola adhibita rerum duarum relatio infertur. Differunt v. c. locutiones: Deus ens independens, & Deus eſt independens; in priori enim formula ſola adeſt ſimplex apprehenſio, nec ulla deprehenditur relatio; id quod in altera formula aliter ſe habet. Hæc igitur cum extra omnem dubitationem ſint poſita; miramur, Autorem Clariſſ alio modo hac de re potuiſſe judicare, cum quilibet intellectus diverſas operationes in ſemet ipſo experiatur.

In reliquis *Capitibus* naturam propoſitionum, & ratiociniorum fundamenta, exponit, variisque, ex aliis ſcientiis petitis, exemplis hæc Logices præcepta illuſtrat.

ELOGIUM AUGUSTINI FRIDERICI WALTHERI, Medicorum Lipſienſium, dum viveret, principis.

Si verum eſt, quod nemo dubitat, maximis laudibus condecoranda eſſe illa mentis excelſæ ſtudia, quibus ſcientiæ artesque, ex caligine revocatæ, in lucem producuntur; acerbo ſane animo ferri, nec minori cum luctu excipi, debent ab omnibus bonis triſtiſſimæ eorum jacturæ, quibus curæ cordique ſemper eſt, ut veritatis cognitio incrementa capiat, ut ſtudiorum vigeat amor, ut illa ipſa clariora generique humano magis magisque utilia evadant. Talem vero jacturam atque irreparabile damnum eveniſſe nobis in obitu Magnifici & Excellentiſſimi noſtri *Auguſtini Friderici Waltheri*, quis eſt, quem fugiat? Celebris enim hujus Viri fama, cum multis jam abhinc annis non arctis unius regionis limitibus eſſet circumſcripta, ſed apud exteros quoque, citato quaſi curſu, honorifice tamen, vagaretur; tam inſigne omnibus excitavit ſui deſiderium, ut, amiſſo hoc artis ſalutaris ſtatore, quin graviter doleant, quin lugeant omnes, temperare ſibi non poſſint. Eo vero magis nobis, quibus divina providentia contigit eſſe tam felicibus, ut noſtro in ſinu fovere doctiſſimum huncce Virum, & in ſingularis ejus eruditionis domicilio ſimul quaſi commorari, immo *Actorum* noſtrorum ſtrenuum tanquam fautorem diligentemque promotorem colere, poſſemus, lugubris fuit, præviſa quidem, aſt repentina viſa, mors, quo perfectiorem, & cunctis, quæ ad veram Medicinam pertinent, dotibus ſplendidius ornatum, perdidimus virum. Licet vero, quæ nobis reliquit, intimioris ſcientiæ teſtes, ſcripta, de ſingulari in ſtudia diverſi generis incumbendi fervore, de eximia ingenii felicitate, aliisque virtutum ſpeciminibus, ſatis ſuperque loquantur; non minori tamen cum jucunditate ex iis, quæ vel proſpera & ſecunda, vel adverſa & moleſta, ipſi acciderunt, recte agendi exempla depromere poſſumus. Primam vero lucem vidit *Waltherus* noſter Wittebergæ A. 1688, patre *Michaele*, Theologo ibidem celeberrimo. Hoc autem pariter ac dilectiſſima matre morte ipſi ereptis, beneficiis educationeque aliorum ad ætatis annum decimum ſeptimum uſus, vitam deinde Academicam in celeberrima patria Academia eſt ingreſſus, animumque

medi-

medicis, quibus mirifice delectabatur, doctrinis aſſiduum adhibuit, inſtitutione dexterrimorum ejus ætatis Medicorum adjutus fideliſſima. Matheſeos deinde cognitionem, haud leve utpote ipſius Apollineæ artis ſubſidium, Jena, quam ejus addiſcendæ cauſa adierat, ei ſuppeditavit. Inſtructus itaque iis, quibus opus eſt præſtantiori Medico, adjumentis, quo certiorem ad penetralia ſcientiarum ſibi patefaceret aditum, bene ratus, quam late pateat ſapientiæ campus, peregrinas terras, Germaniam, Belgium, Angliam, aliasque regiones, adiit; ubique autem in Medicorum, laudis æque ac meritorum præconiis excellentiſſimorum, conſuetudinem receptus fuit. Peracto tandem & ſtudiorum ſuorum, & illarum, quæ horum cauſa viſitaverat, terrarum, itinere, Wittebergam reverſus, jure meritoque ſummos in Philoſophia honores capeſſivit. Mox vero ad noſtram ſeſe conferens Academiam, præſtitis, quibus opus eſt, officiis, hic quoque Magiſtri, ut dicunt, jura & privilegia conſecutus fuit. Eodem fere tempore Wittebergæ, ſummis in Medicina honoribus aſſumtis, valedixit, & in hac noſtra, regia Muſarum, ſibi perpetuam ſedem elegit. Prout vero nihil diu poteſt eſſe obſcurum, quod proprio coruſcat ſplendore; ſic & noſtri *Waltheri* fama brevi deſiit exigua eſſe. Docendo enim & faciendo medicinam tantam ſibi comparavit gloriam, ut Anatomes & Chirurgiæ Profeſſio ipſi demandaretur, & ut Auguſtiſſimæ Reginæ Archiater conſtitueretur, poſt cujus obitum Anatomiam rurſus docuit, donec Pathologiam docendi facultatem indulgentia regia acciperet. Tandem & Therapevtices docendæ, atque Decani perpetui, munus ipſi conferebatur, a quo tempore clementiſſimo noſtro Regi a Conſiliis quoque aulæ & juſtitiæ fuit. Cum præterea faſces Academiæ nonnunquam teneret, nec non aliis, quæ cum honoribus illis conjunctæ eſſe ſolent, moleſtiis premeretur, animum præterea perſcrutandis & explicandis difficilioribus Medicinæ doctrinis continuo fatigaret, accedente quoque ægros inviſendi neceſſitate, mirum quidem videri non poſſet, ſi corporis vires labefactatæ ſenſim ſenſimque corruerint. Nihilo tamen minus per longum temporis ſpatium ſat vegeta valetudine fruens, inſigni mentis alacritate omnia aggreſſus eſt, donec ultimis tandem annis gravi ſane & longinquo conflictatus morbo, menſe Octobri A. 1746 diem

Digitized by Google

diem obiret ſupremum. Illius vero nomen, dudum illuſtre, immortale quoque redditum fuit, ita quidem, ut, futuris quibusvis ſeculis memoriam ejus conſervatum iri, penes eos, qui medicas tractant ſcientias, dubitandi nulla plane ſubſit ratio. Quamcunque enim Medicinæ partem contempleris, ſunt autem plures, in omnibus fere ita verſatum fuiſſe *Waltherum* noſtrum deprehendes, ut, non ſuperficiariam tantum, verum intimam, earum naturam rimatum & perſcrutatum fuiſſe, appareat. Id quod illa, quæ in omnium, qui arti ſalutari favent, manibus verſantur, ſcripta uberrimis demonſtrant argumentis. Sive enim Anatomiam, ſive Botanicam, ſive Chemiam, ſive Chirurgiam, ipſamque clinicam praxin, reſpicias, ubique ſententiam hanc firmiſſimis corroboratam habebis documentis. Gloriatur enim Anatomia de demonſtratis per eum ſalivalibus glandularum ſublingualium ductibus, qui ante illum a *Rivino* quidem & *Bartholino*, ſed non niſi in brutis detecti fuerant animalibus. Primum ejus opera arteriæ cœliacæ decurſus, vaſorum vertebralium conditio, contextus, tunicam villoſam ventriculi inter & nerveam intercedens, celluloſus, aliaque plura, demonſtrata fuere. Illuſtravit deinde ductum thoracicum, muſculorum & ligamentorum pedis ſtructuram, nervorum vagi intercoſtalisque paris, nec non venæ portarum, ramos, auricularum cordis fabricam, &c. Quid regno vegetabili ejus cura evenerit boni, teſtantur illi, quibus Botanices ſtatus, qualis ante inſtauratum ab eo hujus ſcientiæ amorem fuit, cognitus eſt atque perſpectus; teſtatur ſplendidus ejus hortus, cujus copiæ atque impenſæ, hunc in finem ab eo factæ, ex illo, quem edidit, plantarum indice facile dijudicari poſſunt; teſtatur minor quidem, ſed reconditæ eruditionis plena, de ſtructura plantarum tractatio; teſtantur tandem Lotus & Silphium, ex veterum numis erutæ plantæ. Chemicæ, cui tractandæ non parum adhibebat operæ, ſcientiæ quales in eo fuerint profectus, de ſulphure & marte, de vegetabilium oleis eſſentialibus, de ſale fontium medicatorum nitroſo, exhibita ſpecimina docent. Nec illam, quæ manu medetur, Medicinæ neglexit partem, id quod in variis ejus doctiſſimisque ſcriptis cuique perlegenti videre eſt; quippe quam artem *Ruyſchio, Ravio*, aliisque claris in illa viris, debuerat. Clinice tandem ſicut & fideliter ab eo eſt facta; ita quoque diverſa ejus capita variis B. *Waltheri* ſcriptis explanata fuere, id quod de febre tertiana, ejusque acceſſu, de deglutitione præpoſtera, cujus explicationem naturalis deglutitionis hiſtoriæ accuratiſſimæ ſuperſtructam dedit, aliisque morborum naturis deſcriptis, abunde patet. Ut paucis multa complectamur, fuit Medicus ſummus, id eſt, in omni Medicinæ genere verſatiſſimus, probus deinde & integer vitæ. Contraxit etiam quondam in laborum ſolamen matrimonium,

ex quo licet puellam ſuſcepiſſet, nulla tamen nunc ſupereſt
tanti Viri progenies.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXLVIII.

Pars II.

LA GERUSALEMME LIBERATA, &c.

hoc eſt,

HIEROSOLYMA LIBERATA, CARMEN epicum TORQUATI TASSI, cum figuris JO. BAPTISTÆ PIAZZETTÆ.

Venetiis, ex officina Jo. Bapt. Albrizzii, 1745. fol. Alph. 2. plag. 17. Tabb. æn. 20.

Nemo Poetices & Literaturæ Etruſcæ adeo ignarus eſt, quin præſtantiam hujus Carminis, & nomen vatis, tot laudibus & monumentis celebratiſſimi, ſua ſponte agnoſcat. Proinde omni oratione, quæ hujus rei cauſa copioſe inſtitui explicarive poſſet, jure abſtinemus. Neque etiam opportunum hoc loco videtur, commemorare, in quot exemplorum formas ab eo inde tempore, quo primum lucem adſpexit, Poema deſcriptum fuerit: utpote quam operam iis, qui libros ſummi illius viri, variasque illorum ἐκδόσεις, excutere diligentius volent, merito relinquimus. Uberrimam illarum editionum copiam auxit nuper hæc, quam præ manibus habemus, tam curioſe eleganterque curata, tot iconibus & cælaturis inſigniter dotata, ut vere dicere poſſimus, nullam neque venuſtiorem, neque emendatiorem, neque ſplendidiorem, prodiiſſe. His igitur ornamentis

 paſcant

paſcant oculos ſuos, qui divini illius Poetæ ſententiis argute-que dictis animum paverunt & innutriverunt. Nullum enim dubium eſt, quin hujus quoque oblectamenti pro ſe quisque dulciſſimos jucundiſſimosque fructus ſit capturus.

ORIGENIS, Vorſtehers der Chriſtlichen Schule zu Alexandria, und Aelteſtens, acht Bücher von der Wahrheit der Chriſtlichen Religion, ꝛc.

id eſt,

ORIGENIS, SCHOLÆ CHRISTIANÆ Alexandrinæ Antiſtitis & Presbyteri, Libri VIII de Veritate religionis Chriſtianæ contra Celſum, Philoſophum. JO. LAURENTIUS MOSHEMIUS ex idiomate Græco in Germanicum convertit, & annotationibus illuſtravit.

Hamburgi, ſumtibus Jo. Caroli Bohnii, 1745, 4.
Alph. 6 plag. 8½.

Quam nobis dedit Summe Venerandus Autor interpretationem Germanicam præſtantiſſimi operis *Origenis*, illi adornandæ ſex & decem annos, ſed horis non niſi ſubſecivis, impendit. Animus erat ipſi, *Origenem* Græce cum verſione nova Latina, annotationibus, ac Diſſertationibus, ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantibus, dare, eumque in finem lectiones variantes, in Codice MSto Baſileenſi obvias, opera *Sam. Battierii* ſibi expetierat; ſed, ubi intellexit, *Carolum Ruæum* (*de la Rue*), Gallum, Benedictini Ordinis ſocium, in eo eſſe, ut hunc *Origenis* fœtum una cum aliis ipſius operibus, nova verſione Latina inſtructum, multisque locis emendatum, & doctis annotationibus ornatum, typis repeteret, a propoſito ſuo deſtitit. Ne tamen opera ipſius prorſus inanis eſſet, conſilium cepit de illo in ſermonem Germanicum convertendo. Qua in re hac proceſſit via. Primum verſionem ſecundum editionem *Spenceri*, in ſubſidium vocatis lectionibus variantibus, a *Battierio*

tierio tranſmiſſis, adornavit, inde cum verſione Gallica, quam accuratam ſatis paravit *Elias Bouhereau*, contulit, poſt cum nova editione, quam *Rueus* A. 1733 Pariſiis in lucem edidit, multa induſtria contendit. Hanc autem *Origenis* interpretationem Germanicam non una de cauſa publicavit. Primum movit ipſum præſtantia operis; deinde efficere ſtuduit, ut antiquorum ſcriptis juſtum pretium ſtatuere diſcant noſtrates, cum alii hæc nimis proſequantur veneratione, alii nimis abjecte de illis judicent; & ut exinde vita & doctrina primorum Chriſtianorum cognoſcatur, &, quid huic nominis Chriſtiani hoſtes obverterint, quaque ratione calumniæ illorum retundi, & ſimul hodierni empæctæ caſtigari, queant, intelligatur. *Celſum*, adverſus quem *Origenes* ſcripſit, alii volunt vixiſſe Pag. 1-22.
tempore *Neronis*, alii *Hadriano* imperante, cui ſententiæ viri ſummi accedunt. Ipſum *Origenes*, multique alii, Epicureum 22-55.
habent; at contrarium loquuntur ejus ſcripta. Neque ſententia *Ge. Hornii* & *Jac. Martinii*, Monachi Benedictini doctiſſimi, admitti poteſt, Stoicis eum adſcribentium, cum in ipſius ſcriptis nullæ doctrinæ, quæ porticui propriæ fuerunt, offendantur. Cenſet igitur Celeb. *Moshemius*, ipſum Philoſophum eclecticum, quod philoſophandi genus ante id tempus in Ægypto cœperat, & haud exiguum incrementum ſumſerat, fuiſſe. Hæc ſecta ex omnibus Philoſophorum factionibus id eligebat, quod optimum eſſe judicabat, ſed in doctrinam, quæ Deum, mundum, animam, ſummum bonum & finem hominis reſpiciebat, *Platonem* fere ducem ſequebatur. Ubi *Origenes* libros *Celſi* eſt aggreſſus, circiter 80, vel 90, anni elapſi 55, 56.
erant, a quo primum luci fuerant dati. Quod enim *Euſebius H. E. Lib. VI Cap. 36* perhibet, imperante *Philippo Arabe* primum editos fuiſſe, ad veritatem quam proxime accedit. Hos monitu *Ambroſii*, viri ſummi, refutare ſuſcepit. Subjicit quædam, ad 57-60.
vitam, doctrinam, virtutes, honores, merita, & adverſa fata, *Origenis* ſpectantia. In annotationibus non tam lectiones variantes conquirit & examinat, quam ſenſum dictorum illuſtrat. Ea eſt æquitate, ut, ubi *Origenes* non ingenue ſatis cum adverſario agit, illud indicet, &, ubi vel plane nullum ad objectiones

dat reſponſum, vel tale, quod difficultatem non tollit, perſonam illius ſuſcipiat, objectionesque accurate excutiat, ne inde ἐμπαῖκται gloriandi occaſionem ſumant, ac ſi dubia, religioni Chriſtiani obmota, expediri nequeant. Opus, antea in Libros tantum diviſum, in Capita & Paragraphos eſt partitus.
Pag. 60-62. *Capita* partim ſecundum verſionem Gallicam conſtituit, partim proprium ſecutus eſt judicium. Paragraphos ſecundùm editionem Benedictinorum notavit. Hoc eſt breve argumentum προλεγομένων: in ipſo opere enarrando ita verſabimur, ut, quæ in annotationibus præ aliis egregia ſunt viſa, enotemus.

Ubi *Origenes* in initio inſcriptionis ad *Ambroſium* dixerat, Chriſtianorum vitam ſanctam & inculpatam omnes adverſariorum calumnias retundere poſſe; in tota illa ſententia, ejusdemque ἐξεργασίᾳ, ſpecimen maſculæ orationis obſervat, ſimul dolens, Chriſtianorum ſtatum hodiernum talem non eſſe,
5-6. ut hoc argumento contra adverſarios uti poſſimus. *Ambroſius*, cui *Origenes* opus hoc nuncupavit, erat illuſtre eccleſiæ Chriſtianæ Seculo III membrum, procul dubio Ægyptius ortu, Alexandriæ gente ampliſſima procreatus, opibus multis affluens, honoribus præfulgens, aulæ imperatoriæ acceptus, eximio ingenio & doctrina inſtructus. *Euſebius* teſtatur, ipſum primitus *Valentinianis* fuiſſe addictum; *Hieronymus* eundem accenſet *Marcionitis*; alii, quorum *Epiphanius* meminit, ipſum *Sabellianum* faciunt. *Hieronymi* judicio ſubſcribit Noſter, cum id *Origenes* in ſuis ad *Joannem* Commentariis haud obſcure innuat, quem vero erroribus expedivit, & ad veram eccleſiam reduxit. Pro nomine Chriſtiano multa egit, multa, *Maxentio* imperante, paſſus eſt, nec tamen ad defectionem permoveri potuit. Hic *Origeni* autor fuit, ut *Celſi* libros, qui multis offendiculo erant, refutaret, ſumtusque ne-
9-14. ceſſarios liberaliter ſuppeditavit. Ad *Lib. I Cap. 1* rectè notat ſententiam *Origenis*, non peccare illos, qui clanculum conſociationem ineant ad tyrannum, qui liberum populum op-
15-17. primat, de gradu ſuo dejiciendum, quin perimendum. Objecerat *Celſus*, Chriſtianorum doctores doctrinam ſuam minus

ex-

ex rationis principiis deducere, nec objectiones ſolvere, ſed fidem tantum ac fidei ſimplicitatem crepare; ad quod obſervat Cel. *Mosheimius*, *Celſum* plus poſtulare, quam jure poſtulari queat; in religione divinitus manifeſtata id tenendum eſſe: poſſe Deum veritates revelare, quas quidem generatim intelligamus, non autem clare prorſus ac diſtincte percipiamus; quas quidem certo modo cognoſcamus, non autem cum veritatibus natura notis connectere queamus. Qui ex certis ac immotis principiis novit, religionem a Deo profectam eſſe, non requiret, ut ſingulæ illius partes ad decempedam rationis exigantur. Excitaverat *Origenes Hermippum*, quem dixerat librum de legislatoribus ſcripſiſſe, teſtatum, *Pythagoram* τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν, quæ verba Noſter vertit, *daſs Pythagoras die Gattung der Weisheit bey den Juden erlernet, die er hernach den Griechen vorgetragen hat.* Vox *Gattung* hic non æque quadrat. Quodſi enim ad genus Philoſophiæ, quod apud Judæos obtinuit, referatur, & intelligatur doctrina de Deo, mundo, ejus creatione, & aliis, tum dici nequit *Pythagoras* hanc ad Græcos traduxiſſe, quoniam etiam ab aliis Philoſophis barbaris, Aegyptiis potiſſimum, multa mutuatus eſt. Rectius igitur verti poſſunt, *ſuam Philoſophiam* (ex parte ſcil.) *a Judæis ad Græcos traduxit.* Ægyptii animalibus brutis cultum divinum exhibuerunt, quoniam perſuaſum ſibi habuerunt, in illis aliquando Deos habitaſſe, vel ipſa tanquam ſymbola perfectionum divinarum ſpectaverunt. Improbat ſententiam *Origenis*, illos, qui in publicis calamitatibus ſe pro ſalute reipublicæ devoverint, cum Chriſto conferentis, qui, dum perpeſſus eſt crucis ſupplicium, mundi peccata expiavit. *Celſus* criminatus erat, Jeſum a *Maria* ex impuro congreſſu cum milite, cui nomen *Panthera*, conceptum & editum eſſe; qua cum criminatione confert illam, quam in *Talmude* & *Toledos Jeſchu* invenimus, atque per modum inquiſitionis alicujus judicialis demonſtrat, fabulam tot contradictionibus laborare, ut nullam veri ſpeciem habeat, ac illam demum poſt Chriſtum in cœlos ſubvectum, imo poſt everſionem templi, eſſe excogitatam. Circa id, quod de *Joanne* aquis luſtralibus Judæos

Pag. 23-37. 41. 48, 49. 70-73. 79-84.

in remiſſionem peccatorum purgante, ex *Joſepho A. J. Lib. XVIII*
Cap. V pag. 883 edit. *Haverkamp.* produxit *Origenes*, notat,
memoriæ vitio rem paulo aliter eum propoſuiſſe, qui ipſe, ubi
ex *Lib. XX Cap. IX pag.* 975 de *Jacobo*, fratre domini, refert,
ac ſi necis ipſius cauſa urbi Hieroſolymitanæ excidium fuerit
Pag. 100-103. inductum, pariter aliquid de ſuo addidiſſe videatur. Deſcen-
ſum Spiritus S. ſub ſymbolo columbæ non per imaginatio-
nem, ſed per lucem, ex nubibus erumpentem, explicandum
106, 107. eſſe, recte demonſtratur. *Lib. II Cap. VII §. 5*, quoniam re-
ſponſum *Origenis* non congruit objectioni, quædam forte per
incuriam librarii omiſſa eſſe, non ſine ratione affirmari poteſt.
156, 157. Præſcientiam Chriſti cum certitudine vaticiniorum, divinam
ipſius legationem comprobantium, itemque miraculorum
ejusdem veritatem, vindicat egregie, & impoſtores vera mi-
racula præſtare haud poſſe, quod *Origenes* temere conceſſe-
rat, acute oſtendit. Illis, quos pro hac ſententia citat, addere
219 - 221. poſſumus *Werenfelſium* & *Noltenium.* Dixerat *Origenes*,
Deum quidem permiſiſſe, ut gentiles adverſus Chriſtianos in-
ſurgerent, ex illisque aliquos ſuſtuliſſe, illorum autem nume-
rum tantum non fuiſſe. *Dodwellus* verba hæc in præſidium
cauſæ ſuæ devocaverat; ſed excellentiſſimus Editor oſtendit,
non eſſe, quod hoc teſtimonio tantum nitatur, cum ſcriptores
apologetici pro more oratorum res modo exaggerent, modo
extenuent, prouti id e re ſua eſſe videant, vel verba *Orige-*
nis non in ſe, ſed relate, eſſe accipienda, ratione illorum, qui
271 - 273. ab iſta ſævitia immunes fuerint. Objecerat *Celſus*, religio-
nem Chriſtianam ad ſuperſtitionem ducere. Cum igitur
hanc criminationem retundere debuiſſet *Origenes*, ipſe contra
reſpondet, religionem Chriſtianam quidem in ſe optimam
non eſſe, at talem, qualis ad emendationem plerorumque ho-
minum ſufficiat. Hic eodem modo ſe rem habere, uti cum le-
giſlatore, qui det leges civitati, non quidem ſemper optimas,
utiles tamen, quod de legibus, Athenienſibus datis, ingenue
profeſſus fuiſſe dicatur *Solon.* Videtur tacite reſpexiſſe ad
ſententiam ſuam de æternitate pœnarum, quæ ad metum incu-
tiendum proponatur, diſtinguens inter Scripturæ ſenſum,

quem

Digitized by Google

quem litera præferat, & arcaniorem, inter illum, qui omnibus promiſcue proponi poteſt, & illum, qui iis tantum aperitur, qui in ſublimioribus religionis Chriſtianæ myſteriis ſunt exercitati. Quæ ſententia, quoniam rei Chriſtianæ haud leve damnum infert, & inde illius hoſtes invidioſas ſequelas ducere poſſunt, merito taxatur, &, quid periculi ſubſit, ingenue docetur. *Celſus* relationem *Moſis* de arca *Noæ* riſerat, quæ Pag. 352-354.
tot capiendis animalibus & alimentis minus ſuffecerit. *Origenes* proinde, telum ut averteret, longitudinem illius facit 9000 & latitudinem 2500 cubitorum; ad quæ Noſter notat, vel locum corruptum eſſe, vel *Origenem* aliis animo tum occupatum fuiſſe, ut ad ea, quæ ſcripſerit, non ſatis attenderit.
Origenes Lib. V Cap. 2 §. 5, Celſi calumnias, quibus Judæos 414, 415.
adſperſerat, ut dilueret, diſertis verbis ex *Devt. IV, 19, 20,* aſſeveraverat, Deum ſolem, lunam, ſtellas, totum cœlorum exercitum, ordinaviſſe gentibus, ut illis cultum præſtarent, a quo tamen Judæos immunes præſtiterit. Inepta hæc opinio ex merito perſtringitur, ſimulque notatur, in illa jamdum *Clementem, Origenis* præceptorem, hæſiſſe, qui propterea acriter fuerit reprehenſus, *Origenis* errorem æque gravem
Commentatores intactum fere prætermiſiſſe. Idem ſententiam 503, 504.
ſuam de populis orbis terrarum, peculiaribus ſpiritibus, tanquam diis tutelaribus, ſubjectis, ſtabilire anniſus erat ex *Devt. XXXII, 8.* Opinionem hanc fovebant populi, ad ſolem orientem ſiti, Chaldæi, Perſæ, Syri, Ægyptii, autumantes, Deum integrum orbem in certas regiones diviſiſſe, quibus ſingulis potentem aliquem ſpiritum præfecerit, quorum alii 70, alii 72, nominant. Hanc Judæi, dum in captivitate verſarentur, a Perſis & Chaldæis adoptarunt, & hinc interpres Græcus verba Codicis Hebraici, יַצֵּב גְּבוּלוֹת עַמִּים לְמִסְפַּר בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, reddidit, *ἔϛησεν ὅρια ἐθνῶν κατα ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ.* Hanc jam opinionem Judæi doctrinæ ſuæ adaptaverant, proinde tot angelos principes ſtatuerunt, quot filiorum Iſrael Ægyptum ſint ingreſſi, tot item populos, quibus regendis præpoſiti erant. Quoniam autem ſibi dedecori eſſe videbatur, ſpiritus cuidam

creato

in remiſſionem peccatorum purgante, ... Iſraelitici ca-
Cap. V pag. 883 edit. Haverkamp ... haverit potentis-
memoriæ vitio rem paulo alit ... ſitum divina decre-
ex Lib. XX Cap. IX pag. 9 ... non ſcriptum, tradi-
ac ſi necis ipſius cauſa ... atagunt, etiam ad Orige-
Pag. 100-103. inductum, pariter ... memorat res aliquas, quæ
ſum Spiritus S ... tantum cum peritioribus fue-
nem, ſed ... Moshemius, Patres ſubinde de γνώ-
106, 107. eſſe, re ... ori explicatione, quam Chriſtus cum
ſpon ... s ſuis communicaverit, quamque illi ad
... , loqui. Sed præclare notat, quæ de γνώ-
156, 157. ... quibusdam diſcipulorum impertita, dictitent, in-
... tundamento, in illa non poſſe contineri rationem doctrinæ fidei & morum, quoniam alias divina ſapientia & bonitas non permiſiſſet, ut illa prudentioribus tantum, non ſimplicioribus, innotuiſſet. Et, ſi quidem ex mente primorum rei Chriſtianæ doctorum de verbo hoc ἀγράφω eſt judicandum, conſtitit arcaniori explicatione legis Judæorum, philoſophicis explicationibus dogmatum Chriſtianorum, quas placitis Philoſophiæ, cui addicti erant, accommodabant, quibus ut fidem facerent, divinam Chriſti autoritatem præ-
599-602. texuerunt. Mentionem injecerat Celſus diagrammatis, quod Ophitarum fuit. De hoc igitur, quale Origenes exhibet, & quale repræſentat Celſus, generatim quædam monentur; diſtinctius in peculiari Commentatione ex tenebris ſuis eſt eru-
637-641. tum. Diſſeritur de oleo, quod, ex nonnullorum primi temporis hæreticorum opinione, fluxerit ex arbore vitæ, quo Chriſtus fuerit inunctus a patre, quod reliquerit apud ſingulos credentium cœtus, quo in baptiſmo perfundantur, & quidem eum in finem, ut illorum animæ ad vitam æternam præſerventur. Illius etiam mentio injicitur in Recognit. Clementis Lib. I Cap. 45 pag. 503 ed. Cotel. Evangel. Nicodemi apud Fabricium Cod.
641-644. Apocr. N. T. Tom. I pag. 278 ſeq. Prunicus, cujus meminit Alexandrinus doctor Lib. VI Cap. 3 §. 12, eſt ſequioris ſexus, mater rerum omnium, cui dominium in orbem competat, quæ quomodo a Valentinianorum Sophia differat, in ſequentibus doce-

Digitized by Google

docetur, fuſius & multo doctrinæ apparatu id factum eſt in Diſſertatione de Hæreſi Ophitarum. *Celſus* Chriſtianis objecerat, ipſos filium majorem facere patre. Protulerat eum in finem verba, quæ a Chriſtiano quodam ſe accepiſſe affirmarat. *Ori-enes* minus recte reſpondet, Chriſtianos filium non tam ma-rem facere, quam ipſum patri ſubordinare, ac minorem illo clarare. Alia via incedit eruditiſſimus Commentator, ob-vans, verba illa, quæ *Celſus* adduxerat, eſſe partem cate-ſeos Gnoſticæ, & Deum illum, qui nominetur, non eſſe em Chriſti, ſed potius Deum creatorem mundi, qui ex ntia Gnoſticorum a patre Chriſti prorſus erat diverſus, ıque adverſus, qui ſibi poteſtatem in hominem vindica-hujus igitur poteſtatem ut everteret, miſſum eſſe Chri-...m, adeoque hunc illo eſſe majorem & potentiorem. Subjungitur duplex Index, alius locorum Scripturæ, qui vel adducuntur, alius rerum memorabilium. Verſio *Origenis* eſt plana & perſpicua; annotationes ita ſunt conparatæ, ut & eruditis, & illis, qui literis tincti non ſunt, uſui eſſe poſſint. Det Deus, ut hic labor ad confirmationem veritatis conducat, & illuſtri Autori vitam, valetudinem, & otium, largiatur, quo in poſterum civitatis Chriſtianæ & literariæ commmoda tanta gloria promovere poſſit, quanta adhuc eum promoviſſe, egregia tot documenta teſtantur. Pag. 825-827.

TRAGEDIE DI EURIPIDE INTERE XIX, Frammenti & Epiſtole Greco-Italiane, in verſi, &c.

id eſt,

EURIPIDIS TRAGOEDIAE INTEGRÆ XIX, Fragmenta & Epiſtolæ, Græce & Italico carmine exhibitæ, cum annotationibus ad textum & interpretationem, opera P. CARMELI, Academici Patavini.

Patavii, in typographia Seminarii, 1743, 8.
Alph. 2 plag. 8.

creato obnoxios eſſe, dixerunt, Deum populi Iſraelitici curam ſibi reſervaſſe, ita tamen, ut ſibi ſubordinaverit potentiſſimum archangelum, qui tamen ad Dei nutum divina decreta det effectui.
Pag. 533-540. Ubi Pontificii verbum non ſcriptum, traditiones, quas vocant, propugnare ſatagunt, etiam ad *Origenem* provocant, qui *Lib. VI Cap.* 1 memorat res aliquas, quæ ſcribi non debuerint, quæque tantum cum peritioribus fuerint communicatæ. Largitur *Moshemius*, Patres ſubinde de γνώσει, ſublimiori & arcaniori explicatione, quam Chriſtus cum dilectiſſimis diſcipulis ſuis communicaverit, quamque illi ad alios tranſmiſerint, loqui. Sed præclare notat, quæ de γνώσει, a Chriſto quibusdam diſcipulorum impertita, dictitent, incerto niti fundamento, in illa non poſſe contineri rationem doctrinæ fidei & morum, quoniam alias divina ſapientia & bonitas non permiſiſſet, ut illa prudentioribus tantum, non ſimplicioribus, innotuiſſet. Et, ſi quidem ex mente primorum rei Chriſtianæ doctorum de verbo hoc ἀγράφω eſt judicandum, conſtitit arcaniori explicatione legis Judæorum, philoſophicis explicationibus dogmatum Chriſtianorum, quas placitis Philoſophiæ, cui addicti erant, accommodabant, quibus ut fidem facerent, divinam Chriſti autoritatem prætexuerunt.
599-602. Mentionem injecerat *Celſus* diagrammatis, quod Ophitarum fuit. De hoc igitur, quale *Origenes* exhibet, & quale repræſentat *Celſus*, generatim quædam monentur; diſtinctius in peculiari Commentatione ex tenebris ſuis eſt erutum.
637-641. Diſſeritur de oleo, quod, ex nonnullorum primi temporis hæreticorum opinione, fluxerit ex arbore vitæ, quo Chriſtus fuerit inunctus a patre, quod reliquerit apud ſingulos credentium cœtus, quo in baptiſmo perfundantur, & quidem eum in finem, ut illorum animæ ad vitam æternam præſerventur. Illius etiam mentio injicitur in *Recognit. Clementis Lib. I Cap.* 45 *pag.* 503 ed. *Cotel. Evangel. Nicodemi* apud *Fabricium Cod. Apocr. N. T. Tom.* I *pag.* 278 *ſeq.*
641-644. *Prunicus*, cujus meminit Alexandrinus doctor *Lib. VI Cap.* 3 *§.* 12, eſt ſequioris ſexus, mater rerum omnium, cui dominium in orbem competat, quæ quomodo a Valentinianorum *Sophia* differat, in ſequentibus doce-

Digitized by Google

docetur, fuſius & multo doctrinæ apparatu id factum eſt in Diſſertatione de Hæreſi Ophitarum. *Celſus* Chriſtianis objecerat, ipſos filium majorem facere patre. Protulerat eum in finem verba, quæ a Chriſtiano quodam ſe accepiſſe affirmarat. *Origenes* minus recte reſpondet, Chriſtianos filium non tam majorem facere, quam ipſum patri ſubordinare, ac minorem illo declarare. Alia via incedit eruditiſſimus Commentator, obſervans, verba illa, quæ *Celſus* adduxerat, eſſe partem catecheſeos Gnoſticæ, & Deum illum, qui nominetur, non eſſe patrem Chriſti, ſed potius Deum creatorem mundi, qui ex ſententia Gnoſticorum a patre Chriſti prorſus erat diverſus, eidemque adverſus, qui ſibi poteſtatem in hominem vindicaverit; hujus igitur poteſtatem ut everteret, miſſum eſſe Chriſtum, adeoque hunc illo eſſe majorem & potentiorem. Subjungitur duplex Index, alius locorum Scripturæ, qui vel adducuntur, alius rerum memorabilium. Verſio *Origenis* eſt plana & perſpicua; annotationes ita ſunt conparatæ, ut & eruditis, & illis, qui literis tincti non ſunt, uſui eſſe poſſint. Det Deus, ut hic labor ad confirmationem veritatis conducat, & illuſtri Autori vitam, valetudinem, & otium, largiatur, quo in poſterum civitatis Chriſtianæ & literariæ commmoda tanta gloria promovere poſſit, quanta adhuc eum promoviſſe, egregia tot documenta teſtantur. Pag. 825-827.

TRAGEDIE DI EURIPIDE INTERE XIX, Frammenti & Epiſtole Greco-Italiane, in verſi, &c.

id eſt,

EURIPIDIS TRAGOEDIAE INTEGRÆ XIX, Fragmenta & Epiſtolæ, Græce & Italico carmine exhibitæ, cum annotationibus ad textum & interpretationem, opera P. CARMELI, Academici Patavini.

Patavii, in typographia Seminarii, 1743, 8.
Alph. 2 plag. 8.

Laudabile P. *Carmeli* eſt inſtitutum, quo commendare denuo ſuis Italis, & in manus dare, præſtantiſſimum Poetam, *Euripidem*, voluit, quem tanti facit, ut, erectus *Ariſtotelis* ſuffragio, qui eum Poetarum judicat τραγικώτατον, ipſi *Sophocli* eum anteferre non dubitet. Intelligit nempe, contemtam immerito neglectamque ævo noſtro Græcorum librorum, & dramatum præſertim, & *Euripidis* maxime, lectionem veram eſſe genuinæ eloquentiæ ſcholam, in qua ſuum formare debeat ingenium, & ad nobiles evehere ſententias, quisquis in arte poetica cupiat excellere. Laborat ſine controverſia noſtrum theatrum multis partibus, neque, niſi veteres Græcos uſu diligente nobis reddamus familiares, ad priſtinam ſuam majeſtatem aſſurget. Tantum abeſt, ut ea gens, quæ principatum in hoc genere ſibi noſtris diebus arrogat, theatro profuerit, ut peſtem illuc intulerit frigida & infrunita ſua elegantia, per *ſue*, ut Noſter loquitur, *tragedie - - le quali per un certo ſtolto compiacimento per li ſpettatori ſono fatte ſenza le legge dell' arte, e per lo più ἡ σύςασις τῶν πραγμάτων e diretta ad amori, che certamente non ſono utili alla oneſta, ne di rogolamento al coſtume.* Humi ſemper repemus, quamdiu non probabimus, neque condemus, niſi fabulas, in quibus amores rideant, lecti geniales ſternantur, ſpirituoſa, ſi Diis placet, acumina vibrent, fulgura e pelvi, & elumbes atque difficiles argutiæ nervos maſculæ eloquentiæ incidant. Sed quid opus labem anxie lugere, cui medelam afferre ipſi nolumus? Quin potius, quæ Reverendus noſter P. *Carmeli* in hac nova *Euripidis* editione præſtiterit, videamus. Habemus præ manibus quatuor priores Fabulas, *Hecubam*, quæ tredecim plagulas implet, *Oreſten*, quæ totidem, *Phœniſſas* & *Medeam*, quarum illa quindecim plagulas, hæc undecim & dimidiam, occupat. Dederitne jam plures, vel etiam integrum *Euripidem*, quem titulus promittit, nobis in comperto non eſt. In his lectoribus Italis, tam vulgaribus, quam eruditis, illis nempe, qui exquiſitam Criticen non poſtulant, ſic pro inſtituto ſuo fecit ſatis. Criticus enim non eſt, & falluntur, qui novas, aut a Codicibus, aut ab ingenio, comparatas, opes ab eo requirunt.

Nos

Nos certe neque in *Hecuba*, neque in *Medea*, quas integras perlegimus, horum usquam quidquam vidimus. Sequitur editionem *Barneſii* maxime, ſubinde etiam in his exordiis illam *Kingii*, quam ſecundam Cantabrigienſem appellare ſolet. Græco textui, qui charta typisque nitidis & cum cura expreſſus eſt, ſubjectæ ſunt notæ Latinæ, in quibus Autor præcipue ſtuduit *Arſenii* paſſim ad difficiliores locos obſervata expromere, antiquos ritus, ſignificationes vocum, ſæpe ſatis vulgarium, metrorum genera, figuras proſodicas, aliasque grammaticas minutias, in uſum, ut videtur, tyronum, annotare. Ex oppoſito legitur ejus interpretatio metrica, liberior, Italiſſino magis, quam textui, accommodata. Quæ interpretandi ratio ut in ceteris laudabilis & præferenda ſervili verſioni, ſic in Poetis maxime neceſſaria eſt; præterquam quod unum hoc habeat incommodum. Interpres nempe carceribus exemtus, & libere vagans, ſæpius, quam ſtrictior aliquis & ſcrupuloſior, a vero Autoris ſui ſenſu, niſi valde peritus rerum ſit, deviare, lectorique ſuo non ſentienti ſententias alienas inſinuare, poteſt. Quod & in hac interpretatione haud raro contigiſſe, quivis vel non monitus ſuſpicabitur, ex eo præcipue, quod ſupra diximus, noſtrum prorſus non Criticum acceſſiſſe ad interpretandum *Euripidem*, qui multis adhuc, iisque gravibus, mendis obſitus eſt. Sed tamen affirmare nobis licet, hanc Italicam verſionem, ad exemplar *Barneſii* procul dubio formatam, illa Latina *Æmilii Porti* præſtare. Numeri ejus, ut ſponte patet, numeris Græcorum non reſpondent, ſed a ſingulis Scenis verſus numerare orditur Noſter. Diviſit enim ſingula dramata, ſed in Italicis tantum, in ſuos Actus minoresque Scenas, qua de re mox plura dicemus. Italicæ interpretationi ſubjectæ ſunt eadem dialecto conſcriptæ notæ, quæ Actuum argumenta, ritus, hiſtorias, geographica, quantum ad intelligentiam Poetæ facit, exponunt. Præcedit *primo Volumini* (ſingula enim *Volumina* ſingulas Fabulas continent,) vita *Euripidis*, a Noſtro Italice deſcripta, & poeſeos dramaticæ commendatio, ubi inter alia *Euripidem* cum *Sophocle* comparat, & huic iſtum, quod ſupra attigimus, anteponit, *Ariſtotelis* maxime & *Quintiliani* niſus

 teſti-

Digitized by Google

teſtimoniis, quorum hic *Orator. Inſtit. Libro X Cap. I* attribuit *Sophocli* μεγαλοφωνίαν, λογιότητα, & φύσιν, *Euripidi* κυριολογίαν, σοφίαν, & πάθος. Noſter in his vocem λογιότητος pro *eloquentia* cepit, qua in re multum fallitur. Hæc enim vox, quandoquidem opponitur τῇ σοφίᾳ, nihil aliud notat, neque poteſt notare, quam naturalem, rudem, ſimplicem, vulgo quoque familiarem, ratiocinandi, morumque præceptis imbuendi, rationem; ἡ σοφία vero artificioſam, ſublimiorem, e Philoſophorum ſcholis petitam, arguendi viam, & morum doctrinam. Sed redeamus ad penſum noſtrum, &, ſpecimina quædam exhibendo, faciamus, ut Lectores noſtri, quid ab hac editione debeant exſpectare, intelligant, & ipſi æſtiment, quantum valeat, quod jam de illa tulimus, noſtrum judicium. Ante omnia vero notandum adhuc nobis, quod præter antiqua editionum argumenta Græca, Italice verſa, ſingulis Fabulis argumenta Italica Noſter, amplo deducta filo, præfixerit, in quibus totius cujusque dramatis hiſtoriam decurſumque uno ſub conſpectu exhibet. Geremus autem nos in hac opella ſic, ut primum de modo, quo Noſter uſus eſt in Fabulis per Actus & Scenas digerendis, diſſeramus, tum guſtum Latinarum ejus annotationum demus, dein Italicæ quoque verſionis ſpecimina, *Euripidis* denique locos, in mendo adhucdum cubantes, & a Noſtro præteritos, tractemus, & tandem Poetæ quædam contra ſuam artem peccata ventilemus. Sed ſoli, quæ prima occurrit, primæ Fabulæ, *Hecubæ* nimirum, nos alligabimus, quandoquidem, per ſingulas ire, licet operæ pretium eſſet, nimium tamen, & ab hoc inſtituto alienum, foret.

Dividit Noſter *Hecubæ* drama in *quinque Actus*, hunc in modum, ut *Actum ſecundum*, una conſtantem Scena, ordiatur a *verſu 216*, *tertium*, unius pariter Scenæ, a *verſu 484*, *quartum* a *verſu 658*, *quintum* a *v. 953*. Atqui debuerat potius *ſecundum* ordiri a *verſu 484*, *tertium* a *verſu 658*, *quartum* a *verſu 953*, *quintum* a *verſu 1035*. Num felicius ipſi ceſſerit hoc negotium in ceteris, non inquiſivimus, niſi in ſola *Medea*, cujus *Actum ſecundum* auſpicatur a *verſu 214*, *tertium* a *verſu 446*, *quartum* a *verſu 866*, *quintum* a *verſu 1117*. At nos tamen in ea octo

octo Actus deprehendimus, quod multis quidem horribile & piaculare paradoxum videbitur; ſic tamen eſt, neque poterunt pauciores elici. *Quartus Actus* ſecundum nos incipit a *verſu 663*, *quintus* a *v. 866*, *ſextus* a *v. 1002*, *ſeptimus* a *v. 1117*, *octavus* a *v. 1272*. Quod ſi conſtet & evictum ſit, corruit noſtratium regula de neceſſitate *quinque* Dramatis *Actuum*.

Notarum ſpecimina ſint ea, quæ *pag. 52* & *68* leguntur. Ibi quidem hæc proſtant, quæ ὡς κεῖται dabimus: Verſu 32 αἰωρȣ́μενος) *Canterus legendum putat* αἰωρȣ́μενον. *Neſcio plane, qua conjectura iſtuc velit. Clare enim* τὸ αἰωρȣ́μενος *ad verbum* αἴσσω *refertur.* Verſu 39 εὐθύνοντας) *Hoc eſt* ἀπευθύνοντας, *ut etiam animadvertit Scholiaſtes. Præterea* εἰναλίαν *dicitur Ionice pro* ἐναλίαν. Verſu 42 τεύξεται τȣ̃δ') *Hoc eſt,* ἐπιτυχὴς γενήσεται τȣ̃δε. *Notanda hæc eſt conſtructio verbi* τυγχάνω. Verſu 53 ὑπὸ σκηνῆς πόδα) *Hoc eſt,* ὑπὸ τὴν σκηνὴν τȣ̃ Ἀγαμέμνονος. *Sic ego cum Scholiaſte hunc interpretor locum. Nam perterrefacta* Hecuba *tranſibat ſub tentorium* Agamemnonis, *ut illic inveniret* Caſſandram, *quæ ei interpretaretur ſomnium, quod vidit. Alii explicant* ὑπὸ σκηνῆς *ex tentorio. Quod minus ſententiæ congruere videtur.* Verſu 54 φάντασμα δειμαίνȣσα ἐμὸν) *Hoc eſt,* ὄναρ, ὃ εἶδε περὶ ἐμȣ̃, ſomnium, quod de me vidit. *Pagina* autem *68* hæc proſtant: *Verſu 216* καὶ μὴν) *Verſus ſunt jambici trimetri acatalecti.* Verſu 219 κραθεῖσαν) *Ita ſatius legere; nam alii* κρανθεῖσαν.* Verſu 225 δράσεις *Scholiaſtes legit* δρᾶσον, *quod pro* δράσεις *uſurpari, Autores habet &* Ariſtophanem & Menandrum. *Si* δράσεις *legis, produc primam, circumflexumque appinge.* Mittimus reliqua. Plura enotandi ſe paſſim deinceps occaſio dabit.

Italicæ verſionis ſpecimina ſunto hæc: *Verſu 183*, ubi illa *Polyxena* ad *Hecubam* τί με δυσφημεῖς, φροίμιά μοι κακὰ, ſic

* Sic etiam in textu edidit, peſſimo conſilio contra fidem editionum, & omnem ſanam rationem. Quid ſit ψῆφον κεραννύναι non intelligimus. At, ſi derivarit a κεραΐζω, prodit inſcitiam rudimentorum linguæ Græcæ, quam ſatis etiam ſequens nota prodit.

ſic vertit: *Perchè con voce di pietà mi chiami? Triſti ſono per me principi queſti.* Non recte. Δυσφημεῖς longe aliud quid notat. *Verſu 205*, σκύμνον γάρ μ' ὡς τ' οὐριθρέπταν Μόσχον δειλαία δειλαίαν Ἐσόψει χειρὸς ἀναρπασθεῖσαν Σᾶς ἀπολαιμοτόμον τ' Ἀΐδα Γᾶς ὑποπεμπομέναν σκότον. *Poichè qual leoncella o qual giovenca Su de' monti nudrita ortu infelice Me infelice vedrai della tua mano Strappata, e 'l capo mio reciſo a Pluto Mandata collagiu nell' ombre nere.* De hoc loco deinceps agemus. *Verſu 240*, δυσχλαινία τ' ἄμορφος ὀμμάτων ἄπο φόνου σταλαγμοὶ σὴν κατέσταζον γένυν. *Sparuto di ſembianze e giù dalli occhi Pianto di morte ti cadeva a ſtille In ſu la barba.* Cujus verſionis ut rationem intelligas, en notam ad h. l. Latinam: φόνου σταλαγμοὶ) *Id eſt*, δάκρυα ἃν ἦν αἴτιος ὁ τοῦ θανάτου φόβος, *Lachrymæ, quarum cauſa erat mortis timor. Ita explicat Baroc. Codex in Cantabr. ſecunda.* Atqui dubium non eſt, quin *Ulyſſes*, quo lateret ſpeculator, & imponeret videntibus, qui eum norant, ſuam ipſe faciem ſauciaverit, ut *Zopyrus* deinceps fecit. φόνος hic eſt idem atque αἷμα, *ſanguinis ſtilla. Verſu 326*, τόλμα τάδ'. ἡμεῖς δ' εἰ κακῶς νομίζομεν Τιμᾶν τὸν ἐσθλὸν, ἀμαθίαν ὀφλήσομεν. *Soffri le preſente coſe. E ſe ora noi prendiamo un mal conſiglio In onorare il valoroſo Eroe, Avrem la colpa d' infingardi e ſtolti.* Locum hunc non cepit. Senſus eſt: *Aude*, (ſuſtine,) tu barbara *Hecuba*, *hoc*, nempe mortuos de te bene meritos contemnere, & absque honore omittere. Tibi nemo id vitio vertet, barbaræ ſic ſolitæ, ſic edoctæ, bonorum νομισμάτων imperitæ. Nos vero Græci cultiores, ſi vellemus hunc egregium Virum male & ῥαθύμως honorare, jure ſcævi & agreſtes haberemur. *Verſu 1029*, τὸ γὰρ ὑπέγγυον Δίκᾳ καὶ θεοῖς οὐ ξυμπιτνεῖ. *Poichè ciò, che ſoggiace Alla giuſtizia e ai Numi Non viene men. Verſu 1055*, ἀποστήσομαι θυμῷ ῥέοντι θρηκὶ δυσμαχωτάτῳ, *onde parto e vò lungi dal Trace, cui l'alma inonda inſuperabil ira. Verſu 1080*, quo ultimo defungemur exemplo: ναῦς ὅπως ποντίοις πείσμασι λινοκρόκον φάρος στέλλων Ἐπὶ τάνδ' ἐσσυθεὶς Τέκνων ἐμῶν φύλαξ Ὀλέθριον κοίταν. *come una na-*

ve,

ve, che la crocea di lin vella, legate con le nautice ſarte, in mar diſpiega, cuſtode de' miei figli io ſpinto fui in queſto micidial fatale albergo. Ex his ſpeciminibus, & poſtremo præcipue, apparet, hanc verſionem, ut ſuavis & ſonora eſt, ſic tamen Critico non ſatisfacere. Græce intelligens certe non poterit λινοκρόκον φᾶρος per *la crocea di lin vella, croceum velum lineum,* redditum, ac ſi *croci* notio in λινοκρόκον lateret, non ridere.

Raro Noſter agit Criticum, neque vidimus locum, cui emendationem alicujus ſaltem momenti appoſuerit. *Verſu 112* videatur quidem aliquid egiſſe, quod ibi ὅτι pro ὅτε vulgato reponat. Sic enim illum voluiſſe, licet typothetæ mentem ipſius perverterint, ſatis tamen patet. Attamen, ut in ſe ſpectata levicula hæc eſt mutatio, ſic, ſi verum examines loci ſenſum, deprehendas, eam veri veſtigia multo magis adhuc, quam vulgata facit, obliterare. Adſcribamus verba integra: ἐν γὰρ Ἀχαιῶν πλήρει ξυνόδῳ Λέγεται δόξαι σὴν παῖδ' Ἀχιλλεῖ Σφάγιον θέσθαι. Τύμβου δ' ἐπιβὰς Οἶσθ' ὅτε χρυσέοις ἐφάνη σὺν ὅπλοις Τὰς ποντοπόρους δ' ἔσχε σχεδίας &c. quæ ſic vertit Noſter: *Poichè ſperſo è romor, che in pien concilio Decretaro gli Achei, che ſia tua figlia ſacrificate al prode Achille. Sai quando ſalito in ſu'l ſepolcro Con armi d'oro, e le ſolcanti navi, che havean le vele -- rattene.* Ex nota ejus ad h. l. intelligimus, *Canterum* hic pro οἶσθα maluiſſe ἴσθι. Sed eo non habemus opus, aliud quid hic latet. *Euripides* ſcripſit ΟΙΣ ΟΓΕ (οἷς ὅγε, *ſuis ille,*) quod facillimo flexu potuit in ΟΙΣΘΟΤΕ (οἶσθ' ὅτε) degenerare. *Tymbo autem ſuperinſiſtens ſuis ille aureis cum armis* &c. In præcedentibus autem *verſu 51* legendum eſt ὅσουπερ: & *verſu 162* ποῖ δ' ἥσω πόδα. Ad *verſum 203* annotat hæc: συνδουλεύσω) *Iſtuc plane ineptum, ut Polyxena dicat* συνδουλεύσω, *cui adeo gravis & inviſa erat ſervitus. Placet apprime* συμβουλεύσω, *quod habet Baroc. Codex in Cantabr. ſecunda, quo loci teſte* Kingio *interlineari explicatione* συμβοηθήσω. *Italice tamen* ſervire *ſignificat etiam*, eſſer in luogo d'alcuna coſa. Non multum in receſſu habet hæc Critice. Iſtud, quod Codex *Barocc.*

habet

habet, eſt ex illo conjecturarum genere, quod Criticis noſtrorum temporum haud raro excidit, linguam, quam attrectant, non ſatis intelligentibus. Sed *verſus 207* dignior erat animadverſione, quem tamen Noſter prorſus præteriit. Attulimus eum jam ſupra, ex parte nunc repetemus: ἐσόψει nempe tu *Hecuba Polyxenam*, χειρὸς ἀναρπασὰν Σᾶς ἀπολαιμότομον τ' αἴδα Γᾶς ὑποπεμπομέναν σκότον. Sic vulgo edunt viri docti, quos tamen vel ſola vox ἀπολαιμότομος de vitio potuerat admonere, quæ tantum non monſtroſa, ſaltem eo, quo hic ponitur, ſenſu vix ſatis Græca, videtur. Diſtinguenda ſunt, quæ male coaluerunt, & emendanda hunc in modum: χειρὸς ἀναρπασὰν σᾶς ἄπο, λαιμοτόμου δ' αἴδα, γᾶς ὕπο, πεμπομέναν σκότον. Conſtructio eſt, ἀναρπασὰν ἀπο σᾶς χειρὸς καὶ πεμπομέναν (ἐς) σκότον αἴδα λαιμοτόμου, (τὸν) ὑπὸ γᾶς. Senſus autem: *Videbis filiam tuam avulſam a manu tua, & miſſam in tenebras mortis, a præſciſſione capitis effecta, ſub terra exiſtentes*; vel (*miſſam* repetendo) *ſub terram*; vel, ſi quis malit, *in tenebras Plutonis, cervicum præſectoris.* Dixit autem *Euripides* h. l. πεμπομέναν σκότον pro ἐς σκότον vulgatiſſima phraſi poetica, cujus, vix operæ pretium foret, exemplum afferre. Quia tamen coram manibus unum habemus aliquod, & tam moroſi atque difficiles hodie ſunt Critici, ut nihil credant, quod manibus non palpent, & quod immani exemplorum ſtrue non adſtruatur, apponemus *verſum* hujus Fabulæ *456*: ἢ νᾶσον ἁλιήρη κώπᾳ πεμπομέναν ταλαίναν, (pro ἐς νᾶσον). *Verſus 367* in mendo cubat, quod ut clarius pateat, tota ῥῆσις addenda eſt cum præcedentibus: λέχη δὲ τἀμὰ δοῦλος ὠνητὸς ποθὲν Χρανεῖ τυράννων πρόσθεν ἠξιωμένα. οὐ δῆτ'. ἀφίημ' ὀμμάτων ἐλεύθερον φέγγος τόδ' ᾅδῃ. Noſter ſic poſtrema: *Non ſia ciò vero. Queſta delli occhi miei libera luce* &c. Manifeſto falſum hoc eſt. *Polyxena* enim non minus, quam *Hecuba*, ceteræve Troades, erat captiva; neque ſimpliciter habebat *liberum oculorum lumen*, quod poetico ſtilo idem eſt, atque *vivebat libera*; ſed ab una quadam certa re tantum poterat habere vultum liberum ope ſuæ mortis, vel po-

poterat ſe moriendo liberare ab aliqua ingrata re, quæ viventi neceſſario videnda & ſubeunda erat, nempe a matrimonio ſervili, de quo ſermo præceſſit. Unde ſponte fluit, pro ὥ δῆτα legendum eſſe mutato tantum ſpiritu, ὧ δῆτα. ὧ δῆτ' ἀφίημ' ὀμμ. ἐλ. &c. *A qua re* (a quo indigno & ignominioſo ſervili matrimonio) *liberam lucem oculorum meorum remitto & reſigno in manus mortis. Verſu 333* ſignificatio verbi τολμᾶν, etiam hic ignorata, ut ſupra *verſu 326*, quem locum paulo ante explicuimus, impoſuit cum ceteris interpretibus etiam noſtro. αἰ, αἰ τὸ δοῦλον ὡς κακὸν πεφυκέναι, τολμᾷ δ' ἃ μὴ χρὴ τῇ βίᾳ νικώμενον. *Ahi, ahi, gran male è l'eſſer ſervo altrui, da forza vinto, Anche quel me non dee ſoſtiene.* In Notis ſic ſcribit: *Hæc ſic interpretanda puto per ellipſin* τοῦ γενέσθαι τινὰ δοῦλον, λίαν κακόν ἐστι — *Porro legitur etiam* πέφυκεν, *quod* Cantero *etiam non diſplicet; quæ lectio exſtat etiam in Cod. Baroc. apud Kingium.* Atqui lectio hæc repugnat menti Poetæ, ut patet ex contextu verborum, ſi quis relegat, præcedentium, unde facile eſt ejus ratiocinationem aſſequi. *Ulyſſes* Græcorum laudaverat ſtudium, mortuos de ipſis bene meritos honorandi; barbaros autem ob ejus neglectum increpuerat. *Mai voi barbari,* dixerat ſecundum noſtrum Italum, *già non iſtimate gli amici amici, e non recate onore a color, che morir con fama e gloria. Ond'e che Grecia ſen riman felice, e voi ſoggiacete pari alli conſigli voſtri* Ad hæc chorus, hominis Græci ejusque civium admiratus ἐλευθεριότητα & nobiles mores in recolendis grata memoria beneficiis acceptis, ſuorumque viciſſim damnans τὸ δουλοπρεπὲς in obliviſcendis evergetis, & eorum pulchre factis, erumpit in hæc verba: O quam miſerum eſt, in ſervili conditione & ſervo cum animo naſci, & ea, quæ non oportebat, perpetrare, vincente indolis inſitæ, quam educatio corroboravit, vi. Patet hinc, pro τολμᾷ legendum eſſe τολμᾶν. Pro iſtis, τῇ βίᾳ, reponendumne ſit τῷ βίῳ, aut τῇ φύσει, eſt ambiguum. Eligat quisque, quod malit. Sufficiat nobis, veram Poetæ mentem e tenebris eruiſſe. Significationem illam verbi τολμᾶν, cum Latine reddendum eſt *perpetrare, au-*

dere, aliquid indignum, indecorum, jam ſupra, niſi fallimur, approbavimus. *Verſu 370* οὐδέ τοι δόξης legendum pro του. *Verſu 401* ἀλλ' οὐδ' ἔγωγε τήνδε. *Verſu 501* ἐᾶς. *Verſu 603* ταῦτα μὲν ὅδε νοῦς. *Verſu 779* in textu habet Noſter τοῦτον μαςεύουσ', & in Notis: μαςεύουσ') τὸ ματτεύουσα, *quod antea legebatur, putavi corruptum, quare cum Cantero & aliis* μαςεύουσα, *vel* ματεύουσα, *repoſui.* Hoc eſt clavum clavo expellere. Æſtimes hinc Criticum noſtrum, cui perinde fuit in his metris, utram lectionem præferret. *Cantero* certe nunquam id perinde fuit. Ad *verſum 831*, ἐκ τοῦ σκότους γὰρ νυκτέρων τ' ἀσπασμάτων φίλτρων ὁμοῦ τὲ τοῖς βροτοῖς πολλὴ χάρις, hæc notat: *Nonnihil mutat* Kingius *in editione ſecunda Cantabr. Sequor ego primam* Barneſii. Quid *Kingius* ibi mutarit, non novimus, id autem pro certo, ὁμοῦ τε corruptum eſſe. Conjicimus, ὁμοῦται legendum, quod valde κύριον eſt, & a *Quintiliano* celebratæ *Euripidis* κυριολογίᾳ bene convenit. Conſtructio eſt, πολλὴ χάρις τῶν φίλτρων ὁμοῦται τοῖς βροτοῖς ἐκ τοῦ σκότους &c. *Multa gratia amorum conciliatur* (in unum ὁμοῦ cogitur) *mortalibus per tenebras & nocturna baſia,* id eſt, homines matrimoniis junguntur & conciliantur antea longe diſſiti locis, & animis quoque multum diverſi. Si cui tamen verbum, in Lexicis forte non proſtans, ὁμόω, non arrideat, ille, nobis tamen non ſuffragantibus, ἑνοῦται poterit legere. *Verſu 852*, καὶ βούλομαι θεῶν θ' οὕνεκ ἀνόσιον ξένον καὶ τοῦ δικαίου τήνδε σοι δοῦναι δίκην Εἴπως φανείη γ', ὥςε σοι καλῶς ἔχειν. ςρατῷ δὲ μὴ δόξαιμι Κασσάνδρας χάριν Θρῄκης ἄνακτι τόνδε βουλεῦσαι φόνον. *Ecuba*, ſic vertit Noſter, *e per gli Dei e per giuſtizia Voglio, che l'empio albergator riporti Quel caſtigo da te, ch' ora mi chiedi, Se tu ſcorgi, che oprar in qualque guiſa Lo poſſa a tuo favor, e non appaja Al populo guerrier, che per Caſſandra Macchini queſto ſcempio al Re di Tracia.* Plana quidem & ſuavis hæc eſt ratiocinatio in ſe, tanquam Itali, ſpectata. Sed ex parte non eſt *Euripidis.* Latet vitium in φανείη, quod putemus in φανείη refingendum, & redire ad Thracem, quem in præcedentibus

tibus *impium hoſpitem* appellaverat *Agamemnon*. Volo quidem & cupio hoſpitem impium, ſi modo talis appareat, deprehendatur, & convincatur eſſe, Deorum juſtitiæque in gratiam, tibi meritas pœnas dare, quo & tu contenta poſſis eſſe, & ego non videar Thraci cædem in gratiam *Caſſandræ* machinatus fuiſſe. Notandum nempe, δόξουμι non conſtrui cum εἴ πως, ſed cum ὥςε proxime præcedente. *Verſu 1040* pro μύχυς legendum eſt μόχλυς. *Verſus 1080* & ſequentes, quorum jam ſupra dedimus & Græca verba, & Italicam interpretationem, ſub incudem revocandi nunc ſunt. Videbit quiſque facile, conſtructionem ναῦς & ςέλλων non quadrare, cum illud fœminini, hoc maſculini, generis ſit. Videbit etiam paulo attentior, φύλαξ in iſtis (τέκνων ἐμῶν φύλαξ) incongruum eſſe, & prorſus non neceſſarium. Dempto enim hoc, nihil decedit ſermonis aut gratiæ, aut emphaſi, aut integritati. Facilis quidem & in promtu eſt affectæ vocis ναῦς medicina. Ναὸς enim reſcribendum. At utinam & alterius pariter foret! Quid, ſi pro eo φίλων ſubſtituamus? Aut, ſi metrum patiatur, de quo viderint peritiores, φώκας? Conſtructio ſic foret: συθεὶς ἐς τάνδε φώκας κοίταν, ὀλέθριον τέκνων ἐμῶν, & ſenſus emergeret: ut qui funibus marinis (in mari uſu venientibus) regit velum navis, e lino contextum; ſic ego, illapſus in hoc phocæ antrum, filiis meis exitiale, vel in hanc phocæ foveam, filiorum meorum perditricem. Nolumus hanc noſtram conjecturam pro certa venditare, aut cuiquam obtrudere, ſed interea proponimus ut tantummodo probabilem, donec tu, *Phœbe*, lucebis. Monemus tamen, ſi Poetæ velimus exiſtimationem tueri, tanquam ſcriptoris juſte & acriter cogitantis, hic deberi vocem erui, quæ aut ſyrtin, vel ſcopulum, notet, in quam infelix nauta poſſit impingere, aut potius marinam aliquam belluam, homines devorantem, cui poſſit nauta in prædam cadere; & quicum *Hecuba* commode comparetur. De phoca autem conſtat, quod bellua ſit ἀνθρωποφάγος, & quod homines fœdi, putidique, & olentes, ei ab *Ariſtophane* comparentur duobus in locis, qui ex *Homero* hauſit. *Putida* vero *anus* eſt phraſis val-

 de

de frequens. *Verſu 1195* καί μοι τὸ μὲν σὸν ὧδ' ἐν Φρουμίοις ἔχει editur, & notantur hæc: καὶ με τόμεν σὸν) Hoc eſt, καὶ ὁ ἐμὸς πρός σε λόγος. *Ita alloquitur* Agamemnonem, *atque ab his veluti exordium ſumit eorum, quæ in* Polymneſtorem *dictura eſt.* Bene quidem hæc præter illud Noſtro ſolenne *Polymneſtorem.* At metro laboranti nihil opis inde accedit. Leg. ὧδε Φρουμίων. Sic Græci loqui amant, ὧδε cum Genitivo. *Verſu 1215* exhibet κάπνος pro vulgato κάπνῳ. *Il fumo moſtrava la citta ſotto a' nemici*; cum addita hac nota: *Sic legendum eſt cum accuratioribus Criticis, non, ut in aliis editionibus,* κάπνῳ δ' ἐσήμαιν' ἄστυ *fumo autem ſignificabatur. Nam* ἐσήμαινε *pro* ἐσημαίνετο *uſurpari nequit; quare appoſita eſt noſtra vulgata lectio,* κάπνος δ' ἐσήμαιν', *fumus autem ſignificabat.*

Credimus jam, ſufficientem hujus libri ideam nos dediſſe, in quo toleraremus omnia, modo tot indigna lectoribus *Euripidis* non immiſcuiſſet, quibus parcere cum chartæ compendio potuerat. Quis enim tam tiro audeat *Euripidem* attrectare, qui non norit, κἄπω eſſe contractum ex καὶ ἄπω, & οὑμὸς pro ὁ ἐμὸς, quorum illud ad *verſum 1194*, hoc ad *verſum 1229*, & alia talia alibi, ſatis ambitioſe tradit. Ferendum eſt, quod Criticus non ſit, quem tamen *Euripides*, ſi quis alius, maxime flagitabat. Natura non cuivis hoc donum indulſit. Suademus tamen, ut, (ſi pergat in cœpto opere, quod vehementer cupimus, &, ut, ipſi feliciter cedat, optamus, modo non jam abſolutum ſit,) ut, inquam, ſaltem bonos, quibus abundat Italia, veteres Codices manu exaratos luſtret, & erutis inde variis lectionibus nos beet. Quo munuſculo *Euripidis* amantes æternum ſibi habebit obligatos, & operi ſuo, ſic ſatis commendabili, grande pretium & decus addet.

Pervenimus ad hujus tractationis partem ultimam, qua, quod ſupra promiſimus, *Euripidis* aliquot in hac Fabula in regulas artis peccata recenſere animus eſt. Erunt, qui vitio nobis hanc, ſi qua eſt, temeritatem vertent, noſtramque hyperſophiam & hypercriticam, venerandæ antiquitatis violatricem, damna-

Digitized by Google

damnabunt. Patiemur, eos abundare ſuo ſenſu, monentes interea, nos hoc inſtituto prorſus nolle quidquam veteri poeſi de ſapientiæ & dexteritatis laude, quam ab omni ævo meruerit, detractum, aut ſtudioſorum hominum manibus eam excuſſum ire. Id unice volumus illuſtri demonſtrare exemplo, quod divina iſthæc ars dramatica nondum ſuam attigerit perfectionem, & quod tragœdiæ ſcribendæ ingenium ſolum par ſit criticum, ſublime, bene memor, circumſpectum, ſibi nihil, nihil ſpectatoribus, largiens, penſiculate recoquens omnia, ne qua paſſim excidant non animadvertenti ſecum collidentia σαθρὸν καὶ πυροῤῥαγὲς φωνοῦντα. Specimen hoc ſit opuſculi, quo aliquis noſtrum meditatur aliquando, ſi fata permittant, trigæ Poetarum Græcorum dramaticorum, id eſt, *Sophoclis*, *Euripidis*, & *Ariſtophanis*, poeticos, ut ita dicamus, ſolœciſmos, id eſt, in artem, quam profitebantur, peccata, perſtringere.

Primum itaque, quod peccavit *Euripides* in *Hecuba*, eſt non obſervata unitas loci. Scena ipſi ſimul in Europa & Aſia eſt. Horrendum dictu! Quantus hiatus! En *Euripidem* Avtocleonem. Ἔχει γὰρ τὸ σκέλος, ut *Ariſtophanes* ludit in *Equitibus*, τὸ μὲν ἐν Ἀσίᾳ, τὸ δ᾽ ἕτερον ἐν Εὐρώπῃ. τόσον δ᾽ αὐτοῦ βῆμα διαβεβηκότος, ὁ πρωκτὸς ἐστὶν αὐτόχρημα ἐν Χάοσιν. Quando vero multi tam indignam, tam fœdam, Poetæ adfrictam non patientur maculam, faciemus verbis noſtris fidem ἀφύκτοις ἐλέγχοις. *Polydorus* in Prologo, ſe ſtare & loqui, ait, ἐν γῇ τῇδε Χεῤῥονησίᾳ, *in* hac *terra Cherſoneſica*; & paulo poſt ἐπ᾽ ἀκταῖς τῆσδε Θρηκίας χθονός, *in litore Thracicæ* hujus *regionis*. Concedent nobis, quod ſperamus, omnes, hanc Cherſoneſum Thracicam vulgo ſic dictam peninſulam ad Helleſpontum eſſe; & pronomen ἥδε, *hæc*, notare ſolum, vel tractum, in quo quis actutum, ἐν τῷ νῦν παρόντι, exiſtit. Hoc ſolum conceſſum nobis volumus, neque aliud; neque tantum id concedi poteſt, ſed & neceſſario debet, neque aliter poteſt. Jam, ſi ἥδε notat id, quod diximus, non poteſt aliud notare, & contrarium id quidem. Atqui paulo poſt ſcenam videas in campo Trojano apertam

verſu 325 ὧν ἤδε κεύθει σώματ' Ἰδαία κόνις, *quorum caſtrum corpora tegit* hic Idæus *pulvis.* Si dicas, vocem ἥδε hic loci notare *illa*, quaſi perſona loquens exerto digito verſus Aſiam monſtraret, exempla erunt ejus rei alleganda, quæ nuſquam ſunt: &, vel eo facto, nihilo tamen minus manebit *Euripides* ἀκυρολόγος, voces easdem modo hoc, modo illo, ſenſu acceptans; ille *Euripides*, cujus κυριολογίαν tantopere *Quintilianus* extulit. Tentare ſi velis & corrumpere illud ἥδε hic loci, tanquam corruptum, afferemus aliud, quod, eſſe ſcenam in campis Trojanis, evincit ulterius; nempe ratiocinationem *Agamemnonis verſu 1111*, ubi ait: Potuiſſet hic a *Polymeſtore* excitatus tumultus terrorem nobis incuſſiſſe, putantibus, Trojanos ad caſtrorum portas adeſſe πανσυδεὶ, niſi conſcii nobis exciſæ Trojæ fuiſſemus. Quod ratiocinium, ſi ſcena collocetur in Cherſoneſo Thracica, prorſus ineptum eſt. Sed, quod nodum dirimit uno ictu, ſedatque æſtum omnem, & clare vincit, ſcenam in campis Trojanis eſſe, id eſt *verſus 522*, ubi præco dicit, *Polyxenam* ad ſepulcrum *Achillis* cæſam fuiſſe præſente toto Græco exercitu. Atqui non in Cherſoneſo, vel Europa, ſepultus erat *Achilles*, ſed in Sigeo apud Trojam. Incruſtare quidem hoc laborat Italus, ad eum locum ſic notans: - - *Hic tamen dicitur* πρὸ τύμβου Ἀχιλλέως, *quia Græci in Cherſoneſo* κενοτάφιον Achilli *conſtruxere.* Sed hoc nihil eſt, niſi πτερυγίζειν. Donemus aliquid precariæ huic excuſationi. Demus, *Polyxenam* apud fictum illud cenotaphium, quod grammaticaſtros in ſuo cerebro condere jubebat ipſorum perplexitas, occubuiſſe. Quomodo tamen poterant Græci in ſolo Europæo ultra mare interjectum, ultra viginti & plura forte ſtadia, videre ſpectrum *Achillis* ſuo ſepulcro inſiſtens, & ejus audire præcepta? Quare non potius, ſi erant in Europa, transvehebant victimam ad verum ſepulcrum, quæ brevis temporis jactura & labor fuerat? Quare non vetabat *Achilles*, ſi tantum valebat, ventos inhibendo, vel Helleſpontum Græcos trajicere? Certe magis conſuluiſſet honori ſuo, & ſatius iræ ſuæ feciſſet, ſi, quod facillime potuerat efficere, victimam coegiſſet apud ve-

rum

Digitized by Google

rum ſuum ſepulcrum cadere? Cui enim bono inſontem ſanguinem flagitabat ſævus heros, niſi ut eum, quemadmodum poetæ de umbris tradunt, biberet? Atqui, ex eorundem opinione, mortuorum animæ ſepulcris, non vacuis, ſed iis, quibus cadavera condita jacent, quaſi alligatæ obverſantur. Unde clare patet, piaculum hoc, ſi ceciderit in Europa, neque placando *Achilli* ſuffecturum, neque Græcis quidquam profuturum fuiſſe. Manet ergo, fabulam hanc nunc in Aſia, nunc in Europa, peragi. Neque ſupereſt effugium, niſi ut aut totum ridiculum & inconcinnum iſtum prologum jubeamus in ſpongiam incumbere, aut Cherſoneſum aliquam Thraciam in Aſia undeunde extundamus. Scimus quidem, Thraces etiam in Aſia fuiſſe, qui circa Heracleam habitarunt, deinceps Bithyni dicti. Fuit ibidem terrarum quoque Cherſoneſus urbs. Sed neque conſtat, Græcos, Troja ſolventes, illuc appuliſſe, neque poterant omnino κατ' ἴξιν τῆς ἐς πάτραν καθόδου. Neque hilum proficiunt, qui ſic, ſi forte, ſtatuent. Nam non tantum ἀκυρολόγος erit hoc modo *Euripides*, notis nominibus ignotas & alias omnes res deſignans, ſed etiam Thracum nomen ejus ætate in Aſia deſierat, & Cherſoneſus urbs nondum exiſtebat. Prætereaque multo magis diſtabat a Troja hæc Cherſoneſus ad Pontum Euxinum, quam ut ibi conſpici potuerit fumus, ab ardente Troja exſurgens, (vid. *verſum 1215*,) quod facilius fieri poterat in Cherſoneſo Helleſpontica; neque conditum ibi cenotaphium *Achilli* memoratur usquam. Quodſi tandem opinetur aliquis, vocem χεῤῥόνησος aliud nihil, quam vox ἀκτή, *litus*, notare, & Thraces olim dictos fuiſſe omnes Trojani agri accolas; debet is nobis ejus rei per exempla probationem. Sed eam in æternum debebit.

Hoc unum erat; alterum *Euripidis* in hac Fabula peccatum eſt *Polydorus*, prologum recitans. Fingitur anima *Polydori* ſuum jam per tres dies deſertum & fluctibus jactatum cadaver ſubintrare rurſus, & coram ædibus *Hecubæ* φαντάζεσθαι, totiusque ſecuturæ fabulæ decurſum in anteceſſum enarrare. Evincemus, hoc figmentum non tantum improbabile & inutile

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, ſed etiam totam fabulam corrumpere. Improbabile eſt *Polydorum*, miraculo, nobis minus, quam Græcis, probabili, rurſus animatum, futuram ſuæ ſororis cædem, ſuamque cum illa ſepulturæ communionem, præſcire, aut præſagire, potuiſſe, niſi fuerit a Diis inferis edoctus. Atqui nondum regna viderat infera; quod ſi fuiſſet, non licuiſſet ipſi, e ſententia Græcorum, ſemel Stygem transgreſſo, in dias luminis auras remeare. Quodſi dicas, animabus a corpore liberis vim ineſſe fatidicam, qui factum, ut, quæ omnia ſciebat & præſagiebat anima *Polydori*, de pœnis, quas ſibi ſuus percuſſor erat daturus, nihil ſciret? ut, quæ adeo exultabat, ob honorem ſepulcri, quem mox erat adeptura, ob vindictam ſui ſanguinis non item lætaretur? Inutilis quoque iſtè prologus eſt. Cui enim bono? Cui narrabat *Polydorus*? Sibine? Atqui ridiculum eſt, aliquem ſibi ſoli narrare, quæ novit. Aliisne? Atqui ſolus erat in theatro. Non certe ſpectatores Athenienſes poterat alloqui, qui in Cherſoneſo erat. Perſonis fabulæ nihil quidquam rei eſt, neque licet eſſe, cum ſpectatoribus extraneis. Ad fabulam hi non pertinent; prorſus in cenſum non veniunt. Quicquid eorum in gratiam exhibetur, quod ipſa natura fabulæ non exigat, non importet, id omne vitioſum eſt, & fit tantummodo *per un ſtolto compiacemento per li ſpettatori*. Quod *Euripides* etiam hic peccavit. Quod tandem fabulæ decurſus in exordio ſtatim enarratur, id corrumpit eam, omnique gratia ſpoliat. Id enim, quod ſuſtinet & excitat, & ſuſpenſam quaſi tenet, ſpectatorum attentionem, eſt rerum futurarum ignoratio.

Tertium peccatum eſt, quod choro, non ſoli canenti, ſed cum *Hecuba* colloquenti, nimis longam ῥῆσιν *a verſu 100* usque ad *155* tribuit, neque τό πάϑος obſervavit. *Hecuba* enim, tot & tam luctuoſa ſibi audiens, absque motu muta perſtat, neque luctus ullum ſignum edit, neque ullam interjicit exclamationem. Quartum hoc. Exſpectaveras a choro, ut *Hecubam*, animi deliquium paſſam, & humi proſtratam, erigat & ſoletur. At horum nihil fit. Chorus, omiſſa jacente miſera, cantum exorditur, neque ſollicitus eſt niſi de eo, quo tandem terra-

Digitized by Google

tetrarium avehendus ſit. Eſt nempe Noſtro præcipue familiare, ut choro rheſes tribuat, ad rem nihil pertinentes. Quinto probabile non eſt, *Polyxenæ* cædem, ad quam multo erat opus apparatu, tam brevi tempore potuiſſe peragi, quo chorus *verſus 39* recitat, a *444* usque ad *483*, quod utut poſſit excuſari, (neque enim hoc argumentum graviter urgebimus,) debet tamen Poeta curare, ut fictarum, quas exhibet, actionum tempori aliqua ſaltem cum tempore, quod veræ actiones ſibi poſtulant, proportio ſit. Sexto frigidum eſt, & Gallulum ſapit, illud, quod *Agamemnoni, Quis tam ſiniſtra utitur, atque tu, fortuna,* exclamanti, reſpondet *Hecuba, Nemo, niſi forte ipſam fortunam dicas.* Septimo incongruum eſt & tempori, & locis, & perſonis, quod *Hecuba verſu 980* ancillam, Regem Thracum arceſſitum, mittit, qui & paulo poſt *verſu 953* cum curru & liberis, tanquam ex machina Deus, adeſt. Tempus, quo *48 verſus* parvi & fere dimidii tantum recitari poſſunt, magis curtum eſt, quam ut ancilla, quo mittebatur, venerit, nedum ut Thrax adeſſet. Si admittatur, quod ſupra lectoribus probabile effecimus, ſcenam in Aſia eſſe, Regem autem illum in Europæa provincia, Cherſoneſo Thracica, habitaſſe, bis fuerat interea Helleſpontus ancillæ trajiciendus, antequam cum Rege rediret in ſcenam, hoc eſt, ſpatio fere dimidii quadrantis horæ. Ubicunque tandem ille regnaverit, procul a Troja certe regnavit. Quod ni ſit, Græci cum eadem cum Trojanis involviſſent ruina; aut minimum ejus ipſi hoſpitem *Polydorum* abſtuliſſent. Mittitur ancilla in terram, quam, quis nos refutet, ſi dixerimus, pedibus ab ea antea calcatam nunquam? ad regem, quem forte non viderat antea, neque, ubi pro tempore iſthoc eſſet, quandoquidem vagari Thraces & latrocinari ſolebant, norat. Rex barbarus, Græcos metuens, quod certe debebat, ad unius ſervæ captivæ appellationem, nullo munitus immunitatis pacto, integro exercitui hoſtili, victori, cum liberis ſe permittit. Facile credulus & ῥάθυμος ille ſit oportet, cui talia probabiliter fieri & fingi videbuntur. Neque opponet quiſpiam, fingi poſſe, in gratiam excuſandi Poetæ, ancillam regi jam venienti prope navale Græcorum

in via occurriſſe. Admitteremus hoc, niſi Poeta ipſe deſtrueret hanc πρόφασιν *verſu 965*, dicens ex perſona *Polymeſtoris: Jam pedem ultra fores tollenti mihi accidebat ancilla tua, referens ſermones, quos audiens, huc veni.* Jam, ſi pedem modo efferenti e domo iſta occurrebat, non potuit in media, vel ultima, via occurrere. Confirmat id etiam hoc, quod, ſi ancilla jam venienti occurriſſet, ille ſolus veniſſet. Alias non interrogaret *Hecubam*, quare liberos etiam voluerit adductos. Octavum, quod notamus, eſt illud. Interroganti *Hecubam* Thraci, quare liberos quoque voluerit adeſſe, reſpondet hæc: ideo, ut gerendorum teſtes & conſcii eſſent, memoriamque loci, quo theſaurum fingebat abſconditum, ſi quid ipſi contingeret humanum pati, conſervarent; qui tamen infantes adhucdum erant, ulnis geſtatiles, ut ex *verſu 1158* patet, adeoque fini, quem intendebat *Hecuba* ſcilicet, inepti. Nonum, quod fingit, Thracem cæcum, dum audit, Græcum aliquem loqui, ſtatim agnoſcere, eum *Agamemnonem* eſſe, quem non tantum non viderat unquam, ut probabile eſt, (hoc enim ad rem non facit,) ſed neque audiverat; nullaque ipſi erat ratio, quare, *Agamemnonem* magis, quam *Ulyſſem*, aut alium Græcum, adeſſe, conjectaret. Decimum tandem & ultimum proferemus hoc, nos non videre, ad quod tragœdiæ genus hæc referenda ſit, & quis ſcopus in ea edenda Poetæ fuerit. Initium ejus lugubre eſt. Cadit inſons *Polyxena*, ſolo eo titulo rea, quod Troas eſſet. Finis eſt tantum non lætus. Punitur enim impius Thrax. Atqui peccatum id eſt in artis dramaticæ leges, quas ſanxit perſpicaciſſimus *Ariſtoteles*, e cujus mente non utentur ſiniſtra fortuna, innocentes omnino: hoc enim execrabile eſt, neque movet commiſerationem; neque impii prorſus: meritas enim qui pœnas luunt, gaudium, non commiſerationem, in animis ſpectatorum excitant; ſed infelices ſunt neque boni, neque mali, ſed medii ordinis homines ἐπαμφοτερίζοντες. Si præmiſiſſet *Euripides*, punitum Thracem, & finiiſſet fabulam in cæde *Polyxena*, tolerabilius fuiſſet. Sic certe ſpectatores calida vitaque plenos commiſeratione dimiſiſſet, qui affectus ipſi ſecun-

cundum eam, quæ nunc eſt, dramatis diſpoſitionem fere fuit emortuus.

Forte alia plura poſſent ab acriore judicio & attentiore lectore in hac fabula detegi minus recta, ἁμαρτήματα μημονικὰ, improbabilia. Sed habebunt *Euripidis* patroni ſatis, quod agant, ſi propoſitos a nobis nodos digne reſolvere, & hæc tela eo, quo par eſt, elenchi robore retundere, velint.

D. CHRISTIANI BENEDICTI MICHAELIS, Theologiæ Græcæque & Orientalium Linguarum in Academia Fridericiana Prof. Publ. Ord. Tractatio critica de variis Lectionibus Novi Teſtamenti caute colligendis & dijudicandis; in qua cum de illarum cauſis, ſpeciebus, fontibusque, tum de cautelis, ex quibus dijudicari, & vel approbari, vel reprobari, debeant, agitur, ſimulque de Codicibus, ſive Græcis, ſive Græco-Latinis, de verſionibus item antiquis, & de Patribus, ex quibus illæ colliguntur, multa partim curioſa, partim utilia & ſcitu neceſſaria, nove afferuntur.

Halæ Magdeburgicæ, ex officina libraria Rengeriana, 1749. 4. Plag. 16½.

Poſt tantos celeberrimorum virorum, *Millii*, *Kuſteri*, *Bengelii*, aliorumque, labores criticos, inſigne ſpicilegium Summe Venerabilis Autoris Lectoribus noſtris exhibemus, quod indicio eſt, quantam circa rem ſacram Novi Teſt. ille diligentiam operamque adhibuerit, quantumque a viris illis celeberrimis laboris ſtudiique aliis æque doctis, circa hunc campum emetiendum, fuerit relictum. Dari enim in libris ſanctioribus Novi Teſt. diverſas lectiones, mirum non eſt, ſi modo nobiscum vel leviter perpendamus, librarios atque editores, vel manibus, vel typis, tabulas ſacras deſcribentes, homines fuiſſe, indeque inter ſcribendum, & typis imprimendum, facile errare potuiſſe. Plurimæ tamen variæ lectiones ita Pag. 6.

Digitized by Google

ita ſunt comparatæ, ut vel manifeſte falſitatem probent; vel ejus ſint generis, ut receptis lectionibus æquipollentes ſtatuantur. Hinc omnes iſtæ nulla contra dignitatem Codicis Novi
Pag. 7. Teſt. ratione pugnare videntur. Reliquæ, alicujus fortaſſe momenti viſæ, ſecundum regulas criticas, quales Ven. *Bengelius* ſuppeditavit, ſine multo negotio diſcernii atque dijudicari posſunt. Varias lectiones in duo genera diſpeſci a Criticis ſacris, Noſter laudat, hanc in ſe ſuſcipiens operam, ut, duce *Bengelio*, oſtendat, vel caſu, vel conſilio, lectiones Novi Teſt. varias prodiiſſe. *Caſu* variat lectio, idque primo, ubi librarius inter legendum oculis & viſu aberravit, confuſis affinibus literarum
8. figuris; tranſpoſitis, aut omiſſis, ſimiliter inchoatis; tranſpoſitis omiſſiſve ὁμοιοτελεύτοις; omiſſa vocum earundem recurrentium vel præcedente, vel ſequente, una cum intermediis; omiſſa ſyllabarum vocumve, ſive earundem, ſive ſimilium, immediate geminatarum, alterutra, & denique geminata eadem,
9. vel ſimili, ſyllaba. Varia apparet porro lectio *caſu*, ubi librarius inter dictandum auribus & auditu erravit, confuſis tum conſonantibus, tum vocalibus, idem fere ſonantibus; confuſis literis, diverſum quid, ſed tamen affine, ſonantibus, ex organorum, quibus efferuntur, aliorumque accidentium, convenientia; confuſis ſimplicibus literis cum geminatis, & geminatis cum ſimplicibus; repetita ſuperioris vocis litera fi-
10. nali ad initium vocis ſequentis; demta de fine præcedentis vocis litera auſpicali ſequentis, ſi hæc fuerit eadem cum illa; demta de ſequentis vocis initio litera auſpicali, ſi hæc eadem fuerit cum præcedentis finali; mala vocum combinatione, vel diviſione, & repetitis iisdem, quanquam aliquando diverſa orthographia & ſignificatione, ſyllabis. Variata denique eſt *caſu* lectio, cum ſive librarii, ſive metaphraſtæ, ſive tractatores, a phantaſia, vel memoria, vel alio quocunque errore, falſi,
12. addiderunt aliqua textui; aliqua contra omiſerunt; commutaverunt cum vocabulis aliis alia, quæ vel cum præcedentibus vocibus, quas recenti memoria habebant, magis convenirent, vel cum ſequentibus, quas legendo præcerpſerant; commutaverunt vocum *formas*, *numeros*, *caſus*, *tempora*, *modos*;
com-

Digitized by Google

commutaverunt voces ſimplices cum compoſitis, & compoſitas cum ſimplicibus; compoſitarum alias cum aliis; ſynonymas generaliores pro ſpecialioribus, & ſpecialiores cum generalioribus; clariores pro obſcurioribus, & denique ſyntaxes alias cum aliis. Porro confuderunt voces diverſas, quaſi eaſdem; loca parallela, eaque tum verbalia, tum realia, ubi Pag. 12.
videmus, harmoniam Evangeliſtarum per accidens varietatem lectionis peperiſſe. Confuderunt etiam marginem & ſcholia cum textu, diverſaſque diverſorum ſive Evangeliorum, ſive Codicum, lectiones, quarum unam forte in margine notatam repererant, in textum receptas, improvide combinaverunt; literas, voces, & integra inciſa, in deſcribendo transpoſuerunt; 13.
quin & compendia ſcriptionis infeliciter legerunt. Alterum variarum lectionum genus peperit *conſilium*, idque curioſum, ubi judicio abuſi librarii, vel tractatores, animo quidem non malo, at minus provido, Hebraicas nominum propriorum formas in Græcas mutarunt; itemque hypallagas, hyperbata, ſynchyſes, & diverſarum conſtructionum mixturas, quæ ratione ſyntaxeos videbantur σολοικίζειν & ἀκυρολογεῖν: reſecuerunt, quæ vel redundare videbantur, vel quorum 14.
differentiam non intelligebant; ſuppleverunt locutiones ſyllepticas, & ellipſes Græci ſermonis; transpoſuerunt hy- 15.
perbata, ſynchyſes, & generatim, quæ minus ordinata videbantur eſſe ratione tum dictionis, tum ipſius rei; mu- 17.
taverunt, omiſeruntve aliquando, quæ inconvenientem difficilemve, vel minus orthodoxum, fundere ſenſum, ac adeo lectoribus offendiculo fore, videbantur. *Conſilio* denique doloſo diverſa lectio orta eſt ab hæreticis, inter quos *Ebionæi*, *Marcionitæ*, *Valentiniani*, ſuas impuras manus in corrumpendis Codicibus malitioſe exercuerunt, quod ex ſingulis ſingulorum exemplis manifeſte oſtendi poteſt. Ab enarratis diverſarum lectionum cauſis ad *fontes* pergit Noſter, ex quibus varietates lectionis deſumuntur; quorum potiſſimum quinque afferuntur, *Codices* ſcilicet tum MSti, tum impreſſi; deinde *verſiones* veteres; tum *tractatores* & *Patres* eccleſiaſtici, Græci atque Latini; porro *Criticorum* conjecturæ & ſuſpiciones, ac deni-

 que

quæ *falſariorum*, qui textum ſacrum de induſtria corruperunt,
malus dolus. Ab ultimo hoc hominum peſſimo genere ini-
tium rei pertractandæ Noſter capit, & eam in rem hanc cau-
telam profert: *Varietatibus illis, quarum autores falſarii
fuerint, textum ſacrum doloſe ad placita ſua accommo-
dantes, niſi aliis autoritatibus & rationibus fulciantur, nullam*
Pag. 18. *omnino fidem habeto.* Altera cautela eſt: *Ne fidas meris Cri-
ticorum conjecturis & ſuſpicionibus, Codicum, verſionum, &
Patrum eccleſiæ, conſenſu deſtitutis*, utpote quæ, ſtricte loquen-
19. do, nec nomen merentur variarum lectionum. Hujus fari-
næ eſt *Scaligeri* ſuſpicio ad *Marc. IX, 49*, pro πᾶς γὰρ πυρὶ
ἁλισθήσεται legi jubentis πᾶσα γὰρ πυρία ἁλισθήσεται.
Quid de *L. M. Artemonio*, hoc eſt, *Sam. Crellio*, dicendum eſt,
textum qui *Joannis*, omnibus antiquitatis præſidiis deſtitutus,
ita detorſit, ut ex Θεὸς faceret Θεοῦ, & *Pauli* verba *Rom. IX, 5*,
profano auſu refingeret, ſcribens: ὧν ὁ ἐπὶ πάντων, Θεὸς, pro
20. ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεός. Quod deinde ad lectiones, ex Græco-
rum Patrum ſcriptis a *Millio* congeſtas, attinet, cavendum
eſt, *ne illis nimium fidei* habeamus, ubi dicta Novi Teſt.
per meram allegationem adducunt, *ſine epicriſi* de genuina
ſpuriave in allegatis locis lectione; inprimis ſi deſtituantur
21. *Codicum & verſionum conſenſu.* Exemplis ut res clarior fiat,
Irenæus adeſto, antiquiſſimis ex doctoribus ſcriptor eccleſiaſti-
cus Græcus, cujus quidem libri Latine tantum ſuperſtites adhuc
ſunt. Infert hic Noſter contra *Millium*, plerasque lectionum
Irenæarum non ipſius eſſe *Irenæi*, ſed veteris interpretis ejus
Latini. Patet exinde quoque, non ſolum interpretem *Irenæi*,
ſed ceteros quoque Patres Latinos, non ut diverſos ab Italica
verſione variarum lectionum teſtes, ſed ut unum tantum cum
illa, ſpectari debere; excepto tamen, ubi *Irenæus* in ipſo
contextu prodit, ſe in Codice ſuo Græco non aliter legiſſe,
quam interpretem Latinum. E. g. *Matth. I, 18*, pro τοῦ δὲ Ἰησοῦ
Χριστοῦ ἡ γέννησις, *Lib. III Cap. 18* legit: *Chriſti autem generatio.*
22. Idem *Irenæus*, quod & alii Patres facere ſolent, memoriter
S. S. loca excitavit ſæpe, indeque hic illicve aliqua omiſit.
Sic *Luc. VII, 35*, omiſit πάντων, *Lib. I Cap. 1 pag. 37*. Alia ad-
didit,

didit, mutavit alia, quorum uberrima hic exhibentur exempla. Præter tamen ea *Irenæus*, aliam lectionem of- Pag. 23.
ferens, certo id potuit facere conſilio, utpote verba quædam, intermedia inprimis, meri compendii cauſa omiſſurus, vel etiam vocabulorum interpunctionem ſecuturus. Nec omittendum hic eſſe videtur, lectiones *Irenæanas* non admodum tutas eſſe ideo, quia ipſe Pater, aut interpres ejus, in excitandis
S. S. locis a ſe ſubinde differunt. Sic *Lib. III Cap. 20 pag. 246* 24.
ex *Gal. III, 13*, Græc. γενόμενος ὑπὲρ ὑμῶν, id eſt, *pro vobis*,
ſed rectius habet Latin. *factus pro nobis.* Denique *Irenæana* 25.
lectiones vel ex eo capite parum ſinceræ dijudicantur, quia vetus ejus interpres dicta S. S. non ex Græcis *Irenæi* vertit, ſed ex Italica, ſeu vetere Vulgata, & quidem ubi hæc manifeſtis laborabat mendis, aut ſcholiis, ex margine in textum traductis, interpolata erat, cujus rei nonnulla hic afferuntur
exempla. V. g. ex *2 Theſſ. I, 6*, notatur, pro *retribulationem*, quod exempla habent edita, MStum Academiæ Halenſis habere *retributionem*, unde & *Veleſ.* ἀνταπόδοσιν. A Patrum ſcriptis ad verſiones Novi Teſt. maximeque veteres, ſive orientales, ſive occidentales, Celeberrimus progreditur Autor, ut ex orientalibus *Syriacam*, *Copticam*, *Arabicam*, *Æthiopicam*, *Armenicam*, *Perſicam*; ex occidentalibus vero *Latinam Vulgatam*,
Gothicam, *Anglo-Saxonicam*, & *Germanicam* veterem. Diverſæ, ex 27.
his collectæ, variæ lectiones utique valore & pretio illas ſuperant, quas Patrum ſcripta ſuppeditant; cedunt vero his, quas Græci, textum originalem referentes, afferunt. Cavendum hinc eſt, ne *lectiones Verſionum*, ſi ſolitariæ, nec Codicum Græcorum autoritatibus ſuffultæ, incedant, *lectionibus Codicum Græcorum æquipares, nedum anteponas.* Agnoverunt hoc ex Patribus eccleſiæ *Auguſtinus* & *Hieronymus*. Quin, ex ſententia ipſius *Juris Canonici Decret. pag. 1 Diſt. IX Cap. 6*, *ut veterum librorum ſides de Hebræis voluminibus examinan-*
da eſt, ita novorum Græci ſermonis normam deſiderat. Spe- 28.
ciatim cavendum eſt, ne, ubi *una tantum, aut altera verſionum*, teſtis variæ lectionis citatur, *reliquas putemus pro lectione recepta ſtare*, ſecundum illud: Qui tacet, conſentire videtur.

Nam

Nam collatio verſionum, pro variis lectionibus colligendis a
Millio & *Bengelio* facta, nimis manca eſt, ut *Marc. I, 10, 21,*
35, 43, 44, II, 4, 6, 9, 19, 21, & alibi paſſim, oſtendi poterit.
Nec variæ lectiones, ex verſionibus vulgo allatæ, omnes ſim-
pliciter & promiſcue tanquam certæ ſunt admittendæ; po-
tius verſiones ipſæ inſpiciendæ, &, num lectiones, ipſis contri-
Pag. 29. butas, vere habeant, ſunt recognoſcendæ. Quem errorem *Ben-
gelio* & *Millio* accidiſſe, ſubſtrata hic exempla Autoris large
docent. Hoc in loco etiam non temere eſt negligendum
diſcrimen inter verſiones Novi Teſt. *immediatas* & origi-
30. nales, & inter *mediatas*, ſeu verſionum verſiones. Obſerva-
tur hic, verſiones *Copticam* & *Syriacam* valde & inter ſe &
cum *Latina* congruere, ex ſententia Ven. *Bengelii*, at ita non
videri Autori, ſiquidem exempla, ad quæ ille provocaverat, id
non recte conficiant. Patet potius ex omnibus rerum mo-
mentis, *Syriacam* verſionem ex Codicibus Græcis eſſe fa-
ctam, non ex *Vulgata*, uti in manibus iſtam adhuc habemus.
32. Facile deinde Autor largitur, verſionem *Æthiopicam* variis in
locis eſſe interpolatam, & ad *Latinam* conformatam, ita ta-
men, ut iſtæ interpretationes ipſum interpretem Æthiopicum
Autorem non agnoſcant; ſed editores Romanos, & nullis in
libris quidem aliis, niſi in *Actibus Apoſtolorum.* Reliquis
voluminibus Novi Teſt. id non accidit; quod Noſter ita
confirmat, ut etiam dubitationes, hac ſuper re ex teſtimonio
34. *Ludolfi* & *Gregorii Habeſſini* ortas, removeat. Diſputatur de-
inde contra Ven. *Bengelium*, & *Æthiopicam* verſionem filiam
35. eſſe *Copticæ*, negatur; ſiquidem multæ, in *Æthiopica*
verſione obviæ, παρερμηνείαι in *Coptica* verſione non ex-
ſtent, ut videre exinde liceat, in Græco textu, perperam ſive
ſcripto, ſive lecto, ſive explicato, originem iſtorum παρερμη-
νειῶν eſſe quærendam. Quid, quod & exempla adſunt, omiſſio-
nes & additiones in utraque verſione diverſas indicantia. Ad
verſiones Novi Teſt. *Arabicas* quod attinet, verum eſt *Bengelii*
37. judicium, plures eſſe una. Ex impreſſis hodie editionibus
ſex poſſunt numerari, ordine hic recenſitæ, quarum *quinta* &
ſexta ab editoribus caſtigatæ, illa ad Latinam verſionem, hæc
ad

ad Græcum textum hodiernum, apparent. In his quidem notandum eſt, primam editionum iſtarum, *Romanam* ſcilicet, tertiam, *Pariſienſem*, & quartam *Polygl. Angl.* non pro diverſis, ſed pro una eademque, merito haberi, differre tamen ab his, quam ſecundo loco Autor poſuit, *Erpenianam* ſcilicet, quod ex adjectis exemplis unicuique patebit. In reliquis vero *Bengelio*, *Arabicas* verſiones ex *Æthiopica*, ex *Coptica*, ex *Syriaca* deductas perhiberi, ſed tamen Græcos Codices, parum vetuſtos, redolere, aſſerenti, non plane aſſentitur Noſter, dilucide exponens, quæ vel plane in hac opinione admitti nequeant, vel non ſine diſtinctione ac determinatione adhibita concedi poſſint. Negat idem, verſionem modo dictam *Arabicam latinizare*, quod *Simonius*, *Bengelius*, aliique, ſtatuant, ſi ſcilicet hoc idem eſt, quod e Latina vertere, aut ad illam refingere. Hujus enim rei ſuſpicio pro inani, quin pro falſa, habetur ab Autore. Ætatem tamen ambarum verſionum, quæ impreſſæ apud nos exſtant, *Arabicarum* definire non audet Noſter, comparate tantum *Erpenianam* pro antiquiore habens, ita nimirum, ut ſcriptio ejusdem Codicis in A. C. 1171 incidat, inter quam tamen, & verſionem ipſam, a *Nesjulamamo* factam, plures interceſſerunt ætates. Cum vero utraque, tum *Erpeniana*, tum *Bibl. Polygl.* verſio per totum Novi Teſt. diverſos habeat Autores; deinde non ex aliis verſionibus, ſed ex ipſo originali textu Græco, ſi exceperis in *Erpeniana* Epiſtolas & Apocalypſin, ejusque diverſis Codicibus, provenerint; tum vero antiquitatis non ſummæ quidem, nec tamen omnino ſpernendæ, ſint; debuerant ab his, qui varias lectiones Novi Teſtam. collegerunt, diſtingui, & ubi res ferebat, citari, ut diverſi ſive earundem, ſive diverſarum, lectionum teſtes, quod nec *Millius*, nec *Bengelius*, monuit, uti exempla probant. Cautionem etiam exigunt ſingularem variæ lectiones, ex verſionum orientalium non *originario* textu, ſed *Latinis* interpretationibus, collectæ. Iſtæ enim interpretationes ſunt vel ad *ſenſum* magis, quam ad *literas* & verba, comparatæ, vel ſuis ſubinde laborant *nævis*, ſive *omittendo*, quæ in originariæ verſionis textu erant, ſive aliter, ac fieri de-

Pag. 38. 39. 40. 41. 42. 43.

 buit,

buit, *interpretando*; vel denique *amphibolia* ſubjacent, niſi ad originarium verſionis textum exigantur. Hinc ſequuntur ex-
Pag. 44. empla, ſatis confirmantia, nec *Millium*, nec *Bengelium*, ſatis caute in fabricandis diverſis lectionibus fuiſſe verſatos, dum ex interpretationibus, non ex *Arabicis* literis, lectio-
46. nes ſuas interdum, prior quidem ſemper, petierint. Parum vero tutas eſſe varias iſtas lectiones circa literas & orthographiam; circa antimeriam & ſynonymiam, quin etiam circa omnia, quæ vocabulis accidunt, ex larga exemplorum meſſe,
51. ab Autore productorum, demonſtratur. Sciendum porro eſt, idiomata quædam eſſe ſive interpretis, ſive dialecti & linguæ; & hujus, tum ex qua, tum in quam, textus ſacer eſt transfuſus: quæ quidem veri nominis lectiones varias non faciunt. Exemplis hic prolatis ſuperſedemus recenſendis, ne lectorem curio-
54. ſum a ſcriptione lectu digniſſima avocemus. Poſtea docetur, idiomata linguæ originalis, ſeu textus ſacri, Novi Teſt. ab interpretibus inter vertendum prætermiſſa, variam lectionem
55. non inferre, e. g. *Matth. XXII, 16*, ὀ μέλει σοι περὶ ὀδενός, Vulgata: *non eſt tibi cura de aliquo*; ſed in parallelo *Marc. XII,*
56. *14*, laxius, *non curas quemquam*, ſcribitur. Pergit inde Autor ad idiomata linguæ, in quam textus ſacer a metaphraſtis verſus eſt, quæ non intellecta, aut minus attenta, ſpurias lectiones Novi Teſt. ex verſionibus pepererunt. Sunt nimirum vocabula quædam ab interpretibus aliter reddita, quam linguarum haud ſufficienter peritis videbatur fieri debuiſſe; unde interpretibus lectiones Græci textus, a noſtris diverſæ, attributæ ſunt: ut ἄγωμεν, *eamus*, *Marc. I, 38*, Syr. & Perſ. reddit: *ite*; Arab. P. & E. *ite nobiſcum*, ſeu, ut Latinus interpres perperam vertit, *ducite nos*. Hinc *Millius* variam lectionem cudit, ἄγετε: ignarus nempe idiomatis illarum gentium, quo in exhortationibus loco *Subjunctivi* ſæpe utuntur *Imperativo*. Hujusmodi, & his ſimilia, dantur, & excitantur, hic exempla
62. plurima. Pari ratione ad interpretamenta potius, quam ad varias lectiones, veri nominis ſcilicet, pertinere videtur, quando metaphraſtæ voces quasdam Græcas, vocumque ſyntaxes, per alias *æquipollentes*, aut certe *non admodum differentes*, ſive
63 - 70. claritatis cauſa, ſive ex ἀκριβείας defectu, reddiderunt. Sic nec

Digitized by Google

nec *ſuppleta* voces, in Græcis, vel per ellipſin omiſſæ, vel *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* repetendæ, vel per ſyllepſin ſubticendæ, & quæ ſunt hujus generis alia, ad veras lectiones diverſas referri videntur. Nec ipſæ verſiones ſine cenſura ſunt dimittendæ, hic illicve in mendo cubantes, ſaltem in aliquibus exemplorum, & ita quidem, ut aberrationum cauſam in verſionibus, ſi ad textum Græcum exigantur, reperire in proclivi ſit. Exempla ſuppe- Pag. 71.
ditat Summe Venerabilis Autor ex *Latina Vulgata*, itemque 72.
Syriaca, *Arabica Polyglott.* atque *Æthiopica* verſione. Cete- 73.
rum in dijudicandis, quæ ex verſionibus derivantur, variis le- 74.
ctionibus magnum utique momentum facit differentia illa verſionum, ſupra laudata. Hinc verſiones matres & filiæ, qua tales, ubi conveniunt invicem, non *duorum pluriumve ſuffragiorum jus habent*, ſed unius, aut ſimplicis; v. g. veteres illæ *Saxonica*, *Anglica*, *Germanica*, cum ex *Vulgata* ductæ fuerint, non poſſunt ut diverſi lectionum fontes conſiderari, ſed tantummodo ut unus cum *Vulgata*, ex qua ſua habent; pariterque ſe res habet de *Perſica IV* Evangeliorum, & de *Arabica Erpenii in Acta & Epiſtolas*, quarum tum hæc, tum illa, cum filia *Syriaca* ſit, a *Syriaca*, unde ſua duxit, ſeorſim in cenſum venire nequit, ſed conjunctim cum illa, ut unicus vel hujus, vel illius, lectionis teſtis eſt, quod quamplurimis rerum exemplis comprobatum datur. *Arabicam Er-* 76.
penii verſionem in libris Novi Teſt. ex *Syriaca* eſſe du- 77.
ctam, liquet ex ſingulariſſimis illis lectionibus, quas Arabica 78.
hæc cum ſola Syriaca communes habet, in nullo Codicum, ſive MStorum, ſive impreſſorum, repertis; itemque ex ſingu- 79.
lariſſimis interpretationibus, in quibus cum ſola conſpirat verſione *Syriaca*, & denique ex Syriaſmis, ab *Erpeniano Arabe* 80.
vel retentis, vel minus recte intellectis. Quodſi nunc contingat, vel matrem *Syram* a filia *Erpenio-Arabica*, vel hanc ab 81.
illa, diſcrepare, ea tunc lectionum erit procul dubio genuina, quæ Græcis libris conſonat, mendoſa vero & vitium paſſa, quæ a Græcis diſcedit. Inſuper Autori ſuſpectæ ſunt lectio- 83.
nes, quæ, unius tantum verſionis autoritate ſuffultæ, ſine omni & Codicum & reliquarum verſionum comitatu incedunt. Multo enim pronius eſt creditu, unum metaphraſten erraviſſe,

 aut

Digitized by Google

aut librariorum errore aliquid vitii paſſum fuiſſe, quam Codi-
ces & verſiones reliquas in univerſum. Hinc *Millius* præci-
piti nimis judicio, tum in variis lectionibus, tum in Prolego-
menis ad Novum Teſt. unius ſæpe verſionis autoritatem
Pag. 84. omnium & Codicum, & Verſionum, conſenſui prætulit. Tan-
85. dem ad *Evangeliſtaria* & *Lectionaria* deſcendit Cel. Autor, quo-
rum lectiones, quod & *Millius* recte præcepit, non ſine cau-
tela ſunt admittendæ; & ſecundo loco de *Codicibus Græco La-
tinis*, quos & latinizantes vocare juvat, diſſerit. Principem
horum locum obtinet *MStus Cantabrigienſis*, qui *Theodori
Bezæ* olim fuerat, Evangelia continens & Acta, Codex vetu-
87. ſtate ſua utique venerabilis. Amplam ejus *Millius* deſcri-
ptionem exhibet, quam excerptam Autor affert, ſub examen
88. vocans quasdam ejus, a *Millio* laudatas, lectiones, & doctiſſi-
91. mis animadverſionibus proſequens. Generatim adſtruitur, ſcri-
bas *Græco-Latinorum* Codicum præpoſtero ſtudio Græca La-
tinis accommodaſſe, quod multis ex *Cantabrigienſi* exemplis
ab Autore demonſtratur. Sic v. g. *Matth. XV, 11*, pro *κοινοῖ*, *com-
munem facit*, ſeu *polluit*, *κοινωνεῖ*, ex *Itala* vetere, repetit *commu-
nicat*, pro quo, ceu barbaro, in *Vulgata* hodierna eſt *coinqui-
nat*. Ejusdem quoque generis ſunt Codices *Claromontanus*
93. & *S. Germanenſis*; idemque aliqui ex *Stephanicis*, nec non
94. *Bœrnerianus*, & *Colbertinus 2 & 8*, ubi etiam quidam ex *Bar-
96. berianis* adhuc notandi ſunt. *Valeſianas* & *Græco-Latinorum*
Codicum lectiones ad Latinam verſionem eſſe accommoda-
100. tas, quia conſonant *Latinæ*, ubi hæc vel ſolitaria incedit, vel
in manifeſto mendo cubat, multis rerum teſtimoniis compro-
101. bat Autor. Affert præterea exempla, ubi Græca Latinis fue-
runt conformata, v. g. *φλαγελλῶν* pro *φραγελλῶν*, *λεπρῶσος*
102. pro *λεπρὸς*, & ſic reliqua. Iidem latinizantes ſequuntur *Vulga-
tum*, ubi hic ſive ex ignorantia ſtili hebraizantis, ſive alia qua-
103. que de cauſa, deviavit; quin etiam ex aliqua Latini interpre-
tis ambiguitate tertiam, ſed in nullo Græcorum Codicum ob-
104. viam, exſculpſerunt lectionem: ubi *Vulgatus* ad ſenſum ma-
gis, quam ad literarum apices, Græca verterat, Græca ſua La-
tinis conformarunt, relicta genuina Codicum Græcorum pæne
105. omnium lectione; transponunt, mutant, omittunt, addunt
cum

Digitized by Google

cum Vulgato; aliquando & genuina Græca retinent, & ſimul
ex Latinis Græce facta adjiciunt. Denique deprehendimus, Pag. 106.
diverſos diverſorum Codicum latinizantium librarios ea-
dem veteris interpretis Latina diverſis modis Græce expreſſiſ- 107.
ſe, probabili admodum argumento, eos Græca iſta, quæ Lati-
nis privative congruunt, non ex Græcis libris tranſcripſiſſe,
ſed ex Latinis vertiſſe. Quod ad ipſos *Codices pure* 108.
Græcos MStos attinet, in univerſum cavendum eſt, ne, ubi illo-
rum aliqui pro varia lectione citantur, reliquos omnes a tex-
tu ſtare putemus. Ad finem doctiſſimæ hujus Commen- 110.
tationis evincit Noſter tum argumentis, tum literarum 111.
exemplis, non adeo eſſe expeditam, quod alii ſtatuunt, Codi-
cis *Alexandrini* & Latinæ Verſionis conſenſionem, unam, bre-
viſſimam, certiſſimam, facillimam, decidendi rationem de va-
riis lectionibus per ſe ſubminiſtrare. Gratulabitur de criti-
co hoc ſpecimine orbis literatus Summe Venerabili Autori,
quem ut in hoc campo verſanti lectori nova planeque neceſ-
ſaria ſuppeditaſſe præſidia, unusquisque fatebitur bonus. Ce-
terum optamus, ut nobis propediem tam liceat eſſe felicibus,
ut promiſſas in Novum Teſt. annotationes a Ven. Autore, in
lucem editas, oculis animoque frui queamus.

Chriſtian Auguſt CRUSII, PHIL. P. P. zu Leipzig, Weg zur Gewißheit und Zuverläßigkeit der menſchlichen Erkänntniß.

id eſt,

CHRISTIANI AUGUSTI CRUSII, PHIL. P. P. Lipſ. Via ad cognitionem humanam certam atque aſſenſu dignam.

Lipſiæ, impenſis Gleditſchianis, 1747, 8.

Alph. 3 plag. 5.

Etſi ea fere conſuetudo hominum eſt, ut cogitando lubentius evagentur in res extra ſe poſitas, quam de mentis ipſius natura ſecum cogitent; non defuere tamen unquam

Digitized by Google

præclari ingenii & ſolidæ eruditionis viri, qui in exploranda & penitus cognoſcendæ tam nobili, tamque multiformiter operoſa mentis humanæ vi operam ſuam ſtudiumque collocarunt. Neque enim fieri poterat, quin eorum conſilium confirmaret inſignis rei utilitas, cum facile intelligatur, hunc ipſum eſſe peſſimum fontem errorum, hanc veram cauſam, cur male utantur homines divina illa naturæ ſuæ parte, quod nec ſatis cognitam atque perſpectam habeant internam rationis vim, nec ad actiones ejus animum attendant. Quodſi recte ea utaris & ſic, ut natura ipſius fert, legesque jubent, ad quas a Deo adſtricta eſt, erroris profecto genitrix non erit, ſed aut magiſtra veri, aut certe fida comes & admonitrix,

- - purgatam crebro quæ perſonet aurem,

ſi quid adhuc parum certi, aut aſſenſu digni, in rebus lateat, ut ne judicium præcipites, ſed ſuſpenſus hæreas, & vel, quæ dubia ſint, in medio relinquas, vel majore animi contentione perſequaris. Logicam dixerunt illam perficiendæ rationis artem, quam, qui & humanæ mentis vires explicare ſubtilius, & ipſas veri videndi vias ita aperire, cupiunt, ut nec aliis ludibrium debeant, nec ipſos operæ pœniteat, non tam facilem, aut expeditam, quam minus acutis videri poterat, experiuntur. Licet enim in promtu &, ut ita dicamus, domi ſit ſuum cuique ingenium, nec, quæ natura, quæ vires, ejus ſint, exploraturus, tanto apparatu, totve quaſi impedimentis, egeat, quot quantisque opus eſt in phyſicis contemplationibus; verum tamen cum multiformes nimium efficientiæ ingenii humani ſunt, tum mirabiliter difficiles ad diſcernendum; quippe facilius eſt in alia omnia mentis aciem dirigere, quam in ſe ipſam reflectere & habere defixam. Adeo mens hominis, quæ omnia videt, ſe ipſam ægre videt, &, cum cœlum ipſum ſolertia petat, & ipſa ſidera lumine ſuo colluſtret, quin & negata ſæpe tentet iter via, ad naturam ſuam accuratius perſpiciendam aut hebes eſt & vecors, aut egregiis difficultatibus obſeptam viam videt ac refugit. Quod cum ita ſit, actum agere non putemus, nec in tanta Syſtematum logicorum,

rum, quibus vere nunc premitur orbis eruditus, copia abſterreamus a ſcribendo eos, qui poſt doctiſſimorum hominum curas, labores, vigilias, ſua quoque opera ſcriptisque illuſtrandam ſibi ſumunt abſtruſam illam & reconditam de humanæ mentis viribus & cognoſcendi veri modis ſcientiam. Quin potius excipiamus libenter, & commendemus hominibus, novos hujus generis libros, idque eo magis, ſi credibile ſit, ſubtilitatis quantum ſatis eſt acuminisque, nec vulgarem in penitus perſpicienda veri &, quæ veri indagatrix eſt, rationis humanæ natura vim & aſſiduitatem ad illud negotium attuliſſe eorum autores, neque ex aliorum ſexcentis libris novum feciſſe, corraſis undique omnibus, & mutatis tantum ordine &, quæ dicunt, artis vocabulis, aut ad ſummum adjectis difficilioribus quibusdam nugis. Talem eruditis ſpem affirmant Autoris, cujus nunc proponimus novum ſyſtema logicum, præclara ſcripta, alia ad doctrinam morum & Metaphyſicam pertinentia, quibus huc usque in lucem emiſſis inſignem ſibi laudem famamque peperit. Factum inde quoque eſt, ut acutiſſimus vir & privatis & publicis cohortationibus ad elaborandum ſyſtema logicum excitatus ſit, quippe qui in ſuperioribus illis libris egregia documenta ingenii ſubtilis & in logicis multum exercitati ediderat, ſpemque inprimis excitarat eruditis hominibus, fore, ut ipſius opera tandem illa diu multumque deſiderata Logica probabilium ita condere tur, & ſic ornata in lucem conſpectumque hominum prodiret, ut & acutiſſimorum ferre oculos, &, quem inde exſpectant in omni re literaria, uſum præſtare, poſſet. Nec fruſtrari eos ſpem iſtam paſſus eſt Vir Clariſſ. quem potius exſpectationem ipſam eruditorum ſuperaſſe novo hoc, de quo dicimus, magni ingenii monumento arbitramur.

Viſum vero eſt Celeb. Autori, cum doctrina de cognoſcendi veri via, quam ſolam proprie Logicam dicunt, *νοολογίαν*, ſive ipſam de viribus intellectus humani theoriam, conjungere, præmiſſo introitu *de Philoſophia in univerſum*, in quo quidem &, quo ordine ac nexu cohæreant ſcientiæ mathematicæ ac philoſophicæ, docetur, & vocabula artis, quibus varia cogitationum genera in ſcientiis obvia notamus, exponuntur,

tur, ut Philoſophia initiati mature aſſueſiant iis ubique agnoſcendis & dijudicandis, etiam non adjectis nominibus more Mathematicorum, ſatis illo quidem tædii habente, præſertim ſi adhibeatur alieno loco. Sed non hæreamus in ipſo limine, id unum ſi adjecerimus, Philoſophiam, de cujus ipſa notione parum convenit inter Philoſophos, *Cruſio* videri complexum veritatum rationis perpetuarum, id eſt, earum, quarum objectum perenne ſit & in mundo conſtans. Quare & ad Philoſophiam refert cognitionem hiſtoricam rerum ſingularum, quæ per omne ævum mundi perdurant, & tropicum dicendi genus eſſe putat, ſi cognitio rationum rei *cognitio philoſophica* vocetur, & diſcernatur ab *hiſtorica*, propterea quod rationum, quibus res contineantur, indagatrix, quoad ejus fieri poteſt, Philoſophia ſit, & ad indagandas eas tum viam monſtret, tum neceſſaria ſubſidia miniſtret.

Dum vero propius accedimus ad ipſum opus propoſitum, in *duas Partes* diſtinctum illud invenimus, quarum altera *theoretica* eſt, altera *practica*. Illa, major quidem altera, in explicandis principiis poſita eſt, quibus omnis cognito veri efficitur; hæc, quæ practica dicitur, de eo præcipit, qua ratione, quibusque artibus, vires & actiones mentis ad cognitionem veri, tanquam ad ſcopum, quam fieri poſſit, commodiſſime dirigi debeant.

Itaque & ſigillatim de utraque *Parte* dicamus. *Prior* illa theoretica de *viribus* humanæ mentis, de tribus ejus, quas vulgo dicunt, *operationibus*, atque de eo, exponit, in quo inſit id, quod *certum* habetur in agnoſcendo vero. *Virium* humanæ mentis *duplex* claſſis conſtituitur. Ad *priorem* referuntur vires *primi generis*, ſive *principales*, nominatim *ſenſio*, tum *externa*, tum *interna*, ſive *conſcientia*, *memoria*, vis cogitando ideas ſecernendi ab ideis, ſeu, ut dicitur, vis abſtrahendi, ex qua, ſi accedat ſenſus internus, *judicium* exiſtit, denique *ingenium*. Vires *ſecundi generis*, ſeu *derivatiive* ſunt primum *reminiſcentia*, deinde *imaginatio*, tum *facultas idearum determinativa*, id eſt, ea vis, quæ notiones antea indeterminate informatas determinationibus ſuis replet, ideoque eas ulterius effingit ac perficit, denique *vis ratiocinandi*. In exponenda

nenda natura ſenſionis deſtructum it Autor *ſyſtema cauſarum occaſionalium* pariter ac *præſtabilitæ harmoniæ.* Hanc quidem tot tamque firmis rationibus, in certas claſſes deſcriptis, oppugnat, ut nunquam ea majorem vim experta videatur. Confectis autem his duabus hypotheſibus, ſyſtema *nexus phyſici*, ſeu veri & realis commercii inter animum & corpus, approbat, viamque præit ad illud explicandum, neceſſe quidem eſſe negans, ut in explicando, omninoque expediendo, eo deſudet, cui nimis id abditum videatur. Ceterum, quid in hoc genere acumen ingenii efficere poſſit, ipſe videtur expertus, modumque illius veri commercii inter utramque hominis partem ita docet, ut aſſenſum facile impetrare poſſit apud eos, quibus mens acuta ſatis eſt ad complectendas animo, penitusque perſpiciendas, rationes ejus, ex ſummis Phyſices ac Metaphyſices principiis repetitas. Difficile eſt pro his anguſtiis, quibus premimur, paucis mentem Autoris ſatis clare ac perſpicue exponere. Tamen hæc habeat eruditus Lector. Primum ex notione ſpiritus finiti efficit, *non repugnare naturæ intelligenti*, quod *moveri* poſſit, ſed potius id ipſum, ſi ex rerum finitarum numero ſit, neceſſum eſſe; deinde, cum in contemplandis rebus naturalibus tandem alicubi ſubſiſtendum ſit in legibus actionum & conſecutionum cauſalium, hanc a Deo legem eſſe factam ſumit, ut *motus ſubſtantiæ* ſpirituum finitorum & *internæ vires* naturæ intelligentis *ad ſe invicem* tanquam *ad conditiones* ſuas alligatæ ſint & adſtrictæ, ita quidem, ut, ſimul ac certi motus ſubſtantiæ extrinſecus efficiantur, his ipſis efficientiæ certarum virium naturæ intelligentis reſpondeant, quæ quidem vires rerum imagines ipſas, aut in ſe jam ante abditas & quaſi reconditas, contineant, & tantummodo excitentur ad eas producendas & repræſentandas animo, aut nunc demum vi naturæ ſuæ intelligentis efficiant atque effingant. Ita & inverſa vice comparatum eſſe, ut, ſi certæ efficientiæ naturæ intelligentis propriæ debito gradu vividitatis exiſtere debeant, id aliter fieri non poſſit, niſi ea lege, ut ſimul ipſa ſpiritus ſubſtantia vi quadam ſua interna ſe in motum det, unde & id, quod motum iſtum aut juvet, aut ſufflaminet, efficientiam ipſam quoque animi, cui

reſpondeat iſte motus, aut faciliter, aut impediat, quamvis immediate vim inferre nequeat naturæ intelligenti animi. His igitur tanquam fundamentis poſitis, *modum* ipſum hunc proponit Autor, qua ratione in percipiendis rerum imaginibus ſtatus animi & corporis ſibi invicem reſpondeant. *Senſiones externæ* omnino & *poſitive* ad corporis conditionem adſtrictæ ſunt, tum quod exiſtant in animo, tum quod ſic, vel aliter, comparatæ ſint, ſeu tum qua exiſtentiam, tum qua indolem, ſive qualitatem. Organorum ſenſus enim ope certi motus ſubſtantiæ animi fiant, neceſſe eſt, quos conditionum loco eſſe voluit Deus, quæ ſimul adſint, certæ ac definitæ vires animi excitantur, & actuoſæ fiunt, hasque Autor veram cauſam efficientem conſtituit idearum, motibus illis, ſubſtantiæ animi impreſſis, reſpondentium, quare & leges ſenſionis ipſas contingentes & arbitrarias eſſe exiſtimat, fierique poſſe affirmat, ut in aliis ſpiritibus aliter a Deo conſtitutæ ſint, forſan & breviores perfectioresque, quam in hominibus, factæ. *Internæ* autem *ſenſiones*, per quas eorum, quæ in animo ipſo fiunt, conſcii nobis reddimur, non omnino, ſed tantum *negative*, teſte experientia, ad conditionem corporis ſe conformant. Scilicet qua exiſtentiam ſolam hæ a corporis ſtatu pendent eatenus, ut pro conditione ejus impediri ipſæ, nec non majori minorive gradu admitti, poſſint. Qualitas vero, ſeu indoles & conditio, earum ipſa non conditioni corporis reſpondet, aut conformis eſt, ſed interno cuidam principio ſoli, nimirum indoli mutationis ſpiritualis ipſius, quæ in iis animo objicitur intuenda, & ad ejus conſcientiam perfertur. Hæc qua ratione fiant, ut Autor explicare poſſit, internam animi vim activam, & ejus actiones ipſas, ad certos ſubjecti ſui motus adſtrictas eſſe a Deo, ſumit, ita ut ad hos ſimul efficiendos neceſſitate quadam naturæ ſuæ animus feratur, ſi hoc, vel illo, modo actuoſus eſſe velit, jaceat, & victa ſua vi actuoſus eſſe nequeat, quatenus & quamdiu motus illi ob nimiam ſpirituum animalium reſiſtentiam ſufflaminentur. Hæc fere mens Autoris eſt, hæc ſunt cogitata ab eo ſatis, ut nobis quidem videtur, acute & ſubtiliter de intercedente inter animum & corpus humanum commercio, ex

quibus

Digitized by Google

quibus veluti prono alveo derivare eum videas omnes eas utriusque colligationes, quibus materialiſtæ, quos dicunt, abutuntur ad evincendum, materiam eſſe animum, aut non eſſe peculiarem ſubſtantiam, ſed in ipſo motu ineſſe, eundem creſcere & interire, ægrotare & recte valere ſimul cum corpore, quibus rebus mirum quantum efficere ſibi videntur ad infirmandas eas rationes, quibus cogitur, longe aliud eſſe cogitare & velle, quam moveri, nec omnino fieri poſſe, ut ex ſolo motu, tanquam ex idonea cauſa, exiſtat id, quod cogitare & velle dicimus. Memoriam ingeniumque decreſcere cum annis, idem negat, & eorum, quæ de iſtis animi viribus experientia docere videtur, rationem reddit hanc, quod impedita earum efficientia, quæ ipſa cauſa eſt illius præconceptæ opinionis de decremento virium ipſarum, ab aſſidua nimiaque aſſuefactione ad diſcernendas mente ideas, & a mutato ſenſus interni gradu, quem ex parte a corporis conditione & habitu pendere docuerat, repetenda ſit.

Excipit hanc de humanæ mentis viribus doctrinam ipſa eorum theoria, quæ propria ſunt Logicæ, exhibenturque ſinguli loci de *notionum differentia & relationibus*, de *notionum perfectionibus*, de *notionum uſu*, ac de *terminis*, de *enuntiationibus*, de *primis ratiocinationum generibus*, de eo, quod *probabile* eſt, denique de *certitudine & aſſenſu*. Quæ dum perluſtramus paulo accuratius, copia rerum & præſtantia obruimur. Non ſexcenties dicta, ſed pleraque recens inventa, & in pulcherrimum ordinem redacta, reperiſſe nobis hic videmur. Sed id ipſum revocat nos a perpetua eorum enarratione, nimis manca & ad plenius intelligendam Autoris mentem difficili futura in horum Commentariorum anguſtiis. Juvat ubique rerum, ab Autore traditarum, pulcherrimum conſenſum admirari cum iis, quæ de mentis noſtræ efficientiis experientia rerum optima magiſtra docet, ut adeo cavillari nemo debeat difficiles nugas, quæ de rebus ſubtiliſſimis miro acumine excogitata, ſingularique arte & ſolertia inter ſe apta & quaſi concatenata, exhibentur exercitati

 lecto-

Digitized by Google

lectoris oculo. Hæc ne quis temere dicta putet, ſatis habebimus, ſi ſaltem ſpeciminis loco doctrinam Autoris de *probabilitate* breviter delineatam propoſuerimus, quæ an eruditorum diuturnam ſitim reſtingnere poſſit, judicium Lectoris eſto.

Materia probabilitati ſubjecta ſunt enunciata, quæ nec tanquam vera demonſtrari poſſunt, nec tanquam aliena a vero juſta demonſtratione rejici, aut quæ ſaltem pro tempore non aliter ſpectantur. Dicuntur ea Autori *poſſibilitates logicæ.* Ipſa autem *probabilitas* cernitur in ea propoſitionis ad contradictorie oppoſitam relatione, per quam poſitam illa minus ſumitur ſine demonſtratione, quam poſita hac. Propoſitionem contradictorie oppoſitam dicit, quæ aliam propoſitionem indeterminate negat, ita ut prorſus non definiatur, utrum nihil omnino veri inſit propoſitioni, an falſum vero admixtum ſit, ſed ſimpliciter ajente altera hæc neget, ajens, ſi neget altera. *Fundamenta aſſenſus*, quem propoſitionibus probabilibus tribuimus, aut tribuere debemus, repetuntur partim ab *intellectu*, & inſunt in quibusdam criteriis logicis, ex quibus in univerſum judicari poteſt, cum quonam enuntiato plus minusve ſumatur ſine demonſtratione, quam cum ejus propoſitione contradictoria; partim fundamenta iſta ducuntur a *nexu* rei *cum finibus*, quos obtinere aut cupias, aut cupere debeas. *Summum principium* omnis probabilitatis, quantum ejus ab intellegentia ducitur, tanquam priore fonte aſſenſus probabilitati debiti, *duabus regulis ratiocinandi* nititur, quarum *prior* eſt, inter duo contradictorie oppoſita ſemper alterutrum eſſe verum, alterum vero falſum; *poſterior*, nullam propoſitionem rationi convenienter pro vera accipi poſſe, niſi ob aliquod principium cognoſcendi. Inde enim ſummum probabilitatis principium ipſum conſequitur, *inter duas poſſibilitates logicas contradictorie oppoſitas rationem jubere potius illam accipere pro vera, ubi pauciora ſumantur ſine idonea ratione.* Numerare, & calculo complecti, ſingulas partes eorum, quæ pro aliqua propoſitione afferri poſſunt, ad probabilitatem ei conciliandam nihil attinet, tum quod arbitrio numerantis nimium relinquitur, tum quod aliud momen-

mentum alio majus habere pondus poteſt. Hinc indaganda ſunt criteria logica generalia ad judicandum, in quibusnam enuntiatis plus ſine probatione ſumatur, quam in propoſitione cujusque contradictoria. Quæ criteria ſi aut ignorentur, aut male uſurpentur, & opinio quædam probabilior judicetur non aliam ob cauſam, quam quod magis arrideat ob facilitatem & aſſuefactionem, *probabilitas ſubjectiva*, ſeu *apparens*, oritur, cavenda eo magis, quo uſitatior eſt ejus fraus. Quamobrem *probabilitatis veræ ſex fontes* Autor conſtituit. *Primus* eſt, ut perpendas, *quid pluribus modis poſſibile ſit*; id ipſum enim eſſe probabilius. *Alter* fons eſt, ut animum attendas, & tecum cogites, *quo ſumto aliquot circumſtantiæ fortuito cum convenientia concurriſſe* dicendum ſit; namque id eſſe minus probabile. *Tertius*, ut videas, *quænam poſſibilitas magis realis ſit*, eamque ipſam alteri præferendam judices. *Quartus*, ut *analogiam*, huc usque obſervatam, ſequaris, unde genus quoddam probabilitatis exiſtit, maximi illud quidem uſus, ſed plures cautiones habens, quam quæ enarrari a nobis queant, eo diligentius ab Autore propoſitas, quo plus fraudis neglectis iis committitur præſertim in phyſicis. *Quintus*, ut obſerves, *ubi aliquid cum indole rerum & cauſis jam cognitis pugnet*, ita ut, cauſas illas per cauſas extraordinarias impeditas fuiſſe, dicendum ſit, ſi illud, de quo quæritur, evenire debuiſſet; nam id minus probabile eſt. Denique *ſextus* fons eſt *convenientia hypotheſis cum phænomenis*. *Phænomenon* dicit Autor, quicquid poſſibili nexu cauſali cum hypotheſi cohæret, ita ut tanquam *poſſibilis cauſa*, *effectus*, *medium*, *finis*, vel *ſignum* eorum, quæ in hypotheſi ſumuntur, ſpectari poſſit. Dividuntur autem phænomena in *nuda*, quæ tantum cum hypotheſi nexu cauſali poſſibili continentur, & quatenus ita ſpectantur, & *harmonica*, quæ inter ſe ipſa quoque conſpirant, ita ut ex aliis rationibus oriretur aliquid minus probabile, niſi ex una eademque hypotheſi derivarentur. Phænomenorum *pondus* deinde accurate expenditur, &, quomodo infirmari, qua ratione robur externum & accidentale nanciſci, queant, nec non uti computari debeant, commonſtratur, doceturque, quæ

Digitized by Google

ſit natura & indoles *hypotheſis ſubſidiariæ*, & quid ea effectum det, quantum aut adjumenti afferat, aut infirmitatis conciliet hypotheſi ſubjectæ, diſcernenda quidem ab eo, quod pars eſt hypotheſeos ipſius. Ceterum, cum quinque priores fontes ad ſingulas res non magis applicari poſſint, quam ad enuntiata generalia, quorum inde probabilitas in univerſum efficitur, & ex quibus poſtea per legem ſubſumtionis rurſus judicari queat de aliis propoſitionibus, ſintne probabiles, nec ne, quod quidem genus enuntiatorum *præſumtiones* dicere ſolemus; tres omnino claſſes probabilitatis Autor conſtituit, *probabilitatem præſumtionis*, *convenientiæ phænomenorum*, & *mixtam*. Propterea præſumtiones ipſas ordine & ſecundum claſſes exhibet, & majoris commoditatis cauſa, non repetens laureolam a fingendis ſic temere novis vocabulis, nomine ſuo quamque vocat, ut ſunt aliæ præſumtiones *raritatis*, aliæ *mirabilitatis*, item *non exiſtentiæ*, *repugnantiæ*, *analogiæ*, *deficientis cauſæ*, *deficientium virium in data cauſa*, *autoritatis*, & quæ ſunt reliquæ. Adhæc *colliſionum* quoque tradit *regulas*, ex quibus judicium fieri decernique poſſit, ſi pro duabus ſententiis pugnantibus aliæ atque aliæ præſumtiones militent, atque pugnent ipſæ inter ſe. Docetur item ſolide, ut genus quoddam *probabilitatis inſignioris*, aut *immenſæ*, aſſenſum animo extorqueat, pariatque *certitudinem*, quam vocant, *moralem* ex rationum, quæ pro ſententia quadam afferri poſſunt, cumulo, ſingulis momento, quod pro ſe quævis faciat, animum inclinantibus, juncta vero vi ad ſuas partes omnino trahentibus. Cujus generis cognitio vim majorem ſæpe infert animo, pluſque effectum dat, quam ipſa demonſtratio, propterea quod infirmitatis humanæ conſcii judiciis noſtris ipſi diffidimus, veremurque, ne quid in ratiocinando peccatum ſit, atque adeo vis omnis demonſtrationis pereat, quam perire ſcimus per naturam demonſtrationis, ſi vel unica propoſitio, aut ſumta ſine ratione idonea, aut omnino falſa, irrepſerit. Ab iſto metu nos liberat & ſecuros eſſe jubet genus illud probabilitatis,

Digitized by Google

litatis, quod certitudinem moralem gignere diximus. Finge enim, plura eſſe in eo peccata. Salva manent reliqua, vimque ſatis magnam habere poſſunt ad aſſenſum rationi conſentaneum eliciendum, aut imperandum. Quid? quod fere in judiciis difficilioribus demonſtratione ipſa ante non confidimus, quam, re ſæpius aut eadem, aut pluribus viis, tentata, ſi ad idem concluſum pervenerimus, ob id ipſum probabile amplius non ſit; erroris quidquam eſſe admiſſum in nectendis concluſionibus. Quamobrem multum diſcriminis intercedere contendit Autor inter propoſitionem *probabilem* & eam, quæ *probabilitatis via* cognita & confirmata ſit, quoniam hæc certitudinem habere queat, cujus generis pleraque enuntiata in vita communi eſſe oporteat. Accedunt autem, ut ſupra dictum eſt, ad vim probabilitatis præter judicia iſta, ut ſic dicamus, theoretica momenta illa, quæ novum ei pondus addunt, & inſunt in *nexu* rei cum *certis finibus*. Hic primum Autor neceſſitatem cognitionis probabilis confirmat, omninoque, carere ea poſſe mentem finitam, negat. Deinde docet ulterius, *quomodo rei probabili novum accedere pondus queat* tum *a nexu cum finibus prudentiæ*, ſi nimirum hæc ſit unica, aut tutiſſima, via, qua incedas neceſſe ſit, niſi voto tuo ipſe excidere volueris, tum *a nexu cum obligatione legis*, ſi ex duabus rebus, quarum altera legi conſentanea videatur, altera repugnans, eligendum ſit id, quod magis probabile ſit, cum neutram ſequi, ſeu medium eſſe inter utramque, jam non detur. Satis *tuta* quoque *extra mentem* eſſe quædam genera, & certos gradus probabilitatis, idem contendit ac demonſtrat, &, quænam ea ſint, accurate docet.

Verum, ne extra oleas vagemur, figamus pedem hic, quo delati ſumus, dum viam fefellit ipſa rei ſuavitas in enarranda probabilitatis doctrina, ab Autore propoſita, egregia illa ſane, & ad uſum eruditorum vitæque humanæ tandem accommodata. Quanquam, ſi quid in eo peccavimus, pœnitere ejus non magnopere nos debet. Plus enim & utilitatis & voluptatis ſpondere poſſumus Lectori, ſi opus ipſum perluſtrare voluerit, cujus tantum ſumma quædam capita perſtrin-

ſtringere viſum fuit. Quod igitur ad alteram ejus partem attinet, *practicam* nimirum, rebus pulcherrimis magnaque ex parte novis æque refertam, quo inprimis egregius locus de *definitionibus*, nec non de *methodo*, referendus eſſe videtur, ſufficiat in præſenti ſaltem titulos Capitum exhibere hoc, quo ſe excipiunt, ordine: Cap. I de *morbis intellectus*, Cap. II de *Experientia*, Cap. III de *definitionibus*, Cap. IV de *diviſionibus*, Cap. V de *judicandis propoſitionibus*, Cap. VI de *probationibus*, Cap. VII de *arte cogitandi* ac *methodo*, Cap. VIII de *probabilitate hiſtorica*, Cap. IX de *interpretatione*. Agmen claudit rerum præcipuarum index.

INSTITUTIONUM PHILOSOPHIÆ MECHANICÆ experimentalis Specimen. Prælectio, habita ab JOANNE POLENO V Cal. Dec. MDCCXL, cum novum theatrum pro experimentali Philoſophia in Patavino Gymnaſio dedicaretur.

Patavii, typis Seminarii, 1741, 4.

Plag. 6.

Ex ipſo titulo haud obſcure colligitur, prælectionem hanc a Cel. *Poleno* habitam loco Orationis inauguralis, cum munus docendi Philoſophiam experimentalem, & experimenta inſtituendi, ipſi demandatum fuiſſet, conſtructo theatro publico, eodemque inſtrumentis neceſſariis inſtructo. Ad tria autem capita redeunt, de quibus hic agitur. Primo oſtenditur, quomodo Philoſophus ſemet ipſum aptum reddere debeat ad Philoſophiam experimentalem utiliter tradendam. Explicata igitur experimentorum definitione, docet, quamnam operam dare debeat Phyſicæ ac Matheſi, quinam ſint Autores, rem experimentalem illuſtrantes, quos conſulere debet, quanam exercitatione in operibus mechanicis opus habeat, & quanam cura pro conſtruendis machinis. Secundo loco tradit ea, quæ Philoſopho in experimentis inſtituendis obſervanda ſunt, ubi verba facit de ratione perquirendi modum & ordinem, ut recte ad ſcientiam comparandam experimenta unum poſt aliud digerantur, quæ in experimentis re ipſa inſtituendis ſint attendenda, qua attentione obſervanda, quæ ſeſe offerunt, & ſermone perſpicuo declaranda. Tertio denique Philoſophum inſtruit, quomodo, experimentis jam confectis, inde colligere debeat, quæ ad Phyſicam atque Matheſin juvandam proſunt. De ſingulis non minus erudite, quam ſolide, pro more ſuo, diſſerit Cel. Autor, ut ideo prælectio hæc legi mereatur ab omnibus, qui ad Philoſophiam experimentalem ſive addiſcendam, ſive aliis tradendam, animum appellunt.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXLVIII.

FRANCISCI GODWINI, PRIMO LANdauenſis, dein Herefordenſis, Epiſcopi, de Præſulibus Angliæ Commentarius, omnium Epiſcoporum, nec non & Cardinalium ejusdem gentis, nomina, tempora, ſeriem, atque actiones, maxime memorabiles, ab ultima antiquitate repetita, complexus. Ad ſidem monumentorum in Archivis regiis Lamethanis, &c. recognovit, plurimis in locis, adjectis annotationibus, ad veritatem reduxit, & perpetua demum ſerie ad præſens usque Seculum continuavit, GUL. RICHARDSON, S. T. P. Coll. Emman. Cant. Magiſter, & Eccleſ. Lincoln. Canonicus.

Cantabrigiæ, typis Academicis excudebat Joſeph. Bentham; proſtant venales apud J. & P. Knapton & Car. Bathurst Londini, W. Thurlbourn Cantabrigiæ, & Jacobum Fletcher Oxoniæ, 1743, fol. maj.

Alph. 9 plag. 9½.

Ab antiquioribus inde temporibus Britannia Chriſti doctrinam admiſit, de qua non præter meritum pronuntiavit *Sabellicus*, *omnium provinciarum primam Britanniam publicitus Chriſti nomen recepiſſe*, ac inde

titulum *Eccleſiæ primogenitæ* ſibi non ſine ratione vindicat. Id etiam eſt dicendum, ab omni ævo inter Britannos exſtitiſſe viros, qui & doctrinæ puritatem conſervare, & illam vitæ ſanctitate ornare, ſtrenue ſunt annifi. Operæ igitur eſt pretium, notitiam habere illorum, per quos religio Chriſtiana in Britannis maxime ſtetit; ex quibus cum præ aliis emineant Epiſcopi, horum ſeriem contexere, ac res memoratu dignas, quantum per diuturnitatem temporis licuit, victuris chartis committere, viſum eſt venerando admodum *Godwino* ante Seculum, & quod excurrit, beatis cœlitibus adſcripto. Rudimentum operis patrio ſermone comparuit A. 1610, cujus cum A. 1615 nova editio paranda eſſet, priorem non ſolum diligenter recognovit, verum etiam multa de novo addidit, ut hinc Catalogi Epiſcoporum perfectiores longe exhibeantur; ſed illa tam mendoſe eſt exſcripta, ut pro ſuo fœtu eam agnoſcere fere non poſſet. Quare, ut huic malo mederetur, & ſimul amicorum adhortationibus morem gereret, opus hoc in Latinum convertit ſermonem, omnemque induſtriam adhibuit, quo accuratius imprimeretur. Prodiit editio A. 1616, 4, eandemque *Jacobo I*, Britanniæ Regi, inſcripſit. Aliquando nuda tantum appoſuit nomina, quoniam monumentorum defectu laborabat, de præſulibus ſui temporis parcius locutus, ratus, illorum virtutes & ſcripta plura loqui, & ne, ſi prolixius in illis laudandis occuparetur, auram illorum captare judicaretur, vel, ſi non æque laudaviſſet, aut illorum actiones aliquas reprehendiſſet, illorum, vel ſanguine conjunctorum, atque amicorum, odium incurreret. Equidem faventibus eruditorum judiciis exceptum eſt opus; cenſuit tamen *Whartonus*, Vir doctiſſimus, ipſum magis de ſtili nitore, quam de rerum geſtarum temporumque certitudine, ſollicitum, Autorum nomina, quos ſequatur, non appoſuiſſe, quin & ſæpius data opera diſſimulaſſe, in temporum rationibus deſignandis negligenter admodum verſatum eſſe. Vid. Supplementa B. *Schmidii* ad Introd. in Hiſtor. Eccleſ. *Sagittarii Vol. II pag. 401, 402.* Opus hoc, diu admodum neglectum, cum ad decus & gloriam Eccleſiæ Anglicanæ plurimum faceret, multo ſtudio recognitum, & inſignibus acceſſioni-

ſionibus locupletatum, *Gulielmus Richardſonus* iteratis typis exſcribendum curavit, idemque munere & meritis illuſtriſſimo Cantuarienſium Præſuli, *Joanni Pottero*, dicavit. In Præfatione multa in defenſionem *Godwini* affert, defuiſſe ipſi, ſcribens, antiquiorum temporum monumenta, tabulas atque commentarios, in templis aſſervatos, temporum edacitate, vel bellorum civilium ſævitia, fuiſſe abſumtos, &, ſi quidem ſcriptores circumſpexerit, incidiſſe in monachos, qui hiſtorias non ex rei veritate literis conſignarint, ſed, quicquid fando audiverint, nullo judicio adhibito, in chartam conjecerint. Adhæc, multa ipſi dubia circa Chronologiam occurriſſe, memorat, cum non omnes ſcriptores ab eodem termino anni primordia ducant. Ne igitur idem de præſenti editione dici poſſit, quod de ſuperiori *Whartonus*, Rev. Editor Scriptorum teſtimonia, quorum fide narratio nititur, adjecit, &, ne illis error aliquis irreperet, ipſos illos Scriptores evolvit. Textum quidem editionis anni 1616 eſt ſecutus, ſed quædam addidit, immutavit, vel, quod ad ordinem, tranſpoſuit, quæ, ut ab reliquis dignoſci poſſent, certis quibusdam indiciis ſignificavit. Rerum geſtarum ordinem chronologicum in margine appoſuit, qui, ubi ab edito exemplari diſcrepat, aſteriſco notatur, ubi autem de novo adſcribitur, pariter certo ſigno indicatur. Errores, qui admiſſi erant, ut tolleret, tabulata ſedium Epiſcopalium & commentarios in templis ſuperſtites conſuluit; viri etiam quidam eruditi liberaliter cum ipſo multas obſervationes communicarunt. Vitas Epiſcoporum, in quibus *Godwinus* ſubſtitit, conſignavit, illorumque ſeriem ad præſens usque ævum deduxit. Licet igitur doctiſſimus *Richardſonus* tantam, quantam potuit, diligentiam impenderit, quo opus hoc conſummaret; non tamen, quæ ipſius eſt modeſtia, omnibus id defectibus carere, pronuntiare audet. En verba ipſius: *Quod elaboratum tibi offerimus, probe intelligo, quam ſit mutilum, & imperfectum, novis acceſſionibus & ſubſidiis, undique conquiſitis, opus eſt; ut aliquando auctius & emendatius prodeat, fidem certe noſtram & induſtriam non defuiſſe, experiendo ſenties.*

Præmittit *Godwinus* Diſſertationem *de prima Britanniæ ad*

fidem Chriſtianam converſione. Petrum, Apoſtolum primum, Evangelium apud Britannos prædicaſſe, perſonatus *Parſonius*, Jeſuita, adſtruere conatus erat, quem refutat ſolide, docens, rectius id de *Paulo* dici poſſe, qui, dum Hiſpanias peteret,
Pag. 1-6. Britannos adierit, *Cap. I.* Neque hanc gloriam deberi *Joſepho* Arimathæenſi, & *Ariſtobulo*, cujus *Paulus* meminit *Rom.*
7-12. *XVI, 10, Cap. II.* Diſſerit hinc *Cap. III* de *Claudia Rufina*, fœmina Britannica præſtantiſſima, ejusque marito, *Rufo Pudente*, equeſtri genere procreato, ſcriptoribus exteris, ipſi *Paulo 2 Tim. IV, 21*, dilaudatis, ad Chriſtianam religionem converſis; *Lucio* item Rege, qui primus Regum Britanniæ nomen Chriſto dederit, & una cum conjuge, proceribus, ac tota gen-
12-17. te, ſe ſacris aquis conſpergendum curarit. Tot vero tum temporis inſtitutos fuiſſe Epiſcopos & Archiepiſcopos, quot ante fuerint flamines & archiflamines, quorum hi in tota antiqui-
17-22. tate ſint ignoti, recte negat. Circumfertur Epiſtola *Eleutherii* P. R. ad *Lucium*, quam, quoniam multa habeat, quæ iſti ætati non conveniant, jure νοθείας poſtulat. *Cap.*
22-26. *IV* exponit fata, quibuscum religio Chriſtiana conflictata eſt in Britannia. Non tantum perpeſſa eſt a *Diocletiano* ac aliis tyrannis, quantum a Saxonibus, qui cum maximam regni partem ſibi ſubjeciſſent, religionem Chriſtianam ubique fere locorum ſuppreſſerunt, Chriſtianis in Walliam Connubiamque ſe recipientibus, quanquam tamen illorum nonnulli alibi etiam ſuperabant. Poſt *Gregorius* Pontifex *Auguſtinum* monachum cum 40 aliis eo miſit, quo doctrinam ſalutarem Anglo-Saxonibus annuntiarent. Quoniam ab *Ethelberto*, Cantii Rege, perquam benigne erant excepti, (qui & ipſe non multo poſt Chriſtianis ſe adjunxit,) & liberam prædicandi Evangelium poteſtatem obtinuerant, multis perſuaſerunt, ut, profana ſuperſtitione miſſa, Chriſti doctrinam & legem admitterent. Inſtituto huic urgendo tempus favebat. *Ethelbertus* in matrimonio habebat *Bertam, Chlotarii I*, Francorum Regis, filiam, Chriſtianæ religioni deditam, quæ ſibi adjunctum habebat *Luidhardum*, Epiſcopum, & ſacra una cum famulitio ſuo extra urbem Cantabrigienſem obibat, quæ & ipſa multum

Digitized by Google

tum contulit, ut Rex benignius de Chriſtiana religione ſentiret, eidemque ſe tandem ſubmitteret. *Auguſtinum Gregorius* nominavit Archiepiſcopum, qui, proſperis elatus ſucceſſibus, cum Chriſtianos in Wallia ſuæ adjungere diœceſi niteretur, & ad Romanos ritus cogere vellet, hi renuentes, ipſum adeo irritarunt, ut *Ethelbertum* & *Elfridum*, Northumbriæ Regem, adverſus ipſos excitarent, qui, armata manu in ipſorum terras ingredientes, multa illorum millia neci dederunt, ut ſupplices veniam petere neceſſe habuerint. Pag. 26-31. 31-35.

His de primordiis religionis Chriſtianæ in Britannia prælibatis, de Archiepiſcopis & Epiſcopis, & quidem hoc ordine, agit: 1) de Archiepiſcopis *Cantuarienſibus*, num. LXXXI; 2) de Epiſcopis *Londinenſibus*, quorum XCIV numerantur; 3) de *Wintonienſibus*, num. LXXVIII; 4) de *Elienſibus*, num. XLVIII; 5) de *Lincolnienbus*, num. LIII; 6) de *Coventrienſibus* & *Lichfeldenſibus*, num. LXXX; 7) de *Sariſburienſibus*, num. LV; 8) de *Bathonenſibus* & *Wellenſibus*, num. XLII; 9) de *Exonienſibus*, num. XLIX; 10) de *Norvicenſibus*, num. LIII; 11) de *Wigornienſibus*, num. XCV; 12) de *Herefordenſibus*, num. LXXXIII; 13) de *Ciceſtrenſibus*, num. LXIII; 14) de *Roffenſibus*, num. LXXXVIII; 15) de *Oxonienſibus*, num. XIX; 16) de *Gloceſtrienſibus*, num. XIX; 17) de *Petroburgenſibus*, num. XVI; 18) de *Briſtolienſibus*, num. XXVIII; 19) de *Weſtmonaſterienſibus*, num. I, Epiſcopatu poſt deceſſum primi antiſtitis rurſus ſublato; 20) de *Menevenſibus*, num. CI; 21) de *Landavenſibus*, num. LXXXI; 22) de *Bangorenſibus*, num. LVII; 23) de *Aſaphenſibus*, num. XLIX; 24) de Archiepiſcopis *Eboracenſibus*, num. LXXVII; 25) de *Dunelmenſibus* Epiſcopis, num. XLIX; 26) de *Carleolenſibus*, num. XLVIII; 27) de *Ceſtrienſibus*, num. XX; 28) exhibetur Catalogus Pontificum & Cardinalium, qui Angli vel fuerunt, vel fuiſſe ab Hiſtoricis Anglis perhibentur.

Jam pro more noſtro quædam ex præſtantiſſimo hoc Opere delibaturi, cum nimia fere copia nos circumſtet, ex illorum tantum vitis nonnulla decerpemus, qui vel doctrina & vitæ ſanctitate præ aliis eminuerunt, vel miram fatorum viciſſitudinem

Digitized by Google

nem ſunt experti. *Dunſtanus*, non optimæ famæ & vitæ homo, ſanctitatem externam præ ſe ferens, ad dignitates eccleſiaſticas promotus, multum reſtitit *Edwyno* Regi, id agenti ſerio, ne cenſus monachorum nimium augeretur; ab irato igitur Rege in exilium eſt miſſus, vel ſponte abiit, ex quo non
Pag. 51 - 53. multo poſt ab *Edgaro*, qui fratri in regno ſucceſſerat, revocatus, & tandem ad ſedem Cantuarienſem eſt evectus. *Anſelmus*, Archiepiſcopus, primus in Anglia legem tulit, ut conjugatis ſacerdotia auferrentur, nec illorum quisquam in poſterum ſacro muneri initiaretur; inde factum, ut, qui in connubio vivebant, non ſolum muneribus ſuis expellerentur, verum etiam ipſorum opes ærario addicerentur, ipſi & uxores fornicatores pronuntiarentur. Qua re cum multi ad incitas redigerentur, Rex, illorum ſortem miſeratus, Præſulem rogavit, ut ab rigore iſto abſtineret; ſed, qua erat pervicacia *Anſelmus*,
66 - 67. nihil obtinere potuit. Deceſſit A. 1109. *Thomæ Becketti* indolem, pervicaciam, contentiones cum Rege, cædem, & quæ
72 - 78. illam ſunt ſecuta, pluribus enarrat. *Simon Sudbary*, Archiepiſcopus deſignatus A. 1375, vir doctus, ſapiens, moderatus, multisque aliis virtutibus præcellens, coorta ſeditione populari, ad locum ſupplicii raptus d. 14 Jun. A. 1381, pluribus vulneribus confectus, capite eſt truncatus, quod deinde haſtæ præligatum per vicos civitatis in ludibrium circumtulerunt, & tandem ſuper pontem Londinenſem ſuſpenderunt. Sedato tu-
117 - 120. multu, una cum corpore honorifice eſt ſepultum. *Thomas Arundel*, quo Wicleſitarum incremento obicem poneret, vetuit, ne Scripturæ Sacræ in linguam vernaculam converterentur, vel converſæ legerentur; cumque poſt angina, vel ſimili morbo, fauces præſtringerentur, ut nec verba proferre, nec cibum capere, poſſet, id malum ipſi in pœnam inflictum eſſe,
125. multi ſunt interpretati. *Thomas Crannerus*, tanquam legatus Regis in Germania verſans, purioris doctrinæ ſemina concepit, matrimonio etiam bis innexus, poſt ſedi Cantuarienſi admotus, quod in divortium Regis cum *Catharina* conſenſerat, ſacra ſub *Henrico*, ejusque ſucceſſore, *Eduardo VI*, emendaverat, *Maria* regni habenas tractante, rogo eſt impoſitus, in quo

vitam

Digitized by Google

vitam glorioſe finiit A. 1555, 21 Mart. *Guil. Laud*, vir doctus, Pag.137-144.
qui in Academiam Oxonienſem multa beneficia contulit,
cum Eccleſia Anglicana in partes ſciſſa eſſet, rebus civilibus,
quarum tamen peritus non erat, ſe immiſcens, & nimio ali-
quando uſus fervore, capite eſt truncatus d. 10 Jan. A. 1644. *Tho-
mas Teniſſon*, moriturus, bis mille libras in dotationem duo-
rum Epiſcopatuum in coloniis Americanis conferendas lega-
vit, defunctus d. 14 Dec. A. 1715. *Edmundus Bonerus*, ſedi Londi- 166, 167.
nenſi præfectus d. 3 April. A. 1540, regnante *Henrico*, primatum
Pontificis reprobavit, & divortium Regis approbavit, in refor-
matione autem ſe ſegnem præbuit, ut hinc in carcerem fue-
rit conjectus A. 1549. Sed, cum rerum ſumma ad *Mariam*
devoluta eſſet, ipſe, libertati & Epiſcopatui reſtitutus, tanta
crudelitate in puriora ſacra profeſſos ſævit, ut *ille unus plures
rogo combuſiſſe, quam reliqui omnes totius Angliæ Epiſcopi*, di-
catur. Hujus crudelitatis ſuæ, *Eliſabetha* regnante, non aliam
pœnam luit, quam quod Epiſcopatu fuerit dejectus, & carce-
ri mancipatus, quod tamen ipſi in bonum ceſſit; tantum
quippe odium populi ſua crudelitate conflaverat, ut, ſi
in publicum prodiiſſet, periculum fuiſſet, ne lapidibus obrutus
periiſſet. *Stephanus Gardinerius*, Wintonienſis Epiſcopus 191, 192.
ab A. 1534, A. 1548 d. 30 Jun. ob dogmata religionis minus
probata in carcerem eſt conjectus, biennio poſt, cum refor-
mationem Eccleſiæ probare detrectaret, Epiſcopatu privatus,
inque vinculis ſervatus eſt, quamdiu *Eduardus VI* regno
præfuit. Sed vero, ſimul atque *Maria* regni habenas capeſſi-
vit, libertati & Epiſcopatui eſt reſtitutus, Angliæ etiam Can-
cellarius d. 23 Aug. A. 1553 renuntiatus. In emendatæ religio-
nis aſſeclas ſummo ferebatur odio, illorumque non ſolum
plures flammis uſtulandos tradidit, verum etiam in hoc
omnibus ingenii nervis incubuit, ut *Eliſabetham* e medio tol-
leret, dicens, *fruſtra folia decuti, ramuſculos amputari, ra-
dicem hanc & hæreticorum ſpem unicam exſcindendam, ac ſtir-
pitus eradicandam, alias nihil eos acturos*. Sed his conati-
bus ipſa obſtitit *Maria*. *Robertus Grouthead*, Epiſcopus 236, 237.
Lincolnienſis, cum tyrannis & avaritia curiæ Romanæ ad ſum-

mum

mum faſtigium deducta eſſet, per literas Pontificem acriter reprehendit, & publice pro concione ipſius faſtum, avaritiam, ac tyrannidem, ſæpenumero taxavit, Pontificemque *hareticum*
Pag. 289-291. & *antichriſtum* appellavit. *Thomas Wood*, durantibus turbis civilibus, aliquot annos in Italia eſt commoratus, ſed paulo ante *Carolum* revocatum in patriam rediit. A. 1671 d. 2 Jul. Epiſcopus Lichfeldenſis eſt conſtitutus, ſed ob probroſum negligentiæ exemplum, continuam non-reſidentiam, & omiſſam penitus diœceſeos adminiſtrationem, munere ſuo eſt
327. exutus. *Gilbertus Burnet*, exul in Belgio, in familiaritatem Principis Auriaci admiſſus, ea cum ipſo communicavit, quæ ad libertatem populi Anglicani faciebant cummaxime, quem *Wilhelmus*, Rex factus, Epiſcopum Sarisburienſem conſtituit, ſed, quoniam ingenio præfervido erat, & rebus novis ſtude-
361. bat, ipſius conſilia non amplius expetiit. *Hugo Latimerus*, Epiſcopus Wigornienſis, omnia munia præconis Evangelici ſolicite implevit, & populum ad limpidos ſacrarum literarum fontes adduxit, quod cum ſibi per adverſam Pontificiorum partem non liceret, A. 1539 Epiſcopatu ſe ſponte abdicavit, nec tamen doctrinam Evangelii paſſim per Angliam diſſeminare intermiſit; qua re factum eſt, ut in turrim Londinenſem fuerit conjectus, in qua ad tempora usque *Eduar-*
468, 469. *di VI* eſt detentus. Sed, *Maria* rerum potiente, una cum aliis veritatis Evangelicæ doctoribus A. 1555 d. 16 Octobr. vivus eſt combuſtus. *Joannes Prideaux*, magni nominis Theologus, Epiſcopus Wigornienſis, cum a partibus *Caroli* Regis ſtaret, ab adverſa factione omnibus beneficiis exutus, eo paupertatis devenit, ut ad familiam alendam ſupellectilem domeſticam & librariam vendere fuerit coactus. Diem obiit
472, 473. ſupremum A. 1650. *Franc. Atterbury*, Epiſcopus Roffenſis, vir doctus, & ſcientiarum gloria inclutus, ſed inquietus, & novarum rerum cupidus; quare in ſuprema curia læſæ majeſtatis reus peractus, munere ſuo eſt exauctoratus, inque Galliam in exilium ire compulſus. Mortuus Pariſiis A. 1732 d.
541, 542. 15 Febr. *Thomas Watſon*, Epiſcopus Menevenſis, criminis ſimoniaci poſtulatus, cum illud diluere non poſſet, poſteaquam

quam varia tribunalia ſollicitaſſet, dignitate ſua eſt privatus A. 1705. *Thomas Woolſey*, obſcuris ortus natalibus, ſua induſtria, ſagacitate, celeritate in conſiliis & capiendis & expediendis, ac prudentia, id eſt conſecutus, ut per varios honores eccleſiaſticos ad eminentiſſimas dignitates fuerit evectus. Primum fortunæ gradum fecit, regnante *Henrico VII*, cui fidem & induſtriam probaverat. Succeſſoris ipſius, *Henrici VIII*, animum ita cepit, ut omnia apud ipſum valeret, & ſecundus a Rege eſſet. Hunc Pontifex purpura donavit; conſtitutus eſt Archiepiſcopus Eboracenſis, cui dignitati alii Epiſcopatus & beneficia eccleſiaſtica ſunt adjuncta; porro declaratus eſt ſupremus Angliæ Cancellarius & Legatus Pontificis a latere. Sed ambitioni ſuæ cum modum ponere haud ſciret, Archiepiſcopatui Toletano inhiavit, ipſamque ſedem Pontificiam ſuis petiit votis, *Leone X* defuncto; quoniam vero hac in re, quod ſperabat, *Carolum V* Imperatorem propitium non habebat, primus, ut Auguſto ægre faceret, fuit, qui *Henrico* conſilium de dimittenda *Catharina* ſuggereret. Cum vero negotium hoc in curia Romana lente procederet; Rex ſuſpicatus, *Wolſæum* in culpa eſſe, tanta in ipſum ira efferbuit, ut omnibus eum dignitatibus & facultatibus ſpoliaverit, imo ad perpetuos carceres condemnarit. Tandem Rex, animo reputans, ſe plus nimium invidorum criminationibus dediſſe, ipſum ſedi Eboracenſi reſtituit; ſed inimici ejus, metuentes, ne priſtinam gratiam regiam recuperaret, ipſum læſæ majeſtatis inſimularunt, eumdemque ad cauſam dicendam Londinum captivum abducendum curarunt. Sed in itinere febri & diſſenteria confectus, obiit d. 29 Nov. A. 1530. *Cuthbertus Tunſtal*, vir omni doctrina & humana & divina egregie ornatus, adhæc vitæ ſanctimonia conſpicuus, primum Londinenſis, inde Dunelmenſis, Epiſcopus eſt conſtitutus. Sed, cum conſtans eſſet in religione Pontificia, regnante *Eduardo VI*, munere ſuo eſt privatus, inque turrim Londinenſem d. 20 Dec. A. 1551 conjectus, unde, *Maria* ſolio admota, eſt expeditus; ſed, cum, illa defuncta, jusjurandum, a ſuprema curia de primatu regio conceptum, præſtare renueret, de novo dignitate ſua eſt mulctatus

Pag. 588. 589.

700 - 709

A. 1559 menſe Julio, inque libera cuſtodia detentus, in qua
Pag. 755, 756. ipſo illo anno d. 18 Nov. vitæ finem fecit. *Jacobus Uſber* locum invenit inter Epiſcopos Carleolenſes. Cum enim ſæva tempeſtas res Reformatorum in Hibernia pæne proſtraviſſet, multaque illorum millia neci data eſſent, ipſe, fugam in Angliam capeſſens, a Rege *Carolo* Epiſcopatu Carleolenſi d. 16 Febr. A. 1641 eſt donatus, quo vitam cum dignitate tueri poſ-
772, 773. ſet. Inter Pontifices, Anglia oriundos, primam nominat *Joannam* illam Anglicam, de qua dubitanter loquitur, ita tamen, ut illis plus deferat, qui, illam ſedi Romanæ aliquando præfuiſſe, affirmant. Annectitur *deſignatio* pecuniarum ſummæ, quam Archiepiſcopi & Epiſcopi Angliæ Pontifici Romano pro pallio & primitiis ſolvere debuerunt; porro *Index* triplex, chronologicus ſcilicet Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Angliæ, alphabeticus prænominum, itemque cognominum, quibus ſi Index rerum memoria dignarum adjectus fuiſſet, id Lectoribus eo acceptius & majori uſui fuiſſet. Opus hoc eximium multæ utilitati eſſe poteſt illis, qui viros illuſtres, qui Eccleſiam Anglicanam ad noſtram usque memoriam ornarunt, propius noſcere, illiusque ſtatum animo ſuo ſubjicere, ſatagunt. A longo tempore regnum Britanniæ tributarium quaſi Romano Pontifici, qui ei gravibus exactionibus moleſtus fuit, exſtitit. Quod jugum cum excuteret *Henricus VIII*, cujus exemplum, ſi quis *Mariam* excipiat, ſequentes Reges ſunt imitati; Præſul Romanus, inique id ferens, multis modis id egit, ut illam in obſequium ſuum reduceret. Poſt exortæ ſunt funeſtæ factiones Epiſcopalium & Presbyterianorum, quæ cum mutuis contentionibus ſe conficerent, Britannia ſæpe triſtium mutationum theatrum fuit. Quæ huc ſpectant, arcanæ diverſarum factionum molitiones, earundemque eventus, ex his vitis animadverti poſſunt. Optandum tantum eſſet, ut eadem omnes accuratione elaborari potuiſſent, illorum cumprimis, qui temporibus noſtris propinquiores fuerunt, & ſimul catalogus ſcriptorum, ab ipſis editorum, ſubjunctus fuiſſet. Mendæ typographicæ ſubinde recurrunt; at chartæ & typorum nitor prorſus eſt eximius.

PRIN-

Digitized by Google

PRINCIPES DU DROIT NATUREL, &c.

id eſt,

ELEMENTA JURIS NATURALIS, AUTO-re J. J. BURLAMAQUI, Status Conſiliario, & antea Prof. Jur. Nat. ac Civ. Genevæ.

Genevæ, apud Barrillotum & filium, 1747, 4.
Alph. 2 plag. 2.

Primum hic ſpecimen, primam partem, doctrinæ numeris ſuis abſolutæ de Jure naturæ ac gentium, publicæ luci exponit Ill. Autor, non ipſe, ſed is, qui noluit orbem eruditum hoc carere monumento, incertus de reliquo, an reliquæ partes, ab Autore ipſo elaboratæ, ſint ſubſecuturæ. Elementa hæc in *Partes duas* ſunt diſpertita. *Partis prioris* hæc ſunt *Capita.* *Capite primo* exponitur de natura hominis ad jus naturæ relata, ac de hominis intellectu, de evidentia rei & probabilitate, de hominis ſenſu, imaginatione, memoria, de intellectus humani perfectione, quæ in cognitione veritatis conſiſtit, de ignorantia, de erroris triplici diſcrimine. Error enim eſt 1) juris & facti; 2) voluntarius & involuntarius; 3) eſſentialis & accidentalis. *Caput ſecundum* exponit de voluntate ac libertate. Id, quod appellatur *bonheur*, diſcernitur ab eo, Pag. 15.
quod appellatur *bien*. Ediſſeritur illud, quod inſtinctus, in- 20.
clinatio, cupiditas præponderans, vocatur. Notio explicatur libertatis, ejusque uſus, in judicio ad veri reſpectum relatus, ad rationem rerum evidentium comparatus, nec non ad boni & mali delectum faciens. Exercitium libertatis ad veritates 24.
non evidentes, & ad bona particularia, reſtringitur. Libertatem dari, ex ſenſione interiori comprobatur. Actiones dividuntur in voluntarias & involuntarias, liberas, neceſſarias, & coactas. Facultatum noſtrarum ediſſeritur auxilium mutuum. 31.
Indicatur, quid ſit ratio, quid ſit virtus. Rationes diverſitatis morum exhibentur. Rationi ubique deferri poſſe imperium, traditur. *Capite tertio* oſtenditur, hominum eſſe ſubſtantiam creatam, in quam cadat moderatio actionum liberarum mo- 37.

Pag. 39. ralis, quæ ad rationem reddendam ſit apta & adſtricta. Impu-
tabilitas ab imputatione ſecernitur. *Capite quarto* diverſi na-
42. turæ humanæ ſtatus explicantur. Homo conſideratur ſecun-
dum conditionem primam, reſpectu Dei, ratione ſocietatis,
46. ſolitudinis, pacis bellique, bonorum telluris. Status adventi-
tius familiæ, matrimonii, imbecillitatis naturalis, dependentiæ
a parentibus, proprietatis, ſtatus civilis, ſtatuumque acceſſorio-
rum conditio, ediſſeritur. Deus noluit, nec potuit, intendere
54. hominis ab omni morum regula vacuitatem. Deſiderium fe-
licitatis homini natura eſt inſitum, a ratione prorſus inſepara-
bile & indivulſum. Felicitatem hominis intendit providen-
tia Dei. Amor ſui nil per ſeſe vitioſi complectitur. Homo
non niſi per rationis uſum ad felicitatem ſuam pervenire pot-
58. eſt. Ratio igitur eſt regula hominis primitiva moralis. In-
de proficiſcitur juris fundamentum. *Capite ſexto* exhiben-
tur regulæ generales de ſui gubernatione & directione, nec
non fundamenta obligationis, ex intimis rei viſceribus dedu-
60. cta. Regula prima eſt: *Internoſce bona & mala.* Secunda
eſt: *Vera hominis felicitas haud conſiſtit in rebus, ad natu-*
64. *ram & ſtatum hominis haud congruentibus.* Regula tertia
eſt: *Comparationem inſtitue præſens inter & futurum.* Regu-
la quarta eſt: *Non eſt expetendum bonum, quod affert malum*
66. *majus.* Regula quinta eſt: *Tolera malum, cui annexum eſt*
bonum majus. Regula ſexta eſt: *Præfer bona excellentiſſima.*
Regula ſeptima eſt hæc: *In caſibus obſcuris poſſibile præferen-*
dum eſt eis, quæ fieri nequeunt, & veriſimile eis, quæ ſunt vero
abſimilia. Octava eſt regula: *Bona, quæ ſunt genuina, ſem-*
71. *per ſecundum veritatem habe ob oculos.* Debeo hoc facere, &
ſum ad hoc faciendum obligatus, formulæ ſunt loquendi tan-
tundem valentes. Approbare actionem eſt idem ac cognoſce-
re, nos eam effectui dare debere. De ligatione, vel obligatio-
ne, phyſica hic non agitur, ſed de morali. Obligatio moralis eſt
reſtrictio libertatis, quaquaverſum patentis per naturam, per
rationem, quæ, actionem actione meliorem eſſe, indicat, &
meliorem ſuadet. Obligatio eo robuſtior eſt & fortior, quo
plura adſunt actionis ſcopo convenientis invitamenta. *Clar-*

kius

Digitized by Google

kius collocavit obligationis naturam in convenientia & disconvenientia actionum naturali. Si hæc notio luculente exponitur, eam in Autoris ſententiam reſolvi poſſe, nemo ambiget. *Barbeiracius* aliique contendunt, obligationem eſſe voluntatem Dei, qui per legem refrænet hominis libertatem minus determinatam, ſiquidem ratio ſit ipſa hominis vis & facultas, quem haud deceat, ſibimet imponere obligationem, ſiquidem ipſe poſſit falli. Damus lubentes, voluntatem ſuperioris, a quo alius pendet, hunc ad actiones determinatas obligare. At hæc obligatio vocatur externa. Ea autem, quæ eſt rationis, eſt interna & objectiva. Autor utramque conjungit; non eſſe opponendam utramque, oſtendit *P. II Cap. VI*. *Capite Partis prioris ſeptimo* diſſerit de jure, quatenus id de facultate, & de obligatione, ad illam congruente, accipitur. Potentia nuda moralis a jure differt. Approbatio rationis ad jus ſpectat firmandum; potentia phyſica jus haud conſtituit. Potentia autem moralis a facultate morali haud differt. Fundamentum jurium hominis generale conſiſtit in uſu facultatum moralium, quæ ad hominis veram ſalutem tendunt, & calamitates, quantum fieri poteſt, evitant. Jus & obligatio ſunt notiones relativæ. Jus haud datur citra obligationem, nec obligatio ſine jure. Patri eſt jus educandi liberos, & liberos afficit obligatio ſuſcipiendi educationem a patre. Obligatio incipit cum rationis initio, licet jam antea jure gaudeat pater ducendi liberos ad ipſorum ſalutem. Jus eſt vel perfectum & cogens rigidumque, vel imperfectum minusque rigidum, quod ad cogendi modum haud quadrat. Neceſſitate urgente tantum mihi in alterius bona jus eſt, ut inde tantum ſumam, quantum, ne peream, ſufficit. Extra id neceſſitatis telum jure in ea gaudeo ſatis imperfecto, ac precibus nitente, nec repulſam transſiliente. Juribus aliis legitime licet renuntiare, aliis non licet. Hæc enim nobiſcum naturaliter jugata ſunt. Jus, quod cuique eſt in perſonam ſuam ſuasque actiones, vocatur *libertas*; jus in ea, quæ cuique ſunt propria, vocatur proprietas, aut dominium; jus in perſonas & actiones aliorum dicitur imperium,

Pag. 72. 79. 81. 84.

Pag. 86. ſeu autoritas: jus in res, alii proprias, eſt multiplex. *Capite octavo* exponitur generatim de lege. Eam comitatur ſtatus, quo quis a domino ſuo pendet. Subſtantia enim, a nemine pendens, nullius imperio obnoxia, ſequitur nullas leges, ſed
88. rationi ſuæ agit convenienter. Lex, hoc judice, eſt regula, per eum, qui ſocietatis eſt dominus ſupremus, eis, qui ipſi parere debent, præſcripta ad faciendum hoc, vel illud, immo etiam vitandum, quod illi eſt oppoſitum. Regula complectitur præterea conſilium, mandatum, juſſumque, ad breviorem moram extenſum. Regulam reddunt commendabilem univerſalitas & perpetuitas. *Caput nonum* jus præcipiendi, vetandi, le-
111. geſque ferendi, excutit. *Capite decimo* exponitur de fine legum,
116. notis earum diſtinctivis, ac differentia haud una. *Undecimum* de moralitate actionum humanarum eſt inſcriptum, ac ea potiſſimum tradit, quæ ad diſtinguendas hominum actiones ſunt referenda. Actiones enim liberæ poſſunt ſpectari qua præceptæ, vetitæ, permiſſæ; qua juſtæ & injuſtæ, ſeu bonæ ac ma-
131. læ, immo qua *indifferentes*. Actiones juſtas ſingulas eſſe æqualiter juſtas, injuſtas vero magis minusve eſſe injuſtas, contendit. Hæc ad *Partem priorem* dicta ſunto.

In *poſteriori* ea accommodantur ad Jurisprudentiam natura-
141. lem, quæ *priori Parte* fuerunt enarrata. Diſſeritur enim nunc de legibus naturæ. *Capite primo*, quid ſit lex naturæ, eamque dari, docetur. Præmittitur, ne quis de hac lege, quatenus ipſa datur, dubitet, compages argumentorum, quibus, Deum exiſtere, ſolide evincere ſolemus. Primum vulgo a *contingentia rerum mundi* deſumitur. Secundum in eo poſitum eſt, quod, motor primus exſtiterit & exiſtat, neceſſe eſt.
147. Tertium deſumitur a fine, ordine, & pulchritudine, univerſitatis rerum. Eorum ſententiæ, qui, mundum caſu cæco exſti-
151. tiſſe, vel ſempiternum fuiſſe, ſomniant, profligantur. Hiſce præmiſſis, Deo eſſe jus prædefiniendi ac præſcribendi hominibus leges, oſtenditur. Ex eo certe ejusdem potentia, ſapientia, & bonitas, elucent. Deum voluiſſe, nos legibus ſuis convenienter agere, docetur. Obligationem tamen internam
163. Autor cum divina & externa conjungit. *Capite tertio* diſſe-

rit

rit de adminiculis, quibus diſcernimus juſtum ab injuſto, & quorum veſtigia inter populos maxime feros & immanſuetos deprehendimus. Statum hominis naturalem ab ejus ſtatu ob- Pag. 167.
bruteſcente dignoſcere oportet. Rariora enim dantur generis humani monſtra. Adminicula illa conſiſtunt exemplis & 169.
ratione. Hæc enim ſuperior & excellentior eſt inſtinctu na- 172.
turali, principia detegit, ac inde format concluſiones, & ad eventa ſingula attemperari poteſt. *Capite quarto* exhibentur 174.
principia, unde interventu rationis poſſumus leges deducere naturales. Homo ad notitiam harum nequit pervenire, niſi 178.
perpendendo ſuam naturam, conformationem, & ſtatum. Inde triplex hominis proficiſcitur conditio. Religio tradit 180.
principium legum naturalium, in officiis erga Deum ſitarum. Amor noſtri aliud ſubminiſtrat principium legum naturalium, officia, quæ nobiſmet debemus, tradentium. Homo ſpectari poteſt porro, qua pars & ſodalis cœtus ac ſocietatis. Hæc ſo- 186.
cietas ab hominis natura haud eſt aliena, ſed potius eſt neceſſaria, homini conducibilis, ac perfectioni ejus apta. Inde oritur principium vitæ ſocialis. Ex hoc principio emanant leges hæ: *Bonum commune obtinet principatum officiorum; ſo-* 192.
cialis vitæ amor debet eſſe univerſalis; obſervanda eſt æqualitas naturalis; cole & ſerva benevolentiam quoque erga inimicos. Unde efficitur, vindicias ſui eſſe permiſſas, non vero ultionem. Dijudicat deinde Autor complexum Jurisprudentiæ *Pu-* 197.
fendorfianum, ratus, criticam ſibi nimium ſumſiſſe virgulam contra illum. Exhibet vincula & colliſiones officiorum noſtrorum. Addit jus naturæ, quod in permiſſione conſiſtit, ac jus naturæ 203.
dividit in *primitivum* ac *ſecundarium*. *Capite quinto* tradit 205.
legum naturalium patefactionem divinam, proprias notas, ac obligationem, ex eis emanantem. *Capite ſexto* ad jus gen- 218.
tium progreditur exponendum, docens modum, quo ſocietates coaleſcunt civiles; monens, ſtatu civili naturalem non deſtrui, ſed perfectiorem reddi; tradens juris gentium naturam, certitudinem, principium generale; dividens illud jus in hypothetice neceſſarium & conventionale. *Capite ſeptimo* quæ- 226.
ſtionem tractat, an detur moralitas actionibus inhærens, quæ

Digitized by Google

ſit ratione cogitandi prior legibus naturalibus, nec, ut legiſlatorem præmittat, neceſſum habeat. Diſſenſiones Philoſophorum ſuccincte commemorat. Fontes, e quibus quæſtio pro-
Pag. 231. poſita ſit dijudicanda, recenſet. Tres regulas actionum humanarum morales exhibet, quæ ſunt ſenſio moralis, ratio, ac Dei præſcriptum. Has regulas conjuncte ſumendas eſſe, docet, ratus, regulam omnem per ſeſe vi gaudere obligandi, & rationem per ſeſe parem eſſe & idoneam ad obligationis pon-
238. dus homini imponendum. Reſpondet ad objectionem, quæ dictitat, hominem dici haud poſſe ſe ipſum obligare. Addit tandem & hoc, complexus moralium doctrinarum perfecti fulcrum eſſe religionem.

248. *Capite octavo* id, quod in eo argumento videtur eſſe obſcurum & incertum, luce majori impertit, &, quantum interſit inter juſta, utilia, honeſta, ordinata, & decora, ac quomodo illa naturali cohæreant nexu, docet. An actionis juſtitia a
254. voluntate Dei, nec aliunde, ſit deducenda, quærit. *Capite nono* agit de legum naturalium ad actiones humanas attemperatione, ac de conſcientia ſecundum varias diviſiones ejusdem diſputat. Ad merita & demerita actionum humanarum, earumque imputationem expendendam, ſeſe accingit *Capite de-*
268. *cimo*. *Capite undecimo* ſuſcipit tractationem de horum principiorum ad diverſas actionum humanarum ſpecies conformatione, ut, quomodo illæ ſint quibuscunque imputandæ, in-
280. telligatur. Diſputat inter hæc de eis, qui uſu rationis vacant, de factis per ebrietatem, de eis, quæ fieri nequeunt, de occaſionis defectu, de naturalium qualitatum ſpeciebus, de eventis per cauſas externas exortis, de eo, quod fit per ignorantiam, errorem, indolem congenitam, cupiditatem præponderan-
282. tem, coactionem; de cauſarum moralium genere triplici, ac
300. argumentis affinibus. *Capite duodecimo* ipſi res eſt cum autoritate ac ſanctione legum naturalium, nec non cum bonis maliſque, quæ ex virtute & vitio proficiſci & progigni ſolent.
310. Sunt, qui monent, bona ac mala, tum fortunæ, tum naturæ, inæqualiter, nec pro meritis hominum, eſſe diſtributa; mala per injuſtitiam admiſſa redundare æque ad innocentes ac ad

cri-

Digitized by Google

criminoſos; virtutem ſæpius perſecutionis tolerandæ eſſe conciliatricem, prouti *Ariſtidis* exemplum doceat. Haud inficiatur Noſter, prudentiam humanam hiſce inconvenientiis tollendis eſſe imparem. Et eam ob cauſam *Capite XIII immortalitatem animarum* extra dubitationem collocat, illamque Pag. 315. inſerit ſanctionibus legum naturalium. Hæc tractatio omnino, dum eſt maximi momenti, ſolide ſat is fuit expedita. Conſentiunt in hanc doctrinam gentes moratiores. Eum vero conſenſum Noſter non poſuit primo, ſed ultimo, loco, ne exiſtimes, in eo cardinem verti argumentorum, quibus immortalitas animarum comprobatur. Oſtendit tandem *Capite* 335. *decimo quarto*, argumenta allata, ex natura animarum, ex voluntate & perfectione Dei, deſumta, ad uſum vitæ ſatis valere. Pondus & gradum veritatis addit argumentis allatis doctrina divinitus patefacta. Proponit tamen Ill. Autor dog- 342. mata, immortalitati animarum contraria, ut ex inconvenientia eorum, ad ſtatum hominis relata, clarius pateſcat, doctrinam, quæ immortalitatem animarum humanarum pro certa, vel probabili, reputat, nobis eſſe dignam, & congruentem. Niſi fallimur, ex hac libri epitome ſatis ſuperque intelligi poteſt, quantum bonæ frugis & ſoliditatis ille complectatur.

CODEX LEGUM SUECICARUM, RECEPTUS & approbatus in Comitiis Stockholmenſibus anni 1734, ex Suecico ſermone in Latinum verſus a CHRISTIANO KOENIG, Weſtmanniæ ac Magn. Cuprimont. Judice provinciali.

Holmiæ, typis Petr. Jœr. Nyſtrom, 1743, 4.
Alph. 2 plag. 20.

Cum Jura Romana, quamvis obſcura ſæpe, parumque diſpoſita, tanto probata plauſu fuerint, ut plures quoque gentes, quaſi ex fonte limpidiſſimo, multa hauſerint inde, ac domeſticis accommodaverint conſtitutionibus; recte omnino Editor politiſſimus, operæ ſe facturum eſſe pretium, credidit, ſi

 emen-

Digitized by Google

emendatum legum Suecicarum Codicem, juſto ordine, miraque perſpicuitate, commendabilem, civitate Latina donaret, adeoque exteros etiam de ſingulari nationis ſuæ in ferendis legibus prudentia redderet certiores. Duos hoc ipſo labore vitare ſcopulos ſtuduit; alterum, ne, verbis nimium inhærendo, obſcurum ageret interpretem; alterum, ne liberiore ſtilo vel adornare librum commentarium, vel aliena proferre, videretur. Omnem igitur lapidem movit, cum ut lectores ſine difficultatibus legislatoris mentem perciperent, tum ut Latinæ linguæ elegantiam ipſe pro viribus exprimeret; quo conſilio nonnulla, præſertim in domeſticis & œconomicis rebus, nunc ſupplenda aliquali deſcriptione, nunc in compendium redigenda, fuerunt. Ipſum Opus Præfatione ſuperbit, a Regia Majeſtate, regnique Proceribus, præmiſſa, in qua brevis legum Suecicarum hiſtoria exhibetur. Antiquiſſimæ leges Sueeorum dicuntur illæ, quæ ſub imperio *Ingliorum* valuerunt. Ex Aſia illi jam ante natum Servatorem in hoc regnum venerunt, interque eos regnantes noviſſimus, *Ingialdus*, plurimorum Regulorum ditionibus Upſalienſi, vel Suecico, imperio adjectis, de legibus maxime ſollicitus fuit, quibus omnes generatim tenerentur. Eam in rem opera utebatur *Vigeri Spa*, cognomine Sapientis, illique mandata dabat, ut in unum corpus redigeret leges, quæ deinceps *Vigeri* ſectiones appellatæ fuerunt. Inſerviebat poſtmodo hæc ipſa collectio concinnandis legibus Uplandicis, quæ a *Birgero* conſcriptæ, & a Rege confirmatæ, recipiebantur. Seculo quidem XIV Rex *Magnus Erici* diverſas haſce diverſarum regionum leges nova recenſere induſtria volebat; at ſucceſſu deſtituebatur conſilium, cum incredibiles Clerici Pontificii difficultates afferrent, donec populus univerſus quereretur, antiquarum legum exempla, quæ partim Runicis, partim uſitatis tum, literis ligno trabibusque inciſæ, & catenis in templis, aliisque ædibus, tam publicis, quam privatis, affixæ, ſervabantur, adeo inter ſe diſcrepare, ut non poſſit non ſumma inde oriri confuſio. Qua cauſa motus *Chriſtophorus*, Rex, A. 1442, omnes leges uno junxit volumine, & pro temporis illius conditione diſpoſuit.

Atque

Digitized by Google

Atque hoc ipſum Juris Suecici corpus, a *Carolo IX* A. 1608 iterum confirmatum, *Carolus XI* A. 1686, ſequentesque Reges, *Carolus XII* & *Fridericus I*, qui jam regni ſceptra tenet feliciſſime, ad majorem ſemper perfectionis gradum evehere ſtuduerunt. Quod ad materiarum ordinem attinet, certis titulis primum *de jure matrimonii*; poſtea *de jure hæreditatis*; deinde *de jure agrario*; nec minus *de jure ædificandi*; tum *de jure mercandi*; poſt *de criminibus*; inde *de pœna*; porro *de executione*; denique *de actionibus*, neceſſaria ſancita fuerunt; quibus acceſſit Index rerum, diligenter confectus, una cum explicatione *formularum juridicarum*, quæ in hac doctiſſimi *Kænigii* verſione occurrunt.

OPERE DEL DOTTORE EUSTACHIO MANFREDI, Tomo quinto, che contiene gli Elementi della Chronologia, &c.

id eſt,

OPERA DOCTORIS EUSTACHII MANFREDI. Tomus quintus, ad Chronologiam faciens, cum diverſis, ad Calendarium Romanum ſpectantibus, ſcriptis. Opus poſthumum.

Bononiæ, e typographeo Lælii a Vulpe, 1744, 4.
Alph. 2.

Autoris, cujus obitum alias ſignificavimus, ea adhuc eſt in orbe erudito gloria, ut opus hoc poſthumum non minori plauſu fuerit exceptum, quam ea ſcripta, quæ *Manfredius* vivens & adhuc ſpirans foras dedit. Editor hoc *Volumen* Illuſtriſſ. Comiti *Franciſco Algarotti* inſcripſit atque conſecravit. Diviſum id eſt in *tres Partes*. *Prima* elementa chronologicæ artis complectitur. Exponitur in eis de annorum menſiumque forma multiplici, eorumque mutua comparatione, de Calendario eccleſiaſtico, cyclis Indictionum, ac

epocharum varietate. *Parte ſecunda* diſſeritur de mutua præcipuarum epocharum jugatione. Annum *Julianum* 283 conjungit Autor cum anno epochæ *Alexandri Magni* 562, a 25 Jun. inchoando, ac epochæ *Nabonaſſarea* anno 986. Epocham hanc epocha *Alexandri* ſtatuit priorem annis Ægyptiis, ſeu 365 dierum annis ſine intercalatione, 424. Annum Ægyptium *Nabonaſſareum* incipit a 23 Auguſti. *Dionyſii* Aſtronomi obſervationem cœleſtem in ſubſidium vocat, qua id ipſum comprobatur. De anno, quo deceſſit *Alexander Magnus*, non conſentiunt inter ſe Chronologi. Referunt Hiſtorici, ipſum deceſſiſſe anno Olympiadis 114 primo, qui cœperit æſtate anni 342, natum Jeſum antecedentis. *Ælianus* obitum illum affigit menſis Targelionis Attici diei ſexto, qui in primum ver incidit. *Plutarchus* morbi dies, quibus mox *Alexander* ſuccubuit, collocat omnes in menſem Deſios Macedonicum, ipſumque obitus diem definit 28 ejusdem menſis diem. Obiit itaque *Alexander* exeunte anno primo Olympiadis 114, hoc eſt, verno tempore anni 323 ante C. N.

Pag. 73.

105.

107. Epocham *Dionyſii* Aſtronomi *Manfredius* figit in anno 284 A. C. N. quo ad 12 Octob. effluxerint jam anni $12\frac{1}{2}$ *Ptolemæi Philadelphi* regnantis. Periodi Calippicæ initium declarat prius fuiſſe anno primo epochæ *Alexandri Magni* ſex annis, ideoque incidere in annum 330 ante C. N.

109. *Ptolemæi* obſervationes, ex aliis deſumtæ, hic denuo ſunt fundamenti loco. Epochas Syro-Macedonum, ſeu Syrorum, ſeu Chaldæorum, geminas conſtituit. Æra Seleucidarum inchoatur annis 12 poſt obitum *Alexandri*, ac concurrit cum æræ Chriſtianæ initio, emenſa jam anno 312. Anni ab *Alexandro Magno* ſupputandi ſunt Ægyptiaci, ac primordium a menſe Thoth capiunt, ſeu a 12 Nov. Annus vero primus Seleucidarum incipit ab æquinoctio autumnali, ſeu fine Septembris. Annus *Julianus* incipit a primo Octobris, qui tunc reſpondit primo diei menſis Ebræorum Tiſri. Ex *Albategnio* depromtæ obſervationes id fere extra dubium figunt.

112. Epocha Syro-Macedonum Chaldaica antiquior eſt annorum a N. C. initio ſupputandorum intervallo, & quidem

quidem annis 311. Obſervationes, a *Ptolemæo* commemoratæ,
id ipſum confirmant. Æra *Hiſpanica* Chriſtianam vulga-
rem præcurrit annis 38, *Actiaca* annis 30, *Antiochena*, *Cæſa-
rianam* appellant, annis 49, *Diocletiana*, qua Chriſtiani Ale-
xandrini fuerunt uſi, incidit in annum nati Chriſti 284, ini-
tiumque ſumit a 17 Sept. *Coptica* incidit in annum 303, ac Pag. 117.
in Martio menſe inchoatur, vulgo *Æra Martyrum* dicta, ſiqui-
dem ab edicto adverſum Chriſtianos propoſito capit initium.
Æra *Conſtantinopolitana* a Byzantio in Conſtantinopolin con- 119.
verſo incipit, encæniisque urbis, quæ in annum Chriſti 330 inci-
dunt. Non vacat nobis repetere epochas Muhammedanorum,
Perſarum, Hebræorum. Epochas minoris momenti recenſet
Autor, vix unica excepta, quibus ſuo loco ſua quoque eſt uti-
litas. Præcipue habet Canonis *Ptolemaici* rationem, quem 153.
obſervationibus aſtronomicis, in *Almageſto Ptolemæi* enume-
ratis, comprobatum eſſe, contendit *Manfredius*. Anni, in Ca- 155.
none adhibiti, ſunt Ægyptiaci, ſine biſſextilibus, a primo
menſis Thoth cœpti. Qui per annum integrum haud regna-
runt Reges, in Canone illo ſunt omiſſi, ac tempus, quo illi
rebus præfuerunt, ſucceſſoribus fuit contributum. Eam ob
cauſam *Galba*, *Otho*, & *Vitellius*, in Canone haud commemo-
rantur. In anno obitus *Trajani* erravit *Ptolemæus*, eo quod
annum 439 ab exceſſu *Alexandri* putavit fuiſſe *Trajani* emor-
tualem. *Trajanus* certe deceſſit ad 10 Aug. anni Chriſtiani 157.
117, cum ipſo 15 Jul. jam cœpiſſet annus ab obitu *Alexandri*
441. In Almageſta *Ptolemæus* haud ſecus ſupputavit. At
id Canonem ipſum haud turbat. Qua autem ratione *Ptole-
mæus* in eum inciderit errorem, illud ſubtiliter indagavit P.
Valſecchi in *Diſſ. de Initio Alexandri Severi Cap.* 14. *Ptolemæus
Alexandro Magno* poſt *Darii* regnum tribuit annos regni 8,
Philippo, *Alexandri* ſucceſſori, 7, at filio *Alexandri*, *Alexandro
Ægo*, 12. Huic poſtponit *Ptolemæum Lagiden*, & huic annos
20 aſſignat. At vero *Ægus* ille per *Caſſandrum* cecidit anno
æræ *Alexandri* 14. Voluit *Ptolemæus* cohærere annos *Ægi*
cum annis *Ptolemæi* regis, ſine ſocio regnum tractantis. Nu-
merum igitur annorum *Ægi* ita auxit, quemadmodum id fili

chronologici ratio flagitabat. Omittimus alias *Manfredii* ad
Pag. 160. Canonem *Ptolemaicum* obſervationes. Diſſerit idem de ve-
teris Ægypti Regibus, eorumque chronologia. Subjungit
porro hiſce Hiſtoriæ ſacræ Vet. Teſt. cum epochis profanæ
164. copulationem. Adhibet eo fine hanc methodum. Ex quo
Cyrus in Babylonia regnare cœpit, 70 anni exulum Judæorum
deſierant, ac Judæis facultas remigrandi in Palæſtinam facta.
Initium exilii incidit, teſte *Jeremia*, in quartum *Jojakimi*
annum, ſeu annum ante C. N. 606. Inde Epocharum
vincula nexu ſunt ſatis facilia. Chronologicam tractationem
ſingulares quidam libelli ac epiſtolæ excipiunt. His ex parte
præfixa eſt inſcriptio *Quæſtionum de recta Paſchæ indictione.*
Fuit in eo *Manfredius*, ut modum, quo Calendarium *Grego-*
rianum corrigi, vel novum ſubſtitui, poſſet, inveniret.
Nam Eccleſia, aſtronomicarum rationum poſthabita ſub-
169. tilitate, per cyclos, ſive periodos, novilunia in orbem reſti-
tuentes, definire conſuevit adhuc inter Pontificios. Nec ex-
cogitari poteſt cyclus, qui motibus ſtellarum cœleſtibus ad
amuſſim reſpondeat. Dant id ipſum & fatentur Canones *Gre-*
170. *goriani*. Eccleſiaſtica paſchatis conſtitutio in his duobus mo-
mentis verſatur. Unum eſt, ut Paſcha eo die dominico celebre-
tur, qui XIV lunam primi menſis proxime ſequitur; alterum,
ut menſis ille primus exiſtimetur, cujus luna XIV vel in ipſum
diem verni æquinoctii eccleſiaſtici, duodecimo Calendas Apri-
les affixi, incidit, vel ab hoc prima ſuccedit. Non una hinc ori-
tur dubitatio, quæ niſi dirimatur, nec de *Gregorianis* Epactis,
nec univerſe de ullius Cycli cum lunaribus illis temporibus con-
ſenſu, aut diſſenſu, judicium fieri poteſt. Conſtituendum eſt uti-
que id certiſſimum temporis punctum, unde diei initium de-
duci debet. Sunt, qui putant, dies eccleſiaſticos a veſpera
primordium capere. Quæritur porro, a quonam meridie, a
quonam horizonte, phaſes lunæ ſint deducendæ. Noſter ad
meridiem Romæ vult reſpici; occaſum vero ſolis atque or-
tum in Romano figit horizonte. Quæritur, quid vocabulo
quartæ decimæ lunæ ſignificetur, & quomodo dies ad poſitum

lunæ

Digitized by Google

lunæ in cœlo definiri, ac cum civili die, qui ex Cyclo eſt XIV, comparari, ipſoque de cyclo judicium ferri, queat. Diſcrepant hic Mathematici *Gregoriani* a reliquis Italicis. Ne quidem ex Catholicæ Eccleſiæ ſenſu conſtat, quænam ſit decima quarta luna, & quomodo Cyclus ſit recte conſtituendus. Difficultates omnes exponit *Manfredius*, & modum, quo eis mederi liceat, addit, ſalva Eccleſiæ ſuæ autoritate. Proponit annorum ſecularium Epactas in tabula ſecundum diverſas Autorum methodos ex anno Chriſti 1700 ad 5000. Succedit ejusdem methodus magis propria, qua lunationes eccleſiaſticæ ad aſtronomicas congruant. Eam excipit *Epiſtola ad Virum Clar. Dominicum Quartaironium, qua Anonymi Aſſertiones XVI pro reformatione Calendarii, ab illo impugnatæ, vindicantur.* Subjicitur *Judicium de opere paſchali Abbatis Jacobi Bettazzi da Prato, evulgato Florentiæ A. 1733,* nec non Index in *Tomum* hunc Operum *Manfredi* quintum. Oppido multa hic ſolide ediſſeruntur, quæ ad emendationem Calendarii *Gregoriani* ſunt accommodata. Pag. 179. 221.

I. EULERI OPUSCULA VARII ARGUMENTI.

Berolini, ſumtibus A. Haude & J. C. Speneri, 1746, 4.
Alph. 1 plag. 15, Tabb. æn. 6.

Collectio hæc eſt ſex minorum ſcriptorum Celeb. *Euleri*, nondum antea editorum, omnibus rei mathematicæ cultoribus procul dubio gratiſſima. *Primum* continet *ſolutionem generalem Problematis de motu corporum, tubis mobilibus incluſorum.* Argumentum hocce ad partem Mechanicæ, adhuc parum excultam, huc usque, pertinet. Soli vadum tentarunt Cel. *Jo. Bernoullius* & *Clairaltus*; quorum ille deſcenſum corporis ſuper plano inclinato, ſecundum directionem horizontalem mobili, hic vero motum corporis unius pluriumve in tubo, circa axem fixum mobili, conſideravit. Eo nimirum res redit: ſi corpus moveatur in linea quavis, preſſionem exercet in ſingulis ejus punctis, quæ, quamdiu

Digitized by Google

diu linea eſt immobilis, (ut in Mechanica vulgo ponitur,) continuo deſtruitur. Si vero linea ipſa ponatur mobilis, tum preſſio hæc effectum exeret, lineaque actu movebitur, ac inde ipſius corporis motus quoque variabitur. Poteſt autem linea illa, in ſuperficie mobili exiſtens, commode concipi ut tubus, cui includitur corpus ita, ut aliter, quam ſecundum ejus directionem, moveri nequeat. Hoc itaque modo Problema ita poteſt generatim concipi: Dato tubo cujuscunque figuræ, quomodocunque mobili, & corporibus quibusvis ei incluſis, quæ cum motu inſito moveri cœperint, tum a potentiis continuo ſollicitentur, determinare ad quodvis tempus tam ſitum tubi cum corporibus, quam ſingulorum motum, & preſſionem corporum in latera tubi. Ne autem ſolutio ejus vim, ſi non ingenii, attamen calculi, ſuperet, ideo certis limitibus includendum eſt. Primo itaque tubus aſſumitur duplici curvatura non præditus; corpora ſpectantur ſaltem ut puncta, ſeu ad minimum ſingulæ eorum partes æquali motu ſecundum eandem directionem ferri ponuntur; numerus eorum in tubo recto ſtatuitur quivis, at in curvo tantum ſumitur unicum; potentiæ vero generatim eſſe poſſunt quævis. Ratione autem motus ipſius tubi tres diſtinguuntur caſus: primus, ſi tubus motu ſibi ſemper parallelo ſit mobilis; ſecundus, ſi circa axem fixum gyrare poſſit; tertius, ſi liberrime quaquaverſum moveri queat. Primum ad caſum ſpectat ſolutio *Bernoulliana*, ad ſecundum *Clairaltiana*, tertium difficillimum Cel. Autor primus hic attingit. Ante omnia *Sectio I* totius materiæ principia fundamenti loco ponit. Diſtincte igitur explicat, atque ad menſuras certas reducit, ideas maſſæ, vis motricis & acceleratricis, celeritatis, temporis, ut & doctrinam de motu puncti libero rectilineo, curvilineoque libero & non libero, & tandem de motu corporis, ſibi ſemper parallele mobilis. His poſitis, primo tubum conſiderat rectum, ad horizontem inclinatum, & quidem in directione horizontali mobilem, cum incluſo corpore unico. Ut ſpecimen demus methodi, qua Cel. Autor in hujusmodi Problematibus utitur, caſus hujus analyſin exhibebimus, e qua dein etiam de reli-

Pag. 7.

quis

Digitized by Google

quis difficilioribus quodammodo idea formari poteſt. Concipiatur itaque, poſt tempus t corpus in tubo delapſum eſſe ſpatio x, planum vero inclinatum cum tubo progreſſum eſſe in horizontali ſpatio s; unde tempuſculo proximo celeritas corporis in tubo erit $= dx : dt$, plani autem $= ds : dt$. Patet vero, motum tubi eſſe unicum, corporis vero duplicem, tam proprium, quam communem cum tubo. Cum jam, per primas motus leges, vis motrix definiri poſſit ex maſſa, ſpatio, & tempore; poſitis corporis & tubi maſſis, per pondera ſua expreſſis, A & M, erit vis, qua corpus in directione tubi ſollicitabitur, $= 2Addx : dt^2$; vis, qua in directione horizontali, $= 2Adds : dt^2$; vis, qua tubus in eadem directione, $= 2Mdds : dt^2$. Hæ igitur ſunt tres vires, ad motum corporis & tubi producendum requiſitæ. Comparandæ ergo cum iis, quibus utrumque re vera ſollicitatur. Præter vires externas, hic ante omnia occurrit preſſio, qua corpus tubum urget, & vice verſa tantundem ab eo urgetur. Quæ, etſi adhuc incognita, tamen ſtatim in computum ducatur. Dicatur ergo preſſio hæc, in tubum normalis, $= P$, inclinatio tubi ad horizontem $= i$; eritque vis, a preſſione ſecundum directionem horizontalem reſultans, qua ſollicitatur tubus, $= P.\text{ſin}.i$; vis, qua ex ea ſecundum directionem tubi ſollicitabitur corpus $= - P.\text{coſ}.i : \text{ſin}.i$; qua idem ſecundum directionem horizontalem, $= - P : \text{ſin}.i$. Jam, ſi nec tubus, nec corpus, ulla vi externa ſollicitentur; tum, comparatis tribus hiſce viribus cum prioribus, ſtatim habebuntur æquationes, motum utriusque definientes; unde patet, fore utrumque uniformem, quod & facile a priori colligitur. Ponatur nunc, corpus gravitate naturali ſollicitari, (qui eſt caſus *Jo. Bernoullii*,) ſitque pondus ejus $= A$ (ut diximus); unde vis exinde oriunda in directione tubi $= A : \text{ſin}.i$, in horizontali $= A.\text{coſ}.i : \text{ſin}.i$. Quare nunc corpus urgebitur in directione tubi vi $\frac{A - P.\text{coſ}.i}{\text{ſin}.i}$, quæ per præc. $= 2Addx : dt^2$; in directione horizontali vi $\frac{A.\text{coſ}.i - P}{\text{ſin}.i}$,

Digitized by Google

quæ $= 2Addſ : dt^2$; tubus autem ſollicitabatur ſecundum horizontem vi $P.ſin.i$, quæ adeo $= 2Mddſ : dt^2$. Ex his invenitur $P = \frac{AM.\,coſ.\,i}{M + A.\,coſ.\,i^2}$; quo valore ſubſtituto, peractaque integratione, habebitur $x = \frac{(A+M)\,tt.\,ſin.\,i}{4(M + A.\,ſin.\,i^2)}$, & $s = \frac{A\,tt.\,ſin.\,i.\,coſ.\,i}{4(M + A.\,ſin.\,i^2)}$. Unde per compoſitionem motus facile quoque noſcitur is, quem corpus vere habet, adeoque omnia, ſolutionem Problematis abſolventia, ſunt in promtu. Ceterum, principium conſervationis virium vivarum etiam hic locum habere, oſtendit Autor. Problema idem porro ſolvit, ſi tubus non in directione horizontali, ſed in alia quavis, ſit ſibi parallele mobilis. Plura etiam dein corpora tubo incluſa aſſumit. Unde generatim patet, ſi tubus ſit rectilineus, motus tubi & corporum ſemper eſſe uniformiter acceleratos, & principium conſervationis virium vivarum ſemper valere. Pergit jam ad tubum curvilineum cum corpore incluſo, ſimilique modo negotium conficit. Hinc & definit oſcillationem corporis in curva, ſecundum horizontem libere mobili, ipſamque curvam, ad tavtochroniſmum hoc modo idoneam. Caſum alterum, quo tubus ponitur circa axem fixum mobilis, tractat *Sectio II.* Primo perſpicue exponit principia motus rotatorii; docet, quomodo, datis corpuſculis quotvis, in variis diſtantiis ab axe rotationis poſitis, dataque vi, in data diſtantia applicata, inveniatur acceleratio motus rotatorii; quo cum intret ſumma productorum corpore quovis in quadratum diſtantiæ ab axe, (quam *momentum inertiæ* reſpectu axis rotationis dicit,) eaque e centro oſcillationis facile noſcatur, hujus inveniendæ rationem ſimpliciſſimam & elegantiſſimam tradit, ex ipſa rei natura petitam. Præmiſſis hiſce, ipſum Problema præſens aggreditur; ac primo quidem, poſito tubo recto, eoque per axem tranſeunte, cum corpore unico. Methodus iterum eo redit, ut primo ex principiis præc. motus rotatorii definiat vires, ad motum tam corporis, quam tubi, producendum

Pag. 53.

Digitized by Google

ctum requiſitas; dein eas cum illis, quibus re vera ſollicitantur, comparet; unde emergunt æquationes, totaque difficultas ad ſolum calculum, quo ad integrationem perveniendum eſt, reducitur. Eidem tubo dein plura corpora ponit incluſa. Hic quidem generatim prodeunt æquationes differentiales admodum perplexæ; ad quarum tamen reductionem certis in caſibus pervenit Cel. Autor, ſingularibus artificiis analyticis uſus. Porro ſtatuit tubum adhuc rectum, ſed per axem non tranſeuntem, cum corpore unico. Denique tubum ſumit curvilineum. Notandum hic, principium conſervationis virium vivarum, una cum alio, quod princ. conſervationis momenti motus rotatorii dicit, æquationes ſtatim præbere, ad quas methodo directa, qua Noſter ubique utitur, non niſi poſt plures operationes pervenitur; at viciſſim ſolutionem generalem non ſufficere. Jam *Sectione III* caſum aggreditur, præcedentibus multo difficiliorem, quo tubus libere eſt mobilis. Generalia iterum initio tradit; oſtendit, quibus ſub conditionibus fieri queat, ut corpus circa axem quendam libere gyretur, quod derivatur ex principiis præc. motus rotatorii, dum vires omnes axem trahentes ponuntur, ſe mutuo deſtruere; quomodo præterea in corpore ineſſe poſſit motus progreſſivus; dein quomodo motus tam gyratorius, quam progreſſivus, a viribus ſollicitantibus mutetur; unde effectus potentiæ cujusvis in motu libero cognoſcitur. Ponitur autem, directiones virium ita eſſe comparatas, ut axis ipſe gyrationis maneat conſtans, ne, & hoc mutato, motus oriatur maxime complicatus. Ad ipſum nunc Problema accedens, primo tubum rectum in plano horizontali libere mobilem, cum corpore unico, examini ſubjicit; motumque ejus, tam progreſſivum, quam rotatorium circa centrum gravitatis, una cum motu corporis ipſius, determinat. Poſtea ſimiliter pro tubo curvilineo ſolutionem exhibet. Inſtituti noſtri rationem haud permittere, dolemus, ut pro dignitate uberius explicemus methodum, qua in integra hac diſquiſitione utitur Cel. Autor; ad ipſum itaque fontem ablegamus Mechanicæ ſublimioris amatores.

Pag. 100.

Digitized by Google

tores, e quo eo majori cum voluptate haurient, quod maxima perſpicuitate & ordine omnia explicata offendent.

Pag. 137. *Secundo* comparent loco *Tabulæ aſtronomicæ Solis & Lunæ*, quas in uſum Aſtronomorum hic ſolas exhibere conſtituit Cel. Autor; ipſa theoria nimis ampla, quam ut in hoc Faſciculo locum iuvenire poſſet. Equidem de *Tabulis* ejus *lunaribus* jam locuti ſumus in *Nov. Act. Erudit. Menſe Mart. P. I pag. 131*, cum quibus præſentes fere eædem ſunt, ſi correctiones & additiones quasdam excipias. Attamen, noſtrum cum inprimis ſit, augmenta ſcientiarum memoriæ tradere, haud incongruum putamus, de iis denuo verba facere, cultoribusque Aſtronomiæ gratiſſimum, certiores eos facere de inſigni hoc ſtudii indefeſſi, quo Cel. Autor Aſtronomiam feliciſſime promovet, fructu. Quamobrem primum Tabularum lunarium correctiones novasque acceſſiones momenti haud exigui enumerabimus; dein quoque novarum Tabularum ſolarium conſtitutionem exponemus. Calculum pro condendis Tabulis lunaribus, principio attractionis ſecundum theoriam *Newtoni* ſuperſtructum, Cel. Autor eo usque produxit, ut tituli ſingularum inæqualitatum, quibus lunæ motus ſubjectus eſt, innoteſcerent. Aſt non omnes æquationes inde cognitas pro iis emendandis in Tabulas redegit; ſed eas tantum, quæ in obſervationibus percipi poſſunt, atque ultra dimidium minutum primum aſſurgunt. Æquationes plerasque citato loco indicavimus; nunc emendationes ſunt recenſendæ. Radices longitudinis mediæ, anomaliæ mediæ, & loci medii nodi lunæ, aliquantum ex obſervationibus immutatæ & majores factæ ſunt. Eccentricitatem orbitæ lunaris conſtantis imminuit paululum Cel. Autor, eamque ad ſemiaxem orbitæ majorem poſuit in ratione 5364 : 100000; quamobrem Tabulæ inde pendentes exhibent æquationes paulo minores, quam ante. Nova adjecta eſt Tabula, *quinta* nempe, pro loco lunæ in orbita, quam l. c. omiſſam indicavimus, & cujus argumentum eſt: *a dupla diſtantia* ☉ *a* ☾ *ſubtrahatur, dupla anomalia lunæ eccentrica.* Hanc ex obſervationibus conſtruxit, & æquationem maximam in ea 8′. 30″ invenit.

Com-

Comparavit etiam æquationes, a ſole pendentes, cum obſervationibus; indeque intellexit, parallaxin ſolis horizontalem, antea 12½″ ſecundum recentiſſimas obſervationes aſſumtam, minuendam eſſe ita, ut nunc, vi ejusmodi concluſionum, limites parallaxis ſolis horizontalis poni debeant 9½″ & 10″. Majorem in hoc genere determinationum certitudinem ſane ſperare vix licet. Inde autem factum eſt, ut æquationes, a ſole pendentes, paulo minores, quam ante, prodierint. Tabulam *primam* pro loco lunæ in orbita excipit nova, ope cujus ex data lunæ anomalia media inveniri poteſt eccentrica, inſtar argumenti deinceps adhibenda. Reliquas immutationes minoris momenti ſilentio prætereamus. Dicamus nunc de *Tabulis ſolaribus*, ad alium quidem (ut novimus) finem, quam ut cum lunaribus conjungi debeant, conſtructis. Meridianum eæ agnoſcunt Berolinenſem, & reſpiciunt tempus currens ſtilo veteri. Radicibus mediorum motuum pariter, ac motibus mediis ipſis, æquationem applicuit Cel. Autor, de qua Aſtronomi huc usque non fuerunt ſolliciti. Scilicet e collatione omnis ævi obſervationum collegit, tempus periodicum ſolis, vel potius terræ, ſucceſſu temporis imminui, hocque decrementum ſingulis ſeculis unum fere minutum ſecundum efficere. Hinc radices mediorum motuum, ex hypotheſi motus æquabilis ſtabilitæ, & ipſi motus medii diverſis temporibus, correctione aliqua indigent, quam Cel. Autor Tabulæ *prima* adjunxit. Locum apogæi ſolis, & eccentricitatem orbitæ, quam ad ſemiaxem majorem ſumit in ratione 1676 : 100000, ex obſervationibus Cel. *Monieri* definivit; motum apogæi autem eundem effecit cum præceſſione æquinoctiorum, argumentis, quibus Aſtronomi utuntur ad ſingularem apogæi motum evincendum, haud ſatis firmis ipſi viſis. Præter æquationem, ab eccentricitate orbitæ pendentem, novam prorſus adjecit, quæ adſpectum ſolis & lunæ reſpicit, & ab attractione mutua terræ & lunæ originem trahit. Cum enim terra & luna circa commune centrum gravitatis revolvantur; neceſſe eſt, ut locus ſolis e centris terræ & gravitatis viſus aliquantum diverſus ſit, & diſtantia terræ a ſole inde quoque immutetur.

Æquatio maxima pro loco Solis definitur 15″, pro variatione diſtantiæ terræ a Sole = 7, poſita media diſtantia = 100000. Conſtructæ ſunt illæ æquationes, poſita Solis parallaxi horizontali = $12\frac{1}{2}'''$; qua, vi ſuperiorum, imminuta, iſtæ etiam æquationes correctionem admittent, ſuo tempore ſtabiliendam, quando de vera hujus perturbationis quantitate certius conſtabit. Tandem cum Tabula æquationis ellipticæ conjuncta quoque eſt ea, cujus ope anomalia Solis media in eccentricam poteſt transmutari, quam inſtar argumenti requirunt Tabulæ lunares.

Pag. 169. Sequitur 3) *Nova Theoria lucis & colorum.* Eo hæc redit, ut, lucem haud aliter, ac ſonum, per medium interjacens propagari, evincat; &, qua ratione id fiat, omniaque exinde explicanda ſint phænomena, oſtendat Cel. Autor. Ante omnia igitur contrariam opinionem, *Newtonianam*, nempe, qua lux per effluvia e corporibus lucidis propagari ſtatuitur, examini ſubjicit. Argumentum, quod ex ea contra propagationem per medium affertur, de inconvenientia ſpatii ubique pleni, nullo modo valere, oſtendit, cum, poſita propagatione per effluvia, non minus ſpatium omne plenum ſit his effluviis, & iis quidem motu perniciſſimo actis. Alterum, magis mathematicum, a *Newtono* in *Princip.* prolatum, quod pulſus ſonori, per medium elaſticum propagati, & per foramen conclavis ingreſſi, ſe quaquaverſum diffundant, cum contra lux in unica ſolum directione pergat, ita refellit, ut neget, pulſus ita ubique diffundi, ſonumque hac de cauſa ubique audiri; cum non ſolum nemo, ſonum audiens, eum ad ipſum foramen referat, ſed &, foramine obturato, is non minus percipiatur; oſtendat potius, hoc ideo fieri, quod ſonus ubique per parietes, non minus, quam lux per vitrum, tranſeat, &, ſi per unicum foramen intrare ei detur, non minus, quam lux, in directione rectilinea progreſſurus ſit. Præterea difficultates repræſentat ſummas, in opinione iſta obvias; ut ſubtilitatem materiæ lucis ſtupendam, eo requiſitam, ut Sol nullam inde jacturam faciat, cujus denſitatem computat eſſe debere in regione terræ ad denſitatem materiæ ſolaris = 1 : ad trillionem;

Digitized by Google

nem; colliſionem inter plures radios, in eodem puncto ſe decuſſantes, neceſſario oriundam, & directionem eorum immutantem; poros rectilineos, quibus corpora pellucida undique deberent eſſe perforata; & ſimilia. Cum igitur ſententia hæc ſatis everſa videatur; ſtatuit jam, lucem propagari per medium elaſticum, ſive ætherem, ſpatium omne replentem, idque ope pulſuum. Primo itaque in formationem & propagationem pulſuum generatim inquirit, idque e conſiderata natura ſoni. Oritur nempe ſonus e motu corporis vibratorio. Concipiatur ergo corpus ut chorda vibrans, medio elaſtico cincta. Dum ea verſus partem aliquam excurrit; particula medii adjacens compreſſa ſeſe reſtituere conabitur, & ſequentes impellet, ſimulque condenſabit; quæ vero condenſatio continuo decreſcet, quo magis a corpore receditur, & (ob elaſticitatem finitam) tantum ad certum terminum pertinget, ubi denſitas medii iterum erit naturalis. Dum vero particula in novo hoc loco ſeſe per certum ſpatium promovet; ſequentes iterum particulas usque ad certam diſtantiam condenſabit, atque ita porro. Oriuntur itaque in recta, a corpore extenſa, de loco in locum pulſus, hoc eſt, partes medii, extra ſtatum denſitatis naturalis verſantes, quibus motus continuo propagabitur. Jam, ad motum hunc pulſuum theoriæ ſubjiciendum, aſſumit Cel. Autor, pulſus uniformiter progredi, quod ſane experientia de aere confirmat. Quo poſito, cum *Newtonus* jam theoriam ejusmodi tradiderit *Princ. Lib. II Prop.* 47; eam non ſolum diſtincte hic exponit, ſed & ad inſtitutum inprimis applicat. Ex hac nempe, pro datis medii denſitate & elaſticitate, determinatur celeritas pulſuum. Quod etſi methodo tantum indirecta fiat; tamen vere exinde ſecum comparari poterunt celeritates pro diverſis mediis, cum quadrata celeritatum ſint, ut denſitates & elaſticitates conjunctim. Hinc, e cognita lucis velocitate, veroſimiliter determinatur denſitas & elaſticitas ætheris. Cum & e præcedentibus pateat, quomodo ab æthere, a corpore tremulo percuſſo, pulſus quaquaverſum propagentur, & quidem ſemper in directum; hinc intelligitur, quomodo nervos ſimili

modo,

Digitized by Google

modo, ac ſonus, afficere, & ſenſum viſus excitare, poſſint, & quare directio radiorum lucis ſit ſemper rectilinea. His expoſitis, jam, quid fiat, ſi plures pulſus a corpore vibrante medio elaſtico imprimantur, conſiderat Cel. Autor. Oſtendit, pulſu quovis uno ex loco ad ſequentia progreſſo, medium ibidem iterum in ſtatum quietis pervenire, adeoque quamvis vibrationem novum generare pulſum, perinde ac ſi nullus præceſſiſſet. Obiter ſententiam Cel. *Mairani* refellit, medium elaſticum particulis diverſimode tenſis conſtare, quarum quævis certi tantum motus vibratorii ſit capax, ſtatuentis. Porro, quomodo formetur radius lucis, isque vel ſimplex, vel compoſitus, exponit. Pulſibus nempe organum viſus attingentibus, oriri radium lucis in recta ad eorum centrum ducta; pulſus vero hos eſſe vel inter ſe iſochronos, vel non. Si omnes æqualibus temporibus inter ſe diſtent, radium fieri ſimplicem, cujus iterum infinita dari poſſunt genera pro diverſa cujusvis pulſus duratione; ſin inæqualibus, radium oriri compoſitum, qui inprimis a pluribus ſimplicibus coaleſcentibus formetur, ac in eos iterum reſolvi poſſit. Pergit jam ad reflexionis ac refractionis naturam explicandam. Illa quidem facile intelligitur, cum, poſita ſuperficie elaſtica, ad quam pulſus appellant, jam ex reflexione corporum elaſticorum conſtet, illorum directionem mutari ſolam, motum vero plane non affici; unde pulſus poſt reflexionem haud aliter progredientur, ac ſi e puncto poſt ſuperficiem, ut notiſſimum, forent egreſſi. Pariter modo admodum naturali & plano refractionem explicat, dum nempe, radio lucis in medium ab æthere diverſum ingrediente, in quo pulſus alia celeritate moveantur, earum poſitio neceſſario inclinata fiat ad poſitionem priorem; ita quidem, ut ſinus angulorum cum perpendiculo ſint, ut celeritates, quod & ex lege viæ breviſſimæ alii jam deduxerunt. Diverſam vero refrangibilitatem radiorum lucis a diverſa pulſuum frequentia deducit, ita ut color rubrus pulſibus celerioribus, violaceus tardioribus, formetur (adeoque ille cum ſonis acutioribus, hic cum gravioribus, comparari queat,); unde ille minorem, quam hic, refractio-

ctionem patietur. Ipſam vero hanc variam pulſuum celeritatem e ſole ita derivat, ut, quamvis particulam in ſolis ſuperficie vibrationibus non iſochronis agitari, ſtatuat, quod ex vehementiſſimo, quo inter ſe perpetuo agitantur, motu oriatur; unde intelligitur, quomodo quilibet radius ſolaris in plures coloratos reſolvi poſſit. De reliquis corporibus lucidis erit par ratio; hancque theoriam confirmat, quod fortior ſemper rubrum, debilior violaceum, colorem ſuppeditet. Denique corporum lucentium, reflectentium, refringentium, opacorum, natura eodem ex fundamento declaratur. Lucentia enim erunt corpora, quorum particulæ in motu continuo, eoque vibratorio, erunt conſtitutæ. Reflectentia autem, quorum particulæ carent ejusmodi motu, ſunt elaſtica, ut lucem repellant, corpusque, e quo egreſſa eſt, viſui repræſentent. Refringentia, ſive pellucida, quæ pulſus non reflectunt, ſed cum partibus ſuis interioribus communicant, ac, ut in æthere, per ſubſtantiam ſuam propagant; quarum adeo particulæ non ſolum debent eſſe compreſſionis capaces, ſed & ita inter ſe connexæ, ut eam vicinis communicare, & ſecundum rectas propagari, poſſint. Ad opaca tandem, quod attinet, rejicit Cel. Autor communem ſententiam, quod ea per reflexionem radiorum conſpicua reddantur; cum non ſolum ita ad reflectentium claſſem pertinerent, non ſe ipſa, ſed objecta, unde radios acceperunt, referentium; ſed &, ob indolem radiorum per reflexionem non mutatam, nulla eſſet ratio, cur iidem radii diverſis coloribus ab opacis redeant. *Newtoni* vero opinionem de refractione radiorum in ſuperficie corporis, & eorum tantum reflexione, quæ cum colore ejus conveniant, non minus refellit; cum utraque ab obliquitate radiorum incidentium pendeat, nullaque adeo cauſa ſit, cur idem corpus eundem ſemper colorem emittat. Potius ſtatuit, opacorum naturam ita eſſe comparatam, ut radii lucis in earum ſuperficie motum vibratorium excitent, quo ipſo novi pulſus efficiuntur. Unde liquet, quare opacorum lux ſit multo debilior ea lucidorum; item, quare non corpora, unde lucem acceperunt, ſed ſe ipſa, referant. Color autem ipſe a tenſione & vi elaſtica particu-

Hh hh larum

larum pendebit, unde certus dato tempore oritur vibrationum numerus. Item, prout eæ vel æquabiliter erunt tenſæ, vel diverſæ tenſionis inter ſe permixtæ, color vel ſimplex, vel compoſitus, apparebit. Facile quoque intelligitur, quid accidat, ſi plures enumeratarum qualitatum in eodem corpore conjungantur. Quæ omnia cum phænomenis mirum in modum conſpirant; adeo ut integram hanc theoriam naturæ maxime conſentaneam arguant.

Pag. 245. *Quarta* Diſſertatio *de Relaxatione motus planetarum, a reſiſtentia ætheris orta*, agit. Ætheris primo exiſtentia exinde ſatis liquet, quod, quicquid etiam de exiſtentia vacui ſtatuatur, tamen ſpatium, quo planetæ moventur, ſi nulla alia materia, certe ea, repletum ſit, qua lux propagatur, quomodocunque id demum fiat, quæque ætheris venit nomine. Ad reſiſtentiam vero ejus quod attinet, ea omnino locum habebit, niſi is eadem prorſus celeritate & directione cum planetis moveatur. Si autem hoc eſſet; cometæ, motum prorſus oppoſitum habentes, eo majorem non ſolum reſiſtentiam experirentur (quod quidem nondum ſatis certo ex obſervationibus hactenus colligere licet,); ſed &, quod eſt maximum, caudæ eorum ſemper in eandem directionem cum æthere deflecterentur, quod experientiæ prorſus contrariatur. Videtur itaque, ætherem nullo cieri motu notabili; unde neceſſario planetis reſiſtentiam quandam faciet, eamque talem, (ut docebunt ſequentia,) qua tam tempora periodica, quam eccentricitates, minuantur. Ad hanc quidem detegendam nec antiquiſſimæ, nec medii ævi, obſervationes ulli ſunt uſui, cum nimis ſint rudes, quam ut res momenti adeo exigui exinde definiri queat; præterea ex ipſis tempus periodicum non verum, ſed medium quoddam, reperiatur. Hoc tamen negari nequit, quo longius in antiquitatem receditur, eo majorem haberi & annum tropicum, & eccentricitatem. Quicquid ergo ſit, hoc certe colligitur, reſiſtentiam iſtam eſſe perquam minimam. Ponit autem Cel. Autor denſitatem ætheris ad aeris denſitatem (ex theoria lucis præcedente) circiter 400000000 : 1. Ut ergo perturbatio motus planetarum

rum ab hac reſiſtentia, quanta ſit, cognoſcatur; ſequentis Problematis ſolutionem hic exhibet: Invenire motum corporis, vi centripeta in ratione reciproca duplicata diſtantiarum attracti, & reſiſtentiam, quadratis celeritatum proportionalem, patientis. Quod quidem jam in *Mechanica* tractavit; at, ob æquationes valde perplexas, non abſolvit. Ex hac ſolutione, non ſine multis artificiis analyticis ad finem perducta, fluunt ſequentia: Perihelia a reſiſtentia ætheris non mutari, adeoque motum abſidum exinde haud recte derivari; idem valere de nodis; aphelia vero periheliis non directe opponi, ſed planetam paulo prius ad aphelium, quam ad locum perihelio oppoſitum, pervenire; revolutione qualibet, tam perihelii, quam aphelii, diſtantiam, adeoque & axem orbitæ transverſum, & eccentricitatem, minui; tandem tempus periodicum quoque decreſcere. Applicat Cel. Autor hæc inventa ſpeciatim ad motum terræ. Si quidem æquatio maxima, quam inter & eccentricitatem mutua eſt relatio, ſecundum obſervationes omnis ævi Aſtronomorum examinetur; maximum diſcrimen deprehenditur, ita tamen, ut plerumque a veteribus multo major habeatur, quam a recentioribus. Ita *Ptolemæus* eam 2° 23′, *Tycho* 2° 3′ 15″, *Newtonus* 1° 56′ 20″, ſtatuit. Si jam duæ poſtremæ, reliquis veriores habendæ, comparentur; æquatio 100 annis fere 7′ decreviſſe cenſenda eſſet, unde tempus period. ſexta parte diminueretur; quod cum ſit abſurdum, diminutio hæc, ſi quidem tanta ſit, alii cauſæ adſcribenda eſſet. Si ergo potius tempus periodicum conſideretur, equidem hoc (ut jam ſupra diximus,) difficulter pro variis ævis cognoſcitur; attamen, cum jam illud ſtatuatur 365ᵈ 5ʰ 48′ 55″, ab antiquiſſimis 365ᵈ 6ʰ, ſeculis proxime elapſis autem major, quam 365ᵈ 5ʰ 49′; vero proxime ſumi poteſt, id ſingulis ſeculis minui 5″. Exinde vero reſiſtentia prodit fere tanta, quanta ſupra aſſumta eſt; unde liquet, eam non eſſe majorem, quam ut cum obſervationibus conciliari queat. Denique hinc decrementum eccentricitatis & æquationis maximæ non niſi multis ſeculis foret ſenſibile; id quod etiam de angulo aphelii cum oppoſitione perihelii locum habet.

Pag. 277. *Quintum* Schediaſma inſcribitur: *Enodatio quæſtionis: Utrum materiæ facultas cogitandi tribui poſſit, nec ne, ex principiis mechanicis petita.* Principio oſtendit, ad decidendam hanc cauſam, eam ſolum eſſe relictam, ut videatur, an facultas cogitandi uni notarum materiæ proprietatum contradicat. Miſſis duabus, extenſione, & impenetrabilitate, e tertia, non minus late patente, vi inertiæ, id derivare conatur. Naturam hujus vis primo diſtincte explicat. Totum dein ratiocinium eo redit: Vim inertiæ eſſe vim corporis, ſtatum ſuum perpetuo conſervandi; cogitationem autem in perpetua ſtatus mutatione conſiſtere; hanc ergo facultatem illi e diametro opponi, adeoque in eodem ente ineſſe non poſſe.

287. Agmen claudunt 6) *Disquiſitiones phyſicæ de natura minimarum materiæ partium,* Gallico idiomate. Harum argumentum id eſt: varietatem quidem in mundo eſſe infinitam; attamen dubitari poſſe, an non minimæ corporum partes ſint inter ſe ſimiles, imo rationes id ſuadere. Demonſtratum eſſe, pondera corporum eſſe maſſis proportionalia; idemque adeo in minimis eorum moleculis locum habere. Gravitatem autem non, niſi a preſſione fluidi ſubtiliſſimi in moleculas oriundam, poſſe concipi. Hanc preſſionem, ex Hydroſtaticis, volumini eſſe proportionalem. Pondus ergo molecularum, ideoque & earum maſſam, eſſe ut volumen; eas igitur omnes eſſe gravitatis ſpecificæ & denſitatis. Cum natura eandem legem gravitatis procul dubio ubique ſequatur; denſitatem hanc eandem ubique in mundo locum habere. Porro moleculas iſtas veroſimiliter eſſe perfecte ſolidas, poriſque omnimode deſtitutas. Ceterum hactenus dicta nullo modo competere ipſi materiæ, gravitatem corporum producenti. Optime igitur ſtatui, duas materiæ in univerſo eſſe ſpecies: alteram, corpora ſenſibus obvia componentem, cujus moleculæ denſitate æquali, eaque maxima, gaudeant; alteram alius longe indolis, longe ſubtiliſſimam, ætherem, cauſam gravitatis, & absque dubio etiam luminis.

JO.

Digitized by Google

JO. GEORGII SCHELHORNII EPISTOLA de Conſilio de emendanda eccleſia juſſu PAULI III P. R. conſcripto, ſed ab eodem neglecto, atque executioni non mandato, ad Emin. & Rev. ANG. MAR. Card. QUIRINIUM. Acceſſerunt præter ipſum de emendanda eccleſia Conſilium mutuæ de illo JAC. Card. SADOLETI & JO. STURMII Epiſtolæ.

Tiguri, ſumtibus Heideggeri & Soc. 1748, 4 maj.
Plag. 14.

Laudabile ſuum Celeberrimus Autor proſequitur inſtitutum, &, non vano litigandi pruritu, ſed ut Em. Cardinalis obteſtationibus morem gereret, fidem a ſe datam exſoluturus, nunc evincere annititur, *Conſilium* de emendanda eccleſia auſpiciis *Pauli III* ſuſceptum, ſeu tentatum potius, in ſpongiam incubuiſſe, ac præclaras, in illo comprehenſas, monitiones executioni datas non eſſe. In univerſum veritatem hujus rei comprobant Triumviri fide digniſſimi, *Antonius Florebellus*, *Ludovicus Beccatellus*, & *Julius Clemens Scotus*. Prior horum in Commentario de vita *Jacobi Sodoleti* diſertis verbis commemorat, *Sadoletum* Romam per literas fuiſſe evocatum, ut in communionem rerum gerendarum veniret, ſed, cum tota ea res de conſilio emendandæ eccleſiæ ob multas & magnas difficultates & impedimenta, quæ objici videbantur, vel refrixiſſet, vel in aliud tempus dilata fuiſſet, eundem virum graviſſimum, non amplius ſibi tempus Romæ terendum exiſtimantem, de reditu cogitaſſe. Idem teſtantur reliqui duo teſtes, alter in *Vita Reginaldi Poli*, ab *Andrea Dudithio* Latine reddita, alter vero in opuſculo *de Autoribus generatim ſeligendis*, quod cum alio libro ante centum fere annos Patavii prodiit. His præmiſſis, Cel. Autor lugubres illuſtrium quorundam Romani cœtus virorum querelas profert, quas veritas ipſis extorſit, de graviſſimis abuſibus, curiam & eccleſiam Romanam deturpantibus, e quibus elucet, *Conſilium* Pag. 4.

 iſtud

Pag. 5. iſtud ſatis decantatum ſucceſſu caruiſſe, & *Paulum III* emen-
dationi, in illo præſcriptæ, nuntium remiſiſſe, nullamque inde
in ipſum gloriam redundare. Producitur hic in ſcenam pri-
7. mus *Guilielmus Lindanus*, Epiſcopus Ruremondenſis, & acer-
rimus eccleſiæ Romanæ promachus, cujus verba, hic ex-
citata, eo majorem fidem merentur, quo major fuit hu-
jus viri inter Pontificios autoritas. Excipit hunc *Franciſcus*
Duarenus, JCtus ſui temporis immortali eruditione atque
eloquentiæ laude florentiſſimus, qui hinc inde hac ſuper re
multum in opere ſuo *de eccleſiæ miniſtris* queritur, &
maxime de aſſiduitate beneficiariorum neglecta, eorumque
vitiis turpiſſimis, atque peſſimis moribus, lamentationes pro-
fert juſtiſſimas & moleſtiſſimas. Non quidem ignorat No-
ſter, librum hunc egregium *Duareni* in Indicem librorum ex-
10. purgandorum a Card. *Quiroga* eſſe relatum; ea tamen non
impediunt, quo minus, vere omnia a *Duareno* dicta eſſe, exi-
ſtimetur. Hac data occaſione Autor refert, ſe hujus libri
poſſidere exemplum, diros inquiſitorum ungues paſſum, &
hoc nomine multo omnino carius centenis aliis, licet ita ſit
dilaceratum, atque deturpatum, ut ſine commiſeratione vix
12. manu teri atque adſpici poſſit. Miratur tamen Noſter, cur
Inquiſitores non integrum librum in indicem atrum
retulerint, cum teſtimoniis veritatis, eccleſiæ Romanæ
inviſis, abundare recte videatur. Non pauca etiam, in-
ter abuſus tollendos in novemvirali conſilio relata, ipſum
Paulum III A. 1548 ab Epiſcopis Provinciæ & Britanniæ
Gallicæ poſtulaſſe, apparet ex communi eorum Meloduni
congregatorum ſententia de jure, quod ille ſibi Pontifex in
13. eos præſules aſſerere voluit, quam *Stephanus Baluzius*, vir
præſtantiſſimus, *Miſcellaneis* ſuis inſeruit. De auri ſacra fa-
me ſalſe admodum dixit quondam *Majoragius*, eloquentiæ
fama celeberrimus, & *Paulo III* æquævus, in Oratione, quæ in-
ſcribitur *de laudibus auri*, dudum quidem ſuppreſſa, at ſtudio
14. *Gudii* & *Morhofii* luci publicæ reſtituta. Præcipuos etiam
abuſus, quos, *Paulo III* curante, ſublatos tam ardenter cupie-
bant delecti Novemviri, adhuc viguiſſe, cum *Pii IV* auſpiciis
Syno-

Digitized by Google

Synodus Tridentina celebraretur, atque adeo illos ſurdo narraſſe fabulam, ſolis luce clarius eniteſcit ex conſultatione, glorioſiſſimi Imperatoris *Ferdinandi I* juſſu inſtituta, de capitibus reformationis, in Synodo illa propoſitis ac proponendis. Sane hoc teſtimonium omni exceptione majus videtur, niſi Pag. 19.
ſtatuere, quod nefas, velimus, Hiſpanos æque atque Gallos omnium rerum fuiſſe ignariſſimos, vel frivolorum mendaciorum architectos. Inde vero liquet, conſilium de emendanda eccleſia a *Paulo III* & ſucceſſoribus fuiſſe neglectum, & plane repudiatum. Sed &, colophone jam Synodo Tridentinæ impoſito, præcipuos abuſus, in laudato conſilio reprehenſos, nondum in curia & eccleſia Romana fuiſſe abolitos, apparet ex *Georgii Wicelii*, qui, *Chriſtophoro Browero*, Jeſuita, judice, eccleſiæ Pontificiæ propugnator acerrimus fuit, *elencho* 20.
abuſuum, corruptelarum, deformitatum, vitiorum, & deliquiorum præcipuorum in eccleſia Romana, *Ferdinandi I* & *Maximiliani II*, glorioſiſſimorum Imperatorum, juſſu conſcripto, & *Via regia* ſubjuncto. Ne quis vero putet, Germanos tantum adeo graves, atque ſimulare neſcios, curiæ Romanæ fuiſſe cenſores, doctrina æque atque pietate inſignis Gallus, *Claudius Eſpencaeus*, idem teſtatur in Operibus ſuis Latinis, Pari- 24.
ſiis A. 1619 in fol. excuſis, ac hodie rariſſimis, plurima tamen 32.
veritatis teſtimonia in ſe continentibus, ex quibus quamplurima ſatis copioſe huc afferuntur. Ne quis vero exiſtimet, Le- 35.
gatis ſolum Pontificiis, in Galliam miſſis, tantum poteſtatis fuiſſe conceſſum; de Germania Noſter idem comprobatum dat, monumentum huc afferens, cujus exemplum coævum bonis ominibus in manus ipſius inciderat. Conſiſtit ve- 36.
ro illud monumentum ex Diplomate, a Papa *Clemente VIII* illuſtriſſimo Cardinali *Madrutio*, ad comitia imperii, Ratisbonæ A. 1594 celebrata, Legato de Latere, dato, quod Apoſtolicas facultates, ipſi conceſſas, atque *διχονοσεδίαν* deplorandam, a cu- 38.
ria Romana agitatam, docet, & vanitatem conſilii, de emendanda eccleſia a *Paulo III*, ejusque ſucceſſoribus, ſuſcepti, ſole meridiano clarius demonſtrat. Eandem auri ſacram famem comprobat liber hodie minus obvius, *Taxa* nempe *Cancellariæ* 39.
Roma-

Digitized by Google

Romana, notis illuſtrata, ac publicæ luci ſuperiori Seculo Franekeræ a *Laurentio Banck* expoſita. Præter hoc lucroſum flagitium inter abuſus, a curia Romana tollendos, laudati conſultores fœdiſſima ſcortorum Romanorum referebant flagitia,
Pag. 40. de quibus *Agrippa* commemorat, ſcorta illa in ſingulas hebdomadas Julium pendere Pontifici, eumque cenſum annuum nonnunquam viginti ducatorum millia excedere. Idem fatetur *Stephanus Infeſſura*, in *Diario* urbis Romanæ, cujus editionem *Eccardus* integram, *Muratorius* caſtratam, dedit. Et hæc ad recentiora *Sixti IV* tempora pertinent. Quæ ergo fuerit anteacta emendatio, non videmus. Nec poſtea ſub regimine *Innocentii VIII*, Pont. Max. hæc res in aliam muta-
42. ta faciem videtur, usque dum, *Pio V* claves imperii Romani moderante, ſeveriſſime fœda illa libido coerceretur, quod indicio eſt, nec *Paulum III*, nec proximos ejus ſucceſſores, de tollendis hiſce flagitiis ſerio cogitaſſe, quod ſine du-
44. bitatione ulla *Thuani* teſtimonium de *Pio V* planum facit. Ceterum *Clarii*, *Tapperi*, & *Lindani*, teſtimonia confirmant, ne micam quidem ſanctitatis in Catholicorum, tunc temporis in quæſtus turpiſſimos incumbentium, cœtu ad-
46. fuiſſe. Jam diligenter disquirit Noſter, an ille ipſe, cujus in geſtis expreſſam optimi ſapientiſſimique Pontificis imaginem deprehendiſſe ſibi Cardinalis *Quirinius* videbatur, iis in rebus, quas per eum probe curatas delecti novemviri ardentibus vo-
47. tis cupiere, aliis exemplo ſuo præluxerit. Ex variis hinc ſpeciminibus probatum Noſter dat, ea peragere ſibi religioni non duxiſſe illum, quæ novemvirali conſilio e diametro oppoſita erant. Monuerant delecti Cardinales, in ſacrum Epiſcoporum ordinem adoleſcentes non eſſe recipiendos; at
48. nihili hæc habens *Paulus III*, non ſolum in hunc, ſed in Cardinalium etiam, ordinem adſcivit adoleſcentes, pueroſque, non publicæ ſane utilitatis, ſed ſanguinis, cauſa tantis honoribus ornatos, quod præter novemvirale conſilium pri-
51. ſci Canones deteſtantur. Confutantur hinc omnia, quæ eo nomine in laudem & gloriam *Pauli* dixerat *Quirinius*, recte monente Noſtro, aliorum Pontificum exempla hic non

recte

Digitized by Google

recte recenſeri, quia partium ſtudium illius rei veritatem &
laudem tollat. Delecti novemviri in ſuo conſilio atro quo-
que calculo notarunt varios turpes abuſus, in collatione bene-
ficiorum, penſionibus conſtituendis, reſervationibus, & gra- Pag. 53.
tiis, quas nominant, exſpectativis, aliisque in rebus quamplu-
rimis. Sed hos abuſus omnes exercuit *Paulus III* in ſuis ne-
potibus, ac præſertim in maximopere ſibi deamato *Alexandro*
Cardinali *Farneſio*, de quo unicum, ſed valde memorabilem
huc affert locum Noſter ex *Ant. Mar. Gratiani*, Epiſcopi
tandem Amerienſis, Commentariis de vita & geſtis *Jo. Frid.*
Commendoni Lib. IV Cap. 16 & *17*, ſed & in altero nepo- 55.
te, *Guidone Aſcanio* Card. *Sfortia*, oſtendit *Paulus III*, monita 57.
Novemvirorum ſibi curæ cordique non eſſe. Præter ea Cel.
Autor documento, omni luce clariori, demonſtrat, ipſos Con-
ſilii Autores, illi conſilio ex diametro adverſantia committere, 59.
religioni ſibi non duxiſſe. Abuſum, dicunt, invaluiſſe ſatis
gravem, ut Reverendiſſimis Cardinalibus Epiſcopatus confe-
rantur, ſive commendentur, non unus tantum, ſed plures. Et
ipſe *Contarenus* fuit Epiſcopus Bellunenſis, *Sadoletus* Carpen-
teractenſis, *Caraffa* Archiepiſcopus Theatinus, *Fregoſius*, cui 60.
purpuram obtruſit *Paulus* Pontifex, Salernitanus, *Aleander*
Brunduſinus, ac *Polus* tandem Cantuarienſis, iſtique omnes ſi-
mul purpurati eccleſiæ Romanæ patres erant, inter quos *Polus* 61.
poſtea contrarium illi ſententiæ aſſeruit, quod ipſe Eminentiſſ.
Quirinius docet in egregia epiſtola ad *Benedictum* Papam, die
IX Febr. ſuperioris anni publice data. Ceterum, qui Romæ,
in illa nobiliſſima religionis arce, obtinuerint mores tempo-
re *Julii III*, qui *Pauli* noſtri ſucceſſor fuit, & ætate ejus Ponti-
ficatum antegreſſa, luculenter nos docet teſtis minime ſuſpe-
ctus, ſed curiæ Romanæ addictiſſimus, omnique adeo exce-
ptione major, *Ant. Mar. Gratianus*, qui in *Commentariis de
vita Jo. Franc. Commendoni Lib. I Cap. 13* copioſe omnia
enarrat. Palliare quidem multa eorum conatur *Pallavicinus*, 63.
ſed jam dudum *Seckendorfius*, & Theologus magni no-
minis *Buddeus*, effigia ipſius ſub incudem revocarunt, & ve-
ritatem luci ſuæ reſtituerunt. Provocaverat pro cauſa ſua
defendenda *Quirinius* ad teſtimonium *Contareni* quoddam,

ſed, nihil hoc cauſam juvare ipſius, præclare Noſter docet, &
deinde ad reliqua excutienda progreditur, quæ de conſilio il-
Pag. 64. lo Novemvirali commemoraverat Cardinalis Eminentiſſimus.
Summa dicendorum eo forte redit, decreta ſaluberrima in ne-
gotio emendandæ eccleſiæ executioni data non fuiſſe, & Sy-
nodum Tridentinam decretis præclare ſonantibus, at nihil va-
65. lituris, orbem ludificari voluiſſe, quod locupletiſſimi teſtes af-
firmant, diligenter ab Autore excitati. De Gallia rem ean-
69. dem deplorat laudatiſſimus *Eſpencæus*, his quidem verbis: *Nam*
continuo paſtores etiam Tridento reduces, & canonum reforma-
toriorum, & reſidentiæ ac prædicationis præceptoriorum condi-
72. *tores, poſt Synodum etiam a Pontifice confirmatam, vel plus ſo-*
lito in paſcuis aſſidui, vel minus in cathedris inauditi? Ma-
gna, ut antea, abſentia, & æquale propemodum ſilentium. De-
ficere malunt, quam deſinere. Præſtantiſſimos quosdam vi-
ros a *Paulo III* in purpuratorum patrum adſcitos fuiſſe ſena-
tum, nemo quidem negat, ſed, nomen reformationis eccle-
73. ſiæ hoc facinus mereri, contra Emin. *Quirinium* recte No-
ſter negat. Quin imo cum *Bilibaldo Pirckheimero* & *Eraſmo*
Roterodamo non ſine cauſa affirmari poteſt, *Lutherum* perexi-
mios illos viros creaſſe Cardinales. In dies enim novas vi-
res capiente Evangelii doctrina veriſſima, & majeſtate ſpecio-
74. ſa Pontificis valde nutante, atque ruinas multis in locis gra-
viſſimas minante, indigebat Papa ſtrenuis propugnatoribus, ac
ingenio doctrinaque valentibus adminiſtris, quorum conſi-
lio ac ſolertia autoritas ipſius vacillans ſuſtentaretur atque
confirmaretur. Hoc quidem prudentiæ *Pauli III* eſt tribuen-
dum, quod variis honorum incitamentis ſumma ingenia ad ſuas
partes propius vocaret, & ad arma capienda excitaret, quibus
tamen, ſi dicendum, quod res eſt, viam *Lutherus*, ſuis adverſus
Pontificiam doctrinam moliminibus, ad ſummas in eccleſia Ro-
mana dignitates paravit. Sub finem Epiſtolæ, diligentiſſime per-
ſcriptæ, affert ex *Thuano* Noſter aliquid de *Pio IV*, ſub quo con-
ſilium ad exitum perductum eſt. Ille, gravi Romæ in Cardina-
lium conſeſſu habita oratione, Synodi acta confirmat, quæ, mores
eccleſiaſticorum jam eſſe mutandos, pronuntiavit, &, quod fi-
nis

Digitized by Google

nis Concilio eſſet impoſitus, Deo gratias agendas. Sed, vix confirmatis Concilii Tridentini decretis, eodem *Thuano* teſte diligentiſſimo, gratiam multarum rerum, quæ Concilio Tridentino prohibitæ fuerant, palam & in occulto accepta pecunia, ille fecit. Ex quo apparet, quam egregiam emendationem præſtiterit, quamque præclarum aliis exemplum præbuerit *Pius IV*, Pontifex Maximus. Aliis in poſterum, ſi vita vireſque ſuppetant, Celeberrimus Autor Epiſtolis, pedetentim ſecuturis, varia de *Paulo III*, Card. *Polo*, & *M. A. Flaminio*, ſe excuſſurum, liberaliter promiſit; quod promiſſum uti optimis quibusque gratiſſimum eſt, ſic & hoc laudandum inprimis ducimus, quod ipſum illud *de emendanda eccleſia Conſilium*, *Sturmii*que ac *Sadoleti* de eo Epiſtolas mutuas, publica donare luce voluit. Pag. 25. 26.

ORATIONES JOSEPHI RINALDI, IN SEminario Patavino Studiorum Præfecti.

Patavii, typis Seminarii, apud Joannem Manfre, 1746, 8.
Plag. 18.

Non ſolum antiquitatum ſtudioſos, pictores, ac Poetas, ſed & Oratores, fert Italia. Id non pauci adhuc docuerunt, atque hic inſigni ſpecimine probat *Rinaldus*. Continentur hoc volumine ſpecimina XV, eademque ſic comparata, ut Philologum ac Philoſophum, non ſolum Oratorem, agnoſcamus. Ipſa id ſtatim argumenta demonſtrant. Præbent iſta lingua Latina, ars oratoria, eloquentia ſcholaſtica, vaniloquentia ſcholaſtica, ſectæ Philoſophorum, Theologia Scholaſtica, Theologia dogmatica, encyclopædia, ingenii moderatio, philavtia, verus literarum finis, ſuique ipſius cognitio. Quibus accedunt ad *Joannem Minotto-Ottobonum*, primarium antiſtitem Patavinum, inque funere illius Orationes, una cum Epiſtola, prioris gratulatoriæ editioni priori præfixa. Itaque, horum quæ ducit, Latine ſcire & per ſe magnum eſſe, &, ſi negligatur, magnis rebus non concedere locum, oſtendit. Commendatur hic lingua Latina tanquam Italicæ parens, tanto ab

Digitized by Google

omnibus ardentius ediſcenda. Attamen notabiliora ſunt
verba, quibus & a Theologis, Juriſperitis, Philoſophis, Diale-
cticis, puritas & caſtitas ſtili poſtulatur, & barbaries illa Scho-
Pag. 1. laſticorum penitus excludenda proponitur. Dolendum ſane
8. eſt, homines, alioqui non inficetos, malle tamen Romæ plenos
ruris eſſe, quam optimum quemque ſcriptorem æmulari.
17. Neque hoc ſolum exagitant puritatis amantiores, ma-
gnisque recentiorum nominibus tecti; quaſi tutelam præbeat
multitudo peccantium, laſciviunt. Legant iſti, odio, quod
non didicerunt, proſecuti, quos Orator ille noſter commendat,
&, unguento ab oculis abſterſo, cernant acutiores. Sed comi-
temur ipſum, qui *Oratione ſecunda*, ad oratoriam artem idonea
non eſſe, niſi ingenia ſuapte natura fœcunda, confirmat. Docet
illud exemplo *Sulpicii Cicero de Orat. Cap. 21*, item in *Bruto*
Cap. 55, atque ipſius *Ciceronis*, cujus inprimis ex *Oratione pro*
Roſcio Amerino de parricidarum ſupplicio notabilis locus lau-
datur: quo tempore redundantes in juvenili æſtu oratores
20. omnibus votis deſiderat Autor. Hic enim futurum confidit,
24. ut ubertas, quantamcunque tales afferant, mutetur frugibus,
tumor ſucco, acerbitas lenitate. Adducit deinceps *Quintilia-*
25. *ni* teſtimonium *II, 4*: *Facile remedium eſt ubertatis; ſterilia*
nullo labore vincuntur. Eadem data occaſione de naturæ
ipſius ad varios fines hominum deſtinationibus diſputat egre-
30. gie. *Oratio tertia* ex inſtituto probat, in gravioribus artibus
& diſciplinis elocutionis curam non eſſe negligendam. Ibi
31. de Philoſophis loquens, iisdemque ſtili commendans caſtita-
tem, de hac ipſa ſcribit: Numerat inter primos *Platonem* illum,
34 ſeq. *Ciceronis* judicio (in *Orat. Cap. 19*) omnium, quicunque ſcripſe-
runt, aut locuti ſunt, & copia dicendi, & gravitate, principem,
37. quem ſuo ipſa artificio tanquam optimi Philoſophi exemplar
effinxit, multo (profecto) induſtrior, quam illæ apes, quas ei-
dem in cunis parvulo dormienti in labellis conſediſſe ajunt, &
45. dulciſſima alimenta inſtillaſſe (*Cic. de Divin. Lib. I Cap. 36*,
Val. Max. Lib. I Cap. 6). Jam, a *Platone* ad ejus diſcipulos
gradu facto, ſibi præcipue plaudit in *Ariſtotele*, quem ingenio
præſtantem, & ad philoſophica apprime factum, ita ſuis arti-
bus

bus informavit, ut *Iſocratem* ipſum potuerit, eloquentiæ pa-
trem a Græcis appellatum, laceſſere; quæque deinceps ſequun-
tur: Quæreret, utrum *Platonis*, aut *Ariſtotelis*, ſe eſſe ſimiles
mallent, qui & ea, quæ ſubtiliter diſſerenda erant, polite Pag. 48.
apteque dixerunt; an illius *Epicuri*, &c. *Oratione quarta* probat,
graviores artes & diſciplinas ita tractandas eſſe, ut rerum, 56.
quam verborum, cura ſit potior; *quinta*, nullam præcipue in
Philoſophia ſectam eligendam; *ſexta*, Philoſophos debere in 73.
veterum juniorumque doctrina promiſcue verſari; *ſeptima*, 90.
perfectum Theologum ſine Philoſophia neminem eſſe poſſe. 106.
Scribit hic inter alia Orator: Fuit quidem tempus, atque uti-
nam ejus temporis maculam ætas noſtra omnino eluiſſet, cum 108.
exſtitere homines tam addicti Philoſophiæ, ut ad ejus ar-
bitrium & nutum fidem ipſam converterent, & celeberri- 109.
mos illos ejus artis antiſtites, *Platonem* & *Ariſtotelem*, eo-
dem pæne jure ac Prophetas, Apoſtolos, Evangeliſtas, in
theologicis exhedris collocarent. Ibidem, qui antea jam
in partes noſtras ignorantiam ac barbariem ablegarat, nunc
aliis perſuadere ſtudet, in Germania jam pridem, quod
Novum Teſtamentum recitare memoriter poterant, cerdo-
nes ac ſutores magnum in Theologis nomen habuiſſe; item-
que *Lutherum* & *Calvinum* ſacram doctrinam Philoſophiæ 116.
præſidio ſpoliandam, & inermem armatis, ad certum interitum,
objiciendam, curaſſe. Miramur profecto, quam in diverſas par-
tes velut obcæcatos ejusdem doctrinæ ſtudioſos rapuerint præ-
conceptæ opiniones atque animus commotus. Eodem referi- 121.
mus, quando dicitur *Oratione VIII*, *nullum unquam atrocius bel-
lum religionem vidiſſe, quam in Germania Seculo ſexto decimo,
non alia profecto de cauſa tot cladibus & tam luctuoſis debili-* 131.
tata & afflicta, niſi quod ii Theologi, quorum armis ingruentes 143.
*hæreſes frangendæ erant & profligandæ, non habuerunt niſi a-
rundines longas.* Quod quidem alio ſenſu agnoſcere poſſumus
omne. Juſtiſſimo enim bello pax parta fuit; & male omnino
fecerunt male armati, qui ſeſe opponebant. *Oratione IX* oſten-
ditur, ingenium præſtans multa complecti debere. *Oratione X*
diſputatur adverſus ingenia, quæ nimis multa complectuntur;

Digitized by Google

Pag. 178. *XI* demonſtratur, in literaria republica nullam peſtem
197. eſſe majorem, quam Φιλαυτίαν; *Orat. XII*, literatum vere dici
215. neminem poſſe niſi virum probum; *Orat. XIII*, cognitionem omnem & ſcientiam non inanem modo, ſed etiam peſtiferam, eſſe, ſi deſit cognitio ſui. Poſtremæ tandem Orationes ſunt funebres. Omnes autem ita lucubratæ, ut neque puritas deſit, neque ingenium vividius, neque alacritas atque ornatus.

JO. FRIDER. GRUNERI, A. M. INTRODUCTIO in Antiquitates Romanas, qua populi Romani res publicæ & privatæ, tam ſub republica libera, quam ſub Imperatoribus, ſtudioſe explicantur.

Jenæ, apud Chriſt. Henricum Cuno, 1748, 8.
Alph. 1 plag. 3.

Utiliſſimum eſt opus, & commendatione noſtra digniſſimum, quod hic executus eſt Clariſſ. *Grunerus*. Res ſunt ordinatæ atque ſelectæ; ſtilus omnino nitidior; fontes, unde hauſit, puri ac ſufficientes. Præſenſit objectionem, quod abundemus potius, quam deſtituamur, hujusmodi Compendiis; indeque in ipſa Præfatione confutavit. Finem ſibi propoſuerat recitationes Academicas. Hic *Burmanni* & *Havercampi* lucubrationes juſto breviores videbantur; *Satoroci* libellus nomina ſaltem ſuppeditabat, rerum deſcriptionem omittens; *Kippingius* minus exercitatis ſcribere noluit; *Cantelius* limites paſſim tranſiliit, paſſim ne attigit quidem; *Cellarii* poſthumum opus ultimam non accepit manum; *Nieupoortus* ſolum antiquorum ſcriptorum intelligentiam, ut ipſe credit, ſpectabat. Inde commotus, quod rerum ſanctiorum & Jurisprudentiæ ſtudioſis, adeoque, quas habet, recitationibus, inſerviret, Compendium elaborandum ſuſcepit. Ideo factum eſt, ut plurima oraculorum divinorum loca paſſim allegaret, deque civilibus nominatim antiquitatibus copioſius diſſereret. Singula vero Juris capita, quæ in Inſtitutionibus *Juſtinianus* tractavit, alio tempore ex antiquitate colluſtrandi ſpem facit; & id quidem brevius ac diſtinctius, quam *Heineccius* fecit, in cujus libro, ipſo judice, doctrinam deſiderabit nemo, brevitatem rerumque perſpicuitatem forte multi. Jam interim *quinque* in *Partes* occupationes

ſuas

Digitized by Google

ſuas diviſit. *Prima* conſiderat originem atque ulterius incrementum urbis Romæ gentisque Romanæ, idque *tribus Capitibus*, nominatim gentis urbisque originem, ulterius incrementum, loca, & ædificia, explicantibus. Gaudemus, plures perſpicere, illud, apud antiquitates, antea requiri, ut terram & gentem noſcamus, quam ritus & conſuetudines contemplemur. Laudavimus hujusmodi inſtitutum ac ſupplementum Compendii *Cellariani* jam ante in *Actis* noſtris *Menſe Sept. P. I A. 1746 pag. 564 ſeq.* Neque ſine delectatione vidimus, alios quoque labores ita ſuos delineaſſe, ut fuſius de geographica, hiſtorica, & morali, conſideratione ſimul ageretur. *Pars ſecunda* ſiſtit ſacra Romanorum *quatuor* nominatim *Capitibus*, de ſacris Romanorum generatim, de Diis Romanorum, de miniſtris ſacrorum, deque Deorum cultu. *Pars tertia* res civiles proponit *Capitibus XVII*: de *rebus civilibus generatim*; de *variis populi Romani diviſionibus*; de *Regibus*, & *Romani imperii ſub iis forma*; de *Regum expulſione & reip. liberæ conſtitutione*; de *populi Romani ordinibus*; de *comitiis*; de *magiſtratibus populi Romani ſub libera rep.*; de *jure Romanorum publico*; de *jure Romanorum civili*; de *judiciis & pœnis Romanorum*; de *publicis Romanorum reditibus*; de *provinciis*; de *reip. liberæ oppreſſione*; de *novis officiis, ab* Auguſto *excogitatis*; de *nova imperii forma, ab* Hadriano *facta*; de *imperii Romani forma ſub* Conſtantino *Imperatore*; ac demum de *officiis domus Auguſtæ*. Erunt forſitan, quibus hic amplum nimis ſpatium Cl. Autor complexus, immo plane in hiſtoriæ campos, antiquitatibus, ſtrictim ita dictis, deſertis, exſpatiatus, videbitur; ſed ita utrumque, ut gratias ipſi potius agamus, quam importunis accuſationibus ſimus moleſti. Ac profecto, ſi, quod non dubitamus, cum ſcripta vox viva conſenſerit, neque ſanctioris diſciplinæ cultores ægre eſſe laturos opinamur, ſi vel maxime Themidos & Mnemoſynes, ut ita dicamus, in viretis extra orbitam paulliſper detinebuntur. Noſtrum autem eſt, ad ſequentes progredi, quas inter *Pars quarta* de veterum Romanorum re militari *octo Capitibus* agit; ſcilicet de *re militari generatim*; de *delectu militum*; de *militibus Romanorum*; de *expeditionum militarium ratione*; de *caſtris*; de *armis, machinis, & ſignis*; de *diſciplina militari*; deque *militia Romanorum navali*. *Poſtrema* denique *Pars*, de rebus Romanorum privatis *undecim Capitibus*, luſtrat res privatas generatim, fami-

lias

lias Romanorum, matrimonium, ſuſceptionem & educationem liberorum, adoptionem, patriam in liberos poteſtatem, ſervos, rem veſtiariam, convivia, moribundos & funerum rationem, tandemque pecuniam, pondera, menſuras. Copia ipſarum rerum facile demonſtrabit, non omnia indicari, nedum explicari, potuiſſe. Forte fortuna in manus incidit de Servis *Caput*. Oſtenditur hic, qui ſervi fuerint, quatuplicis generis, nimirum vel nati, vel facti, vel urbani, vel ruſtici. Horum utraque familia delineata, deſcribitur dominorum in ſervos poteſtas, horumque manumiſſio, ſive juſta eadem, ſive minus juſta; nominatur pileus, inſigne libertatis; qui demum liberti, qui libertini, qui patroni, fuerint, quæque patronorum jura, indicatur. Supplebit autem forſitan in recitationibus ſuis Doctiſſ. *Grunerus*, quod ex pluribus aliis modis fierent ſervi, quam hic ipſe indicavit. Ita, qui legatum pulſarat, aut fœdus populo Rom. ignominoſum pepigerat, civis Romanus ultra XX annos natus, qui ſe pretii obtinendi cauſa vendi patiebatur ignoranti, libertus erga patronum ingratus, libidinoſa mulier, quæ cum ſervo alieno, ejus invito domino, contubernium inierat, ſi poſt tres factas denuntiationes perſeveraret, ſervire cogebantur. Poſtremo tamen caſu, ut & alibi, publicorum ſervorum eminentia præ privatis obſervari poterat. Iſti nimirum cum liberis fœminis, ſine illarum libertatis jactura, ſociabantur, ut & jus habebant, pro parte dimidia teſtandi. Attamen & privatorum diverſa dignitas fuit; & procuratorum quidem tam conſpicua & lauta conditio, ut liberi hoc minus ſubinde præferrent libertati, atque etiam paſſim liberti adminiſtrarent. Eorundem nonnulli peculii quoddam ſimile habebant, quo vel ſemet ſubinde redimerent. Neque omnino ac ſemper impune occidere licuit ſervos; quia potius eadem religione juriſdictio domeſtica, qua publica, exercebatur. Præſertim vero antiquioribus temporibus ſatis humaniter ſervi tractabantur, ejusdem haud raro cum dominis operæ, ejusdem victus, participes, minoribus autem pœnis ſubjecti, de quarum varietate, ut & duriore poſt Punica bella conditione, Cl. *Ge. d' Arnaud* in *Diſſ. I* de Jure ſervorum verboſius egit. Nos vero, quemadmodum, illud omne omiſſum, haudquaquam improbamus, ita ipſius Cl. Autoris judicio permittimus, an non etiam, cum Academiis ſit opus deſtinatum, e re ſtudioſorum fuiſſet, ſi quidem antiquitates ſimul literarias adjectas legeremus. Saltem neminem improbaſſe novimus conſilium edendarum antiquitatum, quarum novæ *Taciti* Germaniæ, apud Lipſienſes nuper publicatæ, editioni adjectam σκιαγραφίαν accepimus, ubi ſingularis antiquitatibus literariis conſecrata pars eſt. Sed forſitan dies diem docebit, aut nobis obſcuras habet doctiſſimus *Grunerus* rationes, hanc ipſam partem omittendi. Ceterum, eadem ſi vel a quibusdam deſideraretur, eximium nihilo minus operi pretium decernimus.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXLVIII.

LA SAINTE BIBLE, OU LE VIEUX ET LE Nouveau Teſtament, avec un Commentaire litteral, compoſé de Notes choiſies & tirées de divers Auteurs Anglois.

id eſt,

SACRA BIBLIA, CUM COMMENTARIO expoſitionis literalis, concinnato ex ſelectiſſimis annotationibus, ac e diverſis Autoribus Anglicis decerpto.

Tomus I, II, III.

Hagæ Comitum, apud Petrum Paupie, & Jo. Swart, 1743-1746, 4 maj.

Alph. 9.

Splendidum ſane ac perilluſtre eſt hoc Opus, quod Duumviri in dias luminis auras eniti cœperunt. *Tomo primo* præmonenda, iſagoge in libros Veteris & Novi Teſt. ac Præfatio in *Geneſin* præmittuntur. Complectitur vero ipſa *Geneſin*; *Tomi ſecundi Pars prior Exodum*; *Pars poſterior Leviticum*; *Tomi III Pars prior Numeros*; *Pars poſterior*, quam non-

nondum vidimus, *Deuteronomium*. Privilegium Ordinum Hollandiæ ac Friſiæ occidentalis Operi conciliat autoritatem publicam. Caruerat orbis eruditus Gallicus ejusmodi opere, quod, præter verba ſacrarum literarum, in Gallicum converſa, exhiberet ſuccum nucleumque Gallice expreſſum ex Anglorum, qui per Seculum proxime elapſum ſacro Codici lucem commentariis ſuis afferre ſtuduerunt, libris ſelectiſſimis. Textus ſacer, & paralleli ejus loci, ad *Davidem Martinum* ſunt referendi Autorem. Commentarii ſubjecti ſunt *Patricki*, *Willeti*, *Ainsworthi*, Theologorum, qui Bibliis Anglicis juſſu procerum Angliæ A. 1640 notas adſperſerunt *Poli*, *Kidderi*, *Henrici*, *Parkeri*, *Wellſi*, *Pylii*, *Walli*, *Stackhouſii*, *Pocockii*, *Hammondi*, *Lowthi*, & aliorum. Quantum ad obſervationes criticas attinet, chronologicas, hiſtoricas, geographicas, phyſicasque, eas decerpſerunt ii, qui hoc opus ſuſceperunt adornandum, ex *Uſſerio*, *Prideaux*, *Newtono*, *Schuckfordio*, *Seldeno*, *Spencero*, *Medo*, *Dugtao*, *Whitbyo*, *Waterlando*, Theologisque lectionum *Boylii* celebrium autoribus; *Lewiſio*, *Delange*, *Eduardo Chandlero*, qui nunc Derhamenſis eſt Epiſcopus, *Thoma Sherlockio*, nunc Epiſcopo Saliſburienſi, atque ex collectoribus *Hiſtoriæ univerſalis*. Ea, quæ controverſiis ſunt implicata, ac a ſenſu literali remota, ſollicite procul eſſe ſunt juſſa. Scripta, quæ in Gallicum ſunt converſa, carptim ex translationibus huc translata ſunt Gallicis. Præmittuntur huic Operi introductiones duæ. Una eſt *Stackhouſii*, præfixa ab hoc *Novæ Bibliorum Hiſtoriæ*, Anglice A. 1740 *Voluminibus II* formæ maximæ in lucem emiſſa. Intextæ fuerunt loco omiſſorum particulæ aliquot ex *Hiſtoria Judaica Prideauxii*, ac ex *Lewiſii Antiquitatibus Judaicis*. Altera eſt doctiſſima *Præfatio*, quam *L'Enfant* præmiſit editioni *Bibliorum Dav. Martini*, Hannoveræ Lipſiæque A. 1728, 8, editorum Gallice. In Eccleſiis Walonenſibus hæc translatio *Martini* viget. Argumenta Capitum ſunt recens addita, & analytice adornata. Adjunctæ ſunt *Capitibus* ſingulis in ora marginis ſuprema notæ chronologicæ, ut intelligatur, quonam anno tum ab orbe condito, tum ante Chriſtum natum, quælibet res fuerint ge-

ſtæ

ſtæ. Congruit hic calculus cum ratione computandi *Uſſeriana*, quam juverunt ac firmarunt celeberrimi ſummique viri, *Wells* & *Bedford*. Præfatio, quæ hoc loco præmiſſa fuit Pentateucho, ac ſpeciatim Geneſi, haud ab uno Autore fuit profecta. *Kidderi* & *Parkeri* potiſſima hic ratio eſt habita. Ille, cui *Demonſtratio Meſſiæ* immortalitatem nominis peperit, edidit A. 1694, 8, Anglice *Pentateuchum* in *Volum. II*, annotationibus brevioribus adjectis. Hic vero evulgavit ſub titulo *Bibliothecæ Bibliorum* vaſtum doctumque in Biblia Commentarium A. 1720, 4, maximam partem e Patribus quinque priorum Seculorum decerptum. Ad *Caput 27 Levitici* labor *Parkeri*, qui in publicum exiit, continuatus eſt. Uterque, & *Kidderus* & *Parkerus*, operi amplam præfixit iſagogen, *authenticitatem Pentateuchi*, ſpeciatim *Geneſios*, vindicaturus. Repetita hic fuit ex utraque, quantum ſat viſum, adſcitis paſſim in uſum cogitatis *Jenkini*, *Prideauxii*, *Wellſi*, *Lewiſi*. Tabula chronologica, *Geneſi* præmiſſa, ad *Uſſerii* Chronologiam fuit conformata. Mappæ geographicæ, quas *Tomus* complectitur *primus*, nulla excepta, ex D. *Wellſi Geographia Vet. Teſtam.* deſumtæ ſunt. Prima earum exhibet ſitum paradiſi terreſtris triplicem. Qui illum deſignarunt tabulis, in ea fuerunt hæreſi, ſuperficiem terræ eandem exſtitiſſe ante cataclyſmum *Noachicum*, ac poſt eundem. Secunda præbet viſendas Japhetidarum ſedes. Tertia ſedes Semidarum & colonorum, inde egreſſorum, ſubminiſtrat conſiderandas. Quarta domiciliis Chamidarum propius noſcendis eſt propria. Quinta exhibet Cananæorum ſedes. Mirum ſane, in ea planitiem Moreh poni prope Sichemum, ac Pheriſæos circa hoc collocari. Pauci huc uſque eam in animum demiſerunt geographicam veritatem. Quare *Marshamus* Pithom maluerit in Peluſio deprehendere, quam in *Herodoti Patumo*, ignoramus. Peluſium certe eſt Hebræorum *Sin* & Chaldæorum *Tin*, nunc dictum Tine. Goſenitidem inter hæc ad Orientem alvei Bubaſtici oceanum ingreſſuri collocatam animadvertimus apud *Marshamum* ac pleroſque Anglos. Iſagoge docet, probabilem, immo certo exiſtentem, dari revelationem divinam,

Digitized by Google

Tomus I Primus certe homo ignoraſſet ſuam mundique originem, niſi
pag. 3. hanc ei Deus revelaſſet. Fructus terræ haud peræque ad con-
5. ſervandam hominis ſalutem ſunt accommodati. Non erat é
re *Adami*, re ipſa effectus eorum experiri. Revelatione id-
circo indiguit ipſe, ut non niſi habilibus utilibusque uteretur.
Corruptelam humanam communem indicat experientia. At
originem ejus & remedium non niſi revelante Deo ſcire li-
8. cet. Qui lumen naturæ ſaluti ſempiternæ obtinendæ putant
ſufficere, hic refelluntur argumentis, ab imperfectione ratio-
nis, ejusque depravatione, deſumtis. Summi enim Philoſophi
diſſenſerunt de ſumma & adminiculo felicitatis perpetuæ con-
ſequendæ, potiſſima capita vel ignorantes, vel difficultatibus
12. intricantes. *Socrates* ac *Cicero* de felicitate mentis futura
fluctuati ac incerti fuerunt. Deiſtis os obſtruitur. Revelatio
ab imposturis dignoſcitur, ab enthuſiaſmo ſegregatur. Le-
gatorum Dei indicia & ſigna ſupra errorem poſita exhiben-
19. tur & recenſentur ſcopo congruenter. Sinceritas narratio-
22. num *Moſis* extra dubium collocatur. Excellentia religionis
Moſaicæ prædicatur, ſive illum ſpectes qua doctorem, ſive con-
ſideres qua legislatorem, ſive eum reſpicias qua hiſtoricum.
25. Res, a *Moſe* deſcriptæ, paſſim a ſcriptoribus gentium extera-
rum attinguntur, ac, quantum ad momenta potiora attinet,
29. enarrantur. Vanitas antiquitatis gentium, Chaldæorum, Æ-
33. gyptiorum, Tzinenſium, Græcorum, indicatur. Prophetis
Veteris Teſt. tribuitur educatio ſelecta, probitas, doctrinæ ex-
cellentia, vaticiniorum gravitas, & miraculorum ſplendor.
Evidentia miraculorum miſſionis, quibus hæc fuit comproba-
ta, nondum vim ſuam amiſit, licet Deiſtæ ſic obgannire au-
39. ſint. Inſpirationi, quam ſcriptores Veteris Teſt. canonici di-
vinitus nacti ſunt, ſuum pretium tribuitur, ejusque ſignifica-
tur hypothetica neceſſitas. Exhibentur argumenta, quibus
authenticitas librorum Vet. Teſt. canonicorum comproba-
42. tur ac evincitur. Conſtitutio canonis librorum Vet. Teſt.
tribuitur *Esdræ* ac Synagogæ Magnæ adſcriptis. *Esdræ* id
honoris habetur, ut reſtituerit ubique lectionem veram, ut li-
teras Chaldaicas ſubſtituerit Samaritanis, ut voces ſignificatum

rece-

Digitized by Google

eceptorum poſuerit loco reconditarum, atque obſcuritate in-
olutarum, ut puncta vocalia contextui ſubjecerit, atque, ut in
criptis ſacris propriis, ita in hoc negotio ſecutus Deum du-
em fuerit. Canon XXII librorum Vet. Teſt. manifeſte,
Joſepho & *Hieronymo* praeeuntibus, exhibetur, ac ab apocry- Pag. 44.
his ſeparatur. De libris, qui videntur periiſſe, ac in ſacris
iteris Vet. Teſt. commemorantur, afferuntur cogitata per-
uam ſolida. Ad objectionem, quam empæctæ ex lectioni- 47.
us variantibus deſumunt, ita reſpondetur, ut lector haud ni-
nium obſtinatus facile in reſponſis ſit acquieturus. Nec mi-
us expediuntur Deiſtarum objectiones, methodo, linguæ, ac
tilo, librorum ſacrorum opponi ſolitæ. Afferuntur cauſæ 50.
obſcuritatis, quæ in Prophetarum oraculis ac alicubi in
Vet. Teſt. inque myſteriis, dominatur. Afferuntur ea, 68.
uæ ad translationem LXX Græcam ſpectant, eaque vetu-
tiorem interpretationem Græcam haud exſtitiſſe, ſignificatur.
Hiſtoria *Ariſteæ* exploditur. Translatio Vet. Teſt. Sy-
iaca præfertur Græcæ LXX. Agitur de verſione *Aquilæ*, de 71.
tranſlationibus Chaldaicis antiquis, ac de Latinis vetuſtis. Diſ- 77.
eritur de verſionum uſu. Ad libros Vet. Teſt. canoni-
cos ſpeciatim *Lenfantii* repetitur introductio. Adduntur ea, 118.
uæ ad libros apocryphos, nec non ad libros Nov.
Teſt. ſpectant. Exhibetur deinceps Præfatio in *Pentateu-* 138.
chum Moſis, ac ſpeciatim in *Geneſin*, cui hiſtoria de *Moſe* præ-
mittitur. De *Pentateucho* Samaritano afferuntur haud trala-
itia. Calculi *Uſſeriani* chronologia in *Geneſin* adjicitur.
Hæc de prolegomenis. *Ruech elohim Gen. I, 2*, exponitur 9.
de vento efficaci, rebus materiatis digerendis apto. No-
men *Tanninim* effertur per piſces majores. Hortum Ede- 25.
nis ad Orientem Cananææ poni, nobis non eſt mirum. *Gib-* 27.
hon definitur per canalem occidentalem, qui ex Tigri ac Eu-
phrate emanat. De Meſſia exponitur locus *Gen. III, 15*. *He-* 66.
nochi corpus ac animam citra mortem beatitudini cœleſti in-
ſertam fuiſſe, ſignificatur. De origine diluvii colliguntur 93.
varia. Ratio, cur ſanguine Noachidis interdixerit Deus, af-

Digitized by Google

fertur haud una. Cur *Noachus* Canaani, non *Chamo*, impre-
Pag. 98. catus fuerit infauſta quævis, exquiritur cauſa. Nobis videtur
ſubeſſe vaticinium de *Chami* poſteris ſub jugum mittendis, ac
Japhetidis in Semidas tandem dominaturis. Ad *Cap. 10* affe-
runtur ea, quæ antiquiſſimam ſpirant Geographiam. Poſteri
vero liberorum, qui ibi recenſentur, an ſemper ſimul in eo-
110. dem ſederint incoluerintque loco, quæri poteſt. *Nimrodus*
merito a tyrannide abſolvitur. Babylonem, *Gen. X, 10*, diſtin-
gui a Babylone Ægypti, nobis haud fit veriſimile, ſiquidem
hæc multo eſt junior ætate *Moſis*. *Tzemarai v. 17* ſunt indu-
bie Simirytæ ad Eleutherum mari ſe commiſſurum in Phœ-
115. nice ad ſeptentriones poſtrema. *Hamatham* eſſe Epipha-
niam, a Geographo Nubienſi appellatam Hamam, hic aſſeri-
tur. Subeſſe Heliopolin, arbitrari liceat. *Leſcha v. 19*
exponitur per Luſam Arabiæ. Si quid videmus, deſignatur
Leſchem, ſeu Laiſch, ad fluvium Letanen apud Druſos. *Ophir*
126. *v. 29* indubie pater fuit Iberiorum in Aſia. *Sinear* poni-
139. tur in Meſopotamia, ubi fixit *Plinius Singaram*. Elon Mo-
146. reh exponitur per querceum lucum, ſeu quercetum. *Zoar*
XIII, 10, fuit locus, ad oram lacus aſphaltitis meridionalem
ſitus, non Tanis, ſeu Zoan, Ægypti. *Hhobah XIV, 15*, expo-
nitur per *Bikat-Aven*. Hæc vero fuit planities intra Sy-
155. riam Heliopolitana, nunc dicta *Bucca*. *Melchiſedecum* a
172. Chriſto fuiſſe diverſum, oſtenditur. Circumciſionem ab Æ-
177. gyptiis ad *Abrahamum* deductam eſſe, ſolide negatur. Tres
ad *Abrahamum* legatos fuiſſe Meſſiam, duobus angelis ſtipa-
190. tum, monſtratur. An Sodoma fuerit reædificata, in medio
relinquitur. *Lothi* uxorem miraculo in ſtatuam ſalis fuiſſe
converſam, oſtenditur contra *Joannem Clericum*, cujus ſen-
194. tentiæ paſſim refelluntur. Meſſiam eſſe *Schiloh Gen. XLIX,*
10, ſolidis conficitur argumentis. Sufficiat lectori hæc pro-
mulſis ex *Tomo primo*. *Tomi ſecundi Pars prior* exhibet
Exodum, ac commentarium, ei ſubjectum. Antiquitatum Ju-
daicarum in eo mira & fœcunda ſeges. In fine adjunguntur
tres tabulæ, æri inciſæ. *Prima* exhibet tabernaculum ſacrum,
ejusque partes. *Secunda* repræſentat veſtes ſacerdotum, ipſam-

que

Digitized by Google

que Tyri purpuram & coccon. *Tertia* dat iter Iſraelidarum ex Ægypto per Arabiam usque ad Jordanem, ratione vulgata delineatum. *Tomi ſecundi pars poſterior Leviticum*, ac ejus expoſitionem literalem, lectori offert. In præmiſſa ad lectorem admonitione reſpondetur Ephemeridologis eruditis, qui in *Bibliotheca Britannica Tom. XXIII Part. I Art. 2* id notarant in hoc Opere, quod in eo exterorum Commentatorum ratio haud fuerit habita, ſiquidem inter hos quoque ſint coryphæi, ſua luce inſtructi. Vir eruditiſſimus, qui in hoc Opere perficiendo deſudat, dare ex eo operam cœpit, ut potiſſima decerperet atque mutuaretur ex Commentariis *Clerici* & *Calmeti*, ex *Scheuchzeri* Phyſica ſacra, ac operibus *Joannis Alberti Schultens*, Belgarum *Bocharti*. Addidit idem nonnulla errata, quæ in *Exodi* partem præter opinionem irrepſerant. Præfationem inde præfixit *Levitico*, demonſtrans autorem *Moſen*, & argumentum Deo dignum. Monet præterea, ritus Judaicos non ad imitationem circumvicinarum gentium fuiſſe attemperatos, ſed ita conformatos, ut populus Iſraeliticus a gentibus, cultu impuræ ac idololatricæ religionis infectis, ſecerneretur. In deſcribendis ſacrificiis Autori profuiſſent Diſſertationes *Daſſovii*, *Wichmannshauſenii*, *Danzii*, ac aliorum Germanorum, ſi eas conſulere ipſe e ſua re duxiſſet, ne quid de *Mentheni* ac *Haſæi Ikeniique Theſauro Diſſertationum*, vel *J. C. Mehlhornii* in *Pentateuchum* collectione, moneamus. Non eſt, quod indicemus, *Tomis* ſingulis accuratos ſubjunctos eſſe Indices. In *Tomi III Parte priori* exhibetur liber *Numerorum*, cui commentarius perpetuus fuit conjunctus. *Willeti* nomen hic deſiit. *Parkeri* expoſitiones ad finem *Numerorum* continuantur, ſiquidem ipſe ad finem *Deuteronomii* laborem protulit commentandi. Id ipſum præteriit Autorem, prolegomena *Tomo primo* præmittentem. Adjecta eſt huic *Parti* tabula geographica itineris Iſraelidarum, ex Ægypto ad Jordanem per varios caſus, per tot diſcrimina rerum, duce *Moſe* profectorum. Locus, unde exierunt, Remſes, paulo infra Alcaharam ad plagam Nili orientalem, in ea fuit poſitus. Iſraelidæ per ſeptentrionalem ſinus Arabici ven-

verticem ad montem Sinai deducuntur, inde ad Kades Barneam propemodum, tum reducuntur ad ſinum Elaniticum, cui ad occaſum fere adjicitur locus *Kades* & deſertorum *Zin* ſpatium. Utrumque locum novimus in terminorum terræ promiſſæ finibus auſtralibus receaſeri. Phunon, ſeu Phinan, Moſerot, ſeu Maſaria, Bne-iaekan, Hor, & alia loca, ex *Euſebio* aliisque Scriptoribus ea ponuntur loca, quæ hic prorſus vacua apparent. Non monebimus, ad Tanin in campo *Moſen* edidiſſe coram Rege miracula, atque locum, unde Iſraelidæ exierunt, Tani fuiſſe tam propinquum, ut *Moſes* una nocte Tanin ad Regem ire, redire, ac cum ſuis emigrare, voluerit. At ſecutus eſt Autor eruditiſſimus notas *Patrickii* & mappam geographicam *Shawii* ex parte, hujus *Obſervationibus de Ægypto geographicis* adjectam. Præfatio tradit appellationem libri *Numerorum*, ejus originem divinam, ſummam, leges inprimis inibi contentas, ordinem factorum, ac chronologiam *Uſſerianam*. Annotationes ſubjunctæ egregiam ubique redolent induſtriam. Precamur eruditiſſimo Autori vires corporis firmas vegetasque, quæ impetum animi ac deſtinationem ſequi valeant. Reſtat enim illi magnum maris æquor arandum.

COELII SEDULII MIRABILIUM DIVINOrum Libri V, ſive Carmen Paſchale, item Hymni duo. Ad Codicum MStorum & Editionum veterum fidem recenſuit, lectiones varias, obſervationes, & Indices neceſſarios, adjecit, JOANNES FRIDERICUS GRUNER.

Lipſiæ, apud Joannem Wendlerum, 1742. 8.
Plag. 11.

Præclariſſimus Editor, qui jam antea Romanis, quas publici juris fecit, Antiquitatibus laudem fuit conſecutus, & nunc etiam dignum ſtudiis præmium, eloquentiæ atque antiquitatum profeſſionem, apud Coburgenſes obtinuit, novum hic atque

que iſtud iterum inſigne ſpecimen dexteritatis ſuæ nobis proponit. Magnas debemus *Cellario* gratias, qui *Sedulium* iſtis in oris publicavit; neque minores debebimus *Grunero*. Sequitur alterum alter in nonnullis; in aliis autem omnino antevertit. Ut *Cellarius*, ita & *Grunerus*, tam de *Sedulio*, quam de inſtituto ſuo, præfatur. Laudat hic, ad Poetæ quod attinet vitam, inprimis *Jo. Trithemii* ſtudium, qui *de Scriptoribus Eccleſ. Cap. 142* illius vitam diligenter deſcripſit. Caſtigat quoque *Cellarium*, qui quinque hujus operis libros, quam, quot ſint re vera, quatuor, conſtituere maluerit: quamvis eum ipſe ordinem ſequatur, tum quod jam uſu trita ſit editio *Cellariana*, tum quod imperitorum clamores vereatur. Carmen vero paſchale non ipſe Autor, ſed *Turcius Rufius Aſterius*, edidit; licet ipſe ſuum & carmen *Macedonio* obtulerit *Sedulius*, ac modo, in ſolutam iſtud orationem convertere juſſus, omiſerit editionem. *Trithemius* ponit & ſecundo loco in omnes Epiſtolas *Pauli* proſaice Libros XIV. Iſti autem non noſtri ſunt *Sedulii*, verum alterius cujusdam, qui Seculo VIII vixit. Hymnum contra, cujus prima verba ſunt: *A ſolis ortus cardine*, publici quoque juris fecit *Grunerus*. Quod tertio loco laudat *Trithemius* Carmen, *ad Theodoſium Imperatorem Lib. I*, non *Sedulii* eſſe, ſed vetuſtioris cujusdam Poetæ, jam dudum obſervarunt eruditi. Quod eidem exhortatorium dicitur ad fideles: *Cantemus ſocii domino* &c. hic etiam apparet. Epiſtolæ autem ad diverſos nondum ſunt publicatæ, utque *Fabricius*, vel potius *Schœttgenius*, *Bibl. med. & infimæ Latinit. Vol. VI Lib. XVIII pag. 442 ſeq.* ſuſpicatur, forſitan interierunt. In majus volumen *Priſciani Liber I*, & in ſecundam editionem *Donati Liber I*, hujus eſſe *Sedulii* non videntur, ſed alterius, neque hodie ſuperſunt. Nominat præterea *Trithemius* de miraculis Chriſti proſaice *Libros II*, cujus operis alii *Libros IV* laudant. Hoc, *Schœttgenius* credit, qui *Sedulio* tribuant, varietate titulorum deceptos, ex opere paſchali alia plura feciſſe. In *Catalogo Bibliothecæ Uffenbachianæ P. IV pag. 224* laudatur *Sedulius* Poeta de prærogativa diei ſexti MSt. Sub *Sedulii* nomine ediderunt *Mar-*

tene & *Durandus*, & poſt hos *Schœttgenius*. Attamen, licet pro Patris noſtri carmine habuerint illi, *Grunerus*, ut ipſi tribuat, nondum adducitur. Opus *paſchale*, *paſchali* de carmine ortum, edebatur a *Jureto* Pariſiis A. 1585, 8. ac deinceps in *Bibliothecam Patrum maximam* inferebatur. Neque vero in generalibus de ſcriptis *Sedulianis* conſiderationibus morabimur; quin potius ad inſtitutum Cl. *Gruneri* progrediamur. Is, cum in lectiones varias, quas Cantabrigiæ olim ex libris manu veteri ſcriptis excerpſerat *Ericus Benzelius*, incidiſſet, Poetam diligentius legere cœpit, eo conſilio, ut, quo ſucceſſu iisdem excerptis uſus *Cellarius* fuerit, animadverteret. A quo cum non ſpicarum collectionem, ſed integram meſſem, ſibi relictam videret; alia ſimul ſibi circumſpexit auxilia. Reperit varietatem Codicis *Nauſii* & Codicis *Vulcanii* per majorem *Libri I* paſchalis Carminis partem, itemque Codicum Lipſienſis & *Almeloveeniani*; *Barthii* vero ex ipſius Adverſariis depromſit. Editiones pariter ſat multas evolvit. Neque minus Viri celeberrimi, *Jo. Erh. Kappii* noſtri, monitu conjunxit obſervationes *Wopkenſii* & *Vonckii*, quarum illæ habentur in *Miſcellan. Obſerv. crit. nov. in Aut. vet. & recent. Tom. IV pag. 252*, hæ autem in *Specim. crit.* quod Trajecti A. 1744 edidit, *Cap. 30*, & in *Lection. Latin. Lib. II Cap. 2.* Utrasque autem ſic uſurpavit, ut, liberam eſſe rempublicam literatorum, perpenderet ſapienter. Ipſe *Grunerus*, nihil ſe unquam ex ingenio mutaſſe, prudens nimirum atque idoneus arbiter, profitetur; lectiones pariter varias addens curioſiſſime. Sed ad ipſas potius obſervationes accedamus, non modo contextum, verum alios quoque ſcriptores, haud parum illuſtrantes. Statim *pag. 1 ſeq.* indicatur, apud Chriſtianos veteres, qui datam Chriſto fidem ſervarint, ſanctos fuiſſe dictos, obſervante hoc *Rigaltio* ad *Minuc. Fel. Octav. Cap. 1.* Hinc *Eucharius* ad *Hilarium* de laude eremi: *Domino ſancto & meritis beatiſſimo & in Chriſto glorioſiſſimo Hilario Eucharius.* Romani quoque ſcriptores integerrimum quemvis ſanctum dixere. Vid. *Plin. Ep. I, 12, 5, II, 11, 3, III, 3, 1, IV, 17, 4. Pag. 4,* ſummos theologos *patres beatiſſimos* tunc eſſe dictos,

dictos, probatur ex *Paulin. Ep. XV — XIX, XXIX, XXXIII*; *Oroſ. Hiſt. Lib. I princ. Lib. VII fin.* atque ipſos Imperatores ex Inſcriptionibus apud *Gruterum pag. 83 n. 112*, & *pag. ſeq. n. 1, 2, 6*. *Pag. 21* ad *Lib. I verſ. 25*, ubi pagi Athenæi fit mentio, haud intempeſtive loca excitantur *Euſtathii* ad *Il. ά pag. 169* ed. *Politi*: Ἀνὴρ μὲν γάρ φασιν Ἀθηναῖός ἐστιν ὥσπερ καὶ Θηβαῖος, & *Varronis de L. L. VII, 18: Cum terna fuerint Athenæ, ab una dicti Athenæi, ab altera Athenienſes, a tertia Athenæopolitæ*, neque minus ad *Fulgent. Myth. I Præf. pag. 15* ablegamur. *Pag. 119*, ad *V, 131*, obſervatur, *animam* hic pro toto poni homine. Vid. *Rappolt* ad *Horat. pag. 142*. Sic & Græci ψυχὴν adhibent. Vid. *Schwarzius* ad *Olear. de Stilo Nov. Teſt. pag. 28*, *Barneſ.* in *Ind. Euripideo* voc. ψυχή, *Cuperum Obſerv. I, 20*. Præterimus plurimas alias illuſtrationes, potiſſimum grammaticas & criticas; una modo allicit adhuc ſacra, quam paulo poſt ad *verſ. 188 pag. 122 ſeq.* legimus, primos Chriſtianos a σταυρολατρείας impietate liberantem. Allegantur hic præſertim *Minucius Cap. 12, 29, 31*, & *Prudentius Cathem. hymn. VI, 129*. Illuſtratur autem, *Wolfero* præeunte, *Gal. VI, 17*. Sed nos, ad finem properantes, monemus denique, tres, eosdemque accuratos, hic eſſe Indices ſubjectos, in Carmina *Sedulii*, in notas, atque illuſtratorum, vindicatorum, emendatorum Scriptorum antiquitatis.

OBSERVATIONS ON THE PRESENT COLlection of Epiſtels between Cicero and M. Brutus, &c.

id eſt,

JO. TUNSTALLI, BACCALAUR. THEOlog. & Univerſ. Cantabrig. Oratoris, & ad S. Joann. Colleg. Obſervationes in Epiſtolas Ciceronis & M. Bruti, quibus hæ convincuntur νοθείας & alia memorabilia vitæ ſcriptorumque Ciceronis momenta ventilantur; ſimulque nuperis MIDDLETONI

hypotheſibus obviam itur. Quibus accedit Epiſtola CHAPMANI de vetuſtis characteribus numericis legionum Romanarum.

Londini, 1744, 8.

Alph. 1 plag. 7.

Inſtitutum & argumentum libri ex titulo apparet; neque ignotus eſt Autor ejus, *Jo. Tunſtall*, ille, qui primus falſitatis poſtulavit Epiſtolas, *Ciceroni* vulgo & *M. Bruto* attributas, amœbeas. Ejus nempe libro, hac de re ante annos quatuor edito, de quo vid. *Nova Acta Erudit. A.* 1747 *Menſ. Jul. pag.* 407 *ſeq.* reſponderat adverſarius ejus, *Conyers Middleton*, in libro, quem in *Nov. Actis A.* 1747 *Menſ. Aug. pag.* 463 *ſeq.* recenſuimus, & quem putamus pertinere ad hunc ſic, ut unus absque altero ſit imperfectus, quoniam titulus eſt *of the preſent Collection* &c.; quod ni eſſet, ſane obſcurum eſſet, quid ſibi titulus velit. Ille *Middletoni* liber movit Noſtrum, ut validiſſimis argumentis, iisque maxime ex hiſtoria petitis, impoſtorem detegeret. Et, ne quis controverſiam levis momenti reputet, ſtatim initio Præfationis monet, agi de honore Criticorum, libellum abſurdum & mendacem *Cicerone* dignum judicent, nec ne. Tempora quoque, quorum hiſtoriam tradere voluerit harum Epiſtolarum Autor, maximi momenti eſſe, ut in quibus Romana libertas ſpiritus ultimos egerit. Id urget deinceps Præfatio, quod hæ Epiſtolæ intra quatuor menſium ſpatium ſcriptæ fingantur; & tamen res exponant ſeptendecim menſium, multaque tanquam jam geſta enarrent, quæ menſibus aliquot, imo & annis, ficta ætate poſteriora ſunt. Cumque *Middletonus* ipſe promiſerit, ab aſſerenda Epiſtolarum probitate deſiſtere ſe velle, ſi vel hiſtoricum aliquod evidens argumentum iis opponi poſſet, aut aliquod e dictione depromtum; affert *Tunſtalus* utrinsque generis ſpecimen, & quidem primi hoc, quod *Epiſtola Libri I tertia* narretur de pugna ad Mutinam tribus diebus ante, quam illa contigit, quod notat impoſtorem hiſtoriæ imperitum; alterius vero hoc, *Epiſt. I Libri ſecundi, in diem ex die dilata*, quod aſſeverat Hebraiſmum eſſe & inferioris atque vulgaris Latinitatis. Certe, ſibi

ſibi par exemplum apud probos ſcriptores non occurriſſe, profitetur, rogatque adverſarium, ut proferat, ſi in promtu habeat.

Hæc fere ſunt, quæ in Præfatione diſputat. Huic ſubjecit brevem tabulam argumentorum potiſſimorum, quæ in ipſo libro fuſius fuit perſecutus. In quo & lectores, & nos certe recenſentes, magno demeritus eſt beneficio. Vix enim fieri poteſt, ut totum librum cum cura perlegamus. Et, ſi maxime fieri poſſet, ita comparatæ ſunt diſcuſſiones hiſtoricæ, ut nequeant ſuccincte ſimul & clare proponi. Cum itaque magni momenti res in hoc libro pertractentur, eædem quidem, quæ in Latina, olim edita, Epiſtola, ſed luculentius expoſitæ, quas ſcire intereſt eruditorum, qui aut Anglica non calent, aut librum non poſſident; veniam rogamus, quod, miſſis aliis, hanc argumentorum tabulam ſolummodo exhibeamus, tantum non κατὰ λέξιν Latine verſam.

Et quidem in Introductione, quæ primas *novem paginas* implet, declarat primo *pag. 1*, non ſufficere illud ab antiquitate deſumtum argumentum, quod ſcilicet hæ Epiſtolæ ab omni memoria ſub *Ciceronis* & *Bruti* nominibus venerint. Quandoquidem prima a *Nonio Marcello*, ut volunt, citata eſt, qui 450 annis *Cicerone* poſterior eſt, *pag. 5*, ceterarum qui meminerit, nemo ſit *Petrarcha* antiquior: quod Adverſarii argumentum ſi validum credideris, poſſis eodem quoque jure Epiſtolam ad *Octavium Ciceroni* vindicare. *Pag. 6.* Præſertim cum *ſecundus* harum Epiſtolarum *Liber*, diu poſt primum repertus, tanto non ſit applauſu receptus ab eruditis, atque ille. *Pag. 7.* Quod autem Adverſarius, ætatem impoſturæ & impoſtorem aſſignari atque definiri poſtulat, id præter rationem fieri. Nihil obeſſe, quo minus ſtatuatur, impoſturam feliciter ceſſiſſe, temporibus barbariei, *Petrarcham* antegreſſis. Et inde hiſtoriam ſtudii *Ciceroniani* obſcuris illis temporibus perſequitur *pag. 13-20*, monſtratque, genuina *Ciceronis* opera non tam ignota tum fuiſſe, quam vindicator (ſic appellat Adverſarium, nos vindicem potius appellabimus,) perſuadere voluit *pag. 27-33*. Ex eo autem, quod Epiſtolæ ad *Brutum* & reſponſoriæ primum fuerint a *Petrarcha* memoratæ & inventæ, ut & Epiſtolæ ad *Octavium*,

quam tamen ipſe vindex tanquam puerilem declamationem *Cicerone* indignam exploſit, quamvis & *Eraſmus* & *Victorius*, viri Latine doctiſſimi, & ſagaciſſimi Critici, in illa Epiſtola nullas impoſturæ notas deprehenderint: ex eo, inquam, efficit Noſter, hominum doctorum pro his Epiſtolis teſtimonium nil valere. Eundem *Petrarcham* primum edidiſſe tanquam *Attici*, aut *Cornelii Nepotis*, ad *Ciceronem* epiſtolam. Hæc primo *Capite*. Illa *ſecundo* a *pag. 36-43*. plura Sophiſtam aliquem, aut æqualem *Petrarchæ*, aut antiquiorem, ad confingenda hæc ſpuria potuiſſe impellere, & quænam potuerint. Afferuntur exempla monumentorum, Autoribus tributorum non ſuis, aut κιβδήλοις decoratorum inſcriptionibus, cum caſu & errore, tum & deſtinato conſilio. *Nonium* ab ipſo *Cicerone* deceptum fuiſſe, eo quod ex *Cicerone* verſus alleget, tanquam ex *Accii Prometheo* deſumti eſſent, (quo *Ciceronem* facit impoſtorem, & aliena ſibi arrogantem,) cum ipſius *Ciceronis* ſint, e Græco *Aeſchyli Prometheo* ab ipſo Latini facti. *Tertio* monſtrat a *pag. 44-63*, ipſo illo tempore, quo genuinum adhuc exſtabat *Ciceronis* & *Bruti* commercium literarium, locum fuiſſe impoſturæ; & affert exempla talis fraudis antiquiſſima: monumenta, de quibus dubium amplius non eſt, quin *Plauto*, *Julio Cæſari*, *Salluſtio*, & ipſi *Ciceroni*, ſint ſuppoſita; ut epiſtolas alias, *Ciceroni* falſo tributas, quo tempore adhuc illæ, ſed genuinæ, in omnium manibus erant. Ita Græcas *Bruto* affictas. Enumerat etiam antiquos imitatores, ut aliorum *Ciceronis* operum, ſic maxime Epiſtolarum. Forte, addit, has *Bruti* & ad *Brutum* Epiſtolas eo fuiſſe confictas, ut defectum genuinarum ſupplerent, & continuarent inceptam in iis hiſtoriæ telam. *Quarto Capite* demonſtrat, epiſtolam, quæ tanquam ex primo *Libro* hujus commercii literarii a *Nonio* citata allegatur, & tanquam ſcripta circa finem anni, quo *Cicero* periit, illam, inquam, pertinere non potuiſſe ad genuinum illud horum duumvirorum commercium literarum, quod *octo Libris* conſtabat; cum in *Nonii* Codicibus quibusdam manuſcriptis non ex primo, ſed ex nono, Libro citetur. Et, quia, ſi prima illa epiſtola, a *Nonio* citata, ſupponatur

tur primi libri genuinæ collectionis una fuiſſe, ſequeretur inde, integros *ſeptem Libros* Epiſtolarum a *Bruto* & *Cicerone* poſt finem anni *Julio Cæſari* fatalis fuiſſe ſcriptos, quod non patitur rerum natura, & parum a *Cæſaris* cæde diſtans finis *Bruti*; neque voluminum epiſtolaris hujus commercii, quæ fuit olim, ingens cujusque moles; neque res & fata, quæ tam *Brutus*, quam *Cicero*, in hac temporum periodo ſubierunt, neque facta quædam hiſtorica particularia, quæ ſuggerunt Epiſtolæ ad Familiares. Hæc a *pag.* 64 ad 72. *Quinto* arguit, quod genuinæ quinque Epiſtolæ ad *Brutum* inſertæ illis ad Familiares, cum ad octo illos Libros, de quibus modo dictum, pertineant, nobis faciant fidem, aut illo tempore, quo hæ quinque fuerunt familiaribus inſertæ, plures de illis octo Libris amplius non exſtitiſſe, aut has ſuppoſitas, ſi jam eo tempore fuerunt in vulgus editæ, quo illæ ad familiares compilabantur, ideo non fuiſſe in illud ſyntagma pariter, atque illæ quinque genuinæ, admiſſas, quod ſpuriæ apud omnes audiebant. Neque ſatisfacere, quod urgeat Vindex, ideo iſtas quinque Familiaribus inſertas fuiſſe, quod res minutas & privatas contineant, quandoquidem inter has ipſas ſpurias non paucæ ſint argumenti minuti, de rebus domeſticis tractantes; & inſcriptio illa *ad Familiares* non præſcripta fuerit antiquitus univerſæ epiſtolarum *Tullianarum* collectioni, cum, quæ hodie circumfertur, collectio *ad Familiares* ex reliquiis plurium olim integrorum voluminum ſingularium compilata ſit. Hæc a *pag.* 73 ad 86. *Sexto* evincit, primum Librum ſpuriatum harum Epiſtolarum haud eſſe poſſe primum Librum iſtorum octo genuinorum, cum commercium *Ciceronis* & *Bruti* literarium eo tempore fuerit inſtitutum, quo *Cicero* Proconſul Ciliciam regebat, & continuatum ſit usque ad *Bruti* ex Italia exceſſum, ſpuriæ vero ultra procedant. Dictorum teſtes advocantur *Quintilianus*, *Plutarchus*, & Autor Dialogi, qui vulgo *Tacito* tribuitur, a *pag.* 87 ad 103. *Septimo* monſtrat a *pag.* 103 ad 153, celebres illas ad *Ciceronem* & *Atticum Bruti* Epiſtolas, *Libri primi decima ſextam* atque *ſeptimam*, eſſe confictas ad genuinarum exemplar, a *Plutarcho* exhibitum; a quo tantum in minutis diſcrepent, ut in tempore;

quam tamen ipſe vindex tanquam puerilem declamationem *Cicerone* indignam exploſit, quamvis & *Eraſmus* & *Victorius*, viri Latine doctiſſimi, & ſagaciſſimi Critici, in illa Epiſtola nullas impoſturæ notas deprehenderint: ex eo, inquam, efficit Noſter, hominum doctorum pro his Epiſtolis teſtimonium nil valere. Eundem *Petrarcham* primum edidiſſe tanquam *Attici*, aut *Cornelii Nepotis*, ad *Ciceronem* epiſtolam. Hæc *primo Capite*. Illa *ſecundo* a *pag. 36-43*. plura Sophiſtam aliquem, aut æqualem *Petrarchæ*, aut antiquiorem, ad confingenda hæc ſpuria potuiſſe impellere, & quænam potuerint. Afferuntur exempla monumentorum, Autoribus tributorum non ſuis, aut κιβδήλοις decoratorum inſcriptionibus, cum caſu & errore, tum & deſtinato conſilio. *Nonium* ab ipſo *Cicerone* deceptum fuiſſe, eo quod ex *Cicerone* verſus alleget, tanquam ex *Accii Prometheo* deſumti eſſent, (quo *Ciceronem* facit impoſtorem, & aliena ſibi arrogantem,) cum ipſius *Ciceronis* ſint, e Græco *Aeſchyli Prometheo* ab ipſo Latini facti. *Tertio* monſtrat a *pag. 44-63*. ipſo illo tempore, quo genuinum adhuc exſtabat *Ciceronis* & *Bruti* commercium literarium, locum fuiſſe impoſturæ; & affert exempla talis fraudis antiquiſſima: monumenta, de quibus dubium amplius non eſt, quin *Plauto*, *Julio Cæſari*, *Salluſtio*, & ipſi *Ciceroni*, ſint ſuppoſita; ut epiſtolas alias, *Ciceroni* falſo tributas, quo tempore adhuc illæ, ſed genuinæ, in omnium manibus erant. Ita Græcas *Bruto* affictas. Enumerat etiam antiquos imitatores, ut aliorum *Ciceronis* operum, ſic maxime Epiſtolarum. Forte, addit, has *Bruti* & ad *Brutum* Epiſtolas eo fuiſſe confictas, ut defectum genuinarum ſupplerent, & continuarent inceptam in iis hiſtoriæ telam. *Quarto Capite* demonſtrat, epiſtolam, quæ tanquam ex primo *Libro* hujus commercii literarii a *Nonio* citata allegatur, & tanquam ſcripta circa finem anni, quo *Cicero* periit, illam, inquam, pertinere non potuiſſe ad genuinum illud horum duumvirorum commercium literarum, quod *octo Libris* conſtabat; cum in *Nonii* Codicibus quibusdam manuſcriptis non ex primo, ſed ex nono, Libro citetur. Et, quia, ſi prima illa epiſtola, a *Nonio* citata, ſupponatur

Digitized by Google

tur primi libri genuinæ collectionis una fuiſſe, ſequeretur inde, integros *ſeptem Libros* Epiſtolarum a *Bruto* & *Cicerone* poſt finem anni *Julio Cæſari* fatalis fuiſſe ſcriptos, quod non patitur rerum natura, & parum a *Cæſaris* cæde diſtans finis *Brutii* neque voluminum epiſtolaris hujus commercii, quæ fuit olim, ingens cujusque moles; neque res & fata, quæ tam *Brutus*, quam *Cicero*, in hac temporum periodo ſubierunt, neque facta quædam hiſtorica particularia, quæ ſuggerunt Epiſtolæ ad Familiares. Hæc a *pag.* 64 ad 72. *Quinto* arguit, quod genuinæ quinque Epiſtolæ ad *Brutum* inſertæ illis ad Familiares, cum ad octo illos Libros, de quibus modo dictum, pertineant, nobis faciant fidem, aut illo tempore, quo hæ quinque fuerunt familiaribus inſertæ, plures de illis octo Libris amplius non exſtitiſſe, aut has ſuppoſitas, ſi jam eo tempore fuerunt in vulgus editæ, quo illæ ad familiares compilabantur, ideo non fuiſſe in illud ſyntagma pariter, atque illæ quinque genuinæ, admiſſas, quod ſpuriæ apud omnes audiebant. Neque ſatisfacere, quod urgeat Vindex, ideo illas quinque Familiaribus inſertas fuiſſe, quod res minutas & privatas contineant, quandoquidem inter has ipſas ſpurias non paucæ ſint argumenti minuti, de rebus domeſticis tractantes; & inſcriptio illa *ad Familiares* non præſcripta fuerit antiquitus univerſæ epiſtolarum *Tullianarum* collectioni, cum, quæ hodie circumfertur, collectio *ad Familiares* ex reliquiis plurium olim integrorum voluminum ſingularium compilata ſit. Hæc a *pag.* 73 ad 86. *Sexto* evincit, primum Librum ſpuriatum harum Epiſtolarum haud eſſe poſſe primum Librum iſtorum octo genuinorum, cum commercium *Ciceronis* & *Bruti* literarium eo tempore fuerit inſtitutum, quo *Cicero* Proconſul Ciliciam regebat, & continuatum ſit usque ad *Bruti* ex Italia exceſſum, ſpuriæ vero ultra procedant. Dictorum teſtes advocantur *Quintilianus*, *Plutarchus*, & Autor Dialogi, qui vulgo *Tacito* tribuitur, a *pag.* 87 ad 103. *Septimo* monſtrat a *pag.* 103 ad 153, celebres illas ad *Ciceronem* & *Atticum Bruti* Epiſtolas, *Libri primi decima ſextam* atque *ſeptimam*, eſſe confictas ad genuinarum exemplar, a *Plutarcho* exhibitum; a quo tantum in minutis diſcrepent, ut in tempore;

pore;

pore; nam ſpuriæ finguntur ex Macedonia miſſæ, ſed *Plutarchus* ait ante, quam *Brutus* Italia excederet, ſcriptas. Probat hæc ex argumento fragminum, e *Plutarcho* allegatorum, & ex *Plutarchi* relatione, ad quam Vindex provocat, (qua occaſione fidem hiſtoricam *Plutarchi* contra Vindicem aſſerit,) & tandem ex eo, quod probabile ſit, *Brutum*, nondum Italia degreſſum, haud absque cauſa reveritum fuiſſe atque ſuſpectum habuiſſe *Octavium*, & vituperaſſe merito *Ciceronis* ſtudium in illo tuendo atque augendo. *Octavo* & *nono* loco urget ceu improbabilia illa ex epiſtola modo dicta ad *Atticum Lib. XVII*, a *pag. 156* ad *176*, ut quod *Cicero* cupiat a *Bruto* ſcriptum de actis a ſe Conſule, nimirum vigeſimo fere anno poſt illa acta; quod *Cicero* taxet cædem *Caſaris*, & *Caſcam* ceu parricidam objurget; hæc enim *Brutus* ibi de *Cicerone* ſcribens fingitur; quod *Cicero* decreverit ovationem *Octavio*, quod neque fuit, neque neceſſe erat eo fine, quo voluit Vindex; tandem quod *Attica* tanquam nubilis pingatur ibi, quæ vix potuit tum paulo major ſeptenni fuiſſe. Tandem id profert: epiſtolam I, 16, ſcriptam fuiſſe illo ſpatio temporis, quod pugnam Mutinenſem & *Lepidi* cum *Antonio* conſpirationem intercedit. Id ex ejus argumento patere. Atqui *Ciceronem* in eadem memorari apud *Octavium* pro percuſſoribus *Caſaris* intercedentem, cum *Octavius* tamen illo certe tempore nullo modo percuſſoribus eſſet metuendus, neque vindictæ ab illis ſumendæ cupidum ſe ulla ratione proderet. *Epiſtolæ X, XI, XII, XIII*, argumenta hæc ſunt: *Ciceronem* a Sophiſta fingi debentem *Bruto* reſponſum a duobus inde jam menſibus, data opera, ut poſſet argutiam quandam ſophiſticam in uſum vocare, alias perituram, quod *Meſſallam* ſpurius *Cicero* eo laudet ex capite, quod optimo dicendi generi ſtudeat, cum verus *Cicero* diu multumque de optimo dicendi genere cum *Bruto* diſputaverit, quæ lis judicata nunquam fuerit. Quod *Appiani* & *Plutarchi* errorem transſcribat & recoquat impoſtor, quo nimirum illi *Marcum Brutum* autorem ſalutis *Antonio* fuiſſe perhibent, cum *Decimus Brutus* is fuerit, quod probatur ex rationibus & rebus utriusque *Bruti*, e teſti-

Digitized by Google

e teſtimonio *Paterculi*, ad quod Vindex provocat; e comparatione *Ciceronis* cum *Paterculo*. Porro monſtrat, hanc epiſtolam aut contrariari alii, ſcilicet *ſeptimæ*, aut contra fidem hiſtoricam fingere *Ciceronem* de ſe narrantem, quod poſt cædem *Cæſaris* bellum & arma ſuaſerit; item *Ciceronis* in Italiam & Romam reditum tanquam egregium facinus hic collaudari, *Bruti* diſceſſum vero tanquam dedecus exagitari; cum tamen *Cicero* invitus & coactus redierit, *Bruto* autem diſceſſum verus *Cicero* ſuaſerit, eundemque approbarit, & præiverit exemplo ipſe ſuo, quemadmodum non tantum ex publicis ejus Orationibus, verum etiam ex Epiſtolis ad *Atticum*, colligatur; porro hanc Epiſtolam dicere, quod falſum eſt, *Servium* primum permoviſſe ſenatum, ut *Octavio* petendi magiſtratus ante tempus veniam daret, & *Servium* permoviſſe ſenatum, ut acceleraret id tempus; & *Ciceronem* primum effeciſſe, ut *Octavio* legitimum in milites imperium permitteretur; quorum omnium pars una ſubvertat alteram, & quæ ſint ἀσύςατα: nam omnia illa unus *Cicero* ſimul perfecit, & legitimi imperii conceſſio per rerum naturam & ipſo quoque effectu præceſſit conceſſionem honores ante tempus petendi; & *Cicero* ſolus ab *Octavio*, ut perficeret, delectus fuit, perfecitque id primo ſenatus conventu, quo poterat ea res tranſigi. Vindicem abſurdum eſſe, qui putet, *Ciceronis* atque *Servii* pro *Octavio* ſtudia conſpiraſſe. *XIV*, a *pag.* 224 ad 230, impoſtorem deprehendit in eo, quod *Epiſt. I,* 10, qua pro *Cicerone* perorat, eum exhibet omnibus viribus *Octavio*, Conſulatum ambienti, adverſantem, cum ex *Plutarcho* conſtet, & *Appiano*, & *Dione*, (quem videtur impoſtor legiſſe,) verum *Ciceronem* valde laboraſſe, ut *Octavio* Conſulatum conciliaret; imo claris id verbis de ſe verus *Cicero* prædicet, cujus prætervidere teſtimonium Vindex e re ſua putarit eſſe. *XV*, a *pag.* 231 ad 235, urget, quod *Brutus Octavium* eo ſuſpectum habeat, quod ipſi videatur ad Conſulatum adſpirare, quo tempore neque ullum dederat indicium eorum moliminum, neque quiſquam deprehendere tam inſolentes auſus potuerit, quam ſolus *Cicero*. Narrat quoque, ſibi relatum de *Cicerone* rurſus facto Conſule, quod non potuit niſi ex Græcis

 hiſto-

Hiſtoricis haurire. Certe *Brutus* ea ſcribere nequit, niſi futurorum præſcius. *XVI* & *XVII* arguit hoc, quod *Ep. I, 2*, mentio fiat legionis quartæ, tanquam hærentis apud *Brutum* in Macedonia, quæ tamen illo tempore cum *Hirtio* ad Mutinam pugnabat. Refutat quoque opinionem Vindicis, qua putat is, eo tempore fuiſſe Romanis Imperatoribus in more poſitum, ut legiones, a ſe recens conſcriptas atque conditas, appellarent numero illo, quo ipſi conſcripſerant, (ut, ſi quis quatuor legiones condidiſſet, appellaret ultimam quartam,) nulla habita ratione legionum ceterarum populi Romani, tunc alibi exiſtentium. Hanc ipſam opinionem *Middletoni* convellit peculiari libello, his Obſervationibus ſubjecto, *Chapmanus*, de quo poſtea pluribus dicemus. Addit, etiamſi tanquam vera admittatur iſta opinio, nihil tamen ad præſens argumentum quidquam facere, cum ex ipſa illa Epiſtola conſtet, *Brutum* habuiſſe quinque tantum legiones, quarum quatuor erant veteranæ, id eſt, a *Bruto* non conſcriptæ, & eo antiquiores; quia etiam *Cicero* non potuiſſet intelligere, quam *Brutus* legionem deſignet, ſi *Brutus* tantum recens a ſe conſcriptas in mente habuiſſet. Epiſtola quoque nimis diſtincte ſingulos narrat, anticipans poſteriores caſus, ut de *Antonii* fuga, de *Bruti* exceſſu ex Mutina, & victoria P. R. quod ipſi Vindici fuit improbabile viſum. Memorat, *Brutum* αὐτοκράτορα imperatorem dictum, in bello adverſus *Dolabellam*, quod eo certe tempore, quo ſcripta fuit epiſtola, verum non fuit. Cui rei, ut videtur, anſam dedit male intellectus a Sophiſta, &, ut Grammatici loquuntur, male conſtructus, locus *Ciceronis* Oratione quadam, & ad *Caſſium* epiſtola. *Epiſtola I, 5*, aliud hiſtoricum prodit mendacium, quod *Cicero* conſilium *Bruto* dederit belli adverſus *Dolabellam* movendi ante pugnam Mutinenſem; & Sophiſtam monſtrat ignarum conciſæ dictionis Senatusconſulti, unde falſas finxerit hypotheſes. *XVIII* & *XIX*, *pag. 258 - 265*, hæc exequitur: *Epiſtolam Libro primi tertiam*, ſcriptam 22 Aprilis, exponere utriusque ad Mutinam prælii eventum, & de morte *Panſæ*, cum *Panſa* poſteriore prælio ceciderit, neque Romæ potuerint aliquid de his rebus

im-

inaudire, quam diebus aliquot poſt ſcriptam hanc Epiſtolam. Epiſtola quarta *Brutum* de ſui fratris, *Decimi*, evaſione ex Mutina narrare, diebus aliquot ante, quam audire de illa per rerum naturam potuerit; at ſimul affirmare, ea potiſſimum re partam fuiſſe victoriam; cum nihil opis illa eruptio ad victoriam P. R. contulerit. *XX*, *pag.* 268 - 272, monſtrat, has epiſtolas & veræ hiſtoriæ, ab aliis traditæ, & ipſas ſibi, contradicere; ut quod *Epiſt. II*, 5, mentio fiat *Bruti* militibus & pecunia defecti, cum *I*, 2, *Brutus* fingatur quinque legionibus dives, iisque, certe ſi cum hoſtium copiis comparentur, abunde inſtructis. *XXI*, Epiſtolam *II*, 2, pugnare cum *I*, 5, quandoquidem illa referat, *Ciceronem* Aprilis nono certos accepiſſe nuntios *Lentuli* de *Caſſio*, ejusque legionibus, & Syria; hæc vero, *Ciceronem*, ferat, nihil de *Caſſio*, ejusque copiis, audiviſſe, neque literas ejus accepiſſe ante quintum Maji. *Articuli XXII - XXVIII* verſantur circa *Bruti* fictam, ad *Ciceronem* datam 1 Aprilis, epiſtolam, in qua narrat de ſuis in Macedonia geſtis rebus & morte *Trebonii*, cum *Brutus* jam peculiaribus duabus Epiſtolis ea populum Rom. edocuiſſet, quæ ſub initium, aut certe medium, Februarii jam advenerant, & recitatæ fuerant, & *Ciceroni* dederant argumentum *Philippicæ* undecimæ. In eadem miſcentur caſus, qui Romam nuntiati non fuerunt, niſi aliquot inde ſeptimanis. Primo enim de *Caſſii* ſucceſſibus in Syria ſimul, cum de morte *Trebonii*, nuntiat; cum tamen *Ciceronis* Philippica, occaſione cædis *Trebonii* dicta, fuerit pronuntiata, ſecundum ipſum *Middletonum*, tribus ſeptimanis ante, quam Romæ de *Caſſii* rebus cognoſceretur, aut potius, ſecundum veræ dictamen hiſtoriæ, tribus integris menſibus. Deinde *Brutus* ſimul de ſuis in Macedonia ſucceſſibus exponit, & de capto *C. Antonio*. Monſtrat autem, verum *Brutum* ſecundis literis ad Senatum hiſce de rebus ſcripſiſſe, quæ, ut perhibet aliæ ficta ejus epiſtola, ante 12 Aprilis recitatæ non fuerint, verum, ut certa perhibet hiſtoria, Romam non venerint, niſi poſt victoriam apud Mutinam. Porro ſuppoſititium *Brutum* de *Antonio*, ſuo captivo, quo tempore *Panſa* Romæ adhuc erat, ſcribere, cum tamen, ut colli-

gatur ex ipſa epiſtola, procul dubio audiviſſet de *Panſa* in caſtra exitu. Et viciſſim falſus *Cicero* nuntium de *Antonio* a *Bruto* capto in idem tempus collocat, quo *Panſa* Romæ adhuc hærebat, cum tamen ille nuntius de *Antonio* Romam non venerit, niſi poſt egreſſum inde *Panſam*. Quod *Ep. II*, *7*, dicat, de ſecundis *Bruti* publicis epiſtolis in ſenatu recitatis noluiſſe, amicos ejus referri, id probat *Dioni* & *Paterculo* adverſari *pag. 294*, eamque *Ciceronis* eſſe non poſſe, quoniam referat, literas *Bruti* a Senatu judicatas fuiſſe ſpurias ob *Antonium* in iis Proconſulem appellatum. Quod *Plutarchus* inter multas *Bruti* nullam viderit, quæ de *C. Antonio* ageret, id argumentum de harum impoſtura præbere; quandoquidem ille ſingulari ſtudio opera *Ciceronis* fuerit rimatus, & ejus epiſtolas ad rem ſuam ſæpe in probandis momentis hiſtoricis advocet, & præſertim *Bruti*. *XXIX*, *pag. 390 ſeq.* monſtrat, impoſtorem Sophiſtam ita exſcribere ſæpe ad Familiares epiſtolas, ut haud obſcuris veſtigiis deprehendi poſſit, eum vixiſſe, poſtquam illæ epiſtolæ in hanc formam, qua hodie circumferuntur, fuerunt redactæ. Ita e. c. *Lepidum* taxat ab animo inconſtante, neutramque in partem propenſo, ante pugnam Mutinenſem; cum tamen non niſi longo poſt illam pugnam tempore horum reus fuerit habitus, & verus *Cicero* eum tantummodo propterea vituperet, quod *Antonio* ſe addixerit. Item prophetice *Lepidus* fingitur ſuo fratri ob factum aliquod infenſus, quod non contigit, niſi fere tribus menſibus poſt ſcriptam epiſtolam, aut certe menſe poſt, ut concedit ipſe Vindex. *XXIX* urget, *pag. 311 - 314*, Epiſtolam *I, 9*, quam ait a Sophiſta confictam argute ſtudioſeque, ſed inutilem abſurdamque chriam, qua *Brutum Cicero* conſolari velit ob uxoris ejus, *Porciæ*, mortem, quæ tamen, ut conſtat, maritum vivendo ſuperavit. *XXX*, quod *Epiſt. I, 11*, *Brutus* vivos adhuc fingat Conſules, cum manifeſtum ſit, eo tempore, quo ſcribebat, non potuiſſe illum de morte Conſulum non inaudiviſſe. *XXXIII*, inopportunam eſſe ſollicitudinem *Ciceronis*, ſtudiumque acquirendi ſuo filio Pontificatus; cum illo tempore talis auſus nullo ſimili exemplo potuerit

adju-

adjuvari. Sed totam eam narrationem ex *Appiano* videri anticipatam qui narret, *Ciceronem* juniorem ab *Auguſto* factum fuiſſe Pontificem. *XXXIV, pag. 340 - 348*, fruſtra prætendi *Ciceronis* vim divinandi, ad anticipationes temporum & eventuum, quibus ſcatent hæ ſpuriæ epiſtolæ, excuſandas; probabile enim eſſe, non eventus fuiſſe prædictiones ſecutos, ſed prædictiones ex eventibus confictas. *XXXV*, nam certe inſignem vaticinationem *Ciceronis* de *Bruti* reique publicæ fatis non poſſe politicum appellari augurium. *XXXVI, pag. 358. - 364*, rationes *L. Clodii*, quas *Middletonus* allegat tanquam intrinſecum probitatis harum Epiſtolarum aliquod argumentum, partim contrariari, monſtrat, hiſtoriæ Romanæ, partim depromtas eſſe ex Epiſtolis ad Familiares. *XXXVII, pag. 364*, tandem ſubnectit generales quasdam in ſpurias has Epiſtolas animadverſiones, ratione ſententiarum & inventionis, & dictionis, obſervatque, ſimilitudinem aliquam dictionis pariter atque ratiocinii per totum earum volumen tam in illis *Bruti*, quam *Ciceronis*, obtinere, etiam in illis ipſis locis, qui e *Cicerone* depromti, vel ad ejus modulum efficti ſunt. *XXXVIII*, quod Vindex urſerat. *Plutarchi* temporibus & ſecutis eas Epiſtolas non potuiſſe confingi, utpote quibus ſermo Romanus ſordes jam contraxerat, & hebes evaſerat guſtus acumen criticum, id confutatur tam argumentis, a ratione deſumtis, quam exemplis ab hiſtoria. Imo vero illam dictionis & judicii corruptelam temporibus *Cicerone* poſterioribus communem probare, quod talis fraus minus facile tum potuerit detegi; quod evincitur porro ex hiſtoria illarum epiſtolarum, & aliorum, *Ciceroni* ſuppoſitorum, operum. Tandem rogat Autor Vindicem, velit, ſi poſſit, tantam nubem telorum in ceteras genuinas *Ciceronis* epiſtolas omnes ſimul jaculari, quantam ipſe hiſce ſolis ſpuriis immiſerit.

Ex his conſtabit, hunc librum doctum eſſe, lectuque dignum, & Autorem materiam ſcribendi parem ſuis viribus ſibi ſumſiſſe; ſperamusque, paucos eruditorum porro fore, qui nolint, aut dubitent, in Autore harum Epiſtolarum ſophiſtam impoſtorem agnoſcere.

Sed ad Epiſtolam Rev. *Chapmani*, Lambetho April. 19 (ſt. v.) A. 1743 datam, procul dubio ad noſtrum *Tunſtallum*, de antiquo charactere numerali Legionum Romanarum paulo preſſius recenſendam progredimur. Protenditur illa a *pag.* 413 usque ad *pag.* 435. Id agit in hac Epiſtola *Chapmanus*, 1) ut opinionem *Middletoni* refutet, quam jam diximus a *Tunſtallo* damnatam; 2) ut probet, hunc morem, nomen alicujus legionis geminandi, triplicandi, quadruplicandi, (deinceps clarius intelligetur noſtra quibusdam obſcura futura mens,) admodum recentem eſſe; 3) ut probabilem aliquam rationem introducti hujus moris prodat. Sequamur Autorem.

Primum ait, opinionem *Middletoni* de antiquo more, Romanorum legiones conſcribendi & denominandi, non tantum ſingularem ſibi videri, ſed etiam prorſus & manifeſte falſam. *Certum factum eſt*, (verba ſunt *Middletoni*,) *quamvis alii forte id ignorent, Romanos Imperatores, ubi occaſio ſe dabat novas legiones in provinciis, multum Roma diſtantibus, conſcribendi, conſueviſſe eas nominare ſecundum ordinem, quo conſcripſerant, absque ullo reſpectu ullius alterius cujuscunque tandem legionis.* Verum *Chapmanus* audet hoc aſſertum non tantum in dubium vocare, ſed etiam tanquam ſomnium explodere. Certe, antiquis illis temporibus ſalva adhuc libertate tale quid obtinuiſſe, negat. Fatetur quidem, occurriſſe ſibi aliquot monumenta, in confuſa & turbulenta bellorum civilium & *Julii Caeſaris* aetate, quae videantur novae huic opinioni favere; ſed apparentes illas ſimilitudines nil probare, negatque confidenter, ab urbe condita usque ad hunc *M. Brutum* uſum allegari poſſe exemplum pro ſententia *Middletoni*. Cum itaque momentum hoc ſit Antiquitatum Romanarum non leviſſimum, quod tamen earum ſcriptores leviter tantum attigerint, & ipſe *Carolus de Aquino* in curioſo ſuo *militari Lexico*, (verba ſunt ipſa *Chapmani*,) judicare ſe, haud ingratum eruditis fore, ſi diligentius ipſe id excutiat.

Conſtans itaque dicit id primum eſſe, omnique dubio majus, quod Romani Imperatores, quando novam conſcripſerant legionem, eam numero citarunt, non quo ipſi conſcribebant, pri-

Digitized by Google

rimam, ſecundam, &c. ſed quem merebantur reſpectu le-
ionum jam exiſtentium; ut, ſi quis imperator, jam decem
xiſtentibus veteranis legionibus, novam conſcriberet, eam
on primam, ſed undecimam, appellaret. Exemplum præbet
ulius Cæſar, quod ſimul novam opinionem refellit. Ille
uatuor legiones in Italia, duas in Gallia, novas conſcripſerat;
ex alias habebat veteranas, in univerſum duodecim. Debe-
ant ergo ultima Italicarum quarta dici, & Gallicarum ſecun-
a, ſecundum *Middletonum* certe. Verum neque ſecundam
gionem habuit ullam, neque quartam, ſed I, III, VII,
III, IX, X, XI, XII, XIII, XIV, &, quas addit Continua-
or *Cæſaris*, VI & XV. Quamvis enim dicere præciſe ne-
ueamus, quod nomen geſſerit legionum Italicarum ordine
mporis prima, & Gallicarum prima; concidit tamen, ut ma-
ifeſto patet, Angli nova opinio, cum in illis nulla ſecunda
t & quarta. Quantum ad primam & tertiam attinet, illæ
on erant novæ legiones, ſed veteranæ, a *Pompejo* ad *Cæſaris*
ſum permiſſæ, ſed deinceps ipſi redditæ. Neque hoc ſolo
alſa evincitur nova opinio, ſed etiam illo, quod nulla legio-
ium illarum, quas *Cæſar* A. U. C. 704, aut 705, conſcribebat,
t quas in commentariis *legiones tironum* appellat, nomen
rimæ, ſecundæ, & porro, habuerit, ſed una earum decimæ
ptimæ nomen habuiſſe deprehendatur. Jam neque reſpe-
tu legionum *Cæſaris* omnium potuit illa decima ſeptima ap-
ellari, cum *Cæſar* plures, quam quindecim, nunquam habue-
t; neque multo minus reſpectu numeri recentium illarum
gionum tironum, quæ ad ſummum tres fuerunt, non certe
lures. Debuit ergo reſpectu aliarum legionum decima ſe-
tima dicta fuiſſe, quæ ſcilicet ad alios olim duces pertinue-
ant, cum illis temporibus admodum multæ occurrant legio-
es, XXXVI, XXVII, imo & quadrageſima; cum tamen po-
erioribus ſub *Auguſtis*, ſub quibus duplicati numeri frequen-
es erant, tam grandes, tam alte adſcendentes, numeros legio-
um non reperiamus. Idem poteſt concludi ex aliis duabus
gionibus, eodem anno *Cæſaris* juſſu in Italia conſcriptis, &
am *Caſſio Longino* in Hiſpaniam miſſis, quarum una nomen
abuit vigeſimæ primæ, altera trigeſimæ.

Hinc

Digitized by Google

Hinc apparet, nullo niti fundamento *Middletoni* opinionem. Diluenda nunc erant, quæ ille pro ea aſſerenda profert. Obſervavit nempe, *duas diverſas legiones eodem tempore idem nomen habuiſſe, ut in Inſcriptionibus quartam Scythicam, & IV Flavianam, IV Cyrenaicam, Gallicam, Italicam, Soranam, in Hiſpania.* Sed ea omnia, quæ poterant magno numero cumulari, nihil ad rem faciunt. Inſtitutum noſtrum non patitur, ut omnes huc apponamus doctas *Chapmani* obſervationes & elenchos, quibus, aut male intellectas eſſe a *Middletono* inſcriptiones, probat, aut dubiæ lectionis, aut non ſincere ex *Grutero* exhibitas, ſed interpolatas ex *Lipſio*, aut non probare, quod debebant, aut, ſi quæ paucæ probant, *Bruti* & *Ciceronis* temporibus, de quibus hic eſt controverſia, non attingere, κάδ' ἰκλάε, ſed vix *Trajano* antiquiores eſſe. Inde tractatur locus *Dionis Caſſii Libro LV pag. 564*, (putamus, editionem *Wechel.* citari, nam in *Stephan.* eſt *pag. 645*,) e quo *Middletonus* voluit ſuam ſententiam comprobare his verbis: Dio *in catalogo veteranarum legionum omnium, a regno* Auguſti *inde conſervatarum, numerat tres, quarum ſingulæ in diverſis & diſtantibus imperii partibus fuerint Tertiæ dictæ, unam in Phœnicia, in Arabia alteram, aliam in Numidia, duasque ſextas, in Britannia unam, alteram in Judæa; pariter ſeptimam, octavam & decimam, geminas fuiſſe.* Hæc ille. Sed *Chapmanus*, adverſarium, primo monſtrat, falſo id dicere, ſeptimam & octavam legionem a *Caſſio* dici geminas, cum non dixerit niſi ſimplices. Deinde, quid intelligendum ſit per legiones ab *Auguſto* inde ad *Dionem* usque conſervatas, explicat. Tandem ait, etiamſi poſſet deberetque ſenſus ille e *Caſſio* effici, quem inde *Middletonus* exſculpſit, nihilo tamen minus illud *Dionis* teſtimonium nihil probare. *Tacitum* enim, integra fere annorum centuria propiorem ab *Auguſto*, quam fuit *Dio Caſſius*, virum militarem, conſularem, minutiſſimorum exactum notatorem, nunquam in *Annalibus* ſuis, ad *Neronem* usque productis, mentionem feciſſe geminatæ alicujus legionis, cum tamen earum aliquoties meminerit in Hiſtoriarum libris, quos a *Galba* orditur. Mirum certe hoc & quod vix compre-

pre-

prehendas, ſi ſecundum *Dionem*, ex *Middletoni* certe mente, illa ipſa temporis periodo, de qua perſcribit *Tacitus*, fuerunt tres tertiæ legiones, duæ ſextæ, ab *Auguſto* inſtitutæ, *Tacitum* eas non commemoraſſe. Mihi, certe, ait Anglus noſter, videtur moraliter impoſſibile, aut ſaltem incredibile, tam rerum politicarum callentem virum, & tam ſolertem ſcriptorem, quam *Tacitus* fuit, aut tam ignorantem eſſe poſſe diſtinctionis, quæ in rerum natura exſtiterit illis temporibus, de quibus exponit, aut deſtinato conſilio, ſi eam noverit, omittere ibi locorum, ubi memorandi ſe dabat occaſio, materiales legionum diſtinctiones, præſertim cum talis omiſſio confuſas & obſcuras faciat narrationes, & nullo modo condonari ſcriptori queat; & ipſe ille ſcriptor, in Hiſtoriis de iisdem loquens ſextis & decimis legionibus, levem quandam addat diſtinctionis notam, ut *ſexta Hiſpanica*, aut *ex Hiſpania accita*. Putat ergo *Chapmanus*, rectius dici, *Dionem Caſſium* male acceptum ab interpretibus hic loci, ut aliis in multis, fuiſſe, quam ipſum errore fefelliſſe, Et hunc ejus ſenſum eſſe. Omnium ab *Auguſto* conſtitutarum legionum, quas alii viginti tres, alii viginti quinque, perhibebant, reliquias fuiſſe ſuis temporibus illas novendecim, quas recenſet, & quæ ſunt hæ, ſecunda Auguſta, tres tertiæ, nempe III Gallica, III Cyrenaica, III Auguſta, - - duæ ſextæ, una victrix, altera ferrea, - - duæ decimæ, - - duæ vigeſimæ, nempe Valeriana & Victrix. Non tanquam tot tertiæ, & ſextæ, & decimæ, & vigeſimæ, jam fuerint *Auguſti* ætate; ſed illas *Dionis* ætate duplicatas, aut triplicatas, ab aliquo Imperatore poſteriore legiones fuiſſe reliquias earum legionum, quæ ab *Auguſti* tempore inde per continua ſupplementa ſe ſuſtinuerant, & olim fuerant ſingulæ legiones, unica ſignatæ numeri nota. Modum, quo legiones olim ſingulæ poſtea geminæ evaſerint, poſſe concipi hunc. Procedente tempore legiones quasdam *Auguſteas* a variis caſibus fuiſſe prorſus exſtinctas, ut hic in *Dionis* loco non comparent prima, nona, XVI, XVII, XVIII, XIX, idque ſolummodo *Dionis* tempore. Nam *Taciti* temporibus fuiſſe plurimas, ſi non omnes, adhuc integras. Igitur Imperatores,

Digitized by Google

bene intelligentes earum inſigne robur, & quod egregio ſenſu honoris ob *Auguſteam* ſuam originem ſtimulabantur, exciſarum locum ſupplere voluiſſe, multiplicando ſuperſtites, id eſt, dividendo milites talis cujusdam legionis in duas, aut tres, partes, quarum unaquæque pars fiebat quaſi ſtamen peculiaris novæ legionis, retinentis vetuſtum nomen, numerale, & cum novo quoque milite, ad perficiendum complementum legionarium recens accedenti, communicantis ſuum faſtum ſuosque ſpiritus, qui toties reipublicæ inſigniter fuerant utiles. Hanc fuiſſe originem duplicatarum legionum, *Dioni* memoratarum, & *Tacito* poſteriorum, inde porro colligi, quod, ſi ſecus habeat res, futurum ſit, ut hæ multiplices legiones, computatæ cum multis aliis, *Tacito* memoratis, multum excedant numerum XXV, quot tamen ad ſummum fuiſſe ab *Auguſto* inde usque ad *Domitianum*, *Dio* pariter atque *Tacitus* teſtentur. Novæ igitur opinioni *Middletonianæ* nullum eſſe a *Dione* præſidium, concludit.

Tandem collaterale, ut appellat, argumentum ex nummis affert, quorum e. c. ſub *Antonio* Triumviro cuſi multi legiones quidem exhibeant I, II, III, &c. ſed nude, absque ulla alia addita nota. Simulque *Vaillantium* & quosdam numiſmatographos caſtigat, ex male intellecto iſto *Dionis* loco in ſimilem fere *Middletoniano* errorem prolapſos.

SEVERI SANCTI ENDELECHII CARMEN bucolicum de Mortibus Boum, ex ſacræ Bibliothecæ ſanctorum Patrum, ſeu Scriptorum Eccleſiaſticorum, divite Chriſtianorum Poematum gaza inſtructiſſimo & locupletiſſimo, Tomo octavo per MARGARINUM DE LA BIGNE, ex alma Sorbonæ ſchola Theologum Doctorem Pariſ. Edit. ſecunda Pariſ. A. 1589 recuſum. Novam Præfationem de Autore, editionibus & argumento hujus Carminis, præmiſit M DAVID RICHTER, Gymn. in Patria Rect.

Ham-

Hamburgi & Lipſiæ, ſumtibus Willichianis, 1747. 4.
Plag. 7.

Inquirit initio Clariſſ. Editor in eos, qui de *Endelechio* ſuo literis nonnihil conſignarint. *Olaum Borrichium* huc eſſe referendum, negat; de *Mich. Filitzio*, qui Specimen analectorum ad ejus Diſſertationes de Poetis ſcripſit, dubitat. De hoc nos pariter negare poſſumus; qui recentiores modo perſequitur. Id igitur non miramur; miramur autem aliorum majoris momenti operum injuriam. At bene habet, quod defectum iſtum largiter ſupplevit Noſter. Fuit igitur *Endelechius* ſub finem Seculi quarti clarus, *Paulini* amicus, *Theoſii M.* ſive ſenioris, cliens. Rhetor erat & Poeta Chriſtianus, cujus Carmen *Tomo VIII Biblioth. Patrum* legitur. Negat *Weizius*, eclogam jure inſcribi, &, bucolicum Carmen ſolo heroo pede decurrere, *Voſſius* contendit. Sed ex *Varronis Lib. III Cap. 12. §. 1* probat *Richterus*, illud non ſimpliciter intelligi debere, dum εἰδύλλιον ibi, quo Bucolica nominarit *Theocritus*, ſit diminutivum ab εἴδη, ᾠδή, quo *Pindarus* Carmina inſcripſit. Inter editiones hujus Carminis prima eſſe videtur, quam inter *veterum aliquot Galliæ Theologorum ſcripta* Pariſ. A. 1586, 4, curavit *Petrus Pithæus*; altera eſt, quæ tum a *Bignæo*, tum ab aliis, in variis *Bibliothecæ Patrum* editionibus repetita fuit; tertia ſeorſim edita A. 1589, ni fallitur, qui memoravit, *Outhovius*; quarta *N. Gillii*, cura *Pithæi*, A. 1590; quinta *Candidi* A. 1596; ſexta *Jo. Weitzii*, Gymn. Gothani Rectoris, qui ſuis luculentioribus & *Wolfg. Seberi* annotationibus illuſtratum dedit, Francof. A. 1612; ſeptima eſt *Jac. Gronovii* ſub titulo: Severi Sancti, *id eſt*, Endelechii, *Rhetoris*, *de mortibus boum Carmen*, *ab* Elia Vineto *&* Petro Pithœo *ſervatum*, *cum notis* Jo. Weitzii & Wolfgangi Seberi, Lugd. Bat. 1715, 8. Hanc percenſent *Acta* noſtra *A. 1716 pag. 80 ſeq.* Proxima demum a præſente eſt, quam *Outhovius* libro ſuo, *Judicia Jehovæ Zebaoth* inſcripto, ſubjunxit, ſelectis *Weitzii Seberi*que Obſervationibus ſubjectis, ita quidem, ut ſuas pariter non raro adderet. Conf. *Actor. Erud. Supplem. Tom. VIII pag. 724 ſeq.* Antecedentium utique curam ſuperavit *Richterus*, qui

qui, non ſine judicio critico in exhibendo contextu verſatus, accuratiſſimam omnium rerum rationem reddidit. Ad argumentum autem carminis illuſtrandum inſervire præſertim putat, quæ *Farnabius* ad *Virg. Georg. III, 478, nota k*), congeſſit, ubi memorat, *Homerum Il. I, 45 ſeq.* primas deſignandæ peſtis lineas duxiſſe, a quo, ceu fonte perenni, fluxerit ad reliquos peſtilentiæ deſcriptio, ad *Thucydidem Lib. II* circa med. *Lucretium VI, 1088*, *Ovidium Metam. VII, Fab. 25*, vel *26 ſeq.* *Senecam Oedip. Act. I, verſ. 133*, *Lucanum Pharſal. VI, 9*, & *Silium XVII*, qui quidem peſtem ignis, ſeu incendium, deſcripſit. His addit *Jac. Pontanus* in ſuis ad *Virgilium* Symbolis *Sophoclem* in *Oedipo Tyranno* ſtatim ab init. *verſ. 20*, *Capitolinum* in *M. Antonino Philoſ. Cap. 13*, *Herodianum I, 12*, *Ammianum Marcellinum Lib. XIX fol. 149 ſeq.* ex edit. *Lindenbrogii* Hamb. 1609, 4. Noſter autem conjungit *Livium II, 6* & *32*, *IV, 21* & *30*, *III, 6* & *32*, *V, 13*, *VII, 1*, *XXV, 26*, *XXVII, 25*, *XL, 9* & *37*, *Auguſtinum de C. D. III, 17*. *Virgilii* deſcriptionem peſtilentiæ cum *Lucretiana* & *Ovidiana* particulatim contulit in Poetica *Scaliger*; *Lucretius* vero ex *Thucydide* hauſit, quos contulit *Urſinus*. Atque ita etiam cum iſtis ducibus ſuis comparari poterit *Endelechius*. Quæ de ſigno crucis, ejuſdemque efficacitate, vel ſuperſtitioſa, vel vera, deque lue, bobus nuper iſtis in partibus infeſta, & ſapienti vel Principum, vel Medicorum, providentia, diſputat Noſter, non ægre ferent Lectores noſtri, ſi quidem curioſis in ipſo libro evolvenda permittamus. Ecloga denique, carmine *Horatiano* ſcripta, ſtrophas habet XXXIII, ibidemque colloquuntur *Ægon*, *Buculus*, *Tityrus*. Incipit illa:

Quidnam ſolivagus, Bucule, triſtia,
Demiſſis graviter luminibus, gemis?
Cur manant lachrymis largifluis genæ?
Fac, ut norit amans tui. &c.

DE BONONIENSI SCIENTIARUM ET ARtium Inſtituto atque Academia Commentarii.

TOMI

Tomi II Pars I.

Bononiæ, ex typographia Lælii a Vulpe, 1745, 4 maj.
Alph. 2 plag. 20.

Cum jam tres anni effluxerint, ex quo hic liber in lucem emiſſus fuit, poteramus videri dudum debuiſſe de hoc eximio libro dicere; neque huic officio noſtro tam diu defuiſſemus, niſi, ut, quæ dicenda ſint, paulo plenius exponi poſſent, exſpectandum nobis eſſe judicaſſemus, donec, quæ prodiiſſe paulo poſt narrabatur, *altera* hujus libri *Pars* ad nos perferretur. Quod cum demum nuper admodum factum ſit; jam aliqua ſaltem de hac *prima Parte* ad eruditos referemus, de reliquis, quæ Opuſcula continent, alio tempore plenius expoſituri. Primo igitur id non omittendum exiſtimamus, quo argumento etiam is, qui, Academiæ nomine, hos Commentarios conſcripſit, uſus eſt, ut, cur hic *alter Tomus*, poſt tredecim demum annos, in lucem emittatur, excuſaret, Academicos Bononienſes pro voluntate tantum in congreſſum venire, ibique interdum nihil, ſæpe ea recitare, quæ, quod poſtremam manum iis nondum impoſuerint, edi non poſſint, quæ autem recitaverint, ea, ſive quod non poſſint, ſive etiam quod nolint, ſæpius non perficere. Duæ autem & hujus *Partis* quaſi Sectiones ſunt, quarum altera aliqua ad Inſtitutum Bononienſe pertinentia continet, altera Commentarios. I[illegible]sque *undecim Capita* ſunt, in quorum *primo*, quod de Senatoribus Inſtituti Præfectis inſcriptum eſt, aliqua ad *Marſilii* vitam ſpectantia continentur. *Alterum Caput* de Profeſſoribus Inſtituti eſt, ex quibus, ut de *Beccario*, *Galeatio*, & *Balbo*, aliisque, non dicamus, præcipue de *Euſtachio Manfredio*, celeberrimo Mathematico, tanquam mortuo, multa dicuntur, quæ, quod ſunt ab aliis fuſius accuratiusque expoſita, hoc loco non repetemus. Neque aliter cum iis agendum eſſe exiſtimamus, quæ ad Chirurgicam Profeſſionem, a Pont. Max. *Benedicto XIV* recens creatam, & ad *Molinellium*, cui hoc munus primum demandatum fuit, ſpectantia proponuntur, quoniam de his

Pag. 5-11.

13-19.

20 ſeq.

ſuperiore anno eo loco diximus, qui de Oratione eſt, quam *Molinellius* habuit, quando hoc novum munus adibat. De rebus ad militarem Architecturam pertinentibus agitur in *tertio Capite*. Fuit autem harum theſaurus a quadrageſimo ter-
Pag. 23. tio hujus Seculi anno tum variorum armorum ſupellectile, quibus veteres uſi ſunt, tum quoque duabus formis arcium, ex duplici *Herberti* præceptione muniendarum, ex ligno paratis,
24 ſeq. auctus. Illa vero arma e muſeo *Coſpiano* illata ſunt, de quo pariter, atque de *Aldrovandino*, quæ utraque fere eodem tempore in Inſtituti ædes translata fuerunt, a quo inſtructa, a quibus ornata & aucta fuerint, deinde exponitur. His ad Phyſicam pertinentes res in *Capite quarto* ſubjiciuntur. His cum Inſtitutum fere careret, tam multæ ſunt *Benedicti XIV* liberalitate illatæ, ut hæc tota pars nunc demum fere condita videatur. Narratur vero, quo hæ res ordine ſint in tribus conclavibus diſpoſitæ. Quæ ad naturalem hiſtoriam pertinent, de quibus nempe in *Capite quinto* agitur, eæ, ut de *Coſpiano* & *Aldrovandino* muſeo non dicamus, variis aliis donis
33. auctæ ſunt. Maſſenſium enim & Carrarenſium Dux triginta lectiſſimorum marmorum fruſta miſit, quibus multa alia addidit *Montecucculorum* liberalitas. Similiter *Malvetius*, Senator Bononienſis, coſtam maximi cujusdam ceti in Inſtitutum
34 ſeq. contulit, & *Benedicti XIV* liberalitate tria Ægyptiorum cadavera, aromatibus imbuta, gemmæ nonnullæ, foſſilia, argenti & auri fruſta, qualia in ſubterraneis venis inveniuntur, & in his unum ex illis, acceſſerunt, quæ Hiſpani, propter puritatem ſummam, pepetas aureas nominant. *Sextum Caput* de rebus ad Geographiam & artem nauticam pertinentibus exponit; *ſeptimum* de iis, quæ ad Aſtronomiam ſpectant, de quibus ſi dicere hoc loco vellemus, oporteret totum *Caput* exſcribere, quod in eo, qua ratione cubiculum Aſtronomicum paratum ſit, & inſtrumenta, in Anglia facta, ad uſum diſpoſita, expoſitum habetur. Chemicorum inſtrumentorum olim fere nullus in Inſtituto apparatus fuit. Eſt vero nunc maximus, poſtquam, quæ *Carolus Franciſcus Caprara* magno numero reliquerat, cum libris ad Chemicam pertinentibus, nepos *Victoria*

Capra-

Digitized by Google

Capraria in Inſtitutum contulit. De his in *octavo Capite* di-
citur. *Nonum* de Anatome agit in Inſtitutum introducenda.
Sumtibus enim *Benedicti XIV Lellius* artifex varia jam ex ce-
ra aliisque rebus parat, quæ tum integra corpora, tum eorum
partes, exhibere debent. De Bibliotheca, quæ partim libris, a Pag. 47 ſeq.
Bonfioliis emtis, partim a *Marſilio* dono datis, non parum au-
cta fuit, nihil eſſe videtur, quod referri debeat, neque etiam
de antiquitatis reliquiis, præter hoc unum, quod *Benedictus* 49.
XIV mille & quingenta fere varii generis numiſmata miſit.
Quæ ut Autor in *decimo Capite* expoſuit, ita in *undecimo* de
Philoſophorum & pictorum Academiis adjunctis ad Inſtitutum 52.
agit, præcipueque de illa, quæ, cum olim tres ordines, deinde
quatuor, haberet, jam fere nullum habet, per quem ordinum
contemtum, ſed magis per alias cauſas, factum eſt, ut perpauci
jam ſint, qui meditatum aliquid in conventum afferant.
Hactenus de Inſtituto. Progrediamur ad Commentarios,
quorum primi comprehendunt ad naturæ hiſtoriam ſpectan-
tia. De his ita tractabimus, ut quidem ſingula referamus, ex
ſingulis autem quaſi partibus unum alterumque plenius expo-
namus, reliqua, & quæ præcipue majoris momenti ſunt, illi
loco *Actorum* noſtrum reſervaturi, qui de Opuſculis erit.
Igitur in prima primo loco de duobus gummi agitur, quæ,
Cajetano Montio comperta, *Joſephus* pater A. 1725 in Acade- 61 - 63.
mia expoſuit. Primum ex antiqua populo evulſum fuit, ſa-
pore amaro, colore nigro. Quod quia aqua affuſa ex parte
ſic ſolvit, ut & ſaporem extraheret & colorem, reliquum in
ſpiritu vini ſolutum fuit, cognitum eſt ex gummi reſinaque
conſtare. Ideoque *Montius* etiam gummi-reſinam appella-
rit. Alterum pariter in ramo populi natum eſt, ſed amputa-
to jam dudum, ac fere ſicco, quem nempe *Montius* domi ſer-
vabat. Hunc aliquando vidit plurimis tenuiſſimis filis, iisque
rubris, cinctum, quæ, ex cortice nata, tota gummoſa erant.
Tota enim in aqua ſoluta ſunt. Altero loco idem *Caje-* 63 ſeq.
tanus Montius aviculam Bononienſem proponit, parvam, pa-
luſtria loca amantem, & facile pro paro habendam. Nidus
ejus e ramo arboris pendulus eſt, totus ex arborum lanugine
com-

Digitized by Google

compoſitus, quibus notis ab illo pari caudati nido diſtingui
Pag. 65 ſeq. poteſt, cui avi *Aldrovandus* duas nidi formas aſſignavit. Sequitur de foſſilibus quibusdam dactylis, a *Joſepho Montio* facta, obſervatio. Invenit enim circa amnes lapides perforatos, in iisque teſtacea animalia, novi generis, ſiquidem cum cognitis dactylis, pholadibusque, minus conveniebant. Dactylos foſſiles nominat *Montius*, & de antediluvianis exuviis opinionem
67. confirmare putat. Ad eandem opinionem comprobandam facit altera ejusdem *Montii* de teſtaceis quibusdam achate plenis obſervatio. Invenit in monte prope Bononiam ſito, quando is altius fodiebatur, ex iisque nucleos eduxit, perfecte achatum ſpeciem præ ſe ferentes, coloris pariter ac pelluciditatis diverſæ. Horum nucleorum plures, dentalium præſertim, intus cavos reperit, unumque in hoc cavo aquæ guttu-
71 - 74. lam continentem. Ad eundem *Montium* alia de inſigni quodam oſtreo obſervatio pertinet. Reperit in monte quodam, qui eſt contra ædem B. *Mariæ* Virginis, de ſaxo vocatam, quæ ædes Bononia diſtat milliaria fere decem. Isque mons ex talibus oſtreis videtur ex parte factus eſſe. Oſtreum vero neque forma, neque magnitudine, cum aliis cognitis marinis oſtreis convenit. Totum ex cruſtis tenuiſſimis, argentei coloris, conſtat, quæ quia protinus ſolo attactu confringebantur, *Montius* integrum habere non potuit. Habuit tamen fere integrum, quod quindecim pondo erat. Non abſimile conchis margaritiferis fuit, unio tamen inveniri non potuit. Medicam vero virtutem fere eandem inventum eſt habere ac
74 ſeq. conchæ. Quæ de Corallio ſequuntur, exponemus, ubi ad
78 ſeq. Opuſcula ventum erit. Neque neceſſe eſſe videtur, ut de novo quodam inſecto, a *Galeatio* in vite reperto, & A. 1726 in Academia expoſito, dicamus, quoniam id in *Reaumurii*
80 - 85. Commentariis deſcriptum delineatumque habetur. Dicemus autem de nova florum pulchritudinem conſervandi ratione, quam *Joſephus Montius* cum Academia communicavit. Arena enim ex eo genere, quod fluviorum ripas obſidet, cribrata ſæpius, lota in aqua, ſiccataque ad ſolem, vitrea vaſcula replevit, in eamque ramulos herbarum floresque alte demerſit, & vaſcu-

Digitized by Google

vaſcula papyro cooperta, in quo permulta foramina acu fa-
cta fuerant, modo in ſole habuit, modo in hypocauſto. Ob-
tinuit hoc, ut ramuli, cum foliis floribusque, ſine ulla muta-
tione, ſiccarentur, poſſentque, in vitreis vaſculis incluſi, ita
conſervari, ut viderentur nuperrime ex herba decerpti eſſe.
Succeſſit res potiſſimum in fruticoſis plantis, & minus laxi
habitus floribus; in laxioribus enim, & quos plantæ bulboſæ
ferunt, deſideravit adhuc aliquid *Montius*. De *Balbi* ſer- Pag. 85 ſeq.
mone, quem de ovi cicatricula, & ovo quodam monſtroſo, ha-
buit, aptior locus dicendi erit ibi, ubi opuſcula recenſebimus.
bi dicemus etiam de variis aliis rebus, ad Hiſtoriam natura-
em ſpectantibus, quas in Commentariis tantum enumeratas
idemus. Hoc autem loco commemorabimus fungum, ru- 89.
ro & flavo colore pulcherrime variatum, quem laciniæ inſi-
gni viriditate, ab extrema ora pilei ex omni parte pendentes,
rnabant, & granatum morboſum, quæ tanquam monſtra
uo e plantarum genere *Machiavellus* propoſuit. De agna 90 ſeq.
ex pedes habente, *Joſephus Garattonus* ita egit, ut cum, quæ
er ſectionem invenit, ſtudioſe exponeret, oporteat nos le-
tores ad Commentarios ipſos ablegare. Poſt hæc ſequun-
ur in Commentariis, quæ *Montius* de lapidibus quibusdam, a 92.
inckio noſtro ad Inſtitutum miſſis, dixit. Indicantur tan-
em *Scarſellii* labores, qui in aquis fontibusque, quibus Bo- 93.
onienſium urbs & ager ſcatent, examinandis occupatus eſt.
ltera Commentariorum *Pars* Chymica comprehendit, inter 95 ſeq.
uæ primus locus iis experimentis datus eſt, quæ *Montius*,
ræcipueque *Beccarius*, *Valſalvæ* ſuaſu, cum variis juribus in-
tituit, ex cancrorum, cammarorum, ranarum, teſtudinum, &
ivenci ac vituli, carnibus caute paratis. Fuit autem per hæc 100 ſeq.
xperimenta deprehenſum, cruſtaceorum juri alcalinum prin-
ipium ineſſe, quod aliis vel non, vel minus, manifeſtum inſit,
i jure contra aliarum carnium gelatinoſam quandam mate-
iam deliteſcere, quæ, ſi in cruſtaceorum jure ſit, propter ad-
ectum ſalem ſit diſſolutior. Hæc ergo cruſtaceorum jura
d ſales acidos emendandos aptiſſima eſſe, jura cetera vero
utrimentum copioſius afferre. *Beccarius* vero etiam vipe- 101 ſeq.

rarum ita examinavit, idque invenit gelatinoſum principium
continere, quod quomodo illos effectus præſtare queat, qui
ipſi in varii generis morborum curatione tribuuntur, *Beccarius*
Pag. 109 ſeq. ſatis ingenioſe expoſuit. De ferri micis, quæ in calcinatis
rebus occurrunt, an fiant calcinatione, an prius rebus ipſis
infuerint, inter *Geofroium* & *Lemerium* lis eſt. Eam fere
compoſuit *Galeatius* hoc, quod cum plantis, circa fodinas cre-
ſcentibus, tum, quæ his nutriuntur, animalibus, ſi cremantur,
plus ferri ineſſe oſtendit, quam ceteris, quod per experimen-
110 - 117. ta cognoverat. Sequuntur *Beccarii* experimenta, ad eum fi-
nem inſtituta, ut inveniret, quid interſit, utrum corpora
diſſolvantur in aere, an in vacuo. Invenit autem, non ſolum
metalla aqua forti citius ſolvi in aere, quam in vacuo, cam-
phoram vini ſpiritu, cancrorum oculos vitrioli, citius in va-
cuo, ſales, ſi frigida adhibeatur, citius in aere ſolvi, ſi calida
in vacuo, verum etiam ſingulorum veriſimilem cauſſam in-
118. venit. *Menghini* ſermonem, qui de aquis quibusdam medi-
122 - 107. cinalibus eſt, cum ceteris Opuſculis exponemus. Frumentum
etiam examinavit *Beccarius*, & duo invenit in triticea farina
partium genera eſſe, quorum quod in aqua in maſſam mol-
lem atque tenacem cogitur, glutinoſum appellavit, quod ve-
ro in aqua ſolvitur, & quaſi pulvis in fundo ſubſidit, amyla-
ceum. Quæ duo quibuscunque modis tentabat, ſemper depre-
hendit, amylaceum vegetabilis naturæ eſſe, glutinoſum vero
126. ab animalium natura proxime abeſſe. Quod autem in triti-
co, ſi Zeam excipias, in aliorum ſeminum farinis minus ſuc-
ceſſit, quæ nihil habebant, quod poſſet cum triticeo illo glu-
129. tine comparari. Anatomicis tertius locus inter Commenta-
rios datus eſt, de quorum primis, qui de coloratis animalium
quorundam vivorum oſſibus ſunt, de quo argumento *Bazanus*
133. ſermonem in Academia habuit, exponemus inter Opuſcula,
pariter ac de viarum inter hepar & veſicam felleam commu-
136. nicatione, de qua re *Galeatii* obſervationes ſunt. Idem
membranam carnoſam, alimentorum vias ambientem, ita ex-
poſuit, ut duobus fibrarum ordinibus componi diceret, quo-
rum qui ſecundum canalis longitudinem recta via feratur, in
ſtoma-

Digitized by Google

ſtomacho & inteſtinis exterior ſit, qui in orbem, interior, in ventriculo vero hunc ordinem inter duos alios rectarum Pag. 137. fibrarum medium eſſe, præcipueque circa orificia conſpicuum. Rectas fibras, quæ in colo ligamenta faciunt, colum in cellu- 138. las diſtinguere, vel ex bobus apparere, quorum colum ut ex omni parte fibris rectis comprehendatur, ſic minime in cellulas diſcriminetur. His quatuor *Bonazzolii* obſervationes ſubjectæ ſunt, de duodeno & appendice vermiformi duæ, duæ de renibus, ac ileo. Atque, de duodeni poſitu nexuque, dubitamus, an aliquid ab aliis nondum dictum obſervatumque propoſuerit, de hoc vero recte monuit Medicos, ut, ſi quod 140. malum videatur in ventriculo, aut colo, aut renibus, inſediſſe, conſiderent, an non potius meſaræi glandulis, vel duodeno ipſi, potuiſſet etiam pancreas addi, tribuendum ſit. Altera Obſervatio partim de valvula, aut etiam de valvulis, eſt, quæ circa appendicis oſtium variæ figuræ ſunt, partim de aliquot, in appendice occurrentibus, quaſi conniventibus valvulis, quarum hæ ſolæ videntur nondum deſcriptæ eſſe. Circa 141. renes facta Obſervatio ſimilis eſt illi, quam *Thomas Bartholinus Hiſtor. Anatom. Cent. II. Hiſtor. LXXVII* propoſuit, ac figura illuſtravit. Habuit *Bonazzolii* ren tres pelves, ſed duos tantum ad veſicam pertinentes ureteres; a tertia enim pelvi procedens in ſiniſtrum ureterem terminabatur. Inter pelves viarum communicatio reperiri potuit nulla. Quarta denique Obſervatio de ilei appendice eſt, eatenus nova, quatenus ejus orificium valvula ſemilunari inſtructum erat. Eſt quoque hoc memorabile, *Bonazzolium* ex ſex maniacis, quos incidit, in quatuor aliquam appendicem inveniſſe. Sequitur *Menghini* Obſervatio de veſiculis quibusdam, quas 142 ſeq. homo gonorrhœa laborans cum urina emiſit. Subſtitit earum curſus, quoties terebinthina data fuit. Hæc corpuſcula gelatinam, vel lympham, aliquot etiam calculum, continebant. *Molinellius*, quia, tales veſiculas vidit cum urina hominis prodiiſſe, ex cujus pollice antea tumorem exciderat, veſicularibus corpuſculis refertum, judicabat eas ex interno ſimili tumore rupto proveniſſe. Quæ deinde olim a *Leprotto* factæ 144 ſeq.

 de

de lymphæ motu ex inteſtinis, non vero ex glandulis meſenterii, in lymphatica ejus vaſa, deque inteſtini recti glandulis, obſervationes proponuntur, nihil vere novi continent, etſi illæ inteſtini recti glandulæ paucis videntur cognitæ eſſe. His
Pag. 147-154. demum *Joſephi Putii* Obſervationes anatomicæ octo ſubjiciuntur, de quibus, cum jam alibi ſint editæ, hoc loco nihil dicemus. Ab Anatomicis ad Medica tranſeundum eſt, inter quæ tres a *Molinellio* expoſitæ Obſervationes primo loco pro-
157. ponuntur. Prima de muliere eſt, quæ, cum diuturno vomitu interiiſſet, ſecta ventriculum habuit tam magnum, & ita prolapſum, ut totum ferme hypogaſtrium occuparet, tumorem circa duodeni initium ingentem, ex glandulis ejus ſcirrhoſis, & partim quoque oſſeis, factum, aditum ex ventriculo præcludentem, bilis receptaculum permagnum, inteſtina
158. flavis punctis diſtincta, & lactea vaſa bile turgida. Altera de viro eſt, qui, torminibus & dyſenteria excruciatus, ſenſit aliquid in ano hærere, quod teneſinum faciebat, viamque fæcibus præcludebat. Cum Chirurgus fruſtra in reponendo eo, quod pro inteſtini prolapſu habebat, laboraſſet, æger id ipſe extraxit ſine dolore. Erat carni ulcerum fungoſæ non abſimile, ſpithamam longum, cavo inſtructum, quod ex altera parte occluſum, præter paucas fæces, calculos multos, tritici granis ſimiles, continebat, & ipſos cavos, & amurcam tetri odoris, continentes. Æger, etſi non perfecte convaluit, tamen ſe
159 seq. melius habuit. Tertia Obſervatio ad eos pertinet, qui, capite vulnerati ſi intereunt, abſceſſus dicuntur in hepate habere. Deprehendit autem *Molinellius*, etſi hoc ſæpe inveniatur, tamen non raro & in aliis, etſi ſemper abdominis, viſceribus, aliquando & plane nullos, in hominibus capitis vulneribus mortuis, abſceſſus occurrere, quod & nos obſervaſſe recordamur, interdum & hepar abſceſſu occupatum eſſe, homine ex alius, quam capitis, partis læſione mortuo. Frequentius tamen in hepate abſceſſus naſci, quoniam ſimilitudo ſit inter pus, & ad hepar fluentes humores, ratione lentoris. Has *Molinellii* Obſervationes longior ejusdem Autoris ſermo de fiſtula lachrymali excipit, quo *Petiti* de eodem argumento libellum

um examinavit. *Molinellii* obſervationes huc redeunt: permultas in lachrymalibus ductibus viisque varietates, inferioremque partem majoris ductus, in nares patentis, multo interdum, quam conſuetudo fert, latiorem eſſe, & in ipſis his viis ſeri, lachrymis ſimillimi, ſcatebram; lachrymas autem ferri per hos ductas, non quia ſiphunculum referant, ſed quia ſyſtaltici cujusdam & corrugantis motus facultatem habeant, quodque palpebræ motu ſuo lachrymas urgeant, & viæ lachrymales vel ſitu ſuo ad excipiendas lachrymas aptæ ſint; obſtructo naſali canali, retentiſque in ſacco lachrymis, tamen his ſæpe expreſſis, diu impediri poſſe, quo minus fiſtula naſcatur, quod poſſemus quidem & nos non paucis exemplis confirmare, varieque illuſtrare; in *Petiti* fiſtulam curandi ratione neceſſarium eſſe, ut ſaccus longa plaga hiet, utque ſtilus primo recta immiſſus, ubi ad plagæ finem venerit, elevatus, in externum latus inclinetur; quæ verba videntur obſcuri aliquid habere, ne de aliis levioribus monitis dicamus; hanc vero novam *Petiti* medendi rationem minus, quam priores, probandam eſſe, quia lachrymarum profluvium maneat, neque locum habere, ſi viæ callo occluſæ ſint, præſtareque, ſi quis eam tentare velit, ex ſericis filis contexto in ſetacei modum, funiculo, loco turundæ, uti. De veſicantibus & de brachii aneuryſmate, a læſa in mittendo ſanguine arteria, dicemus inter opuſcula. Hoc loco *Verattii* quasdam Obſervationes proferemus, ex quibus prima de muliere eſt, quæ, apoplexia correpta, cui febricula accedebat, cum die quinto mortua eſſet, ſiniſtri anteriorum ventriculorum cerebri partem anteriorem ſanguine oppletum habuit, in eoque pilorum complexorum glomum, qui, cum bulbum non haberent, ea parte potius, ſaltem aliqui, in acumen deſinebant, duas reliquas, quod contrahi ſermo commode non poteſt, omittimus. Contra quatuor *Molinellii* obſervationes de Achillis tendine vulnerato proferemus, quæ eum oſtendunt, non ſolum ſine ſutura, & extremorum conjunctione per faſciam ſitumque obtinenda, nova, ut, inter oſſa callo, materia increſcente, ſanari poſſe, verum etiam ſine periculo ſecta cute, tegi, atque ſervari. Neque negligendæ eſſe videntur

Pag. 162. 164 ſeq. 166. 170. 171 ſeq. 175-178. 184. 189-196. 198-201.

dentur ſeptem ejusdem Autoris obſervationes de antinecrotica corticis *Peruviani* vi, quæ in duobus nulla fuit, in quatuor tanta, ut ægros reſtitueret, in uno, ut ſaltem ſpem obtinendæ ſalutis certam faceret: dum enim Commentarii ſcribebantur, nondum ſanatus æger erat. Eorum vero gangræna, quos cortex non ſervavit, fuit ſine dubio ea, quam, a vitalium virium defectu in univerſum ortam, ſiccam nominamus, quamque alio modo tractandam eſſe, & quo, brevi in Transactionibus Philoſophicis legemus, Autore Clariſſ. *le Cat*. Poſt
Pag. 212. hæc duorum morborum deſcriptio ſequitur, a *Taccono* facta, Eorumque prior abſceſſus hepatis fuit, ex quo cum ſanie plures diverſæ magnitudinis calculi prodierunt, & tandem bilis, ex quibus veſiculam felleam ſimul apertam eſſe intelligebatur. Neque tamen in hac ipſa ſedem mali fuiſſe, *Tacconus* exiſtimat, verum in membranoſo folliculo, inter concavam & gibbam hepatis partem, e regione veſicæ felleæ, ſito. Quid, ſi vero in ipſa veſicula ponamus, in qua, ductu choledocho calculo occluſo, bile multum oppleta ampliataque inflammatio orta ſit? Nihil adeo, quod huic opinioni repugnet, adeſ-
217. ſe videtur. Alter morbus herniæ cruralis, quaſi abſceſſus eſſet, ſectæ peculiaris ſpecies fuit, ex qua cum lumbrici prodierint, atque etiam poſt mortem inhæſerint, de his ſimul quæ-
218. dam a *Taccono* prolata ſunt. Sufficiet vero, nominaſſe tantum *Bacchetoni* de oleo amygdalarum dulcium, per urinæ vias red-
221 ſeq. dito, obſervationem, & *Beccarii* ſermonem de longa cibi potusque omnis abſtinentia, quem *Benedictus XIV*, P. M. ſuis olim libris inſeruit. Phyſica in Commentariis Medicis ſubjecta ſunt. Omittemus vero hic, inter Opuſcula exponendum,
237. *Manfredi* ſermonem de maris altitudine aucta, *Galeatii* de
303. thermometris *Amontonianis* conficiendis, & de thermometris
305. emendandis *Tabarani*. Omittemus etiam, quæ *Beccarius* de luce dactylorum, pariter ac de adamante aliisque rebus in phoſphororum numerum referendis dixit, quod de iis ſingula-
307 ſeq. ris eſt *Beccarii* liber. Conſtat inter Phyſicos de barometris, hydrargyrum in latioribus tubis altius efferri, minus alte in anguſtioribus. Quod cum *Plantadius* inveniſſet, non fieri,

ſed

Digitized by Google

ſed altitudines hydrargyri in omnibus æquales eſſe, ſi barometra in montium cacumina transferantur, quæ centum hexapedis altiora ſint, *Galeatius* exiſtimavit hoc fieri, quia in ejusmodi locis preſſio aeris minuatur, quæ plus poſſit in latioribus tubis, quam in anguſtioribus. Sed cauſam phænomeni cum alii in raritate aeris & levitate quærendam eſſe putarent, *Galeatius* cum *Vituario* tria barometra variæ latitudinis in machinæ excipulum incluſit, aeremque eduxit. Embulo vix adducto, hydrargyrum cœpit in omnibus deprimi ſic, ut eadem altitudo eſſet, finita exantlatione redierunt omnia ad inæqualitatem ſuam, quod difficultatem non tam ſuſtulit, quam auxit. Idem *Galeatius* experimentis inſtitutis deprehendit, Pag. 312 ſeq.
verum eſſe, quod alii de calore & frigore in vacuo dixerant, res quasque in hoc minus caleſcere, citius frigeſcere. Se- 315 - 321.
quuntur duæ thermometrorum emendationes, quarum prior, a *Tabarano* facta, eadem eſt, quam *Muſſchenbroeckius* in tubi forma fecit, ne hic a frigore caloreque mutaretur, altera, a *Galeatio* notata, a *Tabarano* facta, ſpectat deſcenſum liquoris in vacuo, cujus cauſam *Galeatius* putat in defectu preſſionis tubi per aera eſſe. Ea vero, quæ *Balbus* de quibusdam vitro- 321.
rum fracturis propoſuit, lectores in ipſis Commentariis videant, pariter ac illa, quæ *Laghius* in ampullis Bononienſibus 328.
fecit, experimenta, de quibus in compendio dicere non licet. Alia experimenta *Verattus* cum animalibus volatilis æque ac 334.
terreſtris generis inſtituit, ut, quales in eorum, in vacuo mortuorum, pulmonibus mutationes fiant, inveniret. In omnibus tam leves fuerunt, ut, ſive adhuc calentes, ſive frigefactos, in aquam immitteret, innatarent. Tunc tandem fundum petierunt, ubi multas horas in vacuo reliquiſſet, quo omni aere expurgarentur. Neque aliter cedere experimenta vidit, cum recens natis facta, quorum pulmones, aquæ impoſiti, protinus fundum petierunt. Idem *Verattus* experimenta inſtituit, 340.
quibus oſtenderet, cur in aere intercluſa animantia moriantur, de quibus tamen ibi exponemus, ubi de Opuſculis. *Laura* 347.
Baſſia etiam experimenta fecit, per quæ cognoſceret, ſitne perpetua quædam ſpatiorum & ponderum ratio in aeris compres-

Digitized by Google

preſſione, nec ne, invenitque, non eſſe, aut, ſi ſit, cognoſci per
Pag. 353. experimenta non poſſe. Etſi ſatis conſtabat, hydrargyri altitudines non in omnibus barometris easdem eſſe, tamen id *Balbus* novis experimentis comprobavit, putavitque, cauſam in vi vitrorum repellente inveniri poſſe. Ex quo ſequi oſtendit, aeris gravitatem ex altitudine hydrargyri æſtimandam non eſſe, niſi ſi huic altitudini tantum addatur, quantum repellens vis detrahat; hanc vero non ſolum a latitudine, verum etiam longitudine, pendere; neque in omni vitro eandem eſſe, mutarique per frigus atque calorem, pariter ac per puritatem, impuritatemque vitri, atque hydrargyri, de qua multa *Balbus*
361. propoſuit. Finem huic *Parti* Commentariorum faciunt Obſervationes tres, quarum prima *Bonzii* hydrargyrum ſpectat, in aurum ſe inſinuans, altera *Zanotti* lucem, tertia *Bianconi* de ſoni celeritate eſt, de eaque alio loco jam diximus. His
367. *Brunelli* disquiſitio ſubjecta eſt de qualitatibus, quæ extra corpora diffunduntur, an tanto remiſſiores fiunt, quanto quadratum diſtantiæ ſit majus. Ex Mechanicis pauca proferemus;
373. de *Riccati* enim ſermone, qui eſt de virium compoſitione,
377 - 413. commodior erit dicendi locus ibi, ubi de Opuſculis, & quæ de vi corporum viva non ab uno expoſita, verum a multis, in variis Academicorum conventibus diſputata, ex tempore propoſita fuerunt, ea, vel propter varietatem ac multitudinem, lo-
413 - 419. cum hic invenire commode non poſſunt. Debemus etiam paucis tantum attingere ea, quæ de fluminum cataractis *Beciallius* diſputavit. Viſus autem eſt illi, contra quam recentiores putabant, neque alveus a ſumma cataracta ad originem fluminis, aut ad cataractam aliam ſuperiorem, debere attolli, neque ibi alveo veteri occurrere, neque declivitates easdem, quas ante habuerit, ſibi componere, neque omnino ad altitudinem tantam evehi, quantam nempe libri, ante aliquot annos
419. Florentiæ editi, Autores poſtulant. Tandem indicata tantum inveniuntur, quæ *Vandellus* de cujusque diametri lentibus propoſuit, una machina, eaque ſimpliciſſima, maximeque expedita, conformandis, quæque de pulveris pyrii vi dixit, eam, ut aeri tribuatur, tamen etiam in ſale nitri ejus cauſam quæ-

ren-

Digitized by Google

endam eſſe. *Galeatii* & *Balbi* diligentia circa hydrargyrum in Pag. 420.
ubis ſuſpenſum occupata fuit, de quo cum *Corradus* experi-
nento cognoviſſet, ſi, aere in tubum immiſſo, hydrargyrum
leſcendat, totum illud, quod hydrargyro, & tubo, & ſubjecto
aſculo, componitur, in illo deſcenſu fieri levius, illi organon
nvenerunt, quo poſſent, aere ſubito extracto, in adſcendente
ıydrargyro experimentum capere, quidque tum fiat, cogno-
cere. Ex iis, quæ ad Geometricen ſpectant, non niſi unicus 421.
ſt *Zanotti* de ſpatiis quibusdam hyperbolicis, qui inter opuſcu-
a exponendus erit. Nam obiter tantum indicatæ fuerunt, quas 423.
carſellius parabolæ, ab *Apollonio* deſcriptæ, proprietates aperuit,
ariter ac *Mattoucci* labores, qui omnes lineas invenire con-
ſtituit, & invenit pulcherrimas, quibus triangulum quodvis bi-
ariam ſecetur, atque *Caſalii*, qui novas quasdam quadrilatero- 424.
um proprietates invenit. Aſtronomica plura ſunt. Primus lo- 425.
us *Manfredii* obſervationi de Jovis & Martis conjunctione
ıeliocentrica datus eſt, qua ſic uſus eſt, ut notiſſimam illam
uæſtionem: utrum planetæ ſe mutuo trahant, ſi poſſet, diſ-
olveret, & probabiliorem hanc de attractione hypotheſin red-
leret. Amplius de hac obſervatione, pariter ac de illa, quam
ecit de Mercurio, ſolem trajiciente, & de Cometa anni 1737, de- 431.
ue illis *Zanotti*, Cometam anni 1739 ſpectantibus, atque micro- 432.
netrum ac terræ formam, commodior dicendi locus erit, ubi 435.
le Opuſculis. *Manfredius* etiam de tempore ſolſtitiorum de- 441.
iniendo ſermonem habuit. Voluit autem, duo tempora no- 442-455.
anda eſſe, quibus vel ante, vel poſt, ſolſtitium eandem ab æqua- 437.
ore diſtantiam ſol habeat; iisdemque diebus tempus notan-
lum, quo ſtella quæpiam meridianum circulum tranſeat, ut di-
ſtantiæ ſcilicet temporariæ, quas ſtella eadem biniis diebus a ſole
habuerit, & diſtantiarum differentia cognoſcatur, ſimulque in-
telligatur, quæ diſtantia ſit media inter duas. Dubium non eſſe,
quin, quo tempore ſolſtitium fuerit, ſtella a ſole diſtantiam
temporariam habitura ſit eam, quæ media inventa ſit. Si igitur,
cum ſolſtitium prope fuerit, diſtantiæ temporariæ, quas ſtella
ſingulis diebus a ſole obtinuerit, obſervatæ habeantur, ſolſti-
tium ipſum in id tempus incidiſſe intellectum iri, quo ſtellæ
diſtantia media fuerit. Ultimus locus Meteorologicis datus eſt,

Pag. 453-458. inter quæ primo de turbine quodam agitur, qui A. 1729 Ferrarienſem agrum, ultra Padum, male habuit. In ſermone, quem *Manfredius* de hac re recitavit, rem ipſam primum, & rei genus, diligenter expoſuit, tum vero quæſivit, quid huic turbini cum alio, a *Montanario* olim deſcripto, commune fuerit. Sunt vero hæc ejus naturæ, ut paucis perſtringi commode non queant.
459. Alter Commentarius de cœleſti quadam flamma eſt, Æſii A. 1743, 13 Cal. Febr. obſervata. Ab oriente Æſii zonulæ duæ viſæ ſunt, igneæ, ſubalbæ, nitidiſſimæ. Protenſæ in longum inflectebant ſe ſæpius, ac tandem in unam jungebantur. Flabat boreas, & is tamen fragor exaudiebatur, qui eſſe a vento non videbatur. Hoc lumen ad momenta aliquot conſtitit, ſæpe varians. Terræ motus, quem metuebant incolæ, ſecutus non eſt.
460 ſeq. Sequuntur *Bachetoni* de fulminibus quibusdam obſervationes, de quibus hoc unum monuiſſe ſufficit, *Maffei* ſententiæ favere.
464. Neque dicemus amplius de globi cujusdam ignei trajectione, quem *Zanottus* A. 1745, 13 menſis Octobris, nocte vidit. Finem denique quatuor Commentarii de auroris borealibus faciunt, primus de aliquot ex illis, quæ A. 1730 obſervatæ fuerunt, qui *Zanottum* Autorem habet, alter *Veratti* de aurora boreali A. 1732, tertius *Zanotti* de aurora A. 1737, ultimus de quibusdam A. 1739 auroris borealibus. Isque ad *Olivam*, *Zanottum*, atque *Beccarium*, pertinet.

JOSEPHI ROCCHI VULPII, E SOCIETATE JESU, Epiſtolæ Tiburtinæ, carminibus conſcriptæ, hexametris, elegiacis, hendecaſyllabis, quæ antea ſparſæ variis voluminibus legebantur, nunc primum collectæ, & in tres Libros tributæ, cum animadverſionibus ejusdem Autoris. Circa nemus, uvidique Tiburis ripas, operoſa parvus carmina fingo. Horat. Carm. Lib. III Od. 2.

Brixiæ, excudebat Joannes Maria Rizzardi, 1743, 4 maj.
Alph. 1 plag. 8.

Habuit Editor, cur, quæ ſparſim edenda curarat Cel. Poeta *Vulpius*, ſæpius ille a nobis collaudatus, colligeret, atque uni lectorum obtutui offerret; quandoquidem antiquum penitus nitorem ſpirant omnia. *Tribus* autem *Libris* Epiſtolæ illæ poeti-

ex comprehenduntur, quorum *primus* heroico verſu ſcriptus, elegiaco *alter*, *tertius* Phalecio. Sub finem autem obſervationes convenientiſſimæ ac lectu digniſſimæ adduntur. *Lib. I Ep.* dedicata eſt Eminentiſſimo ac vere glorioſo Patri purpurato *Angelo Mariæ Quirino*, ac Venetiis A. 1736 libro inſerta, cui titulus: *Raccolta di Opuſcoli ſcientifici e filologici, Tomo decimoterzo. Ep. II Marco Fuſcareno*, Equiti, Senatori, & Hiſtorico Veneto, dicata eſt, ejusdem libelli *Tomo XVIII* jam A. 1738 incluſa. *Ep. III* iterum *Quirini* laudes canit, cum is A. 1737 e graviſſimo morbo convaluiſſet. Eadem edita fuit Brixiæ A. 1738 in fol. ac bis repetita in libro, cui titulus: *Corona di Componimenti poetici in Lode dell' Eminentiſſ. Signor Cardinale* Angelo Maria Querini *&c. raccolti da* D. Angelo Zanardelli, *Profeſſore di Rettorica, tra gli Arcadi Filaſtrio*, &c. ſæpiusque ſeorſim. *Ep. IV* eſt ad Patrem purpuratum *Dominicum Paſſionæum*; *Ep. V* ad *Joſephum Mariam Herculanum*, antiſtitem in aula Romana, cujus Carmina Patavii A. 1725, 8, in duo Libros diſtincta, edita ſunt ſub titulo: *Maria, Rime di Neralco, Paſtore Arcade.* Priorem Librum in elegiacos verſus Latinos transtulit Poeta Siculus. Uterque autem recuſus eſt tum Brixiæ, tum Romæ. Eminere inter illius Carmina dicitur opus dramaticum paſtorale, cui titulus: *La Sulamite Boſcareccia ſagra di Neralco, Paſtore Arcade*, quo Canticum Canticorum, poetico habitu veſtitum, ad *Mariæ* in cœlum aſſumtionem accommodavit, quodque Romæ prodiit A. 1732, 4, ac deinceps cum ceteris Carminibus in 8. *Epiſtola VI* eſt ad Comitem *Alphonſum Aldrighettum*, Patavinum Poetam, de *Alvari Cienfuegos* purpura Romana, quæ jam edita fuit Romæ A. 1721, cum Autor ad Rhetoricam in Romano Collegio docendam accederet. *Aldrighetti* Latinæ & Etruſcæ Muſæ ſpecimen prodiit una cum Operum *Jo. Ant. Vulpii*, qui noſtri frater eſt, *Tomo II*, Patavii A. 1735, 4. Alios fratres habuit Noſter *Cajetanum*, Sacerdotem, & *Jo. Baptiſtam*, publicum Anatomes Prof. in Gymnaſio Patavino. *Ep. VII* eſt ad *Jo. Bapt. Spinulam*, jam A. 1717 edita. Poſtrema eſt ad fratrem *Jo. Antonium*, antea Philoſophiæ, poſt Græcæ & Latinæ eloquentiæ, in Gymnaſio Patavino Doctorem, Patavii ad calcem editionis ſecundæ Carminum *Jo.*

Digitized by Google

Ant. Vulpii, A. 1742, 8, editorum. Sed accedimus ad *Librum II*, cujus *Epiſtola I* ſcripta fuit ad cœtum Academiæ Patavinæ, vulgo dictæ *de' Ricovrati*, invento venerabilis *Greg. Barbadici*, Patris purpurati & antiſtitis Patavini, integro atque incorrupto, poſt ſepulcri annos fermè triginta, corpori plaudentem, A. 1725. Edita jam eadem eſt in libro, cui titulus: *Componimenti dell' Accademia de' Ricovrati, per la Traslazione del Corpo del Ven. Card.* Gregorio Barbarigo &c. Patavii apud *Cominum* in folio magnificentiſſimo. *Epiſt. II* eſt ad *Jo. Aloyſium Mocenigum*, cum ex Romana Pontificia legatione ædes D. *Marci* Procurator ingrederetur A. 1737, tunc & Venetiis edita in libro, cui titulus: *Raccolta di Componimenti poetici dedicata a ſua Eccellenza il Signor Cavaliere Luigi Giovanni Mocenigo*, &c. *da D. Pier. Franceſco Zaghis, Abate e Procuratore Generale de' Monaci Camaldoleſi Urbani*, in 4. *Epiſt. III* eſt ad *Nic. Mar. Antonellum* in funere *Philippi*, fratris, Poetæ ac bellatoris eximii, edita Senæ Gallorum ac Romæ in libro: *Raccolta di Componimenti degli Accademici Immaturi della Pergola*, A. 1735, 8. *Epiſt. IV* eſt ad *Bened. Campoſampierum*, Patavinum Theologum, poſt annos multos ex urbe patriam reviſentem A. 1741, quo & Patavii in 8 edita; *Epiſt. V* ad *Carolum Mandoſium*, S. J. omnes animi motus ad vivum elegis Latinis exprimentem; *Epiſt. VI* ad *Julium* Amalfitanum, inter grata Calabriæ ſuæ rura degentem; *Epiſt. VII* ex perſona S. *Aloyſii Gonzagæ* ad *Claud. Aquavivam*. In *Epiſt. VIII* inducitur profanus amor, qui a S. *Jo. Franc. Regis*, Soc. Jeſu, caſtris exutus, fruſtra illi inſidias molitur, ad *Franc. Grimaldum*, Soc. Jeſu, Poetam eximium. *Epiſt. VIIII* eſt ad *Franc. Mar. Lactantium* de Arianorum veterum monumentis egregie meritum; *Epiſt. X* ad *Joſe[illegible] Alex. Furiettum*; *Epiſt. XI* tandem ad *Jo. Bapt. Roſpiglioſum Borromeum* ruſticantem. *Tertii Libri* Carmina in laudem *Ang. Mar. Quirini* plurima ſcripta, eademque ſunt breviora, Brixiæ potiſſimum ſingulatim edita. Numero autem ſunt viginti, varias materias complexa. Ubicunque reperitur laudabilis veterum Poetarum imitatio, e. g. *Lib. II Epiſt. II* illa *Virg. Æn. VI* in fin. ſic exprimuntur:

Val.

Digitized by Google

Fallimur? & ſomni præfecto porta Elephanto
Candens, nos variis ludit imaginibus.
An, facilis veris quæ redditur exitus umbris,
Cornea, de Veneris gaudia portat aquis?

Alia loca ſingulis propemodum in paginis luculentiſſimæ hujus carminum editionis occurrunt, quæ tacemus. Sub finem adduntur Carmina quædam, meritas *Vulpii* noſtri laudes quæ fuſius decantant, atque adeo nobis, rem eandem actuis, ferias dedere.

Nachricht von denen in der Hochgräflich-Zaluskiſchen Bibliotheck ſich befindenden raren Pohlniſchen Büchern, &c.

hoc eſt,

RELATIO DE RARIORIBUS LIBRIS POlonicis, qui in Celſiſſimi Comitis Zaluski Bibliotheca reperiuntur, compoſita & edita a JO. DAN. JANOZKI.

Dresdæ, apud Ge. Conr. Waltherum, Bibliopolam Regis aulicum, 1747, 8.

Plag. 10½.

Laude omnino digniſſimum eſt Clariſſ. Autoris inſtitutum, & Bibliothecam ſummi literarum in Polonia Mæcenatis celebrandi, & merita civium ſuorum in eruditionem magis magisque conſpicua reddendi. Majora ſunt eadem, quam huc usque non pauci putarunt; opinionibus vero anſam dedit librorum Polonicorum, qui ſane numero multi ſunt, inſignis maxime raritas. Pauci ſunt, horum ignorationem eluctati, qui juſtum illius vaſti ſatis regni colonis pretium ſtatuere didicerunt. Quos inter præcipue *Frid. Ott. Menckenium*, noſtrorum laborum ſocium, laudat *Janozkius*. Cauſæ autem raritatis partim internæ ſunt, partim externæ, quas omnes accuratius idem ac liberius exponit. Sed tanto major habenda eſt gratia, tum Celſiſſimis Viris, qui talibus libris inſtructiſſimam Bibliothecam aperuerunt, tum Editori, theſauros illius qui publice aperiendos duxit. Quinquaginta ſunt, qui cum Autoribus percenſentur, libri rariores. Nimirum Pag. 8.

eo ſpectant Index librorum prohibitorum, Cracoviæ A. 1617,
Pag. 16. 12, editus; *Joannis Craſſini* Polonia, Bononiæ, 1574; Spe-
20. culum hæreticorum fratris *Ambroſii Catharini Politi*, Craco-
21. viæ, 1540; Apologia, diluens nugas *Eraſmi* in ſacras re-
23. ligiones, Cracoviæ, 1540; Chriſtiana de fide & Sacramentis
contra Hæreticorum id temporis errores explanatio, Craco-
viæ, 1545. Eſt iſte libri, eodem anno Romæ publicati, & hic
repetiti, titulus. Repetendum curavit *Jo. Dantiſcus*, Ermelan-
dicus antiſtes, qui nomen a patria fuit adeptus, ſuamque ipſius
vitam carmine ſcripſit, a Conſule Dantiſcano ibidem A. 1693
24. editam. Enchiridium impedimentorum, quæ juxta Canoni-
cas conſtitutiones in matrimoniis contingunt, Autore *Greg.*
25. *de Shamotuli*, Cracoviæ, 1529; Farraginis actionum Juris
27. Civ. & prov. Saxon. Libri VII, per *Jo. Cervum*, Cracoviæ,
1542; Faſti Radiviliani, Vilnæ, 1653; de rebus geſtis *Ste-*
phani I, R. P. 1582; Catalogus Ducum atque Regum Po-
lonorum, Autore *Theod. Zawacki*, Cracoviæ, 1609; Poloni-
29. ca, *Jac. Zabarella* Autore, Patavii, 1650; Poſtulata ordinis eccle-
30. ſiaſtici univerſi in R. P. Poſn. 1585; Expoſitio miſſæ *Hugo-*
31. *nis*, Cardinalis, Cracoviæ, 1584; Commune incliti Poloniæ re-
32. gni privilegium conſtitutionum & indultuum, 1506; cujus *Laſki*
33. Autor eſt, quem & Epiſtolæ celebrem reddiderunt, de quibus
35. ſingulatim aliquando ſe acturum promiſit *Janozkius*; Statuta
38. ac privilegia regni Poloniæ omnia, 1553, quorum *Prilusius*
40. *(Przyluski)* Autor fuit, inſignis Poeta Græcus; *Icones* & miracula
42. Sanctorum Poloniæ, 1605; Clypeus Sereniſſimi *Joannis III*, Bri-
43. gæ, 1717; Miſſale diœceſis Plocenſis, Cracoviæ, 1520; Horarum
44. Canonicarum liber, Cracoviæ, 1528; Miſſale eccleſiæ & pro-
45. vinciæ Gneznenſis, Moguntiæ, 1555; Speculum Saxonum, Craco-
46. viæ, 1535, qua occaſione Germanorum in Polonos merita lau-
49. dantur atque exponuntur; Speculum Saxonum, Samoſci, 1602;
50. Statuta *Sigismundi I*, Samoſci, 1602; Auguſtiſſimus Hyme-
næus inter *Frid. Auguſtum* & *Mariam Joſepham*, Archiducem,
Dresdæ, 1720, cujus Autor erat inſignis Poeta *Anton. Ladzia*
Poninski, Palatinus Poſnenſis. Inſeruit illum etiam *Jo. Maxim.*
Krolikiewicz Operibus heroicis illuſtriſſimi *Poninski*, ſub no-
mine

ine Equitis Poloni, ſparſim editis, quæ opera, in ipſa Polonia
riora, *Janozki* noſter in Epiſtolis ſuis criticis *n. 86* deſcri-
it. Societas S. *Annæ*, Samoſci, 1599; Manipulus Orationum, Pag. 51.
eruditis viris Polonicæ nationis diverſis temporibus & 53.
caſionibus ſcriptarum, Romæ, 1639, 4, cujus editor erat
agnus ipſe Orator *Andreas Trzebicki; Simonis Starovol-* 57.
i Breviarium Juris Pontificii, 1653; Ruſſia, florida roſis & 59.
iis, per *Sim. Okolski*, 1646; Viri illuſtres civitatis Leopo- 61.
enſis, per *Barth. Zimorowicz*, 1671; duæ Epiſtolæ, altera 62.
loyſii Lipomani, Epiſcopi Veronæ, Rom. Pont. in Polonia
gati ad illuſtriſſ. Principem *Nic. Radivilium*, Pal. Vilnen-
m, &c. altera vero ejusdem illuſtriſſ. D. *Radivilii* ad Epi-
opum & Legatum illum, Regiomonti, 1556, 4; Epiſto-
e lectu digniſſimæ, quibus dulcia verba res involvunt acerbas,
uriora ſacra tuente *Radivilio*. *Petrus Paulus Vergerius* Præ-
tionem illis adverſus *Lipomanum* præfixit, & appendicis lo-
o nonnulla ſubjunxit, quæ inter & Epiſtolæ & Carmina quæ-
am, quibus Hiſtoria ſacra illuſtratur. Exſtant interpretationes 64.
larum Epiſtolarum Polonica, Gallica, Italica, Germanica. Ge-
ealogia & ſucceſſio *Martini Lutheri*, Quinti Evangeliſtæ & 65.
atris, Qui genuit Hos Tot Evangelicos Filios & Familias, in
Orbe Chriſtiano, Eccleſiæ Dei, & Sibi mutuo Rebellantes,
561, 4. Eſt acerba Satira, & infinitis mendaciis referta.
Concluſiones theologicæ, propoſitæ a *Bl. Hoitio*, Palat. 67.
Poſn. 1621; Orbis Polonus, Cracoviæ, *Tom. I* 1641, *Tom. II* 68.
643, *Tom. III* 1645; Epitome Conciliorum, Romæ, 1653; 72.
Vitæ Antiſtitum Cracovienſium, per *Simonem Starovolſcium*, 79.
Cracoviæ, 1655; Vinea Chriſti, ſive Jura & Privilegia, anti- 80.
quitus Gora, nunc vero Neoieruſolymitana, Varſoviæ, 1680; 81.
Sebaſtiani Sulmircenſis Acerni: Victoria Deorum. In qua con-
inetur veri Herois educatio:

Naſoni Sulmo patria eſt, Sulmircia nobis:
Noſque Poetaſtri, Naſo Poeta fuit. in 8.

Autor eſt *Sebaſtian. Fabian. Klonowicz.* Carmen ipſum he-
roum eſt ſimul rariſſimum, &, præter ſtilum paulo teneriorem,
elegantiſſimum. Cœptum eſt, quo tempore cum Ruſſis bellum
geſſit

geſſit *Stephanus*, ac non niſi decem annis confectum, editum
Pag. 83. denique circa annum 1600. Joſaphatidos, ſive de nece *Joſaphat Kuncewicz*, Archiepiſcopi Polocen.; Ritus Græci, pro
84. Unione & S. Sede Apoſtolica Rom.; *Vitelſci* a Schiſmaticis cæſi Libri tres. Autor non eſt, in titulo qui nominatur, *Joſaph. Iſakowicz*, ſed *Nic. Knicic*, Societ. Jeſu, quod *Phil. Alegambe* in *Bibliotheca Scriptorum Soc. Jeſu pag. 353* obſervat. Ipſum autem illud Carmen heroicum ſublime & magnificum A. 1628, 8, eſt editum. *Radivilias*, ſive de Vita *Nic. Ra-*
86. *divilii* &c. Libri quatuor *Joannis Raduani* Lit. &c. Vilnæ 1588, 4. Carmen heroum infirmum, verbis tamen bene vinctis; Carolomachia &c. Autore *Chriſtoph. Zawiſza*, Vilnæ, 1606, 4. Carmen itidem heroum ſublimis Autoris ſublime at-
87. que elegantiſſimum; *A. Vincentii Uſtrycii* Sobieſciades, ſeu de laudibus *Joannis Magni*, Poloniarum Regis invictiſſimi,
88. Carminum Libri quinque, Venetiis, 1676, 4, omnibus
92. numeris abſolutum Carmen heroum; *Stanislai Reſci* Epiſtolarum liber unus, Neapoli, 1594, 8. Edidit eas numero LXVI *Jo. Franc. Lombardus*, Canonicus Neapolitanus. Nominatas hic pariter invenimus perſonas, quibus miſſæ fuerunt Epiſtolæ, vel ob argumentorum pondus maximi faciendæ. *Stanislai Reſcii* Epiſtolarum Pars poſterior, Neapoli, 1598, 8. Hunc & Tomum *Jo. Bapt. Porta* vulgavit priore adhuc rariorem, & 42 epiſtolas complexum. In Bibliotheca *Zaluskiana* pariter non paucæ illius arcanæ,
94. nondum editæ, habentur. Vitæ Epiſcorum Poſnanienſium,
101. Brunsbergæ, 1604; Vitæ Archiepiſcoporum Halicien-
106. ſium, Leopoli, 1628; Aquila Polono-Benedictina, Craco-
107. viæ, 1663; Tinecia, ſeu Hiſtoria Monaſterii Tinecenſis,
100. Cracoviæ, 1668, 4; Miechovia, ſive Promtuarium Antiquitatum Monaſterii Miechovienſis, Cracoviæ, 1634; & Monoteſſaron Evangelicum, ſeu catena aurea ex quatuor Evangeliſtis. Longum eſſet, fuſius vel digniſſima notatu quælibet proſequi; præſtat igitur, hæc veſtiganda lectoribus relinquere, quam non plene, ut merentur, explicare. Ut hoc ſelectiorum narrationum genere mereri de elegantioribus literis pergat ornatiſſimus *Janozkius*, vehementer optamus.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXLVIII.

ANCTI ANTONINI, ARCHIEPISCOPI 'lorentini, Ordinis Prædicatorum, Opera omnia, ad avto-rapborum fidem nunc primum exacta, vita illius, variis)iſſertationibus & annotationibus, aucta, cura & ſtudio ', F. THOMÆ MARIÆ MAMACHI & DIONYSII REMEDELLI, Ordinis ejusdem Theologorum.

Tomi I Pars I & II.

lorentiæ, ex typographio Petri Cajetani Viviani, 1741 & 1742, fol.

Alph. 8 plag. 5.

)oſt editiones ſæpius iteratas Operum *Antonini*, quam in præſentia indicamus, ad Codices MStos multa induſtria : ſtudio caſtigata prodit. Quam ſanctum fuerit, & adhuc ſit, omen *Antonini* in eccleſia Pontificia, quantique ſcripta ejus nt æſtimata, ex illorum ſæpius repetitis editionibus abunde pparet, quarum ad præſentem XX numerantur. Seculo XV ovem omnino in Italia prodierunt, quarum prima lucem aspexit Venetiis A. 1474 - 1479 forma maxima, charta, uti appellant, imperiali, IV ſatis ſpiſſis Voluminibus, charactere itido, in Gothicum aliquantulum vergente, quam ceteris an-

Digitized by Google

tiquis omnibus anteferendam eſſe, judicat eruditiſſ. *Mamachus.* Huic excudendæ operam ſuam accommodavit *Antonius Coburgerius*, Norimbergenſis. Totidem editiones Seculo XVI diverſis in locis Italiæ & Galliæ ſunt procuratæ, ex quibus illam, quam *Juntæ* Venetiis A. 1582 *Voluminibus IV* in 4 dederunt, a characterum elegantia & annotationibus, quas adjecit *Ludovicus Rubeus*, Venetus, Ordinis Prædicatorum Theologus, commendat *Mamaabus*. Quæ currente Seculo XVII fuerit deſcripta formis, memoratur nulla. Hoc ipſum, quod vivimus, ſeculum duas, easdemque luculentas & ſplendidas, vidit editiones, quarum prior debetur curæ *Joannis Bragadini*, Epiſcopi Veronenſis, qui cum animadverteret, illis, quibus provincia docendi regendique populi Chriſtiani commiſſa, opus eſſe fido aliquo duce, quo in formandis moribus & diſciplina adminiſtranda uterentur, præter hunc *Antoninum* nemo alius aptior ipſi eſt viſus. Cujus Opera cum non niſi difficulter haberi poſſent, &, quæ proſtabant, editiones multis mendis deturpatæ eſſent, hoc dedit negotii *Petro* & *Hieronymo Ballerinis*, Presbyteris Veronenſibus, viris doctis, & ſcriptorum fama clariſſimis, ut, qui adhuc irrepſerant, errores tollerent, & annotationes aliquas adjicerent. Urgente igitur opus hoc Præſule ante laudato, eodemque ſumtus ſuppeditante, *Antonini* ſcripta eleganti charta & luculento charactere inde ab A. 1740 *Voluminibus IV* fol. Veronæ excudi ſunt cœpta, quorum initium factum a *Tomo II.* Qui ſupereſt *Tomus I*, cui vita *Antonini* præmittetur, forte etiam jamdum carceribus exiit. Illa poſterior eſt hæc noſtra editio, cujus *primum Volumen* deſcripturi ſumus. Hujus editor eſt vir doctiſſimus, *Thomas Maria Mamachus*, Ordini Prædicatorum adſcriptus, ſodalis fratrum religioſorum in Collegio S. *Mariæ*, conſilio *Antonini*, munificentia *Coſmi Medicis*, Florentiæ excitato. Pietatis igitur ſuæ eſſe exiſtimavit, ut, quicquid ad gloriam & exiſtimationem antiſtitis ſui facere poterat, moliretur. Juvenis igitur adhuc de Operibus *Antonini* repetendis conſilium cepit, quod cum aliis innoteſceret, auctores ſuaſoresque ipſi extiterunt, ut inceptum opus, quam primum fieri poſſet, aggrederetur. Nec rationes deerant,

quare

Digitized by Google

nare tam ardentibus votis ipſum expugnare contenderint. Ne quid enim dicamus de doctrina, quæ ipſi non vulgaris eſt, ſubſidia illi in promtu fuerunt, quibus adjutus, felicius longe, quam alii, *Antonino* opem ferre, eundemque ornare, potuit. Aſſervantur Florentiæ ipſa hujus αὐτόγραφα. Hæc igitur eruere, cumque diverſis editionibus confligere, inſtituit; quo facto, innumeros errores in his deprehendit. Enimvero, cum, longius tempus huic rei impendendum eſſe, facile proſpiceret animo, ſocium laboris ſibi adſcivit ejusdem Collegii membrum, *Dionyſium Remedellum*, qui αὐτόγραφα cum editis exemplis diligenter contulit, &, quicquid in libris, typis exſcriptis, peccatum erat, emendavit, & ad priſcam veramque lectionem ſtudioſe reduxit, ordinem etiam, quem ſubinde turbatum animadvertit, mutavit. Qui dum in moleſto conferendi labore occuparetur; Noſter annotationes conſignare accepit, loca, quæ aliunde petita erant, ſive Autoris nomen additum, ſive omiſſum eſſet, incredibili ſtudio inveſtigavit & indicavit, quæ doctrinam Chriſtianam moralem & regionis dogmata ſpectant, ſicubi explicatione quadam egere videbantur, illuſtravit, in quibus obſervationibus prolixior eſt in prioribus, quam in poſterioribus, cum, qui editionem hanc cupide efflagitabant, tempus ipſi non concederent. Quæ ad uberiorem multarum rerum diſcuſſionem faciunt, illa in peculiare volumen ſub nomine *Apparatus*, toti Operi præmittendum, rejicere eſt animus.

Hanc brevem operæ ſuæ rationem in Præfatione *Voluminis I* declaravit Rever. Editor. Nuncupavit illud *Annæ Mariæ Ludovicæ*, domo Medicea oriundæ Principi, Electori Palatino connubii fœdere quondam junctæ, cui id deberi ſibi perſuadebat, tum quod *Coſmus Medices Antoninum*, dum viveret, maximi ſemper fecerit, tum quod is Collegium, in quo vitam agunt præſtantiſſimus *Mamachus* & *Remedellus*, ex imis fundamentis exſtruxerit, ornarit, ditaritque, tum quod Pontifices, e Medicea domo orti, *Antoninum* in Sanctorum ordinem evehere ſtuduerint, quod, cum morte impediti perficere non potuerint, effectui dedit *Hadrianus VI.* Pars I. *Summæ moralis*, quæ hoc

cibo terrenæ ſubſtantiæ, in quantum poteſt, gregem ſibi com-
Pag. 1398. miſſum. De igne, qui dicitur, purgatorio, illius natura &
695-716. conditione, copioſe diſſerit. *Trajani* animam orationibus
Gregorii Magni inferis eductam fuiſſe, credunt nonnulli poſt
Jo. Damaſcenum, quod quidem, ſi ita ſe habeat, factum eſſe ju-
dicat *Antoninus*, quoniam inferorum cruciatus non finaliter
ipſi ſint deſtinati, & hinc per ſpeciale aliquod privilegium ul-
95. tra legem communem liberatam eſſe. Quas adjecit annota-
tiones Doctiſſ. *Mamachus*, illæ reſpiciunt non ſolum lectio-
nem, ut, collatis editionibus ac Codicibus MStis, oſtendat, quæ
ſit vera, ſed etiam Scriptores indicat, ex quibus Autor ſua de-
promſit, aliis ejuſdem argumenti locis ex diverſis ſcriptoribus
adductis. Quæ *Antoninus* brevibus eſt complexus, illa ſubin-
de fuſius explicat, aliquando etiam controverſias, quæ eccle-
ſiæ Proteſtanti cum Romana intercedunt, attingit & diſcutere
allaborat. In omnibus illis doctrinam ſuam, judicium, &
lectionem, etiam recentiorum ſcriptorum, ſatis probat. In-
dex copioſus in utramque illam Partem eſt adjectus.

M. GOTTLIEB WERNSDORFII, FACULTAtis Philoſophicæ in Academia Wittebergenſi Aſſeſſoris, de Republica Galatarum liber ſingularis, in quo cum gentis origo, ſtatus regiminis, mores, & res geſtæ, fide ſcriptorum & numiſmatum antiquorum exponuntur, tum Galatiæ regio deſcribitur, adjecta ejusdem tabula geographica, cum Indice locupletiſſimo.

Norimbergæ, ſumtibus Jo. Jac. Cremeri, 1743, 4.
Alph. 2 plag. 2.

Quo obſcurior eſt tum totius Aſiæ minoris, tum maxime Galatiæ, hiſtoria, defectu monumentorum; eo magis probandum eſt Clariſſ. *Wernsdorfii*, nunc Profeſſoris linguarum ſacrarum in Athenæo Gedanenſi, conſilium, quo eam hiſtoriæ partem illuſtravit, in qua ante eum non ſatis felici, ut ipſe putat, conatu occupatus fuerat *C. G. Hoffmannus*. ſcripta de Galatia antiqua Diſſer-

Digitized by Google

Diſſertatione. Nec ſolum explevit deſiderium eruditorum Clariſſ. Autor hoc libro de republica Galatarum edito, ſed ſpem etiam fecit in Præfatione, antiqua regna Bithyniæ, Lydiæ, Ponti, Cappadociæ, ceteraque, cum tempore deſcribendi. Præſens liber multo cum labore, neque infelici ſucceſſu, elaboratus eſt. Complectitur enim omnia, quæcunque in vetuſtis monumentis, beneficio temporum conſervatis, de gentis Galaticæ origine, rebusque geſtis ac fatis, ſparſim reperiuntur; ubique adducuntur ſollicite ad probandas narrationes ſcriptorum loca, quorum fide quælibet narratio ſtat, eaque vel tranſcribuntur integra, vel indicantur; neque tamen conſcribuntur ſolum, ſed cum judicio critico examinantur, ut tandem commemoratio eliciatur, quæ ad veriſimilitudinem maxime accedat. Inſperguntur quandoque obſervationes philologicæ & criticæ non inutiles. Stilo utitur Autor perſpicuo, fluido, & ad tradendas hiſtorias aptiſſimo, interdum faceto, & ob inſperſa paſſim Poetarum veterum dicta jucundo. Ornatur liber non modo nova tabula Galatiæ geographica, ſed etiam numis quibusdam in æs inciſis, aliisque figuris, artificum manu venuſte ſculptis.

In Præfatione Clariſſ. Autor utilitatem hujus hiſtoriæ commendat, atque occaſionem, qua ad eam ſcribendam fuerit excitatus, indicat, itemque ſubſidia, quæ acceperit ab amicis, præcipue a Ven. *Pellouterio*, gratus prædicat. Liber ipſe in *ſex Capita* diſpeſcitur. *Primum* agit de *expeditione Galatarum in Græciam & Aſiam;* cujus initio nominantur Autores vetuſti, qui ex inſtituto de hac gente ſcripſerint, nunc omnes deperditi. Deinde deſcribuntur expeditiones Pag. 5.
ejus in Græciam, nempe prima duce *Cambaula*, in Thraciam, altera *Brenno* & *Belgio* ducibus, in Macedoniam, cujus rex 8.
Ptolemæus Ceraunus acie victus interficiebatur, tertia tandem *Brenno* duce, cum ingenti hominum multitudine, a qua *Soſthenes*, Macedoniæ rex, profligabatur, Theſſalia diripiebatur, 9.
tandemque irrumpebatur in Græciam. Græci, duce *Callippo* 12.
Athenienſi, ſe objiciebant ad Thermopylas, prælioque commiſſo barbaros vincebant. *Brennus*, diviſo exercitu, partem in Ætolorum fines mittit, partem ipſe ducit, incautis Græcis verba

ba dat, tranſcenſoque monte in Græciam penetrat, ac recta contendit Delphos ad dives templum expilandum. Sed, prælio facto, Diisque pro templi religione una militantibus, barbari ad internecionem delentur, partim armis Græcorum, partim grandine ac frigore, partim, ſi credere lubet, prodi-
Pag. 20. giis infeſtis. Templum autem ipſum captum & expilatum
22. non eſt, licet id nonnulli veterum perhibere videantur. Utut autem Græci omnes Gallos ad Delphos interiiſſe ſcribant; tamen ſuperfuere duo eorum exercitus, quorum alter ſub *Leonnorio* & *Lutario* ante irruptionem in Græciam a *Brenno* ſeceſſerat, alter ſub *Comontorio* e ſtrage Delphica evaſerat. Prior ille, in Thraciam progreſſus, bellum cum *Antigono Gonata*, infauſto eventu, geſſit, tandemque ad oram maris Aſiæ oppoſitam conſedit, quærens tranſitum. *Lutarius*, qui Cherſoneſum tenebat, quinque navigii[illegible]i raptis, ſuas copias pri-
24. mus trajicit; *Leonnarius*, rogatu *Nicomedis*, Bithyniæ regis, qui Gallorum opera uti volebat in bello cum fratre ſuo *Zipœta*, a Byzantinis cum ſuis militibus per Boſporum pariter transvehitur. *Comontorius* in Thracia remanet, ſedem regni Tyli exſtruit, tributa a Byzantinis, & vectigal a navibus, per Boſporum navigantibus, exigit. Subſtitit hoc regnum Gallothracum uſque ad ætatem *Antiochi M.* quo everſum fuit a Thracibus, tamen reliquiis Gallorum inter Thraces
29. paſſim remanentibus. Florente adhuc regno, dederunt auxilia *Antigono Gonatæ*, ſimulque ejus hoſti, *Pyrrho Epirotæ*; poſt ipſi etiam bellum geſſerunt cum hoc *Antigono*, ſed fune-
32. ſtiſſimo eventu. Et ab his tertia Gallorum colonia in Aſiam tranſiit, accita ab *Attalo Pergameno*, auxiliis eorum contra *Achæum* uſuro. Ea conſedit ad Helleſpontum in Troade, & haud ita multo poſt ab Alexandrenſibus & Pruſia
34. claudo fere deleta eſt. Priores autem coloniæ, quæ ſub *Lutario* & *Leonnorio* tranſierant, initio per totam vagabantur
37. Aſiam, nulla certa ſede, & ab omnibus gentibus ſtipendia exi-
39. gebant. Juvabant *Nicomedem* adverſus *Zipœtam*; vinceban-
39. tur ab *Antiocho Sotore*: pars eorum militabat ære *Ptolemæi*
45. *Philadelphi*, a quo in Ægyptum deducti, & mox ob rebellionem

nem exciſi fuere; pars ære *Antiochi Hieracis*, cum quo *Seleucum Callinicum* vincebat; victores aggrediebatur *Attalus* Pag. 47.
Pergamenus, fuſosque Gallos cogebat, relicta vagandi & latrocinandi conſuetudine, intra terminos ſuæ regionis ſe continere. Tum igitur, nec prius, Galli occuparunt illam regionem, quæ ipſorum nomine Galatia nuncupata fuit. Sic cum Autor expoſuiſſet adventum Galatarum in Aſiam, *Capite ſe-* 53.
cundo inquirit, unde advenerint, & *origines gentis* indagat. 56.
Præmonet, eos, qui expeditionem tertiam in Græciam ſuſcepere, ex tota natione Gallica fuiſſe collectos, bello in conciliis publicis decreto. A Græcis ſcriptoribus *Celtæ*, a Latinis 59.
Galli, vocantur. At, Celtarum nomine, notum eſt, olim dictos fuiſſe omnes populos, qui Romanis trans Alpes, Græcis trans Dardaniam verſus Occidentem & Septentrionem, incolebant, ſive quod omnes illi, qui Hiſpaniam, Franciam, Germaniam, Illiricum, tenebant, vere Celtæ eſſent & communis originis, ſive per inſcitiam & confuſionem, quemadmodum hodieque a Turcis omnes Europæi appellantur Franci. *Galatæ* vero veri nominis Celtæ fuere, quia ſemet ipſi in Aſia ita nominarunt, nempe Gallos, Celtas, & Galatas, quæ nomi- 65.
na non niſi dialecto differunt. Veri autem Galli, ſeu Celtæ, merito ſic appellati, olim habitarunt non ſolum in Francia inter Garumnam & Sequanam fluvios, ſed etiam in Italia ſuperiore, quorſum, regnante Romæ *Tarquinio Superbo*, duce 67.
Belloveſo, coloniam duxerant, Italiæ nomen Galliæ Ciſalpinæ daturam; ſed etiam in Germania, ubi colonia Tectoſagum & Bojorum fuerat a *Sigoveſo* fundata; ac tandem in Pannonia 71.
inter Alpes, Danubium, & Thraciam, quorſum effuderant ſe, teſte *Juſtino*, ex Italia. Celtæ Pannonici in tres dividebantur gentes, Scordiſcos, Bojos, & Tauriſcos. Scordiſci, quo- 75.
rum nomen recentius eſt expeditione Delphica, circa Savum ſedebant; Boji juxta Dravum; Tauriſci, ſeu Troi, inter utrosque medii. De his gentibus Pannonia a *Plutarcho* & aliis vocatur inferior Galatia; iique fuere illi Celtæ, qui legatio- 82.
nem ad *Alexandrum M.* miſiſſe leguntur. Quæritur nunc, ex quanam colonia Gallica Gallogræci prodierint, ex Francia

 pro-

propria, an Italia, Germania, an Pannonia. *Strabo* ignorare
Pag. 85. ſe fatetur. *Hieronymus*, non Gallogræcos ex Europa,
ſed contra a Gallogræcis Aſiaticis Gallos Europæos,
87. oriundos fuiſſe, putat, quem merito Autor confutat. *Calli-
machus*, *Pauſanias*, *Diodorus Siculus*, eos ab ultimo oceano
fabuloſe deducunt; alii, maxime recentiores, ex Francia pro-
pria; alii ex Germanica colonia; alii ex Italia, quas conje-
100. cturas omnes Clariſſ. Autor ſolide removet. Ipſe Gallogræ-
cos non aliunde, quam e Pannonia, ſeu Illyrico, exiiſſe arbi-
tratur, idque teſtimoniis *Trogi*, *Juſtini*, & *Appiani*, confirmat,
& ipſo veluti itinerario Gallorum, in Græciam proficiſcentium,
itemque eo, quod plerique e Delphica clade ſuperſtites in
Illyricum, tanquam patrium ſolum, receſſiſſe dicuntur, aliisque
argumentis. Denique animadvertit, Galatas Aſiæ in tres
populos fuiſſe diviſos, Toliſtobojos, Tectoſagas, & Trocmos,
atque totidem gentes Celticas in Pannonia commemorari;
108. hasque cum illis easdem prorſus eſſe credit. Tectoſagas in
Pannonia habitaſſe, & expeditioni Delphicæ interfuiſſe, *Juſti-
nus* memoriæ prodidit; hosque ipſos eſſe Scordiſcos, Autor
ſat veriſimilibus rationibus probat; nempe antiquum gentis
112. nomen eſſe *Tectoſaga*, quod ipſe deducit a dichte, *denſus*, &
ſaga, *ſagum bellicum*, recentius eſſe *Scordiſcorum*, quod ex urbe
115. Scordra Pannoniæ natum putat. Altera gens Galatica Toli-
ſtobojorum manifeſte prodit Bojorum, alterius gentis Panno-
nicæ, nomen. Autor conjicit appellatos eos *the liſted Boji*, ſeu
the liſtes Boji, Bojos conſcriptos, ſeu in catalogum militarem
adſcriptos, quia non omnes Boji, multis quippe in Pannonia
remanentibus, ſed nonnulli tantum, ſuaſu *Brenni*, expeditio-
ni Græcæ & militiæ nomen dederint. Tandem ex mente
Autoris *Trocmi* Galatici iidem ſunt, qui Taurici Pannoniæ.
Docet enim, Tauriſcorum nomen non gentile eſſe, ſed appel-
lativum, ac quoslibet montium incolas (a Taur, *mons*,) ſigni-
ficare; verum gentis nomen fuiſſe *Tros*, unde factum fuerit
Troicus, *Trocmus*, & *Trocmenus*. Itaque tres Galatiæ popu-
los, Tectoſagas, Toliſtobojos, Trocmos, eſſe prorſus eosdem
cum Pannonicis Celtis, nempe Scordiſcis, Bojis, & Trois, ſeu
Tau-

Digitized by Google

Tauriſcis. Poſtea Autor multis docet, *Brennum*, expeditionis Pag. 117.
Delphicæ autorem ac ducem, vere fuiſſe patria Pannonium.
Capite tertio chronologico Autor id agit, ut ſingulis rebus,
Capite primo commemoratis, verum annum aſſignet. Secun- 122.
dam Gallorum expeditionem, quando duce *Belgio Ptolemæus*
Ceraunus profligatus & confoſſus eſt, refert ad annum IV O-
lymp. CXXIV, ſeu 280 A. C. N. Tertiam expeditionem 125.
Delphicam ſub *Brenno* refert ad II Olymp. CXXV, ſeu 278
A. C. In Aſiam vero tranſiiſſe Gallos anno III Olymp. ejus- 129.
dem, ſeu 277 A. C. N. ac tandem poſt cladem ab *Attalo* acce-
ptam Galatiæ regionem ſtabili poſſeſſione occupaſſe anno II
Olymp. CXXXV, ſeu 238 A. C. N. *Capite quarto* Autor 131.
commemorat res geſtas Gallogræcorum, inde ab eo tempore,
quo Galatiam quiete incolere cœpere ab *Attalo* compulſi, us-
que ad tempora *Auguſti* Cæſ. qui Galatiam in provinciæ for-
mam redegit. Memorat, Galatas omnibus interfuiſſe Aſiæ
negotiis, nec facile ullum fuiſſe ea omni ætate bellum ge-
ſtum ſine mercenaria Gallorum manu. Sed omnia iſta repe-
tere, anguſtia noſtrarum paginarum haud permittit. Non-
nulla tamen, quæ præ cæteris memoria digna videntur, inde
decerpta dabimus. Diſputat Autor de prælio Gallorum, cum 138.
Judæis in Babylonia commiſſo, quod *2 Maccab. VIII, 20*, me-
moratur, idque contendit eſſe illud, quo *Antiochus M. Molo-*
nem rebellem in Babylonia vicit anno 219 A. C. N. In bello 145.
Antiochi M. cum Romanis Galli a partibus regis ſteterant, eo-
que virtute *Scipionum* debellato, ipſi a *Cn. Manlio* Coſ. bello
petebantur. Toliſtoboji editiſſimum montem Olympum
occuparant, natura locorum confiſi; ſed Conſul, fugatis pro-
pugnatoribus, ipſa eorum caſtra expugnabat, magnamque ede-
bat ſtragem. Tectoſagæ in monte Magaba conſederant, ſed
omni opinione citius a Romanis vincebantur anno 189 A. C.
N. Victi Galli pacem impetrabant leniſſimis conditionibus,
ut pacem ſervarent cum vicinis, agrorumque ſuorum terminis
ſe continerent, ſervata *αὐτονομίᾳ* ſine tributo. *Manlius* de Gallis
triumphum egit, quamvis id neget *Florus*. In bellis *Mithri-* 165.
daticis Galatæ Romanorum caſtra ſecuti erant, ideoque præ-

Pag. 167. mia conſequebantur a *Pompejo* imperatore, & *Dejotarus* tetrarcha regium titulum cum Armenia minore. In bello civili primo Galli auxilia dederant *Cn. Pompejo*, victique a *Caſare*, graviter multabantur, *Dejotaro* quoque Armenia ademta, & pecunia imperata. Is tetrarcha tum hoſpiti ſuo *Cæſari* inſidias ſtruxiſſe accuſabatur a *Caſtore*, nepote ſuo, ſed oratione
173. *Ciceronis*, quæ exſtat, defenſus, crimine liberabatur. *Caſare* poſt interfecto, *Dejotarus* rex amiſſa recuperabat armis, ac poſtea percuſſoribus ejus *Bruto Caſſio*que auxilia mittebat, duce *Amynta*, ſcriba ſuo. Hic ſtatim poſt prælium Philippenſe deſciſcebat ad triumviros, ideoque Piſidiæ regnum cum quadam tetrarchia Galatiæ, præmium perfidiæ, adipiſcebatur; *Caſtori* autem aliæ tetrarchiæ avi in Galatia dabantur. Idem *Amyntas Sextum Pompejum*, *Antonii* hoſtem, cepit vivum, ac
179. tradidit. Idem in bello civili ultimo auxilia mittebat *Antonio* ad Actium, ſed ante pugnam deficiebat ad *Auguſtum*, cumque non exiguum pondus victoriæ addidiſſe videretur, pacate regiones ſuas beneficio *Auguſti* retinebat, ſimulque Ciliciam impetrabat, ita ut latiſſime dominaretur per totam Aſiæ citerioris mediterraneam partem. Is *Amyntas* tandem anno 26
182. A. C. N. inſidiis Iſaurorum ſublatus, interiit. Regnum ejus *Auguſtus* provinciam fecit, primusque Galatiam pro Prætore adminiſtravit *M. Lollius*. *Capite quinto* geographico Clariſſ. *Wernsdorffius* deſcribit ſitum, fines, amplitudinem, urbes fluviosque Galatiæ. Cum Galli primum transfretaſſent in
184. Aſiam, habitabant ad mare Ægæum, totamque Aſiam latroci-
185. nando, & tributa exigendo, pererrabant. Poſt occupabant mediterraneam illam regionem, quæ inter Sangarium & Halyn fluvium interjacet, atque olim ad Phrygiam magnam pertinuerat, complexa circiter 30 millaria Germanica latitudinis, totidemque longitudinis; cujus limites ab omni parte, quoad fieri potuit, deſignantur, urbibus terminalibus nominatis. Huc facit mappa geographica prorſus nova, quam Autor, multo ſtudio adornatam, ſuaque delineatam manu, eleganter in æs incidi curavit. Ea continet non Galatiam modo, ſed

vici-

vicinas quoque provincias, ac totam fere Aſiam cis Taurum;
exhibet terminos cujuslibet regionis non ſolum antiquos, ſed
etiam quales diœceſeon eccleſiaſticarum ſub Imperatorum
Chriſtianis fuere; metropoles ſigno proprio diſtinguuntur;
urbes Epiſcopales crucis ſigno notantur; oppida & loca, quo-
rum ſitus ſat certus eſt, circello figuntur; incertorum nudum
ſcribitur nomen; &, ne quid ornamenti deeſſet, coloribus ve-
nuſte inductis provinciæ pinguntur, & in margine gradus
longitudinis ac latitudinis ope recentiſſimarum obſervatio-
num aſtronomicarum adſcribuntur. Galatia dividebatur in par- Pag. 193.
tes tres, quarum unam Cappadociæ & Ponto confinem inco-
lebant Trocmi, eorumque caput erat Tavium, alteram, quæ
Phrygiam a meridie tangit, tenebant Tectoſages, quorum pri-
maria urbs erat Ancyra, tertiam Toliſtoboji finitimam Bithyniæ
& Phrygiæ ab occaſu, eorumque caput erat Peſſinûs. Singulæ
gentes iterum dividebantur in quatuor tetrarchias, ut totius Ga-
latiæ eſſent 12 pagi. Si vero omnes minores civitates ac diœce-
ſes computantur, autore *Plinio*, centum nonaginta quinque
ſunt. Sub Imperatoribus Chriſtianis Galatia omnis in duas 197.
provincias diſtribuebatur, nempe in Galatiam primam, quæ
viro Conſulari parebat, & Galatiam ſecundam, ſeu ſalutarem,
quæ Præſidi ſubjiciebatur. Illius metropolis Ancyra erat, hu-
jus Peſſinûs. Deinde deſcribitur fertilitas ſoli, fœcunditas 199.
agrorum, annona, fructus, piſces, paſcua, & præcipue An-
cyranæ capellæ, hodie totius Aſiæ præſtantiſſimæ, mercatura,
frutex cocci, quo paludamenta Imperatorum tingebantur,
aliaque regionis bona. Sequitur catalogus urbium & loco- 204.
rum, ad literas alphabeti redactus. Talem jam dederat, ſed
mutilum, *Car. Gottl. Hoffmannus*, nunc Antiſtes Wittebergen-
ſis, tum LL. AA. Magiſter Lipſienſis, in Diſſ. *de Galatia*
antiqua. Hunc Clariſſ. Autor fundamenti loco ponit, eum- 238.
que triplo auget, multisque locis emendat. Hunc excipit catalo- 242.
gus montium & collium Galatiæ, ac tandem index fluviorum,
ſatis diligenter confectus. Ultimum, ſeu *ſextum*, *Caput* de mori- 256.
bus Galatarum inſcribitur; quo partim de moribus civilibus, cha-

ctere animorum ſtudiorumque hujus populi, agitur, partim
de regimine politico & ſtatu reipublicæ eorum. Que-
ritur Autor, Galatis olim nil præter vitia fuiſſe tribu-
Pag. 257. tum. Non negat, eos lucri fuiſſe cupidiores, ipſam ex-
peditionem Delphicam ex aviditate ſacrorum theſaurorum
ſuſcepiſſe, totam Aſiam latrocinando expilaſſe, & tributa
etiam a regibus exegiſſe. Hinc luxuria Romæ irrepſiſſe di-
citur maxime poſt triumphum *Manlii* Galaticum, cum omnes
divitiæ, quas avidiſſima rapiendi gens, ut loquitur *Livius*, per
tot annos coacervaſſet, Romam a victoribus fuiſſent translatæ.
Galatæ quoque cuilibet, ſtipendia offerenti, auxilia dabant;
aliquando ex avaritia effractis regum Macedonicorum ſepul-
259. cris auro corpora ſpoliarunt. Notatur porro eorum barbara
344. crudelitas in hoſtes, quorum capita truncabant, craniisque pro
poculis utebantur, de quo ritu multa lectu digna afferuntur;
260. crudelitas in captivos, quos aut Diis immolabant, aut ſagittis
transfigebant; nec minor in ſuos, cujus rei plura adducuntur
261. exempla, ut *Dejotari*, liberos ſuos jugulantis. In rebus ag-
grediendis fervidiſſimi erant & furentibus ſimiles, in proſe-
quendis remiſſi ac torpentes. Hinc in pugnis primum impe-
tum cœca ira effundebant, quem ſi ſuſtinuiſſet hoſtis, poterat
deinceps laſſos facile vincere. Non ſine ratione perfidiæ ac-
263. cuſantur. Namque contra *Ptolemæum Philadelphum*, cujus
ære militabant, ſeditionem moverunt; contra *Antiochum Hie-*
racem, cum quo vicerant *Seleucum*, ipſi arma verterunt;
Manlium Coſ. ſub ſpecie colloquii & ſpe pacis tentarunt in-
ſidiis opprimere; *Dejotarus Julium Cæſarem* inſidiis appetiiſ-
ſe a genere & nepote ſuo accuſatus fuit; *Amyntas* bina defe-
266. ctione regnum meruit. Contra tamen Autor producit miræ
fidei ſervatæ exempla, duos fratres litigantes, uter pro altero
perire deberet, *Ortiagontis* uxorem marito fideliſſimam, *Cam-*
268. *mam* mortem mariti ſua & occiſoris morte ultam. *Hierony-*
mus Galatis ſtupiditatem naturalem exprobrat; quem jam
confutavit laudatus *Hoffmannus* in Diſſ. *de ſtupidis Galata-*
rum ingeniis, & amplius confutat Clariſſ. Autor, eo, quod
rempublicam habuere optime conſtitutam, quod callidi ſæpe
ad

Digitized by Google

id fallendos alios fuere, quod rei militaris periti. Præterea affert exempla non modo virorum naturalibus animi dotibus præditorum, ſed etiam mulierum; laudat *Dejotari* ſapientiam, prudentiam, acumen ingenii, item *Amyntæ*, *Adiatorigis*, *Teporgi*, aliorumque, virtutes ac mores, quorum cauſa apud Romanos in admiratione fuerint; obſervat, eos literarum ſtu- Pag. 276.
diis fuiſſe excultos, multosque nominat eruditione famaque claros Galatas. Conſuetudo eis peculiaris fuit, ſecum in plau- 279.
ſtris circumducendi uxores liberosque, maxime ut illarum uterentur conſiliis & arbitriis in gerendo & componendo bello. Habuerunt ſingulare jaculi genus, conſtans ligno gracili 283.
& ferrea cuſpide, quod non amento, ſed e manu, torquebant. Geſum dicebatur. Unde gens quædam Alpina, bellis Romanorum clariſſima, nomen Geſatarum tulit. In pugnis certa- 288.
bant nudi ſuper umbilicum, ſine veſte, ſolis armis cincti. Gla- 289.
diis utebantur prælongis, prægravibus, ſed ſine mucronibus, ut non punctim, ſed cæſim modo, ferire poſſent. Nominabant *ſpathas*. Cum tali armatura militem Galatam ad latus mappæ geographicæ in æs inſculptum cernimus. Singulare 291.
quoque equitatus genus habebant, quod *trimarciſian* appellabant; ſingulos enim equites comitabantur bini ſervi & ipſi in equis, dominisque in prælio ſuccenturiantes. Scuta eorum, 293.
quæ θυρεὸς nominabant, forſan ab inciſis animalium figuris, erant ſummæ altitudinis, ut fere virum æquarent ſtantem, ſed nullius latitudinis, ut male tegerent latus, lignea ex aſſere uno, nec cava, ſed plana, & obducta pellibus belluinis, aut lætiſſimis coloribus diſtincta. Præſagiis admodum fuere de- 295.
diti, ita, ut eventus bellorum extiſpicio præſcire vellent, locuſtas precationibus averruncantibus abigerent, ſi luna deficeret, iter abrumperent, ex hoſtiis quoque humanis divinarent, &c. Regimen politicum Galatiæ Autor ſic delineat: 297.
Galatiam totam conſtituebant tres gentes fœderatæ, in ſe tamen ſeparatæ, liberæ, & quæ per ſe ſingulæ haberent jus majeſtaticum, belli pacisque facultatem, & domeſticam rempublicam. Erant tamen inter ſe certis legibus intimæ conſocia- 299.
tionis fœderatæ, ac ſtatis temporibus in commune concilium

coi-

coibant, ad negotia totius provinciæ curanda. Locus concilii
Pag. 300. *Drynæmetus* dicebatur, quaſi trium gentium domus. Gentes
hæ majores in clientela ſua habuiſſe videntur alias minores,
pariter liberas, ſed cum illis fœdere inæquali junctas, quales
302. fere hodie ſocii Helvetiorum. Summa majeſtas erat penes
concilium generale duodecim tetrarcharum ac trecentorum
legatorum, qui ſtatis temporibus in *Drynæmeto* conveniebant,
ac de pace belloque, de cauſis capitalibus, & legendis magi-
304. ſtratibus, conſultabant. Summus magiſtratus erat tetracha,
quales in quavis gente quatuor fuere; nomen enim regium,
nedum regiam poteſtatem, Galli ferre non poterant. Hi ju-
dicabant de omnibus cauſis fori, exceptis capitalibus (τοῖς φον-
306. κοῖς). Nec legibus eorum licebat plures ſimul poſſidere te-
trarchias; quamvis *Dejotarus* octo, vel novem, & *Amyntas*
omnes, poſſederit, ſed ex autoritate Romanorum. Dignitas
ea non hæreditaria erat, ſed a populo dabatur bene merenti-
bus; præcipua tamen ratio habebatur nobilium, ſeu homi-
num, qui cognatione antiquis tetrarchis conjuncti erant.
314. Quilibet tetrarcha ſub ſe habebat unum ducem belli ac duos
legatos (ὑποςρατοφύλακας). Ille jus civibus per pagos red-
debat, hic bellum adminiſtrabat. Præterea electi proceres
centum viri e quavis gente ad concilium generale convenie-
317. bant tanquam ſcabini, aut aſſeſſores judicii. In oppidis quo-
que ſenatus urbanus cum plebe aliquid habebat autoritatis.
Hæcce omnia illuſtrantur comparatione perpetua cum priſca
318. Germanorum & Francorum republica. Poſtquam autem regi-
men reipublicæ Galaticæ liberæ delineavit, obſervat, Galatas, a
Cn. Manlio victos, ſtatim incepiſſe Romanis inſervire, eaque
præſtare, quæ reliqui ſocii & reges inſervientes, id eſt, auxilia
dare, annonam præbere, aurum coronarium donare. Roma-
ni quoque ſæpe tetrarchias aſſignabant hominibus de ſe bene
321. meritis. Poſtea pauca monet de religione Galatarum, tangit
immolationem hoſtiarum humanarum, divinandi cerimonias,
cultum *Dianæ*, cujus ſacerdos fuit *Gamma*, *Sinorigis* tetrarchæ
uxor, cultum *Teutis*, item Deam *Peſſinuntiam*, cujus ſacerdo-
329. tes evirati carne ſuilla abſtinebant. Tandem devenit ad lin-
guam

Digitized by Google

...un Galatarum, quæ peculiaris fuit. Reliquiæ ejus exſtant ...ucæ. Equitatum ſuum vocabant *trimarciſian* a *tri*, tribus, *marc*, equo. Fruticem coccineum appellabant *hys*, vel ...*ge*; intritum vino vocabant *embrecton*, eingebrockte, Mon... Pag. 331.
...iſtæ ibi per ſcomma dicebantur *Taſcodrugi*, ſeu paxillona...es, quod inter orandum naſum manu fulciebant velut pa...; namque, ut hæreſiologi docent, *taſcos* vocari palum, *dru*... vero naſum, vel, ut Autor conjicit ſat veriſimiliter, *tatſche* ...gua Germanica vetuſta ſignificat manum, & *drug* premere, ...eo ut ſignificentur, qui manu aliquid premunt, ſeu fulciunt. ...cum concilii univerſalis vocabant *Drynæmetum*, quaſi Drin... 335.
...)mat, trium gentium domum. Oppida nonnulla, fluviis ...poſita, ſonum vocabuli Brücke, ſeu pontis, occultant, ut Ec...briga, Ipetobriga. Caſtellum quoddam, ubi boum greges ...ſtodiebantur, nominabatur *Cuballum*, Kuhwall, clauſtrum ...earum. Hac occaſione Autor proponit conjecturam, an... 336 & 349.
... illa Lycaonica lingua, qua uſi leguntur Lyſtreni *Actuum* *V*, *11*, fuerit forſan Galatica; namque Lyſtrenos a *Plinio* ...er populos Galaticos minores numerari. Ultimo docet, 338.
...iſcam Galaticam non majorem habere cum ulla ſuperſtite ...gua affinitatem, quam cum Germanica, quippe in qua ...am frequentiſſima appareant veſtigia Celticæ priſcæ. Ita...e Scordiſcos Pannonios memorari, a quibus oriundi fuere ...ectoſages Galatæ, eadem uſos lingua cum Baſtarnis, Germa...ca gente, ac tandem *Hieronymum* teſtari, Galaticum ſer...onem fuiſſe ſimilem ſermoni Trevirorum, pariter Germano...m. Ad calcem libri ponuntur *Addenda* quædam, in quibus ...ulta operis ipſius loca illuſtrantur; & tria folia erratorum, ...ibus liber, abſente Autore, commaculatus fuit, ac tandem ...dex rerum memorabilium ſatis locuples. Fuimus forſan in ...c excerpto breviores, quam dignitas & varietas materiæ ...quiſiviſſet; aliis forſan ſolito longiores videbimur. Suade...us autem, ut lector ad ipſum librum adeat, quem non ſine ...unditate & fructu, ut ſperamus, leget.

HOMERI ILIAS, GRAECE ET LATINE, AD præſtantiſſimas editiones accuratiſſime expreſſa, opera M. JOAN. GEORGII HAGERI, Rect. Chemn.

Volumen I.

Chemnicii, apud fratres Stœſſelios, 1745, 8.
Alph. 1 plag. 5.

Revixit quaſi inde ab aliquot annis *Homerus*, plurimis eruditiſſimorum hominum ſtudiis excitatus atque evectus. *Samuel Clarcke*, pater æque ac filius, Londini A. 1729 & 1732 præſtantiſſimam editionem publici juris fecere. Inde ab eodem tempore *Alexander Politus Euſtathium* interpretem, una cum aliis lucubrationibus, *Homerum* ſpectantibus, publici juris fecit aliquot majoris formæ Voluminibus. *Blackwellus* Anglicana lingua deinceps Edinburgi vitam conſignavit *Homericam*. *Ang. Maria Riccius* apud Italos Diſſertationes *Homericas* tam fuſas, quam eruditas, edidit. Vel eodem tempore, vel paulo ante, σύνοψιν Diſſertationum *Homericarum*, quas in poſterum exſpectamus, accepimus Gera, unde & promiſſum ad nos venit, majore volumine cum ſanctiſſimis literis comparandi *Homerum*. Interim, ut aliorum ſtudia taceamus, accuratiſſimam atque utiliſſimam editionem hujus Poetæ dedit partim, partim paravit, Clariſſ. *Hagerus*, aliis jam tum in *Opitii* Grammaticam Ebræam, inque *Relationes innoxias*, quas nominant, meritis, tum geographico ſcripto Germanico, tribus Voluminibus conſtante, cetera ut taceamus, ſatis jam celebris. Abunde præſtat doctiſſimus Editor, neque ſtudioſam modo juventutem, ſed omnes omnino literatos, juvat; ſive *Homeri* vitam ſpectes, libro præmiſſam, ſive contextum limatiſſimum, atque obſervationibus paſſim criticis inſtructum. In laudabili Editor *Quintiliani* verſatur hæreſi, ab *Homero* & *Virgilio* lectionem Poetarum eſſe inchoandam. Quo id magis in graviſſimo munere meditatus eſt, eo & magis probavit. Sed editio deerat *Homeri*, diſcentibus accommodata, dum, externis paratu difficilioribus,

inter

inter Germanos hoc Seculo prodiit nulla. Illum defectum emoturus, Hafniæ jam A. 1739 *Librum I Iliados*, atque nunc *Iliada* totam, publicavit, cui proxime addetur *Volumen II. Odyſſeam* complexum; ac *Wolfgangi Seberi* locupletiſſimus æque ac rariſſimus Index, quem & *Politus* repetiit, denique ſuccedet. Non autem ſolum, quod forte habuit, exemplum recudendum dedit bibliopolæ; ſed inſigni ſtudio principes omnium editiones contulit & comparavit, *Demetrii Chalcondylæ*, *Henr. Stephani*, *Jo. Criſpini*, *Sebaſtiani Caſtalionis*, *Jo. Henr. Lederlini*, atque inter ceteros inprimis *Clarckiorum*; quippe ad quam ſuam ipſe potiſſimum accommodare laboravit. Magis hic utique ſtetit promiſſis, quam non ſine hiatu promiſſores illi, qui Amſtelodami A. 1734 *Clarckianam* in rubro, *Berglerianam*, eandemque depravatam, in nigro, exhibuerunt. Nihil tale apud Noſtrum; ſana quælibet atque integra fide; dum iſtorum negligentia, per ſe accuratiſſimum, tanto tamen cautiorem fecit Noſtrum. Profecto decipit emtores æque ac lectores editio, qualis hic illa deſcribitur, quæ nunc omittit vocabula, nunc depravat. Egregium hic documentum præbent *Iliad. ι* poſt *verſ. 459* inſerta, ubi Præfationem *Berglerus* allegavit ſuam, quam reciderunt, allegatione nihilo minus retenta, recentes illi *Clarckianæ* ſcilicet editionis repetitores. Sed ad vitæ *Homericæ* compendium, non ſine cauſa deſignatum, tranſeamus. Jam pridem illam deſcripſerunt *Herodotus* & *Plutarchus*, ſi quidem veri ſunt Autores, ut ceteri, tam antiquiores, quam recentiores, taceantur. Quo vero plures tetigerunt, eo magis confuderunt, & rotundis miſcuere quadrata. Vel patria *Homeri*, de qua tot urbes contenderunt, teſtis erit. Quid de nomine dicamus, quod nec ipſum controverſia caret? ut &, exſtitiſſe *Homerum*, diſputatur. Id ipſum aſſerentes, *Meleſigenem* eſſe nomine ſuo dictum, profitentur. Atque illi ipſi pariter in plurimas ſententias diſcedunt, ſi quidem cauſas ſuppeditare debent, de quibus *Homeri* nomen adeptus fuerit. Vel fabularum, vel miraculorum, inter illos amantiſſimi, cæcum eſſe natum, præ ſe ferunt, quos & ipſos cæcos *Vellejus Paterculus* pronuntiat. Neque parentes *Homeri*

Homeri extra controverſiam ſunt poſiti. Alii *Telemachum* & *Neſtoriam Polycaſten*, alii *Meleteamnem* & *Criteida*, alios alii, nominant. Alterum patris nomen quidam in *Meletis*, amnis Smyrnei, fabulatores mutarunt. Vero maxime ſimilis *Hagero* ſententia videtur, *Critheidem*, *Melanopi* filiam, furtivo concubitu prægnantem, apud fluvium *Meletem* eum filium peperiſſe, *Meleſigenis* hinc nomen adeptum. Hoc autem generationis vitium ut tegeret antiquitas, in ipſius cultum effuſa, vel dæmonem, vel Deos, in auxilium vocaſſe dicitur. Qua ætate vixerit *Homerus*, denuo in diverſa diſcedunt eruditi. Noſter id temporis conſtituit, quo Thebæ adhuc caput eſſent Ægypti, adeoque antiquiſſimum Græciæ ſcriptorum dicit. Idem ingenium deſcribit ex mente *Velleji Paterculi* & *Fabii Quintiliani*. Ad educationem quod attinet, nihil ſe certi habere atque explorati, jure ſuo profitetur. *Herodoti* tamen narrationem in compendium redigit; ex qua *Phemium* habet & doctorem & anteceſſorem. Hic enim tam idoneo, tantæque ſpei, diſcipulo ſua legavit omnia. Iſti tamen *Mentes*, nauclerus, ſecum ut navigaret, perſuaſit. Cum igitur ex Etruria & Hiſpania delati ad Ithacam deveherentur, oculis admodum laborare cœpit *Meleſigenes*, ita ut medicinæ cauſa *Mentori* relinqueretur Ithacenſi. Unde, variis itineribus confectis, varia Græciæ nominatim loca frequentavit, variamque ex Poeſi atque inſtitutione vivens expertus eſt fortunam. Apud Chios uxorem duxiſſe perhibetur *Areſiphonem*, *Gutoris* Cumani filiam, e qua duos filios ſuſceperit, *Eriphonem* & *Theolaum*, nec minus filiam, a *Staſino* Cyprio ductam. Mortuus eſſe dicitur apud Iones anno ætatis CVIII. Poſt obitum divinis honoribus æmulo cultu afficiebatur. *Ptolemæus* quippe *Philopator* omnino templum exſtruxit *Homero*. Hujus inter ſcripta refert Noſter Iliada, Odyſſeam, Βατραχομυομαχίαν, Hymnos, Epigrammata, quorum de editionibus & commentariis in poſterum ſe plura commemoraturum pollicetur; hic modo, præeunte *Fabricio*, deperdita nominans ſcripta, & hiſtoriam cunctorum generalem adjungens. De iisdem inprimis meruere *Lycurgus*, *Solon*, *Piſiſtratus*, *Hipparchus*, atque *Ariſtarchus*. Neque reticentur a No-

ſoſtro laudes *Homeri* juſtiſſimæ, quæ in Carminibus profecto, & conſentientium guſtu non parum pendentibus, multum habent momenti. Statim ſane præjudicium eſt *Homero* quam utiliſſimum, quod, qua ſaniorum fuit partium, & antiquior & recentior ætas de condecorando ipſo certarit. Attamen, ut mundus quidem opinionibus regitur, ipſam autem rei veritatem ſapiens cultæ mentis examen inveſtigat; ita & huic viam ſtraturus Cl. *Hagerus*, ſingulatimque ipſa carmina conſideraturus, hic ſimul de inſcriptione *Iliados*, de argumento illius, deque ordine ac uſu, ad ſententiam quidem *Matthiæ Dreſſeri*, diſtinctius egit. Supereſt, ut notarum criticarum vel unum atque alterum ſpecimen excerpamus. Non ſunt iſta quærenda, ſed, prout primo in manus incidunt, addenda. Sic ad *Iliad. γ verſ. 86* obſervatur: Hic *Barneſius* totum verſum inſerit autoritate MSS. quem in nulla alia editione deprehendi eſt: ὄφρ' εἴπω, τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει. Ad *Iliad. δ. verſ. 506: Berglerus* & alii corrupte legunt: Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον, ἐῤῥύσαντο δὲ νεκρούς. *Barneſius* vero, quem *Clarckius* ſequitur, lectionem reſtituit: μέγα ἴαχον ἐρύσαντο. Ad *Iliad. ζ. verſ. 488: Barneſius* habet πεφευγμένον, ſed *Acta Erudit. A. 1712 Menſe Febr.* ſcribunt: nimis improvide; occurrit enim præt. m. πέφυγα, & verbum poeticum πεφύγω. Ad *verſ. 500:* γόον nonnulli γόων, ſed contra metrum, niſi γῶν pronuntiatur. Ad *verſ. 514: Barneſius* edidit: ταχέες δ' ἑ πόδες φέρον, quod ſententiæ nihil addit, elegantiæ vero detrahit. Atque ita ſemper, ſine inutili variarum ſententiarum non definitarum apparatu, mens facile aperitur, ac verbo dicitur, quod centum verbis alii prodigi nimis enuntiarent. Hanc omnino non ultimam laudem iſtius editionis eſſe arbitramur, ita generatim comparatæ, ut cupidius exſpectemus continuationem hujus operis, & plura hujusmodi ſalutaria & præclara, quibus exantlandis Clar. *Hagero* vitam ac vires ex animo precamur.

THOMÆ ERPENII GRAMMATICA ARABICA, cum Fabulis Locmanni, &c. Accedunt Excerpta Anthologiæ veterum Arabiæ Poetarum, quæ inſcribitur: Hamaſa

Abi Temmam, ex MSS. Biblioth. Academ. Batavæ edita, converſa, & Notis illuſtrata, ab ALBERTO SCHULTENS. *Præfatio imaginariam linguam, ſcriptionem, & Lineam ſanctam Judæorum, confutat.*

Lugduni Bat. apud Samuelem Luchtmanns, & filium, 1748, 4. Alph. 4 plag. 13.

Pulchrum eſt & laudabile conſilium Celeberrimi *Schultenſii*, majorem *Erpenii* Grammaticam Arabicam, a *Jac. Golio* quondam curatam, typorum beneficio renovandi, quandoquidem rarius comparere in tabernis librariis, & carius venire, inceperat. Ægre tamen profecto ferremus, egregias corollas, quas illi *Golius* olim impoſuerat, in hac editione detractas fuiſſe, niſi liberalitas Viri Arabicis opibus abunde inſtructi jacturam hanc alio luculento & quantivis pretii munuſculo compenſaſſet. Quodſi tamen nobis licet ex animi ſententia profiteri, maluiſſemus neque vetere illo *Goliano* donario, neque novo *Schultenſiano*, caruiſſe. Satius forte fuerat, ſi non omnia *Goliana*, ſaltem ea conſervaſſe, quæ ab A. 1653 inde alibi recuſa non fuerunt, ut *Abi l'Ola* carmen, & Arabica Proverbia, quæ *Golius* eleganti cum eruditione illuſtraverat; excerpta vero illa ex *al Hamaſa*, aut illis *Golianis*, adjunxiſſe, aut ſeorſim edidiſſe; quod poſterius ideo forte rectius fuiſſet factum, quia excerpta illa non ſpectant ad Grammaticam, tironum certe captum excedunt, in quorum tamen uſum & gratiam tota hæc opera inſumta fuiſſe cenſenda eſt. Nobis profecto mirum id accidit, potuiſſe placere, ut conſummatæ eruditionis, ita & acris judicii, Viro, ut ſuos auditores & lectores a Fabulis *Locmanni* protinus ad *al Hamaſam*, immani ſaltu, raperet, & tanquam Trygæos quosdam *Ariſtophanicos* e terra in cœlum per machinam ſublevaret, cum conſultius, noſtra quidem ex opinione, fuiſſet acturus, ſi, edendo varii ſtili & argumenti opuſcula, quæ ſane ipſi multa in promtu erant, juventutem, quam erudit, Academicam, & Arabiſmi, quotquot nunc ſunt & olim erunt, cultores, a facilioribus ad magis magisque difficilium intelligentiam paulatim, καὶ ὁδῷ, ut Græci ajunt, tanquam per gradus eduxiſſet. Præfatione quoque illa grandi non mallemus quidem carere, cu-

pere-

ſeremus tamen eam alibi legere. Nam, ne illud commemore-nus, quod emtores gravet viginti duas plagulas craſſa ſarcina, d ſane palam eſt, eam in locum non ſuum incubuiſſe. Re-ſutat Rabbinorum nugas, qui expudorata fronte contendunt, livinæ originis eſſe non tantum Hebræam linguam, non ejus antum literas, quæ ab *Esdra* inde in uſu hodieque ſunt, ſed etiam vocales, accentus, & ipſos apices atque galericulos, qui-ous Judæi ſcribæ ſuos codices expingere affectant, ipſamque llam deliramentis conſutam ſacri Codicis expoſitionem, quam, ı ſpectabili doctorum Synagogæ catena ore tenus traditam, ıterque Talmud conſervavit. Non dicemus quidem, hæc am aperte vana & abſurda eſſe, ut refutationem, præſertim aborioſam, non mereantur. Largiemur potius, eum utili ne-ceſſariaque defungi opera, qui ab erroribus iſtis noſtratium ani-nos,quos afflarunt,repurgare nitatur. Arabicæ autem Grammati-æ cumRabbinorum commentis commune quid eſt? Elemento-um iſtius linguæ cupidi horum certe nihil requirunt, neque ex-pectant magis, quam ab editore *Horatii* (exemplum enim alle-gandum eſt) Diſſertationem de Cabbala probabiliter exſpectent.

Cum itaque in reliquis hujus libri partibus nihil ſit, quod nos valde moveat, defigemus obtutum noſtrum in ea ſola parte, quæ ſola ſtudium & admirationem meretur, quæ ſola recens & illibata eſt, ob quam ſolam magnifico & muni-fico Editori gratias immortales debemus. Excerpta deſigna-mus ex *alHamaſa*, in quibus abſque controverſia deprehendi-mus documenta, ſi non omnia, quædam tamen, ſublimis & grandis & maſculæ, ſanæque poeſeos, quæ ſecula mirabuntur omnia, imitari vix poterunt. Eſt *alHamaſah* liber Anthologiæ Græcæ pæne ſimilis, multo cum judicio & delicato guſtu ab *Abu Tammamo* ex immani farragine Poematum veterum Arabicorum ſelectus magis, quam compilatus, in decem claſ-ſes, vel libros, diſtributus, quos ſtatim recenſebimus, poſtquam de Anthologiſta noſtro pauca dixerimus. Habetur *Abu Tam-mam* ab Arabibus Arabicæ poeſeos princeps, quo non ſupe-rior alter. Vixit ab anno Æræ *Muhammedanæ* 191 usque ad A. 231, id eſt, ab A. C. 806 ferme usque ad A. 8[illegible]. Ipſe qui-dem multa condidit carmina, quæ in unum Diwanum, ſeu

codi-

Digitized by Google

codicem, collegit *os Sulenſis.* In hoc tamen florilegium de ſuo nihil prorſus admiſit; ſed comparent hic tantummodo aut integra carmina, aut potius plerumque apoſpaſmatia carminum, a Poetis conditorum, quos Secula duo, *Muhammede* tam priora, quam poſteriora, tulerunt. Decem illi, quos diximus, libri mole ſibi valde ſunt diſpares. Primus enim eorum plus tertia totius libri parte occupat. Sunt autem hi. Primus *Bab ol Hamaſah* inſcriptus eſt, & a ſe toti libro appellationem impertivit. Notat ea dictio caput (ſeu librum, ſi malis,) fortitudinis & virilis animi. Exhibet enim encomia, quæ Arabici heroes virtuti ſuæ ipſi dedicarunt. Quisquis Hiſpanos novit, Arabum ſeu germanos fratres, ſeu conſobrinos, ille conjectura præcipiat, quid ab hoc *Capite* debeat exſpectare. *Secundum Caput* epicedia, vel elegias, præſtat; *tertium* præcepta morum; *quartum* erotica; *quintum* Satiras, ſed eas non tam mordaces, quam venenatas; *ſextum* celebrat Arabicam hoſpitalitatem, illam tantopere celebratam, ob quam illi criſtas tam altas erigunt; *ſeptimum* dat variarum rerum icones; *octavum* deſcribit ipſorum itinera per invia, vaſta, ſterilia, & arida, exuſtaque, & ſane terribilia, deſerta; *nonum* ſcatet facetiis; *decimum* & ultimum Arabiſſas tantum exagitat.

En ſpeciem libri tantopere celebrati, compendioſa in tabella propoſitam, e quo excerpta, quæ hic nunc primum prodeunt, dimidiam hujus, quem enarramus, libri *Erpenio-Schultenſiani* partem implent, a *pag. 303* ad *pag. 603.* Plurima deſumta ſunt ex prima claſſe; parcius ex ſecunda & tertia; e ceteris omnibus omnino nihil delibatum fuit. Suppoſitæ Arabico textui & Latinæ interpretationi notæ id agunt præcipue, ut vocum grammaticam analyſin perhibeant, & origines indagent atque inculcent, hoc eſt, primas vocum ſignificationes, vel, ut rectius dicamus, ſignificationum matrices, e quibus ceteræ, utcunque diverſæ & abhorrentes, emanarunt. Superior iſthæc opera nobis quidem ſupervacanea videtur. Nam, temerarii ſint, neceſſe eſt, qui, rudes grammaticæ vocum reſolutionis, [illegible]mina tamen ejus indolis attrectare audent, cujus ea ſunt, quæ jam manibus & ſermone tractamus. Poſterius

autem

utem inſtitutum, quod, ut inter omnes conſtat, Clariſſ. *Schul-ens* tanto fervore urget, ignoſcat nobis Vir maximus, ſi libere ateamur, nos illud neque tam utile, neque tam neceſſarium, xiſtimare, quam ipſi videtur eſſe. Difficultatem, qua labo-at iſtud originationum ſtudium, ſi cum fructu comparetur, in-le redundante, tam illa ſuperat, ut operæ pretium ferre non ideatur. Nam, qui digne hoc opus exequi velit, ille ut Grammaticos & Lexicographos & Poetas omnes, omnemque inguæ Arabicæ Græcæque ſimul & Latinæ ambitum, in rompitu & in numerato habeat, neceſſe eſt. Sæpe impli-atur in argutias nimis acutas, & in frigus deſinentes, paucorumque palato accommodandas. Tam illæ undecun-que ſunt hiſpidæ, ut aculei a mutua colliſione hebeſcant. Ex-peditiorem linguæ Arabicæ intelligentiam ſpondet hæc ope-ra, præclara cum voluntate ſuſcepta. Sed & altera vulgatiore via eodem & ulterius pervenitur. Arabes ipſi veteres Poetæ, quorum verba ſic limantur, primas ſuorum verborum vires gnorabant; & nihilo minus tamen intelligebant ipſi ſua ſcri-pta, poterantque aliis intelligentibus approbare. Unde ſpes eſt, nos quoque ab illis exarata intellecturos eſſe, etiamſi Ara-bicas origines perfecte non calleamus. Id exemplo noſtro patet; qui Germani, Batavi, Galli, Angli, quamvis originum noſtrarum ignorantiſſimi, ſapienter tamen & eleganter loqui-mur & ſcribimus, & profecto ſibilis eum proſequeremur, qui noſtris in ſcriptis plus ſapere, quas nos ipſi, vellet. Noxius quoque eſt hic originandi pruritus haud parum. Non tantum enim licentiæ laſcivientium ingeniorum occaſionem dat, ſibi aliisque riſum & jocos de linguis faciendi, cereasque illis nares affingendi; ſed etiam avocat a laborioſo veræ Grammaticæ ſtudio, & ipſius linguæ intelligentia per frequentem uſum comparanda. Quid enim facilius, quam per otium origina-tiones comminiſci, quas turgida petulantia per febricitantis imaginationis tormentum præcipitavit? Quod negotium, quo imparatior quisque ab elegantiore literatura advolat, eo auda-cius tractat. Habent certas quasdam formulas, ut ſutores, ſed eas vaſtas & giganteas, ad quas voces omnes quaſi cal-

ceant; quibus ſi forte quædam ſe comprehendi non patiantur, ferro crudeli pedes ipſis præſecant. Illos intelligimus duos, qui ſe nuper jactarunt, *Schultenſii* æmulos, ſed o quam illi diſſimiles, quorum unus ille labor fuit, *Golii* Lexicon lacerare & confundere, & aranearum telas nectere, quas muſca discutiat. Numeroſos illi greges Arabicorum boum, qui in *Goliano* ſtabulo fremunt & luctantur, adverſoque cornu & inimica calce confligunt, levi brachio conjugant, deterioris ſeculi Hercules. Commentarios ſcribunt in Arabicos Poetas, quos non intelligunt, ſatis feciſſe ſe putantes officio, ſi *Golium* exſcribant & commaculent, paucorum dierum cum jactura; veros autem & reconditos Poetarum ſenſus & hiſtorias, ad quas illi reſpiciunt, & puriores lectiones, quas non niſi Criticus linguæ intelligens æſtimet atque diſcernat, fataque carminum & ipſorum Poetarum & totius Arabicæ gentis, absque quibus illa intelligi nequeunt, aut præ contemtu non indagant, tanquam rem inutilem & nullius momenti, aut non audent indagare ſegnes, quia tales commentarii æque cito atque cuniculorum fœtus in lucem excurrere nolunt. Non omnem omnino damnamus in hoc genere poſitum laborem, neque ipſa hujus ædificii fundamenta ſubverſum imus, quæ in ſolido jacta eſſe bene novimus, ipſo uſu edocti, tam luculentas quasdam eſſe origines, id eſt, diſſonantium ſignificationum concentus, ut vel a contumaciſſimo repudiari nequeant; qua de re multo certius conſtaret, ſi *alGeubarius* integer Arabice proſtaret, qui ſæpe fontes ipſos aperit, unde gloſſæ illæ hauſtæ fuerunt: quos tamen *Golius* per inſtituti ſui rationem aperire non poterat. Sed ridicula illa hoc opus tractandi ratio nobis intolerabilis accidit, qua novitii iſti homines nuper uſi ſunt, qui, judicio pariter, atque his præſidiis, deſtituti, jactare tamen hanc aleam auſi fuerunt, ubique arguti tricatores, cœlum terra miſcentes. Proba ſunt in hoc negotio ea, quæ prono fluunt alveo, quæ clara ſe luce in oculos ingerunt. Abeſſe autem velimus illa cetera longe petita, & obtorto collo attracta, undecunque luxata & vacillantia. Cujus generis quædam in hoc quoque libro, quem coram habemus, apparent. Verbum ندب

Nadaba

'adaba e. c. notat *evocare*; *ſponte ſe offerre*; *agilis*, *nobilis*, *iberalis eſſe*; *mortuo parentare*, *eumque lugere*; *cicatrico-um dorſum oſtendere.* Hæc omnia *pag.* 310 in unam notio-.em *fluendi* contrahuntur: *fluere verbis*, *fluere ad evocantem*, *uere lachrymis*, *fluere laudibus*, *uvere dorſo. Nam* uvidum ſub-illumque *apud Latinos pro* cicatricoſo *venit.* Nos autem utemus, uvida recentia vulnera & duras, ſiccas, & jam vetuſta-e concretas ſolidatasque, cicatrices multum differre. Nomen زق *zaccon* notat *ſaccum.* Verbum iisdem literis ſcriptum, *acca*, notat actionem, quando avis pullo ſuo alimentum in-ıs ingerit. Hæc *pag.* 323 ſic connectuntur. A *ſaccus* fit *accare. Saccare* idem eſt atque *colare. Colare* idem eſt tque *transfundere.* Avis itaque dicitur pullum ſaccare, uando eum ſaccato nutrit. Atqui *zaccon* non omnem ſac-um notat, non cannabinum, qui per laxos ſuos poros infuſa ransmittit, ſed tantum coriaceum, quem Latini utrem dicunt, ıeque illum omnem, ſed eum tantum, qui vinum contineat, trictiſſimis poris, non autem transmittat. Verbum ملّ, *Malla*, notat *cum tædio averſari*, & *panem ſub cineribus coque-e.* Hæc *pag.* 327 in hunc modum componuntur: *Trans-atio facta ad* tædium urens, & *reddendum eſt* tædio coque-e. Poſſet hoc aliqua ſpecie ſe ſuſtinere, ſi *malla* diceretur le cauſa tædii, de re animum tædio coquente; & ſi in paſſivo liceretur homo, quem tædium invaſit, coqui. Sed acti-um uſurpatur de tali homine, *malla*, ipſe tædet, ipſe oquit. Neque porro tædium affectus eſt tam acer, cui no-io coctionis & uſtionis congruat. In ſe quisque ſentit, tæ-dium mollem affectum & languidum eſſe. Si notio coctio-is in verbo *malla* hæret, mirum, quod illud potius iraſci, mœrere, ſollicitus eſſe, non notet. *Pag.* 335 conciliatur He-bræum צרעת, *lepra*, cum Arabico صرع, *ſaron*, *epilepſia.* Nimirum ſtatuitur vocis origo eſſe in *percuſſione.* At quare tandem Hebræa vox ſolam lepræ plagam ſignificat, & non aliam quamcunque graviorem percuſſionem, quæ ligno, fer-ro, ſaxo, dura quacunque re, perficitur, apoplexiam, epile-pſiam, colaphum? سرى *Sara* notat *noctu ire.* Inde du-

 ctum

ctum *Sarijon*, *excellentem*, *principem*. Conciliantur hæc *pag.* 340 in ea, quæ figitur, verbi prima ſignificatione, *promi-nere*, *promicare*. Nos autem nondum intelligimus, qualis promicatio ſit in nocturno itinere. Miſera illa verba, micare, vibrare, ſecare, vellicare, turgere, & eorum tota gentilitas pejus vapulant in ſchola *Schultenſiana*, quam *Lucius* in fabula. *Pag.* 342 hæc leguntur: غلك *Galaka* notat *clauſit*, in ſecunda conjugatione *profectus fuit per terram*, quaſi dicas, *appactus terræ obhæſit*. Nos vero credebamus, appactus terræ ſi quis obhæſerit, eum non tantum non proficiſci, ſed ne de loco quidem moveri. Verbum هبل Habala varia ſignificat, *carnoſus eſſe*; *liberos morte amiſiſſe* (unde *Habul*, *mater liberis orba*); *ſuis victum comparare*; *mentiri*. Hæc unum ſub jugum omnia coeunt *pag.* 383, puta ſub notionem *turgendi*, *turſit eum mater*, vel *turgida eum anhelavit*, id eſt, *orbata eo fuit per mortem*, *turgens*, *turgore anhelans*, *turſit in venationem victus*, *cum inflatione turſit*, *meras vanitates proflavit*. *Pag.* 390 hæc leguntur: أجدل, *accipiter*, quaſi *intortior nervis*, *viribus*. Quare autem accipiter ſolus hoc nomen meruit, non item leo, tigris, lupus, taurus, equus, aſinus, robuſta omnia animalia? Et unde factum, ut in derivatis a verbo *Gadala* non paucis notio, non contorſionis, ſed latitudinis & planitiei, obtineat? *Pag.* 400 ad vocem كرى, *cara*, *ſomnus*, hæc notantur: Verbum כרה, *fodere*, *fodicare*, eleganter ad ſomnum & dormitationem transfertur, cum oculos incipit vellicare. Medici contra decernunt, a ſomno vellicationem, fodicationem, irritationem, omnem abeſſe, negantque, duo iſthæc ſecum conſiſtere poſſe, potius in dormiente & dormituriente ſenſus ajunt omnes ita placari, relaxari, hebetari, & ſopiri, ut vel admotos ille ſtimulos non ſentiat. Si *cara* porro primitus *fodicare* ſignificat, qui fit, ut idem verbum notet *jumentum ſuum alteri locare*, & *ſpharam rotundare*? طل *Thalla* præter alia diverſiſſima notat *humectavit ros terram*, & *homo inultus occubuit*. Hæc *pag.* 417 ſic junguntur, *Sanguis ejus rorat*, id eſt, *fluit ſuper terra inultus*. Atqui ſanguis illius, a cujus percuſſore

vindi-

Digitized by Google

vindicta ſumitur, non minus ſuper terra fluit, quam ille, cujus manes ultione non placantur. Ambo pariter ſuo ſanguine terram irrorant. Et tamen de poſteriore ſolummodo, non item de priore, verbum uſurpatur. *Pag.* 427 habentur hæc: Significatio *nigri* ſub أحوى, *Ahwa*, a *convolvendo* ducta; nam حوى חוה: eſt *convolvere*. De poſteriore dubium non movebimus. At quomodo ex idea convolutionis idea nigri magis ſuccrevit, quam rubri, aut albi? Sed, nimii ne ſimus in convellendis ſatis jam per ſe ruinoſis, & ad tædium ſubtilibus, accingamur potius ad opus utilius & majoris momenti, hoc eſt, revocemus quædam Arabicorum carminum, recens editorum, ſub criticum examen. Quod conſilium, ne ſint iniquiores, qui pejorem in partem interpretentur, monendi ſunt, nos illud neque ob malevolentiam aliquam, neque ob ambitionem, ſed in Philarabum gratiam, qui monumentis illis aliquando utentur, ſuſcepiſſe, quo nos amor communis boni, ſtudiumque augendæ rei literariæ, & oblata occaſio, invitabat. Omiſſis itaque illis, quæ in hoc libro magno numero proſtant, laudabilibus, & eruditis, quæ lectorem neminem effugere poſſunt, ea tantum, quæ animadverſione indigent, exponemus, eum, aptiores huic operi nos eſſe, credamus, quam ſunt alii, & adminiculis gaudeamus, quæ paucis in promtu ſunt, & quorum copiam ei, qui hæc ſcribit, ipſe Celeb. *Schultenſius* olim fecit.

Quod primum in his excerptis *pag.* 304 prodit Carmen, eſt etiam in ipſa primum *al Hamaſah.* Hujus poſtremos verſus paulo meliores, quam hic proſtant, exhibet editio *al Merzukii.* Sciendum nempe, inter Commentatores in hanc Anthologiam duos haberi præcipuos, *al Merzukium*, & *Tabrizenum.* Ille anno Fugæ 421, hoc eſt, A. C. 1030, hic A. F. 502, hoc eſt, A. C. 1109, e vivis exceſſit. Prioris opus admodum celebratur, nos autem ſpe noſtra & magnificis elogiis inferius deprehendimus. Eſt enim ille Commentarius valde verboſus & obſcurus, & hiſtorias, ad quas carmina reſpiciunt, fere nunquam attingit. Brevior, ſed præſtantior & utilior, eſt *Tabrizeni* labor. Differt itaque, quod inſtituebamus dicere, *Merzukia-*

na editio ab altera, quam Cel. *Schultens* ubique ſequitur, in eo, ut, qui verſus in editione *Schultenſii* ultimus eſt, & in locum irrepſit non ſuum, hic ſecundus ſit, & unum trahat comitem, qui in editione *Schultenſii* deſideratur, nempe hunc:

يحمون نيرانهم حتى اذا خمدت شبوا لموقد نار
الحرب نيرانا

Diſſimulandum non eſt, in Codice Leidenſi, quo nos uſi fuimus, pro prima voce يحبون legi. Sed procul dubio vitioſum hoc eſt; nam ſenſu caret. Rectius illud, quod repoſuimus. Exit itaque ex hac nova Carminis hujus conſtitutione & auctario hic ſenſus:

Si fuiſſem de gente Mazeni, *non ſane abegiſſent camelas meas Dzohlſchaibanitæ, illi terræ filii.*

Utinam ergo inter eos (Mazenitas) *mihi familia eſſet, qui, quando excurrunt in hoſtem, pedites equitesque graſſantur.*

Qui totas quidem per noctes vivum alunt hoſpitalitatis focum, eo autem verſus auroram emortuo flammam aliam accendunt ſuper foco belli (ſummo mane pro more Arabum in hoſtem excurrentes).

Id ſi foret (ſi talis eſſet mea gentilitas), *ſane tueretur me cœtus* &c.

Pag. 354 verſ. 2 erratum fuit a typothetis, qui بنى ediderunt, cum Latina interpretatio ad veram lectionem, quæ in Codice eſt, باق digitum intendat. باق المذمة non eſt *reliquum vituperium*, ſed *æternum, conſtans, & adhæreſcens, infamia, macula non eluenda.* Tertii quoque verſus interpretatio κατὰ λέξιν hæc fuerat: *modo redeat dextra mea cum aſſecutione ejus, quod quærebam*, id eſt, *dummodo votis damnatus, & ultionem conſecutus, & victor, ab hoſtibus abeam. Verſu 5* pro غمرات, *frater gurgitum*, rectius & toti ſermoni aptius eſt عزمات, quod in Codice *Merzukiano* eſt, *frater* (id eſt, homo,) *conſtantis & contumacis conſilii, qui rebus in arduis, quas molitur, conſiliorum operaque ſocium*

Digitized by Google

patitur neminem, ſed omnia ſuo ex capite peragit. *Pag.* 370 *verſ.* 7 in primo verbo فرشت recte non fuerunt appoſiti vocales. Vir Cel. accepit pro prima perſona ſingularis verbi *faraſcha*, ideoque phthongiſavit *faraſchto;* & ſecundum hanc opinionem conformavit ſuam interpretationem. Sed ſenſus monſtrat, illud verbum huc non quadrare, & ſtructura orationis monet, illud ف, primam literam, radicale non eſſe, sed eſſe particulam illativam *ergo*. Debebat itaque phthongiſari *fareſchto*, cum Keſre in ſecunda litera, & derivari a verbo *Raſcha*, quod proprie ſignificat *alare, plumis inſtruere*, & primario de *ſagitta* dicitur, deinde per translationem quoque notat *aptare, concinnare, comparare, inſtruere, firmare*, &c. Utrumque, notio tam propria, quam translata, loco præſenti congruit. Poſteriore quidem modo ſi ſumatur, dicet Poeta: *Ego itaque exequendo huic conſilio adaptabam & accingebam meum pectus.* Priore autem modo ſi accipiatur, emerget hic ſenſus: *Ego itaque alabam* (alis inſtruebam) *meum pectus, ut* (tanquam alata ſagitta, vel avis,) *per lubricum ſaxum deflueret.* *Verſus octavi pag.* 373 initium recte perceptum & exhibitum non fuit. Senſus eſt, *ideoque attingebat* (*perveniebat ad*) *planam mollemque terram* &c. *Pag.* 419 debuerant iſta initio *verſ.* 3 وراء الثار مني enucleari. Ad verbum ſi vertas, reddendum erit: *Eſt retro talionem a me ſororis filius* &c. id eſt, *retro talionem a me expectandam*, ſeu *meam*. Dicunt Arabes, aliquem retro, vel ultra, rem aliquam eſſe, quam flagitat & cupit, nondum nactus. Senſus itaque hujus verſus eſt: *Sororis meæ filius a me flagitat, cupitque, ut ſanguinem ejus ulciſcar.* *Verſus quinti pag.* 423 poſtrema pars hunc ſenſum fundit: *adeo ut ingens quæque calamitas præ illa minuta videatur.* *Verſus* 9 *pag.* 425 hæc ait: *quem proficiſcentem prudentia & circumſpectio tam nunquam deſerit, ut ea ibi ſua figat tentoria, ubi ille ſua figit.* Πορεύεται ἐν αὐτῷ ἡ ἐγκράτεια καὶ σωφροσύνη, ὥςε γε αὐτὴν αὐτοῦ καταλύειν, ὅπου ποτ' ἂν αὐτὸς καταλύῃ. *Verſu* 11 *pag.* 427 مسبل non eſt *promittens comam*, ſed *promittens veſtem*,

Digitized by Google

ſtem, veſtem ſyrmatoſam trahens, & in ſyrma explicans, quod eſt divitum. احوى non eſt *nigra coma*; ſed eſt *hinnulus*. Exponunt Arabici Grammatici hanc vocem duplici modo. Primo dicunt eſſe hinnulum nigris labiis & oculis, altero hinnulum nigris candidisque lineis per vices in dorſo ſtriatum. Vid. *Nahas* ad *Tharaph. Moallac. verſ. 5, 6.* Perinde eſt, quo tandem modo accipiatur. Hinnulus apud Arabes ſignum eſt venuſti & mollis atque delicatuli hominis, qualem Poeta hic vult deſcribere. Si quis argutari vellet, poſſet ſtrias in dorſo hinnuli cum veſtibus, quales in Arabia felice texebantur, ſtriatis, divitum geſtamine, comparare. رفل tandem eſt vel qui caudam longam habet, vel qui ſyrma trahit, vel qui in inceſſu clunes quatit, manusque & pedes jactat, quod ſuperbi & beati faciunt. Emergeret itaque ex his ideis hic ſenſus iſtius verſiculi quoad primum hemiſtichium, *qui in tribu quidem* (hoc eſt, in pace, cum omnes domi quiete deſideat,) *ſyrma trahit, & incedit σαυλο-πρωκτιῶν, hinnulus* (molliculus & venuſtulus). Et apte reſpondet huic alterum membrum; *at in expeditione lupus clune ſubſtricto. Hinnulo lupus* opponitur, & ſyrma caudamque longam trahenti curtus cauda. Homo idem, ſed diverſis temporibus, hinnulus & lupus, eſt ſane pulchra idea. *Verſu 16 pag. 432* intempeſtive properatum fuit ad emendandum. In omnibus Codicibus exſtat رعتهم. Sed Cel. *Schultens* edi curavit رعلهم, quod non debuerat. Prius enim recte habet, & idem eſt atque أن رعتهم, prorſus ut in Latino & Gallico. Latine reddas hunc verſum æque bene & commode; *quos præ ſomnolentia nutantes tantillum increpares, & protinus erant alacres*, ac ſi vertas; *quos — ſi vel tantillum increpares, erant protinus alacres. Pag. 435* diſſerit de eliſione Arabica nonnihil rariore, & Poetis fere tantum frequentata, مل *mil* pro من ال *min al.* Mirum, quod Vir Cel. grammaticalium, præſertim veterem linguam redolentium, diligens obſervator, inſignem illam, huc pertinentem, contractionem aut eliſionem omiſerit, quæ prima ſtatim in nota ad

hæc

ſæc *Hamaſiana* in verbis *Tebrizii pag. 304* occurrit بلعنبر *Balambar.* Latine ſic ibi exhibentur: *Incurſarunt in virum uendam ex Belanberitis.* Inſolenter profecto. Nobis quilem hæc Latinitas intolerabilis accidit. Dici debuerat *ex Amaritis.* Nam بلعنبر *Balambar* colliquatum eſt ex بنو العنبر *Banu 'l Ambar, filii Ambari, Ambaritæ.* Nulla uit unquam tribus Arabica *Belamber*, ne quem inſolens iſta erſio in errorem inducat, ſed *Ambaritarum* fuit. *Pag. 440, erſu 24*, non recte vocales adſcripſit Vir Cel. neque recte egit; unde mirum non eſt, ſi aliena in Latinis dedit: debuerat ıon *Halaltoha*, quod dedit, ſed خللتها لي, *Hallalat-ha*, & *li*, non *ila*, dediſſe. Unde ſenſus hic emergit: *Licitum fe-erunt illud* (nempe vinum) *mihi gladii, & haſta & equi* mei, quorum ope meam talionem conſecutus fui,) *adeo ut unc quidem illud mihi profanum & promiſcuum ſit* (quod ntea ſacrum & interdictum erat). *Pag. 461, verſu 2*, vertenti ViroCel. impoſuit prava lectio Codicis. Legendum enim fuerat: فلبس، الي حسن الثناء سواه سبيل, id eſt, *injurias ion pati, ea ſola via eſt ad veram gloriam. Pag. 485 verſus 15* oſterior pars hunc ſenſum fundit: *neque retinebat fletus meum rachium* (ab iſto charitatis officio præſtando). *Pag. 510, verſ. 3*, xcidit ex Codice Cel. Viri vox اكف poſt vocem نهي x *Merzukiano* inſerenda. Idem Codex pro voce ضارج ıabet vocem واسط. Utra lectio præferenda ſit, in medio uidem relinquemus; id tamen notabimus, ſi admittatur poterior *Merzukiana, Waſeth*, multum detrahi antiquitati hujus Carminis, quod Cel. Vir *pag. 514* naſcenti *Muhammedi* æquiparat. Nam *Waſeth* demum A. 146 poſt ejus nativitatem ondita fuit, adeoque foret illud carmen ea epocha ad minimum 150 annis poſterius. Utcunque ſit, id certum eſt, illud, de quo agitur, carmen edito Alcorano, id eſt, morte *Muhammedis*, poſterius eſſe, quandoquidem in eo phraſis occurrit, ex l Corano hauſta, & quæ aliunde hauſta fuiſſe nequit. Nem-

Uu uu pe

Digitized by Google

pe *loricæ* in eo appellantur *texturæ* (vel *inventio textoria*) *Davidis*. *Pag.* 516 *lin.* 1 eſt grande vitium typographicum, quod implicare tirones poteſt, قيوتها. Corrigatur قيوذها. *Pag.* 525 *verſus* 11 ſic vertitur: *Non enim is ſum, vitam qui vilitate emerit, neque qui ſcalam metu mortis eſcenderit.* Recte quidem quoad verba, ſed ſenſus laborat; quem nota ſubjecta illuſtrare ſtudet. Ea integra ſic habet: *Pulchræ phraſes. Prior per ſe lucet, poſterior lucis indiga. Mortis metu ſcalam adſcendere* ſenſu *literali* affert, *in arborem erepere*, vel *aliud latibulum*, in quod *quaſi per ſcalam evadatur*, Senſus *ſublimior* & *allegoricus* in *ſcala* offert *gradus cognationum* & *neceſſitudinum.* Hanc *ſcalam metu mortis adſcendunt*, vel *qui gratiam implorant ob ſanguinis conjunctionem*, vel *qui fingunt, ſe parcere velle neceſſariis, cum ſibimet parcant, & pugnam metu mortis detrectent. Commentatores mei hic pumice aridiores.* Fatemur, hæc tam ſublimia & allegorica eſſe, ut aſſequi nos quidem non valeamus. Quod de Commentatoribus queritur Vir Clariſſ., id ſæpe non magis in Arabicis, quam in Græcis & Latinis, uſu venit. Scholiaſtæ ſæpe nos hiantes deſerunt; ſæpe nugas & fumos vendunt, quamvis etiam viciſſim ſæpe tam egregiam præſteut operam, ut absque illorum facula nihil videremus. In hoc ergo loco nos deſerunt, quod inde factum, quia non perſpiciebant, ſcriptionem vocis سلما quoad literas quidem recte habere, at vocales pravas adſcriptas fuiſſe. Non enim سُلَّمًا, *Sollama*, legi oportet, ſed سَلَمَا, *Salama.* Pulchra phraſis eſt (cujus veſtigia Vir Clariſſ. ſubodoratus quidem fuit, at non perſecutus,) *metu mortis Salamas adſcendere.* Salama eſt arbor ſpinoſa, quaſi totum ſenticetum referens, inacceſſa, intractabilis; quapropter etiam ei homo difficilis, aſper, ferox, comparatur: unde illud Poetæ, in notis ad *Tharapham pag.* 107 *fine* allegatum: *Meas Samaras nemo cupiet forſice præſcindere, neque a viro Bagalita detrahentur circumjecto fune meæ Salamæ,* id eſt, nemo me impune attigerit, certe vir Bagalita

Digitized by Google

ılita, me non domabit. Scilicet, ut perhibet *al Maidanius*, quo iſtud allegatum fuit, neceſſe eſt, ſi quis exſtirpare Sala- am velit, ut eam funibus circumjectis, quam fieri poteſt ar- iſſime, conſtringat; alias enim abſque læſione attingi nequit. rbor itaque iſta poteſt quidem hominem abſcondere, quia alde denſa ramis & dumeroſa eſt; ſed & nemo illuc ſe ab- ere poteſt, quin veſtes cutimque miſerum in modum lace- :t. Proverbialis ergo & ſymbolica eſt locutio, *metu mortis ı ſalamam erepere*, idem notans, atque *omnia, vel duriſſima, el viliſſima, admittere & pati malle, quam mori*, quod ſane ilis & minuti eſt animi. Dicit ergo Poeta: *Ego is non ſum, ui vilitate vitam emerit, neque qui metu mortis* (& inhone- ſo ſtudio vitæ) *in Salamam* (aculeatam arborem) *adſcendat*. Pag. 529 in reddendo *verſu* 4 obfuit Viro Clariſſ. prava le- tio, quam in ſuo Codice aut habuit, aut ſibi viſus fuit habere, [illegible], ſed rectum eſt [illegible]. In eodem *verſu* corru- perunt typothetæ ultimam vocem, quæ corrigatur أشعالها. Senſus eſt ad verbum: *Gens mea ſunt filii belli contumacis. Congregat eos & gladios & haſtas accenſio ejus*, nempe belli. Arabes bellum comparant cum flamma & rogo, materiem ipſi pabulumque faciunt haſtas ligneas & corpora hominum cæſorum. Dicit ergo: Gens mea ſunt bellicoſi homines, quos & ipſos & ipſorum gladios atque haſtas in unum locum (ad uſtrinam nempe belli) cogit, *συναγείρει*, ejus (belli, ſeu rogi bellici,) accendendi negotium & neceſſitas. *Pag.* 548, *verſu* 2, vitium eſt أرجل, dubium, an a typothetis profe- ctum. Leg. أرحل abſque puncto. Certe miramur, a Viro Clariſſ. hoc laxe verſum fuiſſe *genti*, prorſus ſuppreſſa iſta vitio- ſa voce; quod alias ita non ſolet. Ad verbum foret *in ten- toria* (vel *ſarcinas*, aut *impedimenta*,) *gentis*. *Pag.* 577, *verſ.* 5, in fine ſonant verba ſic: *Non eſt in lentitudine mea id, quod tu properas*, id eſt, id, quod tu a me ſtudes per impetuoſita- tem tuam extorquere, *ὃ σὺ σπεύδεις*, (ut nempe tibi par par pari referam, & te viciſſim vexem, ut tu me vexas,) id a mea moderatione non obtinebis.

Hæc nobis, librum hunc percurrentibus, enotanda in gratiam ſtudioſorum Arabicæ linguæ viſa fuerunt. De Indicibus adhuc monendum, ternos illos additos fuiſſe, unum vocum Arabicarum, alterum Hebræarum, tertium phraſium S. Scripturæ, paſſim in notis illuſtratarum. Impreſſio ſatis eſt nitida, regnat tamen in Arabicis excudendis guſtus aliquis, ut appellant, Gothicus. Literas per interjectas quaſi trabes, ut ruſtici boves indomitos ſolent, ſegregare affectavit, quisquis ille fuit, typographus. Qualis ſpecies cum ſe obtutui noſtro primum offerret, in mentem veniebant illa *Periclis* celebrata *μακρὰ σκέλη*, quæ Athenas olim Piræeo jungebant.

COMPUTUS CYCLICUS VERUS, ET TAM Julianus, quam Gregorianus eccleſiaſticus, una cum Calendario Romano, conſcriptus a CONRAD QUESNEL, Acad. Car. Prof. Math. Ord & Reg. Soc. Scient. Upſal. Membr.

Londini Gothorum, ſine anni indicio, 8.
Plag. 6¼.

Libellus hic a vulgaribus Chronologiæ elementis orditur, eaque concinne ſatis breviterque tradit. Dum formam anni, a *Julio Cæſare* introductam, explicat Autor, anni *Juliani*, Periodi *Julianæ*, Calendarii *Juliani*, nomen ab eo deduci referens, quoad *Periodum* ſine dubio fallitur, quæ a *Julio Cæſare Scaligero* autore nomen accepit. Chronologiam, quæ cyclis utitur, nullam aliam, diſtincte explicat Autor, variaque, huc pertinentia, Problemata ſolvere docet, non omiſſis etiam verſiculis memorialibus. Hiſtoriam Calendarii *Gregoriani* tradit, rationesque, cur Proteſtantes calculum illi addere noluerint, exponit præter anathema, ſub quo Papa id injunxerant, nævos etiam hujus, quod correctius eſſe debebat, Calendarii. Cum A. 1700 Proteſtantes, præter Anglos & Suecos, Calendarium illud reciperent, narrat, Suecos hoc anno diem biſſextilem omiſiſſe, ut 10 dierum differentia, inter ſtilum veterem & novum, per integrum ſeculum ſuperius familiaris facta, etiam hoc ſeculo pro uſu commerciorum absque variatione maneret. Sed non

non duravit illa correctio in Suecia, niſi 12 annis. Nam, cum per illam, exiguam licet, correctionem, in cyclo tamen ſolis literæ dominicales eſſent variandæ, factum eſt, ut paſcha Suecorum ſubinde differret & a Calendario *Juliano*, & a *Gregoriano*. Et ideo, Rege Suecorum jubente, A. 1702 facta eſt reſtitutio Calendarii veteris *Juliani*, adeo ut pro die biſſextili A. 1700 excluſo reciperentur A. 1712 duo biſſextiles dierum. Optat vero Autor, ut & Suecis liceat aliquando Calendario bene correcto frui. Ceterum novi in libello, qui non niſi elementaria tradere debet, nil habetur. Ex exemplis & tabulis, in opuſculo traditis, perſpicere licet, annum Autoris natalem eſſe 1676, librum vero prodiiſſe A. 1718.

ANEMOMETRIA NOVA, CIRCA MEDIUM DEcembrem A. 1747 inſtituta, jam vero eruditorum uſibus permiſſa, Autore M. C. HANOVIO, Prof. Philoſ. Ged.

1 Cum die 13 Decembris præterlapſi vim venti procelloſi determinare ſtuderem; incidi in novum genus Anemometri, cujus ope quid præſtiterim, tum menſe Januario in *Obſervationibus Gedanenſibus*, tum & poſthac expoſui Germanis idiomate patrio. Jam, amicorum deſiderio ſatis facturus, ex illis e typographeo partim jam editis, partim edendis, & paratis ad captum vulgarem, brevem quaſi nucleum cum eruditis communicare animus eſt: ut ipſi examinare, ſi lubet, emendare, ac perficere ulterius, inſtitutum, ſaltem uti eo, poſſint, ad diſtinctiorem ventorum cognitionem hiſtoricam & phyſicam, immo mathematicam, obtinendam.

2. Poſt cubum, quem primo adhibueram hora matutina nona illius diei, mox adhibui globum plumbeum, qui in omni ſitu æqualem ſuperficiem vento exhiberet. Ope foraminuli ſuſpendebatur is a filo, centrum aſtrolabii tranſeunte. Obiter obſervo, conſtare aſtrolabium e duabus regulis orichalceis, 11 pollices Pariſ. longis, 6 lineas latis, & duas circiter craſſis, cum dioptris. Uni cruri inſertus eſt hemicyclus ejuſdem metalli,

Digitized by Google

in 180 gradus diviſus, cujus diameter maxima duos pollices æquat. Tranſit ille per alterum crus, & ope cochleæ ad quemvis gradum firmatur. Cetera facio miſſa. Pendulum e centro globum filo, gradum 90^{mum} tegente, expoſui vento e feneſtra, quam fere parallele præteribat; & obſervavi, ventum globum ſecum rapere eo usque, ut filum tegeret gradum decimum, ſed ad momentum ſolum, relabente mox globo ſua gravitate.

3. Antea nubes parum movebantur, circa meridiem vero, ſeu poſt undecimam horam, tam rapide currebant, ut, quas ad cuſpides duarum, ante oculos meos poſitarum, turrium referebam, tribus ſecundis id ſpatium pervolarent. Taceo jam alias obſervationes everſarum ſylvarum, arborum, ædium, turrium, tectorum, tegulis nudatorum; ſcilicet quando introitus vento dabatur per feneſtram, aliudve foramen, oppoſitæ partis imbrices magno numero dejecit, &c. Vix enim quisquam erit, qui talia ſeu ipſe non animadverterit, ſeu relata ab aliis acceperit ex locis variis multum diſſitis.

4. Ex hiſce, ſæpius obſervatis, cœpi colligere primum vim venti, deinde & celeritatem. Vim ſtabilivi primum a poſteriori, deinde etiam a priori. A poſteriori id effeci ope fili ſericei, circa globi æquatorem ducti, cujus extremitati alligabam ponduſcula. Hoc filum cum ponduſculis in directione ad globum horizontali dependebat, ſuper filo orichalceo, dimidiam lineam diametro fere æquante, & pro motu globi cum ipſo exaltato. Deprehendi, 58 grana pharmacevtica ita ſufficere, ad globum usque ad decimum gradum a verticali ſitu dimovendum, ut, ſi ad undecimum gradum promovere globum vellem, illico is delaberetur verſus verticalem ad 5, aut pauciores, gradus. Ponderis globi pars tertia tollebat globum ad 30° &c.

5. Idem poſtea confirmavi flatu oris, quo globum iſtum pariter ad 10 gradus a perpendiculo verticali depuli. Hunc flatum oris vero ad juſtam bilancem æqualem eſſe 58 granis illis, evidenter docui, manum ſcilicet prope a globo ori ita opponendo, ut flatus repercuſſus integrum hemiſphærium ſuperius globi feriret, & lingulam, ſeu examen, tantum ex furcella dimoveret verſus lancem, ſub qua pendebat globus, quantum faceret $\frac{1}{2}$, ſeu ^{3}, grani. Ita venti hujus pondus ad oculum patet,

quod

quod loquitur textus ſacer *Jobi XXVI, 25.* Cui ponderi vim venti eſſe æqualem, nemo dubitabit.

6. Quo iſta vis diſtinctius pateret, revocanda fuit ad globum, in quo ſeſe exerebat. Iſtius diameter erat 8 linearum Pariſin. ſeu $9\frac{6}{100}$ Gedanenſium. Inde reperitur area circuli diametralis $\frac{785 \cdot 64}{1000} = 50\frac{24}{100}$ lin Pariſ. quadratis, & ſuperficies hemiſphærii vento oppoſiti $= 100\frac{48}{100}'''$. Quia fluida in hemiſphærium agunt pro circuli diametralis ratione, vis venti hujus æquipollebat 58 granis in $50\frac{1}{4}$ lineas quadratas Pariſinas. Ideoque unaquæque linea quadrata, omiſſa fractione, feriebatur vi $1\frac{1}{8}$ granum fere valente; pollex Pariſinus quadratus vi $144 + \frac{58 \cdot 144}{50\frac{1}{4}}$, ſeu 166 grana paululum ſuperante; & pes quadratus vi excedente parumper 23, 904 grana, ſeu 3 libras Ged. & $13\frac{1}{2}$ ſemuncias.

7. Facillima hæc calculi applicatio eſt ad corpora cujusvis generis, quorum haberi poteſt dimenſio. Prouti feneſtram e manibus mihi eripiebat vi 21 libras Gedanenſes propemodum æquante, cujus vitra ad parietem allidendo comminuebat. Si ædificium 140 pedes longum, 48 altum, impetus venti in illud 22, 994 libras trahentes referet, quibus ſi per compagis ſuæ naturam vincendis impar ſit, evertetur.

8. A priori plura conſecutus, revocavi in mentem modum derminandi vim aquæ in obſtaculum. Sit iſta vis ejusque impetus in corpus $= v$; altitudo, ex qua labitur aqua, $= a$; motus celeritas $= c$, & $n =$ celeritati cadentis per duo ſecunda jam acquiſitæ; ſit ſinus incidentiæ $= i$, & planum corporis $= p$; denique denſitas fluidi $= d$. Ex notis regulis erit $a = \frac{c^2}{n}$; $n = \frac{c^2}{a}$ & $c = \sqrt{an}$. Porro $v = i^2 c^2 dp$; $c = \sqrt{\frac{v}{i^2 pd}}$; $i = \sqrt{\frac{v}{c^2 pd}}$; $d = \frac{v}{c^2 i^2 p}$ & $p = \frac{v}{c^2 i^2 d}$.

9. Transferens iſta ad aerem, veluti fluidum multo minus denſum, poſui denſitatem aquæ $= 1$. Unde denſitas aeris, quæ ex gravitate illius ſpecifica recte æſtimatur, erit $= \frac{1}{850}$, vel $\frac{1}{900}$ circiter, pro diverſis caſibus. Quia anguli incidentiæ

in

in hemiſphærio circumquaque æqualem reddunt vim venti ei caſui, quo ad perpendiculum rueret ventus in circulum diametralem: omittimus i^2, & habemus $v = c^2 dp$. Erat $v = 58$ granis medicis, quorum rationem ad Pariſina & Londinenſia alibi dedi; p erat $= 50,'''$ & $d = \frac{1}{900}$. Unde $58 = c^2 . 50 . \frac{1}{900} = \frac{5}{90} c^2$; & $c^2 = \frac{90.58}{5} = 1044$. Quare $c = 32 \frac{3}{10}$. Si $d = \frac{1}{850}$, obtinemus $c = 31\frac{5}{7}$. Unde media quaſi celeritas rotunde æquiparabitur 32 pedibus Pariſinis, quos ventus intra ſecundum pervaſit. En celeritatem procellæ quæſitam! Liquet ſimul, quod habendum de celeritate flatus fortiter protruſi ex ore.

10. Aliam procellam obſervavit *Derham*, quæ 66 pedes Londinenſes unico ſecundo tranſiit. *Philoſophical Transact. N. 313.* Cui procellæ ipſe aſſignat gradum 12, vel 14tum. Non perſpicio ſatis, quomodo ipſe gradus ſuos æſtimarit. Si enim certa eſt æſtimatio, is ventus, qui eſt gradus 12mi, non erit gradus 14ti, & vice verſa. Fieri ergo poſſet certior æſtimatio, ſeu pro celeritate venti, ſeu pro vi ejusdem. Nam multo plures dari gradus, extra controverſiam eſt poſitum.

11. Vis venti reſpondet quadrato celeritatis, ſi cetera ſint paria. Quare gradus virium primus eſſe poſſet, qua ventus intra ſecundum emetitur unum pedem; ſecundus, qua 4; tertius, qua novem; quartus, qua ſedecim; quintus, qua 25; ſextus, qua 36, & ſic ulterius, percurrit. Foret igitur ventus dictus intra ſextum gradum, quod non multum ab ea æſtimatione abludit, qua uſus ſum adhuc, & qua 7mum procellæ gradum tribui ante hunc calculum ſubductum. An æque commode gradus virium, aut celeritatis ad æqualem numerum revocarentur, aliis diſceptandum relinquo.

12. Poſita hac quadratorum celeritatis progreſſione, & ſepoſito diſcrimine corporis immobilis ac ſuſpenſi e filo plumbi, foret vis venti gradu primo in pedem quadratum $= 23 \frac{4}{100}$ gran. pharm.; gradu ſecundo $= 368$ granis; tertio $= 1866$ granis; gradu quarto $= 6186$; gradu quinto $= 1440$; ſexto $= 27780$; ſeptimo $= 55319$; octavo $= 92317$; nono $= 151165$; & gradu decimo $= 230400$ granis pharmaceuticis, vel 33 libris Gedanenſibus, demtis 138 granis pharmaceuticis.

ticis. Experientiæ, relinquendum, num unquam procella eo uſque aſſurgat.

13. Ampliſſimam procellam, qualis fuit, de qua loquimur, quæ minimum 3600 milliaria quadrata replevit, ſextum gradum aſſequi poſſe, pro comperto jam habemus. Videntur majores gradus minori plerumque ſpatio includi, excepta illa, quæ A. 1703 deſæviit. Supereſt, ut iſta connexio celeritatis cum vi plurium obſervatis experimentisque confirmetur. Fiet illud in aere inferiori ope corporum, in aere natantium, fumi, plumularum, &c.

14. In ſuperiore vero aere id ipſum fiat ope nubium motarum, & ad corpora notæ diſtantiæ relatarum. Si nubes circa Zenit moveantur, commodiſſime æſtimatio inſtituetur. Nam, ſi diſtantia turrium, ſeu ædium, &c. non ſit major ea, qua obſervator unus alterum videre, & audire, poteſt, numerata & per 4 ſyllabas in quartas partes diviſa ſecunda, ope accurati horologii, deprehenditur via nubium vix ſenſibiliter differre a diſtantia ædium. Computo inito, deprehendi, ſi vel 2 milliaribus a ſuperficie terræ abeſſent nubes, tamen in diſtantia illa earum viam vix pede differre ab ædium diſtantia. Dum ergo numerantur ſecunda, eorumque partes quartæ, intra quas nubes a vertice unius obſervatoris ad verticem alterius perveniunt, conſtabit de nubium illarum velocitate.

15. Si ſub tecto fuerit obſervator, vel deſint nubes verticales, aliis uti poterit principiis trigonometricis, pro detegenda nubium velocitate. Quemadmodum ex diſtantia turrium inter ſe & a me, una cum interpoſito tecto cœnobii, & angulis menſuratis, ſecundum quos nubes retuli ad cuſpides turrium, deprehendo, nubes circiter 34 pedes percurriſſe tum temporis. Acuti obſervatores facile reperient modos, quibus pro caſibus emergentibus faciliime certiſſimeque nanciſcantur ſcopum, & determinent, quantillus error ſolum locum habere poſſit, quibus enodandis hic ideo non immorabor.

16. Ut vero vis venti, celeritati obſervatæ reſpondens, aliunde etiam certa evadat, ac vel ſola obſervata reliquis dete-

 gen-

gendis inſervit, opus erit anemometro, uſibus ſuis optime accommodato. Exiguus ejusmodi globulus plumbeus, quo tum uſus ſum, ad minores gradus æque non ſufficit, ac ad maximos. Nempe gradu primo non moveretur, niſi ad $1\frac{11}{13}$ minuti. Quod vix obſerves, niſi ſat longum filum, & arcus inferioris pars in minuta ſingula diviſa. Pariter in gradu 2 tantum 9 minuta habentur pro declinatione ſumma illius gradus a verticali. Gradu tertio haberentur 47 minuta, gradu quarto duo gradus fere cum ſemiſſi; gradu quinto itur usque ad 6 gradus circuli; gradu ſexto usque ad $12\frac{1}{2}$; gradu ſeptimo usque ad 23°; gradu octavo usque ad $37\frac{1}{2}$; nono denique usque ad $62\frac{4}{5}$. Ad integrum decimum gradum, & ſi qui ſunt majores eo, indicandos, globus ille non amplius ſufficit, utpote qui ad gradum 96 adſcenderet, & vi ſua gravitatem plumbi ſuperaret. Unde ad decimum & undecimum indicandum opus eſſe globo majori, ſeu aureo, ſi is unquam determinandus occurreret.

17. Innumeris igitur modis formari poterunt anemometra certiora ſolitis, vel & ſolita emendari & revocari ad hæc principia ſemel perſpecta, & perfectius exculta. Ponamus, obſervationes eſſe ſecundum obſervatorum in hemicyclo graduum numerum notandas: quia hoc videtur facillimum factu. Opus erit ſuſtentaculo apto, cui affirmetur centrum & arcus ſemicirculi ſaltem quadrantis in gradus & fere minuta diviſus; tum globo quodam, ſi placet, intus cavo. Filum, ex quo ſuſpendatur globus, quo indigemus, unciunlo erit inſtructum, ut pro re noſtra appendi is poſſit & auferri iterum. Aderit una fulcimento anemometri a latere pendulum, ſecunda vibrans integra, aut dimidia, & tutum a vento. Cetera oſtendet ſcala gradibus adhibita.

18. Reſiſtit vento, globum moturo, gravitas globi, reniteus vi centripeta ad verticalem ſitum. Appelletur illa, ex pondere æſtimanda, r, & apertum erit, globum graviorem plus reſiſtere globo leviori. Illam enim reſiſtentiam, quã aer pone globum reſiſtit globo, tanquam leviculam negligere poſſumus. Poterit autem in gradibus inferioribus veſi-

ca

cavæ ſphærica, pilave lanea; aut lignea excavata, aut ex ſubere facta, adhiberi. Pro gradibus mediis lignea ſolida ex ligno duriori & graviori, vel & eburnea. Pro maximis gradibus lapidea, metallicave, v. c. ex auro, plumbo, &c. Ut duo ſufficiant, calculi ope determinandi erunt globi.

19. Scilicet per ſe quidem quicunque globus aptari ad anemometrum poteſt, eodem modo, quo ſupra plumbeum adhibui. Sed, cum per præcedentia pateat, non eſſe quemlibet æque aptum ad omnes gradus indicandos, duplici globo commode utemur, altero levioris materiæ pro gradibus minoribus rite determinandis, altero gravioris materiæ, vel plane graviſſimæ. Qui ſimplici & eodem ſemper uti cupit, ſumet materiam mediocrem, v. c. lamineam vitream, ligneam, nucis clappæ Indicæ, &c. Nam, ſi ſat magna, levis & cava illa fuerit ſphæra, vacua ſufficiet pro gradibus minoribus; referta per orificium apte claudendum, ſeu hydrargyro, ſeu plumbea grandine determinati ponderis, pro majoribus.

20. Poſito, quemquam deſiderare ſphæram cavam, quæ primo gradu venti moveatur per unum gradum ſemicirculi: quanta erit diameter, quanta gravitas illius? Inferimus, uti $1^{\circ} : v = 90^{\circ} : r$. Hinc $r = v . 90$. Detur ergo, aut ſumatur, pro lubitu v, quanta ſufficere poſſit pro globo non nimis magno. Eſto granis ſex æqualis illa vis, & habebitur pondus globi cavi $= 540$ granis. Si lubet, eligatur quoque r pro arbitrio, & quæratur $v = \frac{r}{90}$. Inveſtigetur diameter pro obtinenda iſta vi in gradu primo ſufficiens, hunc in modum: $6 = \frac{1}{850} . p$. Hoc eſt $p = 5100$, quod quoniam eſt circulus, oritur ex $\frac{785}{1000}$, ducto in quadratum diametri. Inde $\frac{5100000}{785} =$ quadrato quæſitæ diametri $= 6496\frac{8}{10}$, cujus radix $80\frac{6}{10}$ dat diametrum globi in lineis, quæ ſunt 6 pollices & $8\frac{6}{10}$ lin. Pariſ.

21. Similiter reperias cetera, ſi ſumas pro lubitu diametrum globi cavi v. c. quatuor, quinque, ſex, vel ſeptem, pollicum, & reliqua computando erutas. Eligenda tantum eſt materia ejus gravitatis ſpecificæ in ſtatu cavo, quæ reſpondeat propoſito; vel ad electam materiam attemperanda ope calcu-

li ſunt reliqua. Etenim, ſi reſiſtentia, ſeu gravitas ſpecifica minor, eſt r, major R, pariter diſcernendo p, P, uno caſu reperto, habentur, quotquot reſtant, inferendo $\frac{P}{R} : v = \frac{P}{r} : \frac{vPR}{pr}$. Quemadmodum in globo plumbeo cæteris paribus $5\frac{4}{117}''' : 58 = \frac{1013}{1831}'''$ in globo ligneo: $259\frac{1}{3}$ granorum pharmaceuticorum. Unde nullo negotio reliqua eliciuntur momenta.

22. Oculatiores ſunt illi, quibus hæc ſcribuntur, quam ut multis monendi ſint, admodum fœcunda eſſe hæc principia ad plurimos alios uſus. Pandunt januam cauſis ventorum & procellarum detegendis, ſive in aeris ſurſum protruſi delapſu, ſive in condenſatione per ventorum antagoniſtarum compreſſionem; ſive in rarefactione ex calore aliisque cauſis elaſticitatem mutantibus conſiſtant. Quid in re nautica, architectonica, in machinis pnevmaticis iisdem, præſtari poſſit, dies docebit. De aliis, quibus viam ſternunt, malo tacere, quam verba nunc facere.

Vernünftige Gedancken vom Wahrſcheinlichen, &c.

hoc eſt,

JOANNIS MARTINI CHLADENII, S. S. Theologiæ Doct. & Profeſſ. Publ. Ordin. nec non Ædis Academ. Erlang. Paſtoris, Cogitationes rationales de Probabili, ejusque abuſu.

Stralſundiæ, Gryphiswaldiæ, & Lipſiæ, ſumtibus Jo. Jac. Weitbrechtii, 1748, 8.

Plag. 13.

Digniſſima quidem hominibus doctis vota ſunt, quæ ad incrementa artium atque ſcientiarum diriguntur; ſed laudibus adhuc digniora ſtudia, quibus pia illa vota impleantur. Implentur autem, ſi non qualicunque propoſitionum con-

gerie

geſſe vacuum illud, quod ante erat, tegitur, ſed etiam præ-
cepta ſolida, ubi ante nulla erant, conſtituuntur. Quo-
rum alterutrum in nova *probabilitatis* theoria, quam pri-
dem doctiſſimus quisque deſideravit, contigerit, ex hoc fa-
cile libro omnibus pateſcit. Non enim S. Rev. Autor
in his meditationibus dogmaticam quandam exhibet tra-
ctationem, ſed ea, quæ recentiori ætate ab aliis in hac Lo-
gicæ parte ſunt tradita, ſub examen vocat, planumque fa-
cit, varia novis præceptis eſſe intermixta, quæ cognitionem
veri non ſolum non adjuvent, ſed etiam impediant, atque hinc
inde non mediocriter corrumpant, ut, ſi uſum cum damno
comparemus, plus adhuc damni, quam veræ utilitatis, ex nova
probabilitatis theoria ſit metuendum. Sed hæc diſputatio,
quanquam unam ſaltem Philoſophiæ partem attingere videri
poſſit, latiſſime tamen ſpargitur, & ad ipſa fundamenta
multarum doctrinarum penitus tendit, nempe Hiſtoriam, 7.
Hermeneuticam, Phyſicam, Philoſophiam denique practi- 8.
cam, quas omnes probabilitatis novi cultores amplificari
putant, S. Rev. Autor vindicandas, & in tuto collocandas,
ſtatuit. *Primo* nimirum meditatione conqueritur, ditio- Pag. 1 ſeq.
nem probabilitatis nunc in immenſum extendi, ita ut cer-
tæ cognitioni, cui tamen maxime opera danda ſit, nihil
fere maneat reliquum. Memorat igitur novas ſententias,
univerſam Hiſtoriam, univerſam Interpretationem, univer-
ſam cauſarum cognitionem, univerſam prudentiam civi-
lem, ultra probabilem cognitionem non poſſe aſſurgere.
Quarum ſententiarum interpretem excitat Clariſſ. *Petrum* 15.
Ahlwardtum, monſtratque, ſive probabilitas nihil differat
ab incerto & dubitatione, ſive ſaltem incertum & dubi-
tationem ſinu ſuo includat, male tamen eos de tot am-
pliſſimis artibus mereri, qui iis, excluſa certitudine, æter-
næ dubitationis opprobrium afferant. Atque, quod ad *Her-* 18.
meneuticam attinet, ejus dignitatem eo diligentius tuen-
dam ratus eſt S. Rev. Autor, quod iſtam artem primus
peculiari libro, eaque methodo, eleganter eſt complexus,
ut omnes interpretationum cauſas, ac cuncta genera, ob-

ſcurorumque locorum claſſes, veluti in tabula deſcripſerit. Quo in ſyſtemate de ipſa certitudine, hinc regularum hermenevticarum, hinc ſenſus ſingulorum locorum, ſic jamjam diſputavit, ut dubitationi pariter ac probabilitati in re hermenevtica præſcripti ſint ſui carceres. Nimirum, cum probabilitatis defenſores interpretationum incertitudinem ex varia vocum fere omnium ſignificatione deducant, quarum quælibet variat *verum ſenſum*, ita tamen, ut alter altero ſit *verior*, hi ficti *gradus veritatis* in ſenſu locorum et librorum diſſipantur convulſo principio: quamlibet vocis ſignificationem aliquem ſenſum in quolibet loco præbere. Deinde
Pag. 34. *tertia* meditatione Hiſtoriæ incertitudinis et dubitationis macula abſtergitur. Oſtenditur, ipſam experientiam declarare et probare quarundam, imo multarum, hiſtoria-
47. rum certitudinem; probatur, falſum eſſe, quod cuncta te-
48. ſtimonia ſuſpicione falſi laborent; aſſenſum, rebus geſtis
et hiſtoriis præbendum, eo modo non gigni, quo adver-
49. ſariis videatur gigni; veritatem et certitudinem rerum ge-
50. ſtarum ex teſtimoniis per ratiocinia non cognoſci; perpe-
55. ram in rebus hiſtoricis vocem, aut ipſam notionem, demonſtrationis adhiberi. Quo loco ſimul reprehenduntur admiratores libri *Dittoniani* de reſurrectione Chriſti, alioqui laude digniſſimi, demonſtrationis vocem et laudem ubique crepare, cum in hiſtoria, tam profana, quam ſacra, omnia teſtimoniis ſint gerenda; nec quidquam ultra poſſit addi præter *vindicias* ab objectionibus et obtrectationibus, easque *vindicias* non ſine damno cum demonſtrationibus con-
64. fundi præſertim in Hiſtoria ſacra. *Quarta* meditatione opinio: Phyſicam univerſam non niſi probabilem eſſe, confutatur. Ante omnia *demonſtrationis* notio confertur
71. cum *explicatione cauſarum*, et, quam parum differant, oſtenditur rationibus et exemplis; deinde, cur cauſarum
75. inveſtigatio ſit difficilis, perſpicuis præceptis docetur, & confuſio duarum notionum tollitur, quæ promiſcue termino *explicationis cauſarum* adhærere ſolet. *Quinta* meditatio-

Digitized by Google

tatione in *Syllogiſmorum*, quos *tautaler* vocant, naturam in-
quiritur, iisque, ſi pro peculiari argumentandi genere ha- Pag 91.
beantur, nos commode carere poſſe oſtenditur. *Sexta* et
ſeptima meditatio circa *probabilitatem practicam* verſatur,
illumque errorem confutat: omnem prudentiam proba- 100.
bilitate niti, quem ſic ſolent defendere, ut, omnem pru-
dentem actionum directionem futurarum rerum exſpectati-
one niti, ſumant; deinde, omnia futura eſſe incerta, con-
tendant. Contra hæc Cel. Vir defendit, non omnium, 104.
ac ne quidem plerarumque, ſed paucarum ſaltem, actio-
num directionem a futuri cognitione eſſe ſuſpenſam, ſiqui-
dem permultæ ab inſtinctu naturali, aliæ a voluntate ſupe-
rioris, aliæ ab officii ſuſcepti indole, aliæ a legibus natu-
ralibus et civilibus, ſic dependeant, ut futurarum rerum
cognitione opus non ſit; quodſi autem dubiæ omnino
actiones nobis et *difficiliores caſus* obtingant, iterum non 115.
ſemper ad futura recurrendum eſſe, ſed *regulas* cognoſcen-
das, ac *præſentem ſtatum* inquirendum, *habitumque* recte
agendi comparandum eſſe. *Septima* autem meditatione ſi- 120.
gillatim demonſtratur, non omnem futuri cognitionem
eſſe dubiam; naſci enim certitudinem partim ex ordine
naturæ, partim ex interna fiducia, et quidem in nonnul- 130.
lis hominibus tantam, ut difficile ſit, eorum temeritatem
ſecuritatemque emendare. Denique generatim oſtenditur,
in hæſitatione practica, et ancipiti ſtatu, ad probabilita-
tem tamen confugiendum non eſſe, neque præſtantiſſi-
mos prudentiæ magiſtros tale quid unquam præcepiſſe.
Octava meditatione de gradibus probabilitatis agitur. Pri- 142.
mum convellitur opinio, qua inprimis homines in pro-
babilitatis admirationem rapiantur, ac ſi magnus probabi-
litatis gradus propius ad veritatem accederet. Jucundum
eſt hic conſpicere, quemadmodum tanta ſpes, tamque
admirabilis, non niſi æquivocatione quadam nitatur, in vo- 156.
ce certitudinis hærente. Hanc in *objectivam* et *ſubje-
ctivam* diſtinguere dudum conſueverunt Logici; hinc
autem fit, ut, quia probabilitatis major gradus ad
cer-

certitudinem ſubjectivam propius accedit, ideo ad certitudinem objectivam, quæ veritatem includit, pariter propius accedere judicetur. Mallet hinc Cel. Autor, erroris vitandi cauſa terminum certitudinis objectivæ non neceſſarium & confuſioni aptiſſimum penitus tolli. Porro oſtenditur, non quamlibet rem, quæ alterius conſtitutionem ingredi poteſt, propterea per ſeſe tanquam partem aliquantam, aut aliquotam, hujus rei ſpectari poſſe: e. g. ad matrimonium mas & fœmina requiritur, nec tamen cœlebs per ſe, ½, aut ullam minorem, matrimonii partem habet; qua annotatione fundamenta calculi Probabilium ſubruuntur; denique omni modo contradicitur illi conatui, quo ex præſentia multorum requiſitorum ad veritatem reliquorum colligi ſolet præſentia. Illud imaginationis figmentum doctrinis philoſophicis ſtabilire, & in principium ratiociniorum conſiliorumque convertere, plane iniquum, & dignitati Philoſophiæ adverſum, eſſe, monſtrat Cel. Autor. Hic libellus, tot quæſtiones, ante minus diſtincte expoſitas, complectens, primum ſub forma Programmatum, in illuſtri Gymnaſio Caſimiriano Coburgenſi editorum, prodiit; quæ collecta in ſermonem Germanicum tranſtulit Clariſſ. *Urbanus Gottlob Thorſchmidius*, paſſimque, breviuſcule dicta, ſcholiis aucta, illuſtravit. Ceterum laude omni dignum eſt S. Rev. Autoris ſtudium, regulas, quibus intellectus dirigitur, in cognoſcenda veritate, amplificandi, & formulis, quæ ſibi ſemper conſtent, complectendi: cujus rei egregia ſpecimina eum jam pridem in Hermeneutica univerſali, in Logica Practica, atque Logica ſacra, dediſſe, meminimus. Doctiſſimo autem Interpreti pro opera, laudabiliter inſumta, & officio hoc literis æque, ac ſuis civibus, præſtito, eas gratias decernimus, quas iis omnibus, qui literarum incrementa juvare pro virili ſua parte ſtudent, ab omnibus deberi, grati agnoſcimus.

Pag. 180. (beside "Porro oſtenditur")

154. (beside "menta calculi Probabilium")

* * *

Digitized by Google

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur:

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

S. Antonini *Opera omnia, cum annotationibus* Th. Mariæ Mamachi & Dionyſii Remedelli. Tomi I. Pars I & II. 669

Biblia ſacra, cum Commentario expoſitionis literalis, concinnato ex ſelectiſſimis Anglorum annotationibus. Tomus I, II, III. 621

A Bononia (*Bernardi*) *Inſtitutio theologica juxta omnia fidei dogmata.* 343

Brunacci (*Jo.*) *Commentatio de Appellatione Canonicarum in Virginibus votivis S. Petri.* 410

Deylingii (*Salom.*) *Obſervationum ſacrarum Pars quinta.* 315

Feuerlini (*Jac. Wilh.*) *Obſervationes variæ in Auguſtanæ Confeſſionis ſingulos Articulos.* 367

Godwini (*Franc.*) *de Præſulibus Angliæ Commentarius, ex recognitione* Gul. Ricardſoni. 573

Kieslingii (*Jo. Rud.*) *Epiſtola ad Emin. A. M. Quirinum, qua de geſtis Pauli III, Pont. cum Henrico VIII, Angl. Rege, agitur, & ejus emendatio eccleſiæ Anglicanæ ſuſcepta defenditur.* 89

Kochii (*Jac.*) *Breves geographicæ ac hiſtoricæ tractationes ad illuſtrandum loca Moſis & libri Hiobici nonnulla.* 362

Manſi (*Jo. Dominici*) *de Epochis Conciliorum, Sardicenſis & Sirmienſium, ceterorumque, in cauſa Arianorum.* 329

Michaelis (*Chriſtiani Bened.*) *Tract. critica de variis lectionibus N. Teſt. caute colligendis & dijudicandis.* 551

Digitized by Google

Miltoni (*Jo.*) *Paradiſus amiſſus, Latine redditus interprete* Joſepho Trapp. 160

Monetæ *adverſus Catharos & Valdenſes Libri quinque, editi & illuſtrati a* Th. Auguſtino Ricchinio. 145

Norrelii (*Andreæ*) *Diatypoſis Academiarum apud Judæos.* 85

Origenis *Libri VIII de Veritate religionis Chriſtianæ contra Celſum, ex Græco in Germanicum converſi, & notis illuſtrati, a* Jo. Laur. Moshemio. 526

De Polignac (*Melchioris*) *Card. Anti-Lucretius, ſive de Deo & natura Libri novem.* 11

Sadoleti (*Jac.*) *de Conſilio de emendanda eccleſia, auſpiciis Pauli III, P. R. conſcripto, ad Sturmium Epiſtola.* 609

Schelhornii (*Jo. Ge.*) *de Conſilio de emendanda eccleſia, auſpiciis Pauli III, P. R. conſcripto, Epiſtola prima.* 379

Epiſtola altera. 609

Sedulii (*Cœlii*) *Carmen de Verbi incarnatione.* 95

Mirabilium divinorum Libri V, ex ed. Jo. Frid. Gruneri. 628

Sturmii (*Jo.*) *de Conſilio de emendanda eccleſia auſpiciis Pauli III, P. R. conſcripto, Epiſtola.* 379. 609

Taſſi (*Torquati*) *Hieroſolyma liberata, Carmen epicum, cum figuris* Jo. Bapt. Piazzettæ. 525

Wernsdorfii (*Gottlieb*) *de Republica Galatarum Liber ſingularis.* 674

II. *Libri Juridici.*

Bachii (*Jo. Aug.*) *D. Trajanus, ſeu de Legibus Trajani Commentarius.* 218

Bondam (*Petri*) *Specimen Animadverſionum criticarum ad loca quædam Juris civilis depravata.* 447

Brunacci (*Jo.*) *Commentatio de appellatione Canonicarum in virginibus votivis S. Petri.* 410

Burlamaqui (*J. J.*) *Elementa Juris naturalis.* 58[illegible]

Heu

Digitized by Google

Heumanni (*Jo.*) *Opuſcula, quibus varii Juris Germanici, itemque hiſtorica, & philologica, argumenta explicantur.* 508

Hommelii (*Caroli Ferdin.*) *Propoſitum de novo Syſtemate Juris naturæ & gentium, ex ſententiis veterum JCtorum concinnando.* 424

Huberi (*Ulrici*) *Opera minora & rariora, Juris publici & privati, edita ab* Abr. Wieling. Tomi II. 444

Kochii (*Ern. Aug.*) *Nova & aucta collectio Receſſuum Imperii.* Tomi IV. 280

Kœnig (*Chriſtiani*) *Codex Legum Suecicarum.* 589

De Wicht (*Matthiæ*) *Jus provinciale Friſiæ orientalis, cum jure ſtagnorum & piſcinarum, ad fidem antiquiſſimorum Codicum MSS. editum.* 214

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Bianconi (*Jo. Lud.*) *Epiſtolæ duæ phyſicæ ad Marchionem Scip. Maffaum.* 21

De Bononienſi Scientiarum atque Artium Inſtituto Commentarii. Tomi II Pars I. 648

Cocchii (*Ant.*) *de Vita Pythagorica, quæ medicinæ loco eſt, Sermo.* 132

Doraſcentii (*Lucæ*) *de Uſu Chalybis atque Mercurii in obſtructione curanda Diſſ.* 60

Giſmundi (*Jo. Bapt.*) *Epiſtola apologetica in Poſtſcriptum quoddam editum, quod Notas criticas continet in Jo. Bianchi Diſſ. de Veſicantibus.* 519

Halleri (*Alberti*) *Iconum anatomicarum Faſciculus primus.* 223

Hippocratis *Opuſcula aphoriſtica ſemeiotico-therapevtica VIII, Gr. & Lat. ex ed.* Zuingeri. 297

Morandi (*Jo. Bapt.*) *Hiſtoria botanica practica.* 289

Van Muſſchenbroek (*Petri*) *Inſtitutiones phyſicæ.* 469

Newtoni (*Iſ.*) *Philoſophiæ naturalis principia mathematica, perpetuis commentariis illuſtrata a* Thoma le Seur *&* Franc. Jacquier. Tomus II. 336

Digitized by Google

De Polignac (*Melchioris*) *Card. Anti-Lucretius, ſive de Deo & natura Libri novem.* 11

Tentamina & Commentarii Academiæ naturæ exploratricis, quæ Gedani congregatur. Pars I. 413

IV. *Libri Mathematici.*

Bærmanni (*G. F.*) *Analyſis Problematis geometrici, in Actis A. 1745 propoſiti.* 225

De Bononienſi Scientiarum atque Artium Inſtituto Commentarii. Tomi II Pars I. 648

Euleri (*Leonh.*) *Solutio Problematis Catoptrici, in Novo Actis Er. Lipſ. pro Menſe Nov. A. 1745 propoſiti.* 27. 61. 169

Opuſcula varii argumenti. 595

Hanovii (*M. C.*) *Anemometria nova, circa medium Decembrem A. 1747 inſtituta, jam vero eruditorum uſibus permiſſa.* 705

Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum & elegantiorum literarum Berolinenſis ad Annum 1745. 453

Horrebowii *Tract. de Parallaxi fixarum annua & rectaſcenſionibus.* 190

Obſervatio Eclipſis Lunæ, octava Auguſti die A. 1748 Pragæ, in Collegio Societatis Jeſu ad S. Clementem, habita. 516

Poleni (*Jo.*) *Inſtitutionum Philoſophiæ mechanicæ experimentalis Specimen.* 572

V. *Libri Hiſtorici, Chronologici, Genealogici, &c.*

Anonymi Elogium Auguſtini Frid. Waltheri, Medicorum Lipſienſium, dum viveret, principis. 522

Argelati (*Phil.*) *Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium.* Tomi II. 241

Barrii (*Joſephi*) *Hiſtoria generalis Germaniæ.* Tomus I & II. 385

Tomus III & IV. 478

De

Digitized by Google

De Bochat (*Lud.*) *Commentarii critici, quibus argumenta varia Hiſtoriæ veteris Helvetiæ declarantur.* Tomus I. 119

De Carlencas (*Juvenel*) *Periculum hiſtoriæ literarum elegantiorum, ſcientiarum, & artium.* Tomi II. 372

Deylingii (*Chriſtiani Erdmanni*) *Diſſ. de Ælia Capitolina hiſtoria & origine.* 315

Godwini (*Franc.*) *de Præſulibus Angliæ Commentarius, ex recognitione* Gul. Richardſoni. 573

Gruneri (*Jo. Frid.*) *Introductio in antiquitates Romanas.* 618

Harenbergii (*Jo. Chriſtoph.*) *Stirpis Eſtenſis origines, progenitores Sereniſſ. Ducum Brunſuico-Luneburgicorum vetuſtiſſimi ſeptem.* 357

Heumanni (*Jo.*) *Commentarii de re diplomatica Imperatorum & Regum Germanorum.* 75

Opuſcula, quibus varia Juris Germanici, itemque hiſtorica & philologica, argumenta explicantur. 508

Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum & elegantiorum literarum Berolinenſis ad Annum 1745. 453

Kieslingii (*Jo. Rud.*) *Epiſtola ad Em. A. M. Quirinum de geſtis Pauli III Pont. cum Henrico VIII, Angl. Rege.* 89

Lazarini (*Dominici*) *Epiſtolæ tres, in quibus oſtenditur, Veronam ditioni Cenomanorum fuiſſe ſubjectam.* 370

M. (L. L.) *Idea regiminis Ægypti antiquioris.* Partes II. 273

Manfredi (*Euſtachii*) *Operum Tomus quintus, ad Chronologiam faciens.* 591

Manni (*Dominici Mariæ*) *Notitiæ hiſtoricæ Parlagii, ſeu Amphitheatri Florentini.* 475

De Moivre (*Gilleti*) *Vita Propertii, equitis Romani.* 276

Queſnel (*Conr.*) *Computus Cyclicus verus, & tam Julianus, quam Gregorianus eccleſiaſticus.* 704

Ricolvi (*Jo. Pauli*) & Ant. Rivautellæ *Situs urbis veteris, Induſtria, detectus & illuſtratus.* 498

Saxii (*Joſ. Ant.*) *Hiſtoria literario-typographica Mediolanenſis ab anno 1465 ad annum 1500.* 241

Schwandtneri (*Jo. Ge.*) *Scriptores rerum Hungaricarum veteres & genuini.* Tomi II. 195
Velleji (*C. Paterculi*) *Hiſtoria Romanæ Libri duo, accurante* Steph. And. Philippe. 272
Wernsdorfii (*Gottlieb*) *de Republica Galatarum liber ſingularis.* 674
Willebrandt (*Jo. Petri*) *Præparatio ad Chronicon Hanſeaticum.* 46

VI. *Libri Miſcellanei.*

Agnethler (*Mich. Gottlieb*) *Numophylacium Schulzianum, digeſtum & commentariis illuſtratum.* 137
Anonymi Numiſma Hieronymi equitis Odam, ex Muſeo Victoriæ prolatum. 279
Argelati (*Phil.*) *Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium.* Tomi II. 241
De Bononienſi Scientiarum atque Artium Inſtituto Commentarii. Tomi II Pars I. 648
Burmanni (*Petri*) *junioris, Specimen novæ editionis Anthologiæ Latinæ, & Animadverſionum ad Epigrammata & Catalecta veterum Poetarum Latinorum Prodromus.* 122
Carpentier *Alphabetum Tironianum, ſeu Notas Tironis explicandi methodus.* 477
Chapmani *Epiſtola de vetuſtis characteribus numericis legionum Romanarum.* 632
Chladenii (*Jo. Mart.*) *Cogitationes rationales de probabili, ejusque abuſu.* 712
Cocchii (*Ant.*) *de Vita Pythagorica, quæ medicinæ loco eſt, Sermo.* 132
Coluthi *Raptus Helenæ, cum Notis* Jo. Dan. a Lennep. 398
Cruſii (*Chriſtiani Aug.*) *Via ad cognitionem humanam certam atque aſſenſu dignam.* 561
Demoſthenis *Oratio contra Midiam, cum altera Lycurgi contra Leocratem, ex ed.* Jo. Taylori. 54

Eggers

Digitized by Google

Eggers (*Henr. Frid.*) *Cogitata rationi conſentanea de officiis hominis erga ſe ipſum reſpectu ſtatus interni.* 359

Endelechii (*Severi Sancti*) *Carmen bucolicum de mortibus boum, ex ed. M.* Dav. Richteri. 646

Erpenii (*Thomæ*) *Grammatica Arabica, ex ed.* Alb. Schultens. 689

Euripidis *Tragœdiæ integræ XIX, Fragmenta & Epiſtolæ, Græce & Italice, cum notis P.* Carmeli. 533

Fabricii (*Jo. Alb.*) *Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis. Volumen ſextum, adornatum a* Chriſtiano Schœttgenio. 95

Fromond (*Claudii*) *Nova & generalis introductio ad Philoſophiam.* 520

Fourmont (*Stephani*) *Linguæ Sinarum Mandarinicæ hieroglyphica Grammatica duplex.* 49

Gruneri (*Jo. Frid.*) *Introductio in Antiquitates Romanas.* 618

Heumanni (*Jo.*) *Commentarii de re diplomatica Imperatorum, & Regum Germanorum.* 75

Opuſcula. 508

Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum & elegantiorum literarum Berolinenſis anni 1745. 453

Homeri *Ilias, Græce & Latine, ex ed.* Jo. Ge. Hageri. Volumen I. 686

Janozki (*Jo. Dan.*) *Relatio de rarioribus libris Polonicis, qui in Bibliotheca Zaluskiana reperiuntur.* 665

Kappii (*Jo. Erh.*) *Sylloge Epiſtolarum familiarium, quæ inter G. G. Leibnitium & Dan. Jablonskium, aliosque doctos, ultro citroque miſſæ fuerunt.* 168

Mazzoleni (*Alberti*) *Numiſmata ærea ſelectiora maximi moduli e Muſeo Piſano, olim Corrario.* 97

in Numiſmata ærea ſelectiora maximi moduli e Muſeo Piſano, olim Corrario, Commentarii. ibid.

in Numiſmata ærea ſelectiora maximi moduli e Muſeo Piſano, olim Corrario, Animadverſiones. Tomi II. ibid.

Miltoni

Digitized by Google

Miltoni (*Jo.*) *Paradiſus amiſſus, Latine redditus interprete* Joſepho Trapp. 160
Miſcellanea Lipſienſia nova. Voluminis V Pars III. 420
Pars IV. 471
Mülleri (*Gerh. Frid.*) *Commentatio de Scriptis Tanguticis, in Sibiria repertis.* 437
Muratorii (*Lud. Ant.*) *Novus Theſaurus veterum Inſcriptionum.* Tomi IV. 1
Van Muſſchenbroek (*Petri*) *Inſtitutiones Logicæ.* 412
Norrelii (*Andreæ*) *Diatypoſis Academiarum apud Judæos.* 85
Numiſmata quædam cujuscunque formæ Muſei Honorii Arigoni. Tomus II & III. 433
De Polignac (*Melchioris*) *Card. Anti-Lucretius, ſive de Deo & natura Libri novem.* 11
Potocki (*Pauli*) *Comitis Opera omnia, edita a* Joſ. Andrea *Comite* Zaluski. 337
Rinaldi (*Joſephi*) *Orationes.* 615
Saxii (*Joſ. Ant.*) *Hiſtoria literario-typographica Mediolanenſis ab anno 1465 ad annum 1500.* Tomi II. 241
Schoettgenii (*Chriſtiani*) *Volumen ſextum Fabricianæ Bibliothecæ Latinæ mediæ & infimæ ætatis.* 95
Taſſi (*Torquati*) *Hieroſolyma liberata, Carmen epicum, cum figuris* Jo. Bapt. Piazzettæ. 525
Tunſtalli (*Jac.*) *Obſervationes in Epiſtolas M. T. Ciceronis & M. Bruti.* 631
Uhlii (*Jo. Lud.*) *Theſauri Epiſtolici Lacroziani* Tomus II. 184
Vonck (*Cornelii Valerii*) *Lectionum Latinarum Libri duo.* 205
Urſini (*Fulvii*) *Virgilius collatione Scriptorum illuſtratus. Editio nova.* 301
Vulpii (*Joſ. Rocchi*) *Epiſtola Tiburtinæ.* 662
Weis (*Udalrici*) *Liber de emendatione intellectus humani.* 187

INDEX

Digitized by Google

* * *

INDEX

RERUM NOTABILIORUM.

A.

Aberrationes *lucis Bradlejanæ ab Horrebowio per Anaclaſes explicatæ.* 190

Academia *Scientiarum Berolinenſis deſcripta,* 453

Academiæ *Judæorum quales?* 86 ſeq.

Ægyptiorum *hiſtoria & antiquitates illuſtratæ.* 273 ſeq.

Æliæ *Capitolinæ origo & hiſtoria.* 327 ſeq.

Aeris *ſubtilitas inveſtigata.* 416

productio e corporibus experimentis confirmata. 455

Ætheris *in motum planetarum effectus.* 606

Al Hamaſa *excerpta Arabica edita.* 691 ſeq.

Althelmi *Poemata emendata.* 210

S. Ambroſii *notitia literaria.* 256

Amphitheatri *Florentini notitia hiſtorica.* 475

Anemometria *nova.* 705

Angliæ *Epiſcoporum vita deſcripta.* 573 ſeq.

Animalibus *jus naturæ vindicatum.* 427 ſeq.

Animatorum *entium origo ſecundum ſententiam Hippocratis.* 466 ſeq.

Anthologiæ *Latinæ nova editio tentata.* 123 ſeq.

loca quædam emendata. 126 ſeq.

Anti-Lucretii, *libri, notitia literaria.* 12 ſeq.

Antiquitates *Romanæ in compendio deſcriptæ.* 619 ſeq.

S. Antonini *Opera denuo edita.* 669 ſeq.

Ad Aquas *libellandas machina inventa.* 415

Arabica *Numiſmata collecta.* 436 ſeq.

ſcripta quædam edita. 691 ſeq.

verba explicata. 695 ſeq.

Arabicos *libros edendi inſtitutum commendatum.* 143 ſeq.

Archinti (*Caroli*) *vita deſcripta.* 257

Archontum *dignitas illuſtrata.* 113

Argelati (*Phil.*) *ſtudium colligendi*

Zz zz

ligendi Scriptores Mediolanenſes commendatum. 242 ſeq.
Argelati (*Phil.*) *adverſus Anonymum vindiciæ.* 271 ſeq.
Arianorum *cauſa quæ Concilia celebrata?* 330 ſeq.
Arigonus (*Honorius*) *laudatus.* 433 ſeq.
Artium *ſingularum Hiſtoria promiſſa.* 457
Aſiarcharum *dignitas illuſtrata.* 112
Aſſium *apud Romanos deminutio qualis?* 118
Averroes *cum Arrois Avicenna non confundendus.* 424 ſeq.
Aves *erraticæ & gregatim diſcedentes quæ?* 418
Aviculà *Bononienſis deſcripta.* 652 ſeq.
Auguſtanæ *Confeſſionis loca quædam illuſtrata.* 368
Auguſti *titulus illuſtratus.* 107
Avtochiria *impugnata.* 458

B.

Barometra *electrica.* 459
Barometrorum *altitudo an ab amplitudine pendeat?* 659
an in omnibus eadem? 660
Bavariæ *Juris Codex deſcriptus.* 510
Belii (*Matthiæ*) *in Scriptores Hungariæ merita.* 195 ſeq.
Bianchi (*Jo.*) *vindiciæ adverſus Vandellum.* 519
Bianconii (*Jo. Lud.*) *de lagenis vitreis & ſono ſententia.* 21
Bibliotheca *Ambroſiana deſcripta.* 248
Zaluskiana laudata. 665
Bongarſii *Scriptores Hungariæ denuo editi & aucti.* 193 ſeq.
Bononienſis *Inſtituti notitia literaria.* 649 ſeq.
Britannia *M. quando primum ad Chriſtianam religionem converſa?* 576
ejus Epiſcopi recenſiti. 573 ſeq.
Le Brun (*Jo. Bapt.*) *in Lactantium merita.* 141 ſeq.
Brutis *an mentis facultates competant?* 17
Burgundionum *lex illuſtrata.* 397
Burmanni (*Petri*) *junioris, edendi Anthologiam Latinam ſtudium commendatum.* 123 ſeq.
emendationes quædam Anthologiæ ſub judicium vocatæ. 126 ſeq.

Cæſareum

Digitized by Google

C.

Cæſarum *appellatio illuſtrata.* 105 ſeq.
Calendarii *Gregoriani nævi.* 704 ſeq.
Callimachi *Epigramma emendatum.* 406
Canonicarum *appellatio illuſtrata.* 410 ſeq.
De Cardano (*Hieron.*) *ſingularia.* 259
Carmeli *in Tragœdias Euripidis merita.* 534 ſeq.
Carmen *Chriſto quaſi Deo dictum apud Plinium quale?* 423
Caroli *Calvi: Imp. Diplomata deſcripta.* 85
res geſtæ deſcriptæ 481
Magni res geſtæ deſcriptæ. 394 ſeq.
De Cataractis *fluminum Obſervatio.* 660
Cathari *unde dicti?* 147
qui fuerint, & quæ eorum doctrina? 147 ſeq.
eorum mores quales? 150 ſeq.
Catoptricum *Problema ſolutum.* 47. 60, 169. 225
Celſus *ab Origene & Moshemio refutatus.* 528 ſeq.
Celticæ *et orientalium linguarum conſenſus.* 468
Chalybis *uſus in obſtructione curanda.* 60 ſeq.
Per Chirothecam *traditio Germanis uſitata.* 472
Chriſtianorum *veterum ſanctimonia vitæ demonſtrata.* 528
An Chriſtus *mediator ſibi ipſe ſatisfecerit?* 420
Chronologiæ *ſacræ argumenta varia excuſſa.* 356 ſeq. 364 ſeq.
Chronologicæ *artis elementa tradita.* 591 ſeq. 704
Ciceronis *& M. Bruti Epiſtolæ* νοθείας *convictæ.* 632 ſeq.
Cippi *ſancti Ebræorum deſcripti.* 472
Clari (*Julii*) *notitia literaria.* 269
Colores *nutrimenti ope oſſibus dati.* 654
Colorum *nova theoria.* 602
Coluthi *loca emendata.* 399 ſeq.
Cometarum *cauda quid?* 419
aliquot orbitæ determinatæ. 456
Conciliorum *autoritas aſſerta.* 349
Conicarum *ſectionum proprietates aliis curvis competentes.* 465
In Comitiis *leges ferendi mos*

Digitized by Google

Germanorum illuſtratus. 281 ſeq.
Conciliorum *Sardicenſis & Sirmiorum vera epocha indagata.* 330 ſeq.
Conſilium *de emendanda eccleſia, Pauli III Pont. Max. juſſu conſcriptum, in Indicem expurgatorium relatum.* 380 ſeq. *ſucceſſu caruit.* 609 ſeq.
Conſulis *Romani antiquitates illuſtrata.* 108
Corporum *flexibilium motus demonſtratus.* 456 ſeq.
Corrarii (*Hieron.*) *Muſeum numiſmatum laudatum.* 98 ſeq.
Cranii *baſis delineata.* 224
Critica *qualem in rebus ſacris uſum præſtet?* 352
Curvæ, *quæ radios poſt duas flexiones ad punctum, unde egreſſi erant, reducunt, investigata.* 27 ſeq 61 ſeq. 169 ſeq. 221 ſeq.
Cyclicus *computus perſpicue traditus.* 704

D.

Dactyli *foſſiles.* 652
Decembrii (*Petri Candidi*) *ſcripta recenſita.* 254
Decennalia *Imperatorum vota quæ fuerint?* 116
Dei *eſſentia & exiſtentia demonſtrata.* 353 ſeq
Demoſthenis *Oratio contra Midiam recens edita & emendata.* 54 ſeq.
Deorum *ignotorum mythologia & antiquitates illuſtrata.* 7 ſeq.
Diaphragmatis *icon anatomica.* 223
Diplomata *Ludovici Pii explicata.* 477
Diplomatum *Germanicorum hiſtoria deſcripta.* 76 ſeq.
De Duareni (*Franc.*) *de eccleſia miniſtris opere ſingularia.* 610

E.

Eclipſis *d. 8 Aug. A. 1748 obſervata.* 518
Electrica *experimenta.* 418
Electricitatis *hiſtoria.* 415
Elementorum *materia natura.* 608
Eloquentiæ *ſtudium omnibus eruditis commendatum.* 616
Ad Eloquentiam *quæ ingenia ſint apta?* ibid.
Emphaſis *Hebraicorum vocabulorum indagata.* 323 ſeq.
Emplaſtrum *quoddam Archigenis Medici examinatum.* 520
Endelechii *de boum mortibus Carmen emendatum.* 213

Ende-

Endelechii *de boum mortibus carmen recens editum.* 647
notitia literaria. 647 ſeq.
Ennodii *notitia literaria.* 260 ſeq.
Epicurus *carmine refutatus* 11 ſeq.
Epigrammata *quædam antiqua Latina emendata.* 126 ſeq.
Epiſcoporum *Angliæ vitæ deſcriptæ.* 573 ſeq.
Erpenii (*Thomæ*) *Grammatica Arabica denuo edita.* 690 ſeq.
Eſtenſium *Principum progenitores illuſtrati.* 358
Euripidis *Tragœdia in Italicum translata.* 534 ſeq.
illuſtrata & emendata. 536 ſeq.
vita. 535
aliquot in regulas artis peccata. 544 ſeq.

F.

Fabricii (*Jo. Alb.*) *Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis continuata.* 95 ſeq.
Ferrarii (*Ambroſii*) *notitia literaria.* 262
Ferrum *ex plantis num calcinatione fiat?* 654
Fiſtulam *lacbrymalem curandi modus.* 657
Fixarum *parallaxis annua.* 190
Flandi *vis menſurata.* 416
Flores *per aliquot annos conſervandi modus.* 414
Du Freſnoy (*Nic. Lenglætii*) *in Lactantium merita.* 141 ſeq.
Friſiæ *orientalis Jus provinciale editum.* 214 ſeq.
quæ olim leges fuerint? 215
Frumenti *examen.* 654

G.

Galatarum *veterum hiſtoria deſcripta.* 675 ſeq.
lingua quæ? 685
Generationis *hominum ſpontaneæ patronus quis?* 422 ſeq.
Geographia *ſacra illuſtrata.* 364 ſeq. 623
Germaniæ *hiſtoria a prima origine ad hæc uſque tempora deſcripta.* 385 ſeq. 479 ſeq.
Germanicæ *quædam antiquiores voces illuſtratæ.* 514 ſeq.
Germanicarum *legum antiquitates illuſtratæ.* 281 ſeq.
Germanorum *veterum nomotheſia vitioſa.* 509

Digitized by Google

Per Gladium *inveſtituræ antiquitas illuſtrata.* 516

Græci *aliquot Scriptores emendati.* 473

Gruneri (*Jo. Frid.*) *in Sedulii Carmen paſchale merita.* 630 ſeq.

Gummi *deſcripta.* 651

Guntheri *Ligurinus emendatus.* 213

Gymnaſia *Judæorum qualia?* 86

H.

Hageri (*Jo. Ge.*) *in Iliada Homeri merita.* 686 ſeq.

Hanſeaticarum *urbium hiſtoria promiſſa.* 47

etymologia. ibid.

priſca & hodierna facies delineata. 48

Helvetiorum *origo unde?* 120

antiquitates illuſtratæ. 121 ſeq.

Henrici *VIII, R. Angl. cum Paulo III Pont. Max. diſſidia.* 90 ſeq.

III Imp. res geſtæ deſcriptæ. 493

Herodoti *loca emendata.* 473

Heſychius *emendatus.* 308

Heumannus (*C. A.*) *modeſte refutatus.* 474

Hilleriana *de origine & ſenſu τοῦ Ktiv & Kri ſententia defenſa.* 421

Hippocratis *Opuſcula aphoriſtica denuo edita.* 297 ſeq.

præcipua dogmata in promtuarium redacta. 299 ſeq.

de animatorum entium origine ſententia. 466

Hiſtoria *in rebus ſacris qualem uſum præſtet?* 351

Hiſtoricæ *artis notitia literaria.* 375 ſeq.

Homeri *Iliados Liber XXII editus.* 312

Codex Leidenſis deſcriptus. 313

notitia literaria. 686 ſeq.

Ilias edita. 687 ſeq.

loca nonnulla emendata. 689

Homodeorum *magna inter Jureconſultos Mediolanenſes fama.* 264

Huberi (*Ulrici*) *Opera minora recenſita.* 445 ſeq.

Hungariæ *Scriptores in unum corpus collecti.* 193 ſeq.

De Hydrargyro *obſervatio.* 658 ſeq. 660

Jablonskii

Digitized by Google

I.

Jablonſkii (*Dan. Ern.*) *ad Leibnitium Epiſtola edita.* 167 ſeq.
Imperatoris *nomen quando primum auditum?* 104
Imperatorum *Romanorum nummi explicati.* 99 ſeq.
Induſtriæ, *urbis veteris, ſitus illuſtratus.* 499 ſeq.
Infinitum *mathematicum definitum.* 467 ſeq.
Inſcriptiones *quædam antiquæ explicatæ.* 2 ſeq.
Inſcriptionum *antiquarum novum corpus collectum.* 1 ſeq.
Inſpirationis *triplex genus aſſertum.* 345
Inſtituti *Bononienſis notitia literaria.* 649 ſeq.
Intellectus *humani operationes quæ?* 187
Inveſtituræ *per gladium antiquitas illuſtrata.* 516
Joannis *Baptiſtæ veſtitus deſcriptus.* 471
Jobi *hiſtoria illuſtrata.* 366 ſeq.
Juris *natura ex ſententiis veterum Jureconſultorum concinnandi ſpecimen.* 424 ſeq.
— *definitio veterum Jureconſultorum defenſa.* 426 ſeq.
Juris *civilis loca quædam emendata.* 447 ſeq.
— *Bavarici Codex deſcriptus.* 510
— *naturæ prima principia explicata.* 583 ſeq.
Juriſprudentia *veterum Germanorum multis modis vitioſa.* 509 ſeq.
Jurium *ex carminibus doctorum examen.* 653
Juſtitiæ *definitio.* 432

K.

Kappii (*Jo. Erh.*) *in Epiſtolas Leibnitii merita.* 165
Kochii (*Ern. Aug.*) *nova editio Receſſuum Imperii laudata.* 281 ſeq.

L.

Lachrymalem *fiſtulam curandi modus.* 675
Lactantii *nova editio promiſſa.* 140 ſeq.
Lamprechtii (*Jac. Frid.*) *elogium.* 458
Lapides *figurati varii deſcripti.* 457
Laſcaris (*Conſtantini*) *in literas Mediolanenſes merita.* 252

Latinæ

Digitized by Google

Latinæ *linguæ ſtudium commendatum.* 615 ſeq.
Leges *Suecicæ collectæ.* 587 ſeq.
Legionum *Romanarum antiquus character numeralis examinatus.* 642 ſeq.
Legum *Germanicarum antiquitates illuſtratæ.* 282 ſeq.
Leibnitii (*G. G.*) *ad Jablonskium & alios Epiſtolæ editæ.* 164 ſeq.
De Leibnitio (*G. G.*) *ſingularia.* 164 ſeq.
A Lennep (*Jo. Dan.*) *in Coluthum merita.* 398 ſeq.
Lex *Burgundionum illuſtrata.* 397
Libellandi *nova machina.* 415
De Libertate *morali opus promiſſum.* 458
Liborum *dulciariorum Norimbergenſium antiquitas illuſtrata.* 513 ſeq.
Libræ *genus perfectius.* 414
De Lindani (*Wilh.*) *Concordia diſcorde ſingularia.* 368
Linguarum *Celticæ & orientalium conſenſus.* 468
hiſtoria illuſtrata. 373
Literæ *veterum Pruſſorum quales fuerint?* 187
Literarum *elegantiorum hiſtoria in compendio deſcripta.* 373 ſeq.
Livii *locus illuſtratus.* 423
Logicæ *inſtitutiones novæ.* 412 ſeq.
præcepta generalia. 561 ſeq.
Lotharii *I Imp. Diplomata deſcripta.* 83
res geſtæ deſcriptæ. 479 ſeq.
II res geſtæ enarratæ. 480 ſeq.
Lucis *nova theoria.* 602
Lucretii *doctrina carmine refutata.* 11 ſeq.
Ludolfi *Barometra electrica.* 459
Ludovici *I Imperatoris Diplomata deſcripta.* 81
res geſtæ deſcriptæ. 396. 477
II Imp. Diplomata quæ? 84
Germanici res geſtæ deſcriptæ. 482 ſeq.
Luminarium *tabulæ Eulerianæ.* 600
Lycurgi *contra Leocratem Oratio recens edita & emendata.* 58 ſeq.

M.

Macularum *ſolarium a Sole diſtantia.* 418

Digitized by Google

Majoragii (*M. Ant.*) *notitia literaria.* 267
Malum *unde ſit ex ſententia Catharorum?* 157
Mammachi (*Thomæ Mariæ*) *in Opera S. Antonini merita.* 670 ſeq.
Manualis *Germanorum fides illuſtrata.* 472
Maria *an fuerit a peccato originali immunis?* 354
Materiæ *facultas cogitandi ex principiis Mechanica denegata.* 608
elementorum natura. ibid.
Mechanicæ *Philoſophiæ ſpecimen.* 572
Mechanicum *Problema novum.* 464
Mediobarbi (*Franc.*) *notitia literaria.* 269
Mediolanenſium *Scriptorum notitia literaria.* 242 ſeq.
ſtudiorum origo & antiquitas. 245
librorum hiſtoria literario-typographica. 248 ſeq.
Medullæ *ſpinalis icon anatomica.* 224
Melæ (*Pomp.*) *locus illuſtratus.* 468
Menſura *flatus.* 416
Mentis *humanæ vires explicata.* 564 ſeq.
Mercurii *uſus in obſtructione curanda.* 60 ſeq.
Metallorum *ſolutiones ope ſalis alcalini.* 459
Microſcopium *anatomicum.* 460
Middletonus (*Conyers*) *a Tunſtallo refutatus.* 632 ſeq.
Miltoni (*Jo.*) *Paradiſus amiſſus mediocri arte in Latinum converſus.* 160 ſeq.
Minutii *Felicis Octavius emendatus.* 209 ſeq. 474
Monetæ, *Cremonenſis, vita & ſcripta.* 145 ſeq.
Catharos & Valdenſes refutandi infelices conatus. 157 ſeq.
Monogrammata *in Diplomatibus Germanicis obvia.* 77 ſeq.
Moſchi *Epitaphium Bionis emendatum.* 312
Moſchoviæ *deſcriptio.* 341
Moshemii (*Jo. Laur.*) *in Origenem de vera religione Chriſti merita.* 526 ſeq.
Motus *corporum tubis mobilibus incluſorum.* 595
flexibilium theoria. 456 ſeq.
Mülleri (*Gerh. Frid.*) *in literaturam Tanguticam merita.* 438 ſeq.

Digitized by Google

Mundi *machina carmine deſcripta.* 18
creatio divina adſtructa. ibid.
Muratorii *Inſcriptionum corpus modeſte notatum.* 11
Muſæi *locus emendatus.* 408
Muſeum *numarium Corrarianum editum.* 97 ſeq.

N.

Naturæ *leges quales?* 586
Navarchidis *nomen explicatum.* 118
Neocori *populi & urbes illuſtratæ.* 110
Neutoni *theoria lucis & colorum impugnata.* 602 ſeq.
Philoſophia naturalis illuſtrata. 336
Notæ *Tironianæ explicatæ.* 477 ſeq.
Notionum *doctrina explicata.* 567 ſeq.
Numi *antiqui an monetæ uſum obtinuerint?* 114
varii explicati. 138 ſeq.
Numiſma *Equitis Hieronymi Odam explicatum.* 279 ſeq.
Numiſmata *maximi moduli area explicata.* 99 ſeq.
varii generis antiqua edita. 435
Arabica collecta. 435 ſeq.
Numophylacium *Schulzianum commendatum.* 137 ſeq.

O.

Obertus *ab Horto an Jus feudale compilaverit?* 266
Obſidum *apud veteres Germanos ſtatus deſcriptus.* 397
Obſtructionis *cura per chalybem & Mercurium.* 60 ſeq.
Odam (*Hieron.*) *equitis numiſma explicatum.* 279 ſeq.
Officia *hominis erga ſe ipſum explicata.* 359 ſeq.
Omenti *icon anatomica.* 224
Optati *Milevitani loca emendata.* 211
Orbitæ *Cometarum aliquot determinata.* 456
a quo detecta? ibid.
Origenes *de veritate religionis Chriſtianæ Germanice redditus.* 526 ſeq.
Oſſa *colorata nutrimento.* 654
Oſtrea *ſingularia foſſilia.* 652
Ottonis *I Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 487 ſeq.
II & III res geſtæ deſcriptæ. 613 ſeq.

P.

Pagorum *præfecti olim qui?* 5
Palæſtinæ

Digitized by Google

Palæſtinæ *urbes & vici collecti.* 421
fertilitas illuſtrata. 468
Parallaxis *annua fixarum.* 190
Parlagii *Florentini notitia hiſtorica.* 475
Paſchatis *tempus quomodo corrigendum?* 594
Paſtophororum *Collegium illuſtratum.* 503
Patrum *teſtimoniis magna autoritas aſſerta.* 350
Pauli *III P. R. juſſu conſcriptum Conſilium de emendanda eccleſia in Indicem expurgatorium relatum.* 380 ſeq.
nullos habuit ſucceſſus. 609 ſeq.
vita & mores quales? 612 ſeq.
De Pauli *III Pont. Max. cum Henrico VIII, Angl. Rege, geſtis judicium.* 90 ſeq.
emendandi eccleſiam conatibus quid ſentiendum? 91 ſeq.
Percuſſionis *vis menſurata.* 461
Pfefferkuchen, *liborum Noribergenſium, antiquitas illuſtrata.* 513 ſeq.
Phialæ *vitreæ minimi ſilicis ictu diſſilientes explicatæ.* 419
Philoſophia *Theologo commendata.* 617
Philoſophiæ *generalia præcepta.* 521
Philippe (*Steph. And.*) *in Vellejum Pat merita.* 272 ſeq.
Phyſicæ *præcepta generalia.* 469
Piſces *nec mutos, nec ſurdos, eſſe, demonſtratum.* 415
Plantæ *marinæ a Kleinio ordinatæ.* 417
Plantarum, *quæ ad uſum Medicinæ pertinent, virtutes deſcriptæ.* 289 ſeq.
Poeſios *hiſtoria illuſtrata.* 374
De Polignac(*Melchioris*) *Card. Antilucretius laudatus.* 12
Polonicorum *librorum rariorum notitia.* 665 ſeq.
Polonorum *clariſſimorum elogia.* 338 ſeq.
Pontificis *Maximi antiquitates illuſtratæ.* 106
Potocki (*Pauli*) *Comitis Opera conjunctim edita.* 338 ſeq.
Primarum *elogio civitates olim inſignitæ.* 112
Probabilitatis *doctrina explicata.* 568 ſeq. 712 ſeq.
ejus abuſus demonſtratus. 714 ſq.
Proconſulis *antiquitates illuſtratæ.* 109
Pruſſorum *veterum quales fuerint literæ?* 187

Pulmones *animalium in vacuo mortuorum natant.* 659
Pythagoræ *doctrina & vivendi ratio commendata.* 133 ſeq.

Q.

Q, *litera, unde?* 185
Quantitatum *imaginariarum elementum veſtigatum.* 473
Quirini *Card. cum Schelhornio controverſia.* 380

R.

Receſſuum *Imperii nova editio curata.* 280 ſeq.
Relandi (*Adr.*) *de urbibus & vicis Palæſtinæ liber ſuppletus.* 421
Religionis *patrocinium adverſus voluptatem ſuſceptum.* 15
Ren *ſingularis.* 655
De Rewa (*Petri*) *Commentarius de S. regni Hungariæ corona editus.* 203 ſeq.
Ricchinius (*Thom. Auguſtinus*) *ſtudii partium reus.* 147 ſeq.
Ricolvii (*Pauli*) *elogium.* 507
Rinaldi (*Joſephi*) *Orationes laudatæ.* 615 ſeq.
Rittershuſii (*Conr.*) *Epiſtolæ editæ.* 423
Rivautella (*Ant.*) *laudatus.* 507 ſeq.
Robeckius (*Jo.*) *refutatus.* 458

S.

Salis *alcalici in ſolvendis metallis uſus.* 459 ſeq.
Salamanni *qui fuerint?* 511 ſeq.
Sanctamauræ (*Jul. Caeſ.*) *Epiſtolæ editæ.* 423
Schelhornii (*Jo. Ge.*) *cum Card. Quirino controverſia.* 380 ſeq.
Scholæ *Judæorum quales?* 86
Schultenſii (*Alb.*) *cognitio linguæ Arabicæ laudata.* 690 ſeq.
Schulzii (*Jo. Henr.*) *Numophylacium commendatum.* 137 ſeq.
Schwandtneri (*Jo. Ge.*) *in Scriptores Hungariæ Bongarſianos merita.* 195
Scioppii (*Caſp.*) *Epiſtolæ editæ.* 423
Scriptorum *Græcorum loca quædam emendata.* 406 ſeq.
Scriptura *S. commentariis Anglorum illuſtrata.* 621 ſeq.
ejus loca nonnulla explicata, aut illuſtrata:
Gen. I, 2. 625
III, 15. 354. 368 625
VIII, 21. 325

Gen.

Gen.	*X, 10.*	626
	17.	ibid.
	29.	ibid.
	XIII, 10.	ibid.
	XIV, 15.	ibid.
	XXVIII, 18.	472
	XLIX, 10.	626
Exod.	*III, 6.*	316
	VI, 3.	324
	XII, 18.	317
	46.	347
	XXX, 38.	472
Levit.	*VI, 13.*	318
	IX, 14.	319
	XXI, 22.	ibid.
	XXIII, 10-14.	323
Num.	*X, 12.*	364
	XX, 8.	ibid.
	XXI, 14-20.	ibid.
	XXXIII, 30, 31.	363
Deut.	*I, 1.*	362
	1, 2.	363
	19.	364
	II, 6.	363
	IV, 2.	349
	XXVII, 26.	324
	XXXII, 7.	348
	8.	531
Joſ.	*VIII, 30 ſeq.*	472
1 Sam.	*VII, 6.*	320
	12.	472
	VIII, 22.	320
Pſ.	*LXXVII, 5.*	348
	CXXXII, 6.	421
Job.	*XXVI, 25.*	707
Jeſ.	*IX, 14.*	322
	XI, 3.	472
Jeſ.	*XI, 11.*	324
	XIX, 19.	472
	XXIII, 28.	324
	XXXII, 15.	325
	XLVIII, 16.	369
	LV, 13.	472
Ezech.	*XXXVIII, 2.*	325
Joel.	*II, 28.*	321
Mich.	*III, 12.*	328
	V, 1.	321
2 Maccab.	*VIII, 20.*	679
Matth.	*I, 18.*	554
	II, 6.	321
	III, 4.	471
	V, 1.	89
	13.	530
	X, 27.	88
	XI, 28.	324
	XIII, 1, 2.	89
	XV, 6.	349
	11.	560
	XVIII, 3.	342
	XXII, 16.	558
	XXIII, 2.	87
	3.	530
	19.	369
Marc.	*I, 6.*	471
	10.	556
	21.	ibid.
	35.	ibid.
	38.	558
	43, 44.	556
	II, 4.	ibid.
	6.	ibid.
	9.	ibid.
	19.	ibid.
	21	ibid.

Digitized by Google

Marc. IX, 49. 554
XII, 14. 558
Luc. II, 14. 322
46. 89
IV, 17-20. 87
VI, 40. 88
VII, 35. 554
X, 16. 350
Jo. I, 1. 369
14. 316
II. 354
III, 6. 369
IX, 28. 88
XIX, 36. 347
Act. II, 17. 321
VI, 9. 87
VII, 4. 366
XIII, 25. 357
XIV, 11. 685
XIX, 21. 377
31. 112. 113
Rom. I, 3. 369
10. 420
V, 18. 322
19. 370
VII, 7 *ſeq.* 369
VIII, 4. 347
IX, 5. 554
XV, 4. 347
XVI, 10. 576
1 Cor. X, 11. 347
XV, 20. 323
2 Cor. V, 19. 420
XI, 2. 348
Gal. I, 9. 349
III, 13. 555
19. 326
Gal. IV, 21-31. 326
VI, 17. 631
Eph. IV, 11. 530
V, 2. 472
Phil. II, 8 *ſeq.* 370
13. 158
1 Theſſ. V, 19. 318
2 Theſſ. I, 6. 555
II, 14. 348
2 Tim. III, 16. 349
IV, 1. 348
21. 576
1 Jo. V, 7. 369
Hebr. XI, 28. 317
Jac. II, 17. 370
Apoc. VIII, 1 *ſeq.* 472
XVII. 154
XXII, 18. 349
Sectionum *conicarum proprietates aliis curvis competentes.* 465
Sedulii (*Cælii*) *Carmen de verbi incarnatione editum.* 96
Carmen paſchale emendatum. 212. 630 ſeq.
De Sedulio (*Cælio*) *varia.* 628 ſeq.
Semina *omnium rerum & animalium unde?* 27
Senatusconſultum *Rubrianum explicatum.* 221
Senckenbergii *in novam Receſſuum Imperii editionem merita.* 285 ſeq.
Servorum *apud veteres Germanos ſtatus deſcriptus.* 397

Servorum

Digitized by Google

Servorum *apud veteres Romanos quæ conditio?* 620
Severi (*Sulpicii*) *loca quædam emendata.* 206
Sinicæ *linguæ Grammatica & Dictionaria adornata.* 49 ſeq.
Sinicorum *librorum, in Bibliotheca Regia Pariſienſi exſtantium, Catalogus.* 52 ſeq.
Solarium *macularum a Sole diſtantia.* 418
Solis *ac Lunæ tabulæ.* 600
— *theoria nova.* 456
Solſtitiorum *tempus definitum.* 661
Solutio *metallorum ope ſalis alcalici.* 459
Solutionum *in aere & in vacuo diverſitas.* 654
Soni *velocitas experimentis inveſtigata.* 28
Spinozæ *ſyſtema refutatum.* 467
Sturmii (*Jo.*) *de* [illegible]*ſilio, Pauli III juſſu conſcripto, Epiſtola edita.* 384
Suecicæ *leges in unum corpus collectæ.* 559 ſeq.

T.

Tabulæ *luminarium Euleriana.* 600
Tangutica *literatura & ſcripta illuſtrata.* 438 ſeq
Taſſi *carmen, Hieroſolyma liberata, cum figuris editum.* 525
Taylori (*Jo.*) *in Demoſthene emendando ſtudium commendatum.* 54 ſeq.
Terrarum *varia genera examinata.* 457
N. Teſtamenti *variæ lectiones caute colligendæ.* 551 ſeq.
Theocriti *loca tentata.* 304 ſeq.
Thermometra *emendata.* 659
Thucydidis *locus emendatus.* 311
Thuroczi (*Jo.*) *Chronicon Hungariæ denuo editum.* 198
Traditionum *autoritas aſſerta.* 348
Trajani *Conſtitutiones Commentario illuſtratæ.* 218 ſeq.
Trappius (*Joſ.*) *non ſatis felix carminis Miltoniani interpres.* 161 ſeq.
Tribunitia *Auguſtorum Cæſarumque Rom. poteſtas illuſtrata.* 115 ſeq.
Tuberonis (*Lud.*) *Commentaria de rebus Hungaricis edita.* 202
Tubi *circa punctum fixum notati motus.* 464
Typographicæ *artis origo.* 249
— *Mediolani ſtatus.* 248 ſeq.

U.

Vaginæ *uteri icon anatomica.* 224

Valckenarius (*Lud. Caſp.*) *laudatus.* 301 ſeq.
ejus in novum libri Urſiniani editionem merita. 302
Valdenſes *unde dicti?* 152 ſeq.
quas defenderint doctrinas? 154 ſeq.
teſtibus veritatis annumerandi. 154
Variæ *lectiones* N. *Teſtamenti caute colligendæ.* 551 ſeq.
Vegetabilium *uſus ſanitati inprimis conducit.* 134 ſeq.
Velleji *Paterculi nova editio a Philippto curata.* 272
Velſeri (*Marci*) *Epiſtolæ editæ.* 423
Ventum *menſurandi nova methodus.* 705
Verona *an ditioni Cenomanorum fuerit ſubjecta?* 371 ſeq.
Verſiones *N. Teſt. ſæpe quoad ſenſum diverſæ.* 555 ſeq.
Victus *Pythagoricus commendatus.* 133 ſeq.
Des Vignoles (*Alphonſi*) *elogium.* 458
Vitra *a minimi ſilicis ictu diſſilientia explicata.* 21 ſeq.
de his experimenta Hanovii. 419
Votorum *decennalium antiquitates illuſtratæ.* 116 ſeq.
Vulpii (*Joſ. Rocchi*) *Carmina deſcripta & laudata.* 662 ſeq.

W.

Waltheri (*Auguſtini Frid.*) *elogium.* 522 ſeq.
Weis (*Udalricus*) *laudatus.* 187
De Wicht (*Matthiæ*) *in Jus provinciale Friſiæ orientalis merita.* 215
Wielingii (*Abr.*) *in edendis Huberi Operibus minoribus ſtudium commendatum.* 445
Wolfii (*Jo. Chriſtoph.*) *varii conatus literarii.* 185 ſeq.
Woolſey (*Thomæ*) *in Anglia fata.* 581

Z.

Zaluski (*Joſ. Andr.*) *Comitis in Opera Comitis Potocki merita.* 338
Bibliotheca l[illegible]*ta.* 665
Zermeghi (*Jo.*) *Hiſtoria rerum inter Ferdinandum & Joannem geſtarum edita.* 203
Zornii *Petinotheologia refutata.* 418
De Zredna (*Jo.*) *Epiſtolæ editæ.* 201 ſeq.
Zuingeri *in Opuſculorum Hipppocratis novam editionem merita.* 297 ſeq.

* * *

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Digitized by Google

Digitized by Google